THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
SACRARUM
COMPLECTENS

SELECTISSIMA CLARISSIMORUM VIRORUM OPUSCULA,

IN QUIBUS,

VETERUM HEBRÆORUM MORES

LEGES, INSTITUTA, RITUS SACRI, ET CIVILES ILLUSTRANTUR:

OPUS

Ad illuſtrationem utriuſque Teſtamenti, & ad Philologiam ſacram, & profanam utiliſſimum, maximeque neceſſarium.

VOLUMEN SEPTIMUM.

AUTORE

BLASIO UGOLINO.



VENETIIS
MDCCXLVII.

APUD JOANNEM GABRIELEM HERTHZ.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.



JOSEPHO PUTEOBONELLO
S. R. E.
CARDINALI
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI

BLASIUS UGOLINUS
FELICITATEM.

*C*UM *mea permagni interesset*, EMINENTISSIME PRINCEPS, *id inprimis curare*, *ut* Antiquitates Sacræ, *ab omni gratia & opibus imparatæ*, *adversus hominum gratiosorum autoritatem*, *qui eas oppugnandas impetendasque suscepere*, *firmiori præsidio munirentur*, *plurimum ex Tuis Auspiciis comparasse illis mihi videor præsidii & dignitatis*. *Quid enim illis illustrius atque*

que

que honorificentius accidere unquam potuit, quam ut Tibi præcipue probarentur, commendarenturque, qui esses ab omni laude, & Majorum gloria commendatissimus? quos legimus vel ab Urbe condita vel consulari, vel prætoria, vel quæstoria dignitate, vel præfecturis, vel mœnium munitione, vel legibus condendis, quo salus & fortuna cum publica tum privata firmioribus opibus muniretur, vel sanctitate vel martyrio domi bellique claruisse. De quorum laude neque hic locus est ut multa dicantur, neque plura tamen dici possunt iis, quæ sunt omnium hominum, atque omnium seculorum memoria celebrata. Hoc unum dixisse satis erit, semper ab omnibus ita auctum, amplificatumque fuisse domesticæ gloriæ patrimonium, ut Nepotibus posterisque domi quæ imitarentur, omnium virtutum exempla abunde suppeterent. Tu vero præ ceteris eorum imagines, qui doctrina & sanctitate floruere, intentius quotidie intuebare, ut Tua præcipue interesse putares, una pietate & sapientia inprimis commendari. Audivimus quanta puer, quanta adolescens cura & diligentia ad Ecclesiasticas disciplinas, & Antiquitates Sacras incubueris; quod divino quodam consilio factum esse putamus, ut ad Ecclesiam tuendam regendamque, quæ Tibi a Deo committenda erat, præsidia omnia ab his studiis Tibi essent paratissima. Quam multa & quam præclara in perlustranda obeundaque provincia sapientiæ & pietatis Tuæ exempla extitere! ut ii, apud quos diutius diversabare, sibi viderentur præ ceteris perbeati. Prudentia vero Tua & integritas, quo tempore post Cajetani Stampæ Cardinalis acerbissimam mortem Vicarius Insubriæ præfuisti, tanti ab omnibus habita,

æsti-

æstimataque est, ut universę provinciæ judicio dignus esses & haberere, qui Mediolanensi Ecclesiæ Archiepiscopus præficerere. Nunquam hoc tempore universæ civitatis studia, vota, & preces honori & dignitati tuæ defuerunt. Recordare diem illum, cum literæ ab Urbe allatæ sunt, quibus significabatur Te a BENEDICTO XIV. *Pontifice Optimo Maximo, cui parem vel doctrina, vel sapientia, vel pietate, vel innocentia, rerum gestarum vel magnitudine vel varietate neque vidimus neque meminimus, Mediolani Archiepiscopum fuisse designatum, quæ Senatus, quæ omnium ordinum fuerit lætitia, & gratulatio! Extemplo actæ habitæque sunt Deo immortali pro immortali hoc beneficio immortales gratiæ ab omnibus, quos ad Templum supplicationes, quibus præeras, illo die frequentarunt. Indictæ habitæque sunt ad omnia Templa Urbis supplicationes, & præter morem majori dierum numero, singulari studio & splendore, & frequentiori, quam fieri solet, populo celebratæ. A frequentissimis Patribus S. C. Pontifici singulares actæ sunt gratiæ, qui Te Archiepiscopum, quem omnibus votis exoptarant, præter spem & expectationem sibi designasset; qui tanto universæ Insubriæ consensu & lætitia commotus sibi magnopere de judicio suo gratulatus est, quod præ ceteris tanti Sacerdotii procurationem Tibi demandasset; quem accepimus, quum mærens & anxius viderere, Tibi dixisse,* nihil esse quod vererere, Tibi, qui vere per ostium in Sanctuarium ingressus esses, Deum, cujus instinctu afflatuque *Archiepiscopus creatus esses, ope & consilio præcipue affuturum. Quo sua in Te essent*

ſent ſtudia illuſtriora, & judicia in dies honorificentiora, Te ſuis manibus ſacro Chriſmate delibutum, pallioque, in quo plenitudo Pontificalis officii continetur, *exornatum, ſacra etiam Purpura honeſtavit, bonorum omnium incredibili lætitia, qui ſibi pro tanta in Te collata dignitate magnopere gratulati ſunt, ſperantes fore ut in poſterum uni virtuti & pietati virtutis præmia perſolvantur. Quibus cognitis ex Tuis literis Mediolani majori quam antea gaudio ſunt delibuti affectique omnium animi, decretumque frequentiſſimo Senatu, ut iterum Deo, & Pontifici ampliſſimis verbis gratiæ ampliſſimæ agerentur; nullaque prætermiſſa ſunt ab amantiſſima Tui civitate vel obſervantiæ vel charitatis argumenta, præſertim eo die, quo Tibi ab Urbe Mediolanum redeunti univerſum Senatum, Equeſtrem ordinem, Sacerdotes, populum obviam egreſſum accepimus, quo nihil illuſtrius nihil honorificentius fieri potuit. Cujus ordinis? cujus generis? cujus denique fortunæ ſtudia eo die laudi & gratulationi tuæ defuerunt? Quem potes recordari in vita Tibi illuxiſſe diem lætiorem? quo ex agris patres familias cum conjugibus ac liberis, omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci, tota Inſubria proſequente Te in Templum deduxerunt, Deum omnibus votis omnes obteſtantes, ut cum Tui, tum Eccleſiæ bono diutiſſime incolumem ſervet & tueatur. Vale.*

BLA-



BLASIUS UGOLINUS LECTORI.

TOPOGRAPHIA SACRA, qua Judææ celebriora loca illustrantur, hoc septimo volumine continetur. Clarissimis Geographis ducibus nobiliores Palæstinæ partes perlustravimus. Montes SION, TABOR, & NEBO adscendimus, quo una cum MOSE, & JESU CHRISTO universam Judæam, & finitimas provincias contemplaremur. Valles, civitates, aliaque loca, quæ in utroque Testamento maxime celebrantur, peragravimus. Pentapoleos horrendo spectaculo perhorruimus. Flumen Sabbathicum a PLINIO, JOSEPHO, ceterisque Judæis tantopere celebratum frustra inquisivimus. Fines Palæstinæ aliquando prætergressi alia loca in Veteri Testamento commemorata perlustravimus. Finitimam Judææ Ægyptum peragravimus. Hirami, & Salomonis celeberrimas Classes conscendentes ad Ophir, & Tharsis ad comparandas tantas opes navigavimus. Paradisi Terrestris situm exquisivimus. Cum ABRAHAMO PERITSOL Geographorum Judæorum facile principe universum fere terrarum orbem circumivimus. Cum ex his tantorum Virorum Opusculis Geographiæ Sacræ plurimum lucis impertitum sit, posthæc Tabernaculum, Arcam, Templum, Vasa Sanctuarii, utramque Aram, Candelabrum, Mensas, dies festos, Pontificem maximum, Sacerdotes, Vestes Pontificales, & Sacerdotales, Pontificis, Sacerdotum, & Levitarum ministeria, omnia Sacrificiorum genera, oblationes, decimas, Poesim, Musicam, & instrumenta Musica, ceteraque, quæ Templum spectabant, decem fere voluminibus illustrabimus, quæ cum rerum præstantia, & splendore reliqua omnia antecellant, merito danda, dicanda, & dedicanda censuimus SUMMO VIRO, qui non minus dignitate, quam doctrina, & sanctitate reliquos mortales omnes antecellit, ut essent in TANTUM VIRUM pro suis immortalibus in literas Sacras, & Ecclesiasticas promeritis immortalia meæ observantiæ, & pietatis argumenta.

Reliqua, quæ post hoc septimum consequentur volumina, pleraque nova, & inedita, vel nunc primum ex Hebraico Latine reddita, & perpetuis commentariis philologicis illustrata comprehendent. Loca, præsertim Hebraica Typographorum incuria depravata ad calcem voluminis emendata deprehendes.

IN-

INDEX

Opusculorum, quæ in hoc volumine continentur.

אגורת

* Hæc duo opuscula, quibus recentioris Palæstinæ facies illustratur, postremo loco edenda censuimus.

אגרת אורחות עולם

ABRAHAMI PERITSOL

ITINERA MUNDI

CUM INTERPRETATIONE, ET NOTIS

THOMÆ HYDE.



BENEVOLO LECTORI

Χαίρειν καὶ εὐπράττειν.

SEQUENTIS Libri Autographum seu Exemplar MS. unde hæc Impressio desumpta est, extat inter Codices Laudianos in Universitatis Oxoniensis Bibliotheca Publica Bodlejana: cui adjunximus aliud Exemplar MS. Venetiis pro me emtum procuratione Amplissimi Viri D. Thomæ Boon Mercatoris Londinensis, cujus humanitati multa debeo. Hic Liber dicitur Venetiis impressus: quod si ita factum, hodie reperiri non potuit. Hebraice scriptus est paulo ante Angliæ Reformationem, ut ex Authoris Præfatione constat. Titulus sumtus est ex Job XXII. 15. *Stylus maxima ex parte pure Hebraicus est: verba tamen & phrases Rabbinicæ recentiores subinde admiscentur. Quod autem indifferenter Adjectiva pluralia fœmininæ formæ cum Substantivis pluralibus masculinæ formæ (& vice versa) fere perpetuo & quasi ex industria construantur, nemo miretur; cum hujus Linguæ genius talis sit ut id aliquando etiam in* S. *Bibliis fiat, Davide Deum precante, ut* עונות ראשונים iniquitatum priorum *recordari nolit. Et in prophetia Jeremiæ memorantur* תאנים טובות ficus bonæ. *Nam pluralium nominum* T*erminatio non semper eorundem Genus vel masculinum vel fœmininum determinat; uti suspicari liceat, cum ab* אלה *fiat* אלים, *& a* תהלה *fiat* תהלים, *& ab* היכל *fiat vel* היכלים *vel* היכלות, *& a* תאנה *fiat* תאנים, *cum ejusmodi aliis, & ab* אב Pater *non sit aliud plurale quam* אבות *ea terminatione quæ vulgo reputatur fœminina. Sed Genus a forma singulari potius petendum & dignoscendum est: cum sint quædam pluralia sua natura masculina quæ amant terminationem fœmininam, & sua natura fœminina quæ amant terminationem masculinam. Adeo ut aliquando vocum natura, & non semper terminatio respicienda sit.*

Autor fuit Judæus Avenionensis, cujus nomen פריצול *absque vocalibus scriptum, vulgo effertur* Peritsol, *non satis punctualiter. Nam absentibus Vocalibus, quisque legit prout sibi videtur, ut semper fiat in Propriis exoticis, unde errores multi; & subinde Appellativis. Aliquando paulo aliter scribitur* פריסול: *& utrumque rectius pronuntiandum est* Paresol, *vel potius* Parasol, *cujus significatio Appellativa est i. q.* Quittesol *seu* une Ombrelle *qua in calidioribus regionibus utuntur homines ad caput a sole tuendum ejusque calorem arcendum & ardorem amoliendum. Ipse suum nomen aliquando plenius scribit* אברהם בן פריצול Abraham filius Peritsol: *& apud D. Bartoloccium in Bibliotheca Rabbinica scribitur* אברהם בן מרדכי פריסול Abraham filius Mordecai Paresol. *Iste alium quoque Librum scripsit, [cujus ipse meminit, & nos in Bibliotheca Publica possidemus,) cui Titulus* מגן אברהם Clypeus Abrahami: *est sc.* ויכוח Disputatio *contra Christianos. Dicitur etiam scripsisse* פירוש על איוב Commentarium in Job.

Quid Judæus noster in hoc Opere suo præstiterit, Lector Capitum Elenchum percurrendo melius & facilius percipiet, quam ut opus sit repetere. Ignoscendum est nugis de Judæis in Oriente & Septentrione inclusis, quippe quod etiam a plerisque ejusdem Gen-

tis hominibus nimis superstitiose credatur. Iste Liber methodice scriptus est, verum Cosmographiæ scopum & methodum prosequendo, pleraque satis bene tractans; Benjamini Itinerarium multis post se Parasangis relinquens.

Ego Notas aliquas adjeci, idque plerumque ut recte sed obscure dicta illustrarem, partimque aliquando ut perperam dicta corrigerem & taxarem. Ne autem Libellus in nimiam molem excresceret, multa notatu digna non tetigi, ea in aptiorem locum reservans, si Deus vitam & vires suppeditaverit.

Suasu Viri admodum Reverendi D. Joh. Fell Episcopi Oxon. defuncti, aliquando editurus eram Abulphedæ Geographiam Arabicam: illo autem decedente, Opus intercidit. Donec vero is Autor forte prodeat, ejus locum & vicem aliqua ex parte supplere potest iste Cosmographus, te per plerasque Orbis partes deducendo. Ideoque (Lector Benevole) manum porrige, Librum accipe, per Orbem expatiare isto duce: Gentes invise, præsertim maritimas isto indice: viam capesse per totam Europam, per Asiam, Africam, & Americam: Polos vise, Garamantes Indosque visita, ad Persas Arabesque penetra: deinde itineris fessus ad Europæos domi relictos rediens, pace ac quiete fruere tam domi quam foris. Vale.



AU-



AUTORIS PRÆFATIO.

להניח רבים מעצבון הטרדות והיגונות אשר
מקצתם לפעמים כאשר יבקשו להשקיט
המיירת עצבונם ויגונם ילכו לקרוא בקריאות
שירות באהבי זמה ובספרי מלחמות קדומות
אשר בקריאתם לא היו ולא נבראו אלא
למשל נבראות ובהם בכל מאד יעיינו
ויעמיקו ובילדי נכרים יספיקו על כן אמרתי
אני אברהם פריצול בן מרדכי מאביניון
נ״ע גר פיראראה לאהבת גבירים ידידים
חשובים זרע קדש מצבתם אשר אהבתים
לחבר לכבודם היום חדש חשון רפ״ה לפ״ק
את דברי האגרת הזאת בכתב עברי החדשה
במלאכת קצרת מהלכי עולם חקוקה
וחרושה היא הנקראת קוסמוגראפיאה
בלשון עמים לשמח נפש עגומים בפרסום
הגדות אמתיות חדשות גם ישנות
הנודעים למעיינים בה ובחקירות אופני
האקלימים ורוב הישובים והמדברות הימים
והנהרות ההרים והיערות כפי מה שבינותי
בקצת ספריהם והיהודים אשר נמצאו מחדש
ומלכיהם ומציאות הבשמים והפלפל אשר

AD sublevandum multis dolorem molestiarum & anxietatum, quas quidam eorum aliquando habentes, quærendo sedare tumultum doloris & anxietatis suæ, conferunt se ad lectionem [1] Cantilenarum de Amoribus lascivis, & Librorum de bellis [2] antiquis, quæ prout leguntur nunquam fuerunt, nec [3] extiterunt, sed tantum parabolice excogitata sunt; & tamen in ea vehementer intenti sunt & profundius se immergunt, alienis partubus contenti: Idcirco dixi ego Abraham Peritsol filius Mardecai de Avignon (cujus [4] quies sit in Paradiso) commorans in Ferrara, in gratiam virorum dilectorum præstantium (semen sanctum Stemma eorum) quos amore prosecutus sum, me compositurum in honorem eorum hodie in mense [5] Cheshvan, (anno) 285. secundum [6] supputationem minorem, verba hujus Tractatus scriptura Hebræa, *viz.* quicquid novum in operibus quorundam eorum qui Mundum perambularunt descriptum & exaratum est, quod lingua Gentium vocatur COSMOGRAPHIA; ad lætificandum contristatorum animum publicatione Historiarum veterum tam recentium quam antiquarum, quæ notæ sunt contemplantibus eas; idque per inquisitionem quomodo se habent Climata, & magna pars Habitationum & Desertorum, Marium & Fluminum, Montium & Sylvarum, prout intelligere potui ex aliquibus Librorum eorum; & de Judæis noviter repertis eorumque Regibus; & de inventione Aromatum & Piperis quæ sunt in Regionibus illorum; & de loco Fluminis [7] Sabbatici quod est in [8] India supra Persidem

בנלילותיהם ומקום נהר סבטיון אשר בהודו
למעלה מפרס במושבותיהם וחדשות אחרות
נמצאו מחדש בארצות כוש וגוייהם וזאת
תהיה הגדרת ספורי באגרת הזאת להגיד
רוב העיקרים האלה כאשר תשיג ידי:

ולא אביט אל עניי השכל אנשי לצון
לצון הלהוטים אחרי ההבל אשר יכשר להם
הלצנות הרבה ממעט שמע חכמה כזאת
אשר בין חכמים תתהלל ולפני מלכים
תתיצב לדעת בה מפלאי השם אשר ברא
בהבדל המקומות וחכמת הטבעים אשר
הטביע השם במציאות ברזל מעפר יוקח
ומקום לזהב יזוקו וארץ ספיר אבניה במצי
אות מקומות הקרובים לזריחה:

וצא ולמד כמה החכימה התורה האלהית
והרחיבה נפשה במקומות הצריכים להגיד
הגבולים והשוכנים בישובים בקוי הרוחות
והרצועות בספר בראשית בהגדת כל תולדות
העמים וגבולותיהם במושבותם לגוייהם ובגבולי
הארץ ועריהם ושתי את גבולך מים סוף וכו
ואמר במשנה תורה פנו וסעו וכו ארץ
הכנעני והלבנון עד הנהר הגדול נהר פרת
ובאלה מסעי פרטות המסעות כלם
ובחלוקת הארץ אמר והיו תוצאותיו הימה
ויצא חצר--אדר ועבר עצמונה ורבים מאלה
בספר יהושע:

אמנם אוכלי הבצלים והשום המזוהמים
מני בטן כאשר יקראו באלה ילכו עליהם
ויעבורו כי לא ידעו מה הוא ובודאי דבר
השם הוא ולא לתיהו מכתבו וגם כי יודע
אופן הישוב בו ופרטי פלאות השם אשר
הטביע בעולמו:

ואנכי בכל כחי אשתדל להגיד ולכתוב
הדברים העקריים והראשיים במלאכה הזאת
בדרך כללות הזכרת המקומות כי בפרטם
פרט ופרט לא יכילם ספר ואין חקר לתבונה
ואף הנוצרים ראשי חכמי המלאכה הזאת
לא יכלו להגיד הכל אף כי נשמטו ושכחו
ולא ידעו רק מה שיכלו להשיג וקראו
שמות זרות דרך הסכמה עליהם אם שיהיו
שמות קדומים או שמות חדשות אלך

sidem in sedibus eorum; & de aliis rebus de novo repertis in terris Cush & Gentibus earum. Et talis erit Historiæ meæ narratio in hoc Tractatu, ut enarrare possim majorem partem fundamentalium istorum, prout assequi poterit manus mea.

Non autem respiciam destitutos intellectu, atque derisores, inflammatos in vanitatem, quibus magis placet deridere quam audire scientiam talem quæ inter Sapientes laudatur & coram [9] Regibus se sistit, per quam nota fiunt mirabilia Dei quæ creavit, in discriminatione locorum & intelligentia naturarum quas Deus Mundo indidit. *Ferrum ex pulvere desumitur*; &, *Est locus quo aurum colliquefaciunt*: &, *Terra cujus lapides sunt Sapphir*. Hæc per inventionem locorum quæ proxima sunt Orienti.

Exi & disce quam sapienter egerit Lex Divina & dilataverit se & expatiata sit in locis necessariis, ad declarandum Terminos & eos qui incolunt habitata loca, per lineas ventorum & [10] Rumbos, in Libro Geneseos, in Historia omnium Generationum populorum & Terminorum eorum in sedibus suis secundum Gentes suas, & Terminorum Terræ (Israelis) & Civitatum eorum. *Et ponam Terminum tuum a mari Suph*, &c. Et dixit in Deuteronomio, *Aspicite & proficiscimini* &c. *Terra Canaanitæ & Libanon, usque ad Flumen magnum, Flumen Euphratem*. Et in (Sectione) *Elle Mas'e*, est particularis recensio itinerum omnium. Et in Distributione Terræ dixit, *Et erunt exitus ejus versus mare*: &, *Egredietur ad Chatsar-Addar, & transibit ad Atsmon*. Et multa talia sunt in Libro Josuæ.

Verum comedentes cæpas & allium, qui spurcati sunt ab ipso utero, quando legunt ista, prætereunt illa & transeunt, quia nesciunt quid sit. At certe verbum Dei est, quod non est scriptum inaniter; sed ut per illud sciatur quomodo se habeat Orbis habitabilis, & particularitates mirabilium Dei quæ implantavit in Mundo suo.

Et ego omnibus viribus meis conabor narrare & scribere res fundamentales & principales in hoc negotio, per modum generalem commemorationis locorum: nam specificando singula particularia, quivis Liber non contineret ea nec esset perscrutatio ad intelligendum. Imo ne quidem Christiani qui præcipui sunt callentium hoc negotium, possunt enarrare omnia, quin omittant & negligant; nec sciunt nisi parum illud quod ipsi potuerunt assequi; & vocarunt (loca) nominibus peregrinis per modum [11] consensionis in ea. Sive autem sint nomina antiqua sive nomina

אחרי עק ביתם ואקרא להם שמורת במעט הכללים אשר אזכיר בשמורת אשר גבלו ראשונים והמשכיל יבין במוה שאכתוב כי ידעתי ייטב למבינים וימתק לחכמים:

ויען כי זארת האגרת תסוב ענינה על אורחורת המציאורת התחתון והליכתיו ומה שנמצא מימים קדמוניות וגם מחדש היום בחכמורת מלאכרת המלחורת בים וביבשה קראתי שם האגרת הזארת אורחורת עולם ואחלקנה לפרקים קטנים נחלקים ונפרדים להוריע ולהגיד לרבים מה שבינותי ומצאתי כתוב ושמעתי מאנשי אמרת וקצרת מה שיזמין השם לידי וה׳ יהיה בעזרתי אמן:

mina moderna, ſequar veſtigia illorum, & in aliquibus generalium quæ commemoraturus ſum, ea (loca) vocabo nominibus quæ determinarunt antiqui. Et prudens intelliget ea quæ ſcripſero: novi enim quod placebit intelligentibus, & dulce erit Sapientibus.

Et propterea quod hujus [12] Tractatus Argumentum circumeat per itinera hujus Mundi inferioris & ſemitas ejus, & quicquid repertum fuit a diebus antiquis & quoque de novo hodie per experientiam Artis Navigatoriæ per mare, & etiam per Continentem, vocavi nomen Tractatus iſtius, ITINERA MUNDI. Et diſtribuam illum in Capitula parva, diviſa & diſtincta, ad notificandum & narrandum multis id quod intellexi & inveni ſcriptum, & audivi a viris veritatis, & partem eorum quæ paraverit Deus ad manus meas. Et Deus ſit in auxilium meum, Amen.

[1] *Cantilenarum*) Intelliguntur Cantilenæ amatoriæ, obſcœnæ & laſcivæ. [2] *Bellis*) ſc. fictis Bellis, i. e. *les Romances*, ad fallendum tempus & pellendas curas graviores. [3] *Extiterunt*) Voces נבראו & נבראות proprie *creata ſunt*; ſed uſu communi *producta* vel *facta ſunt* ſignificant. Codex Venetus MS. quem a Venetiis nactus ſum, pro נבראות legit נכתבו *ſcripta ſunt*, eodem ſenſu. [4] *Quies*) Cod. Ven. legit נפשו *anima ejus*, vel *cujus anima ſit in Paradiſo*. [5] *Ceshvan*) Indifferenter ſic dici ſolet pro *Marcheshvan*, i. e. Menſis *October*. [6] *Supput. min.*) Sic vulgo reddi ſolet: a. v. *ſecundum particularitatem minorem*, ſeu *particulare* aut *ſpeciale minus*; omittendo ſc. Millenarios ſeu numeros majores, (ut quando dicimus 86. pro 1686.) ab O.C. ducta Æra, ſeu *Era* ut apud Marianum rectius ſcribitur. *Era* enim nomen ad noſtrum uſum omnino veniſſe videtur per Hiſpanos ab Arabibus, ſcilicet a Verbo أرخ *Erah* ſeu *Erach*. i. e. *Computavit a certo tempore*. Et in ſecunda Conj. أرخ الكتاب *Eravit librum*, ſi ita dicere liceat, i. e. *tempus ei adſcripſit*. Hinc Nomen أرخة *Erha* ſeu *Ercha*, eſt ipſa *Epocha*; quæ tamen hodie plerumque dicitur تاريخ *Tarich*, (deducto Nomine Verbali ab eodem Verbo,) i. e. *Adſcriptio temporis Libro vel rei geſtæ*, *adnotatio temporis quo aliquid dictum vel factum eſt*. [2] *India*) Hebræis *Hodu*, ut in S. Bibliis. Cod. Ven. בארץ הודו *in terra Hodu*. [3] *Sabbatici*) De Flumine Sabbatico infra dicetur, in Notis ad Cap. XXIV. [4] *Regibus*) Cod. Ven. legit מלאכים *Angelis*, minus bene. [5] *Rumbos*) i. e. Rhombos Ventorum quaquaverſus flent: nam רצועה in genere ſignificat quemvis *Funiculum Lineamve*, ſive diſterminationis ſive aliter. Et hic quidem notat vel *Meridianos* vel *Parallelos* vel quaſvis alias *Lineas* quæ Globum undequaque ſecant dividuntque. [6] *Conſenſionis*) i. e. talia locorum nomina quæ ab eis communiter recepta ſunt generali quodam conſenſu. [7] *Tractatus*) Heb. *Iggereth* proprie eſt *Epiſtola*, i. q. Arab. وسالة ſed tam hoc quam illud communi uſu eſt quivis *Libellus* ſeu *Tractatus minor*.



INDEX CAPITUM.

ומדבר חבור אשר זה נודיע אמתתו ממקום אחר:

פרק י״א לבאר גבולת הים והשוכנירת למעלה מהים ללכת מויניציאה לקוסטאנטינופולי ואליספונטי והאיים הרבים בארציפילינו וללכת ביפו או בארוט ואליכסנדריאה של מצרים:

פרק י״ב לבאר המקומות העקריות והרא. שיות בדרך ים מויניציאה לפלאנדריס וללכת במיצר ניבילטירא ופורטוגאלי ואנגליאה וסקוציאה ואיבירניאה סמוך ליבשת פלנדריס:

פרק י״ג נזכיר בו מהלך אופירה מדברי הנביאים לאחורי היבשה דרך ים איך הוא ואנה הוא לאחורי כוש היא באפריקא השפלה הצריך להודיע באגרת הזאת:

פרק י״ד על דבר היהודים מה׳י שבטים· ועניינו ומהלכו אשר בא ממדבר חבור לפי המגידים. אשר במדברות אשיאה ואראביאה פיליקש בשנת רפ״ר לפ״ק:

פרק ט״ו על מלחורת מלך פורטוגאל בים אוקינוס כאשר רצה בראשונה ללכת דרך ארץ כוש השפלה בדרום היא איטיאופיאה לקאוו דיבונא ספיראנצא וכל המקומות אשר מצאו והיהודים ומדבר חבור:

פרק י״ו בבאור קצרת מקומורת חדשורת באיטיאופיאה אשר מצאו עם פורטוגאלי מן הקודם אל המתאחר והשמות החדשים אשר הושמו עליהם והחדושים הטובים אשר בהם:

פרק י״ז על אי מדירא וטעם שמה וטוב ענינה:

פרק י״ח על מת שנסעו מאי מדירא ומצאו שבעה איים נקראים קאנאריאי ומקאנאריאי לאיי קאניבאל מוצא הזהב לרוב אוכלי בשר אדם והם אלו בתוך הים בימינם והאיים קאנאריאי האלו רחוקים מן היבשה לראש לבן הוא קאוו ביאנקו:

פרק י״ט על מוצא דרך יבשת דרומית לצאת מפורטוגאל עד נגד קאוו קאנטין וקאוו ביאנקו וקאוו וירדי ובאור גלילות באמצע היבשת בתוך ההרים וענין הלוף מלח בזהב ודברים רבים אחרים:

פרק כ׳ בגבולי קאוו ביאנקו לעם ויגאגי· והנהר הגדול המפסיק בין קאוו ביאנקו לקאוו וירדי התחלת השחורים האמתיים:

sertum Chabor, cujus rei veritatem aliunde etiam notiorem faciemus.

CAP. XI. *Est ad describendum terminos maris & incolentium supra mare qua itur a Venetiis ad Constantinopolim & Hellespontum & insulas plurimas in Archipelago & qua itur ad Joppam aut Berytum, & Alexandriam Ægypti.*

CAP. XII. *Est ad describendum præcipua & principalia loca per viam maris a Venetiis ad Flandriam, & qua itur ad Fretum Gibeltar, & Portugalliam, & Angliam, & Scotiam, & Hiberniam, quæ sunt prope Continentem Flandriæ.*

CAP. XIII. *In eo commemorabimus iter ad Ophir ex verbis Prophetarum per posteriora Continentis via maris, quomodo sit, & quousque sit, per posteriora Æthiopiæ quæ est in Africa inferiori: quod necessarium erat exponere in Tractatu isto.*

CAP. XIV. *De re Judæorum ex* 10. *Tribubus: & de negotio ejus, & itinere ejus qui venit à Deserto Chabor secundum Historicos, quod fuit per Deserta Asiæ & Arabiæ felicis hoc anno* 284. *secundum supputationem minorem.*

CAP. XV. *De navigatione regis Portugalliæ in mari Oceano, quando primo voluit ire per viam terræ Cussi inferioris in meridie (ea sc. est Æthiopia) ad Caput Bonæ spei & de omnibus aliis locis quæ invenerunt. Et de Judæis, & Deserto Chabor.*

CAP. XVI. *De descriptione aliquot novorum Locorum in Æthiopia quæ invenerunt populi Portugallenses a primo eunte ad postremum, una cum Nominibus novis quæ eis imposita sunt, & novitatibus bonis quæ sunt in eis.*

CAP. XVII. *De Insula Madera, deque ratione Nominis ejus, & bono negotio ejus.*

CAP. XVIII. *Quomodo profecti sunt ab Insula Madera, & invenerunt* 7. *Insulas vocatas Canarias; & a Canariis ad Insulas Canibalensium, ubi auri productio copiosa, ubi comedunt carnes humanas: & istæ sunt in medio maris ad dextram eorum. Insulæ autem Canariæ sunt procul a Continente ubi est Caput album, vulgo Capo Bianco.*

CAP. XIX. *De exitu per viam Continentis Australis exeundo a Portugallia donec ventum sit e regione Capo Cantin, & Capo Bianco, & Capo Verde: una cum descriptione regionum in medio Continentis, & intimis Montium. Et de negotio permutationis Salis pro Auro, deque aliis rebus multis.*

CAP. XX. *De limitibus Capo Bianco quod pertinet ad populum Senegæorum, & de Flumine magno disterminante inter Capo Bianco & Capo Verde, ubi est initium Nigritarum verorum seu genuinorum.*

פרק כ״א יודיע בו מנהגי גלילות קאפו ויירדי וסיניגא ונאמברא ובונדומיל :

CAP. XXI. *In eo docet mores regionum Capo Verde, & Senegæ, & Gambaræ, & Bondomil.*

פרק כ״ב על משך צלעי היבשה אשר על שפת ים אוקינוס אחר עבור המקומות הנזכרים הם קאפו ויירדי ונהרותיו וסיניגא ונהרותיו וגאמברא ונהרותיו :

CAP. XXII. *De Tractu lateris Continentis, qui est ad Oram Maris Oceani, postquam præterieris loca prædicta, quæ sunt Capo Verde cum Fluminibus suis, Senega cum Fluminibus suis, & Gambara cum Fluminibus suis.*

פרק כ״ג יודיע דרך משך אורך היבשה הזאת הכושית השפלה וכל הנמצא בה על שפת ים אוקינוס ונהרותיה עד דרך מבוא לשון ים סוף :

CAP. XXIII. *Describit viam Tractus per longitudinem Continentis istius Æthiopici inferioris, & quicquid inventum est in eo ad oram Maris Oceani, & Fluvios ejus, usque ad viam introitus in Linguam Maris Suph.*

פרק כ״ד יבאר משך סוף גבול בארבאריקו הנ׳ז וים סוף ושפתיו ומעבר הגולפו בארבאריקו נקרא לטולומיאו סינוס בארבאריקום כי עד כאן הגיעו דבריו ולא יותר ודרך לעבור לאמיקא וקאליקוט ואחר אלת גלילות הודו מציאות היהודים ונהר סמבסיון :

CAP. XXIV. *Describit Tractum finis termini Barbarici prædicti, & Mare Suph ejusque oras, & transitum Golfi Barbarici qui Ptolemæo dicitur Sinus Barbaricus: (nam huc usque pervenerunt verba ejus, & non ultra:) & viam qua transitur ad Meccam, & Calecut, & post istiusmodi regiones Indiæ: & inventionem Judæorum, & Flumen Sabbaticum.*

פרק כ״ה מענייני קאליקוט מלכה ושריה וסוחרותיה יגליל פריטי גייאני הסמוך עליו ונהר סמבטיון :

CAP. XXV. *De rebus Calecut, Rege ejus & Principibus ejus, & Mercimoniis ejus: & de regione Pretigiani quæ confinis est ei, & de Fluvio Sambation.*

פרק כ״ו יודיע סמיכות וקירוב לאמיקא לגולפו התחלת ים סוף · ומציאות ראש יבשת קאליקוט סמוך למיצר התחלת ים פרס והערה מעטירת לכל ארץ הודו ואיי הים בכלל ומעשה הקארובאני ביבשה :

CAP. XXVI. *Docet confinitatem & proximitatem Meccæ ad Golfum initii Maris Suph, & inventionem Capitis Continentis Calecut prope Fretum initii Maris Persici. Item, Admonitio brevis de tota terra Indiæ & insulæ maris in genere: & quale sit opus Caravanarum per Continentem.*

פרק כ״ז הערה נוספת על רוב איי הים אוקינוס הראשיות הקדמות הנה עם האחרונות בהודו ואי טראפובנא וסביבות סינוס מאנייוס בסוק המזרה הדרומי לפנות לצפונו של עולה :

CAP. XXVII. *Admonitio additionalis de plerisque Insulis maris Oceani principalibus tam antiquis quam modernis in India, & de Insula Taprobana eisque quæ circumjacent Sinui Magno in extremitate Austr'orientali aspiciendo ad Aquilonem Mundi.*

פרק כ״ח על באור סביבות סינוס מאניווס סוף ים הודו ולהפוך סביבות היבשה המזרחית והיהודים הסגורים :

CAP. XXVIII. *De descriptione circumjacentium Sinui Magno in extremitate maris Indici, & quomodo invertendum sit per circuitus Continentis Orientalis. Et de Judæis ibi conclusis.*

פרק כ״ט על מציאות עולם חדש הגדול ותכונתו אשר נמצא להלאה ממשוה היום · ואם אפשר הדבר שיהיה ישוב בדרום להלאה ממנו היינו בלשונם להלאה בטורידא זונא :

CAP. XXIX. *De inventione Mundi novi magni, & de dispositione ejus, qui repertus est ultra Æquatorem diei. Et an res possibilis ut sit Habitabilis locus in Meridie ultra eum; hoc est lingua eorum, ultra Zonam torridam.*

פרק ל׳ על עסק מציאות מקום הגן עדן :

CAP. XXX. *De negotio inveniendi locum Horti Eden.*

ABRA-



ABRAHAMI PERITSOL ITINERA MUNDI.

CAPUT PRIMUM.

פרק א׳ בהזכרת אופן צורת המציאות התחתון בכללו הים והיבשה באיכותו :

Commemoratur quomodo ſe habeat forma [1] *Mundi inferioris in univerſum, ſc. Maris, & Aridæ, cum qualitate ſua.*

הסכימו החכמים כלם בעלי החקירות כי העולם כלו בכללו ברוריי והארץ באמצע הכל כנקודה בתוך העגולה תלויה על בלי מה ברצון הבורא וסביבותיה שלשת היסודת ועליהם מספר הגלגלים כלם סובבים זה על זה כנילדי בצלים כי אין ריקות נמצא:

ובהיות מטבע המים לסבוב ולכסות כל האדמה שהיא היסוד הכבד מהכל סדר ה׳ בחכמתו וברצונו הקדום ובאמצעות הטבע האלהי אשר שם חול גבול לים רצה ואמר יקוו המים ותראה היבשה לדרוך להולכים בה ותשאר בזה חקירתנו כי הים והיבשה הנראים בעצמותם למטה הם יחדו גם כן כמו כדור סובב והארץ תראה מעט הנה ומעט הנה בו אשר בחצי החלק הכדורי העליון הזה יתהלכו בו כל בני חלד ויתורו בו ויסתעפו בו מי בים והאיים ומי ביבשה או במערות מי בהרים ומי במדברות מי ביערים ומי בנהרות והנה

Convenerunt Sapientes omnes rerum Scrutatores, univerſum Mundum eſſe ſphæricum, & Terram eſſe in medio totius ſicut Punctum in medio Circuli, ſuſpenſam ſuper nihilo ex voluntate Creatoris. In circuitu ejus eſſe tria Elementa: ſupra eam eſſe numerum Orbium, & hos omnes circumvolvi unum ſupra alterum ſicut tunicæ cæparum: & nullum reperiri vacuum.

Cumque ſit de natura Aquarum ut circundent & tegant univerſam terram, (quippe quæ ſit Elementum omnium graviſſimum,) ordinavit Deus qui per ſapientiam & voluntatem ſuam æternam, & per medium Divinæ naturæ, poſuit arenam terminum mari; voluit inquam & dixit, Congregentur aquæ, & appareat arida quæ calcetur ab ambulantibus in ea. Reliqua itaque diſquiſitio noſtra circa hoc verſabitur; quod ſc. Mare & Arida quæ ſeorſim inferius apparent, ſint ambo ſimul ſicut Sphæra una circumiens; & quod in iſtius Sphæræ dimidia parte ſuperiori, terra conſpiciatur parum hic parum illic, ut per eam ambulent omnes filii hujus Mundi, & vagentut & diffundant ſe per eam quicunque ſint in mari & inſulis, in Arida & ſpeluncis, in montibus, deſertis, ſylvis,

חצי הכדור הזה באשר יחלק לארבעת רבעיו נאמר בהם צד מזרחי וצד מערבי וצד דרומי וצד צפוני .

ואמרו החוקרים הראשונים כי בקצה מזרח הדרומי כלו מעבר למשוה היום אשר יעבור קוטבו באי טאראפובאנה בים הודו לסבוב הקפת השמש בו ולרוב החמימות עליו לא כתב טולומיאו בו ישוב כלום רק קרא כוש התחתונה ארץ בלתי נודעת טירא אינקונייטא וכן לים אוקינוס הדרומי אשר סביבות אפריקא ממלכות פיס קרא האיים האלה פורטונאטי אינסולי ומהים ההוא הסובב כל ארץ כוש לא דבר מאומה אולם הצד הצפוני כלו מהחצי הכדור העליון ממזרח למערב אשר הוא רביע הכדור הוא הישוב המפורסם וידוע לכל החכמים אשר חלקוהו לאיקלימים ולמעלות וחלקים ובו תסוב חקירתם האמת כי גם בקצה הצפוני הזה לקרירותו יתמעט הישוב בו גם כן להיותו כמדבר שממה לא תזרע ולא תצמיח ולא יבנה חום שרב ושמש כי אם מעט והוא אחר עבור איי הולאנדי לא יעבור בה איש ורגל בהמה לא בים ולא ביבשה כי קור המה : האמנם בימים האלה כי כבר החל האדם לרוב על פני חלד נתרבו הישובים ונתישבו המדברות ונכרתו ונחשפו היערות ונתיבשו אגמי מים רבים עם נהרות באופן כי נתפשט הישוב בארבע רוחות המציאות ועברו קו אשר גבלו ראשונים לשבת בכל צד עולמי אשר לא דברו בהם הקדומים ובפרט טולומיאו אשר ננעלו ממנו הישובים החדשים האלה הנמצאים כאשר נבאר בעזרת האל.

& fluminibus. Et en iſta dimidia pars Sphæræ dividitur in quatuor Quartas, quæ dicuntur plaga Orientalis, plaga Occidentalis, plaga Meridionalis, & plaga Septentrionalis.

Dicunt Scrutatores (i. e. Phyſici) antiqui, per totam extremitatem Auſtr'Orientalem dari tranſitum ad Æquatorem diei, cujus Polus tranſit per inſulam Taprobanam in mari Indico, ut per eum peragatur revolutio Solis. At propter nimium in illo calorem, Ptolemæus non deſcripſit in eo ullam habitationem; ſed tantum Æthiopiam inferiorem vocavit Terram incognitam. Et ſic in mari Oceano Auſtrali quod circundat Africam quæ ex regno Feſs, inſulas illas vocavit Inſulas fortunatas. Sed de mari illo quod circundat totam terram Æthiopiæ, nihil locutus eſt; verum tantum de tota plaga Septentrionali quæ eſt in Globi dimidia iſta parte ſuperiori, ab Oriente in Occidentem, quæ eſt quarta pars Globi: illa nempe eſt pars habitabilis manifeſta & nota omnibus doctis, qui diviſerunt illam in [2] Climata, & Gradus, & Partes; cum circa eam eorum diſquiſitio veritatis verſetur. At etiam in iſta parte Septentrionali infrequens erat habitatio, propter ejuſdem nimiam frigiditatem; ita ut ea fuerit ad inſtar deſerti deſolata, nec in ea ſementis nec germinatio, cum non niſi parum ad eam [3] perveniat calor Solis aut æſtus. Talis inquam locus eſt poſt inſulas Hollandiæ, per quem nullus homo tranſibat nec pes jumenti nec per mare nec per aridam, quia [omnia] erant frigida. Verum in diebus iſtis cum jam cœperint homines multiplicari ſuper faciem Mundi, frequentiores ſunt habitationes, & deſerta jam evaſerunt habitata, & ſuccisæ ſunt ac denudatæ ſylvæ, & plurima aquarum ſtagna exiccata, una cum quibuſdam fluviis: ita ut nunc extendatur pars habitata, ad quatuor plagas Mundi, & tranſgreſſi ſunt lineam quam determinaverant priores, ut habitare poſſint in omnibus Mundi lateribus; de quibus etiam priores nihil dixerunt, & ſpeciatim Ptolemæus, a quo occluſæ erant habitationes iſtæ recentiores quæ jam repertæ ſunt, ſicut explicaturi ſumus auxiliante Deo.

NOTÆ IN CAPUT PRIMUM.

1 *Mundi*) Heb. *Metſiuth*, qua quidem voce diverſimode utitur Author noſter: aliquando enim ponitur pro *inventione* cujuſvis rei aut loci active, quæ eſt ſignificatio primaria & ſimpliciſſima. Quandoque vero ea paſſive intelligit totum illud *quod invenitur*, viz. *Mundus*; quo quidem modo ſæpius reddidi, quia eo ſenſu *Invenio*, ſeu *Quod invenitur* male audiret Latinis auribus, eaſque aliquantulum raderet. Exponi etiam poteſt *Exiſtentia*, qua intelligitur totum illud *quod extat* ſeu *exiſtit*, nempe (quod eodem recidit) totus *Mundus* iſte inferior, qui ideo hic in Lemmate hujus Capitis primi (ut & in Authoris Præf.) ſolito explicatius vocatur מציאות התחתון *exiſtentia inferior* ſeu *Mundus inferior*, ſc. quidquid invenitur inferius, infra cœlum. Et hoc non multum abeſt ab ea Arabum notione qua *Mundum* vocant دنيا *Dunya*,

ya, a دني *propinquus fuit:* intelligitur nempe *Hic Mundus* qui apud nos eſt & nobis propinquior, quatenus diſtinguitur ab أخرة *Altero* qui ſuperior eſt & a nobis remotior.

Aliquando noſter *Mundum* vocat עולם *Olam* nomine antiquo, (i. q. Arab. عالم,) quod alias exponitur *Seculum*, uti ſane *Seculum* apud Patres & alios pro *Mundo* uſurpari ſolet. Eſt nempe *Olam* longum tempus fere immemoriale (vel etiam prorſus immemoriale;) quod נעלם *abſconditum eſt* a memoria & recordatione noſtra.

Quandoque apud noſtrum occurrit חולד *Choled*, i. q. Arab. خلد *Chuld*, i. e. *perenne ſeu durabile tempus;* quo nomine, propter longam durationem, *Mundus* etiam dici ſolet. Eſt enim Verbum خلد *Chalad*, *perennare & perpetuo durare*; unde dictum Nomen *Chuld* eſt *perennatio*, *æviternitas* ſeu *æternitas*; & Heb. *Choled*, *Seculum* ſeu *longum tempus*, & *ævum* hominis, ſc. *ævitas* ſeu *ætas* ejus; ut in Pſalmis, זכור אני מה חלד *recordare mei qualis ſim ævi*, ſeu *ætatis* ſive *temporis*, nempe quam valde brevis!

Certe delectat videre quam variæ fuerint hominum in rerum Appellationibus deſignandis notiones. Nam apud antiquos Hebræos *Mundus* alias quoque vocabatur תבל *Tebel* ſeu *Tevel*, id eſt, *Mixtio*, a בלל *miſcuit*, *confudit*: intelligitur τὸ πᾶν *univerſum*, nempe tota illa mixtio quæ a terra ad cœlum; ſcil. omnes ſimul hujus Mundi partes tam ſuperiores quam inferiores, quæ conſtant terra, aqua, aere, ſtellis luminaribus, nubibus, meteoris, &c. hominibus, animalibus, beſtiis, avibus, piſcibus, inſectis, &c. arboribus, floribus, gramine, herbis, &c. ex quorum omnium commixtione conſtat Mundus iſte confuſus: nam hæc omnia continet nomen *Mundus*, cum hæc ſingula ſint tot ejus partes. Hac itaque antiquorum Judæorum notione in genere, hic Mundus eſt nil niſi omnium rerum commixtio & confuſio. Sed *Prov.* 8. 31. hoc Nomen magis reſtringitur ad terrenam Mundi partem, & ad ea quæ terræ proxima: legitur enim בתבל ארצו *in Mundo terræ ipſius*, ſc. in ea Mundi parte quæ circa terram eſt inferior & terreſtris. Eodem etiam ſenſu in Pſalmis, כל יושבי תבל *omnes habitatores Mundi*, nempe Mundi terreſtris ubi homines habitant.

Græcis e contra Mundus dicitur Κόσμος *ornatus* ſubſtantive; nempe totum hoc quod Hebræis *Mixtio* ſeu *Confuſio* dicitur, Græcis eſt *Ornatus*, is ſc. qui coram omnium oculis cernitur, quo hoc Univerſum ornavit Deus. Unde Latinis quoque eadem notione totum hoc Univerſum vocatur *Mundus*, i. e. *Ornatus* ſubſtantive: hæ enim voces quemvis etiam *Ornatum* notant, ut κόσμος γυναικεῖος *Mundus muliebris*, earum ſc. ornamenta in genere.

Alias *Mundus* a rotunditate, vocatur *Orbis*; qui quatenus habitatus, noſtro ſæpiſſime dicitur ישוב *yishubb*, i. e. *Habitabile*, *orbis habitatus* in genere, i. q. Arabibus المسكون *Al Meſcun*, ſeu المعمورة *Al Ma' mura*, quæ ſunt prorſus idem quod Ptolemæi οἰκουμένη, *Habitatum*, *Habitabile*, *Orbis-habitabilis*, ſeu *pars ejus habitata*, quæ plerumque vocari ſolet ربع المسكون *Quarta pars Habitati* ſeu *Habitabilis* partis: & aliquando vocatur البر المعمور *Continens habitatus*. Dictum autem ישוב apud noſtrum in particulari etiam quemvis *Habitatum locum* ſeu partem ſive regionem Mundi ſubinde notat.

[2] *Climata & Gradus & Partes*) Cap. 4. diviſio fit per רצועות, quæ ibidem *Zonæ & Lineæ & Paralleli* vocantur. [3] יבנה *Yibbane*) Sic utrumque Exemplar. Sed omnino legendum eſt יככנס *Yiccanes*, prout in Lat. reddidi *perveniat*. Alias legeretur תבנה *Tibbane* in gen. fœm. uti ſunt reliqua.

CAPUT II.

פרק ב׳ בחלוקת הישוב אשר בצפונו של כדור לשלשה חלקים כולו לפי דעת הקדמונים אסיאה אפריקא ואברופה וסמני התחלת תחומם ואנה ישלימו גבוליהם ורוב העמים אשר בהם:

Agit de diſtributione Habitationum quæ in Septentrione Globi, in tres partes, quæ ſecundum opinionem antiquorum, ſunt Aſia, Africa, & Europa; una cum ſignis initii terminorum eorum, & quo compleant limites ſuos, Et de multitudine populorum qui in eis.

אחרי אשר בארנו בפרק הקודם לזה כי כל הישוב המיושב על החצי הכדור העליוני וכלו צפוני בכדור לסבת החום הגדול אשר בדרומי להלאה ממשוה היום יאמרו המדברים כי כל הישוב הזה הצפוני ממזרח למערב נחלק לג׳ חלקים איברופה אפריקא ואסיאה כמעט רמזו באלה שם חם ויפת שלשה אלה בני נח ומאלה נפצה כל הארץ אסיאה לשם אפריקא לחם איברופא ליפת וכמעט הסכים לזה הסופר יוסף בן גוריון הכהן וידוע זה היות כוש מבני חם והוא באפריקא המיוחד בשם איטיאופיאה

CUmque jam in præcedente Capite explicaverimus, univerſam portionem habitatam eſſe in Globi dimidia iſta parte ſuperiori, (quæ tota in Globo eſt Septentrionalis, propter magnum calorem in parte Auſtrali ultra Æquatorem; notandum eſt Hiſtoricos affirmare, totam hanc habitatam portionem Septentrionalem ab Oriente in Occidentem, dividi in tres partes, Europam, Africam, & Aſiam, quibus deſignantur Shem, Cham, & Japhet, qui ſunt tres filii *Noæ*, a quibus repleta & diſperſa eſt tota terra; viz. Aſia erat Shemo, Africa Chamo, & Europa Japheto. Et fere in hoc conſentit ſcriptor Joſeph ben Gorion Sacerdos. Hocque notum eſt, quod Cush ſit ex filiis Cham qui erat in Africa,

שהיא ארץ כוש ושם בן נח מלך שלם
שהיא ירושלים אשר באסיאה ראש ממלכת
עמים ויפת אשר בא באיטאליאה שהיא
באיברופא כמבואר ביוסיפון ובספר סופלימינטום
קרוניקארום:

האמנם להגיד תחומם וגבוליהם זה עם
זה אנה יתחילו ואנה ישלימו ומי בתוכם
היום נאמר כי אברופא מתחלת ביבשה
מצד המערבי אשר בספרד ממיצר גיבלטירא
ברמון ספרד היא במלכות גראנאטא ויבא
ויתארך על כל סוף איטאליאה והאיים
הנדבקים בה ויסוב ויחבק כל גלילות
הארציפילגו ליון עד למעלה צפונו של ים
אלינספונטי בנהר הטאנאס גלילות רוסיאה
וזה הנהר הוא סוף לכל האברופא:

הפרטות אשר בזאת האיברופא הוה
כל ספרד וצרפת וכל אשכנז ודאציאה
וטורקיאה ואונגריאה ופולקיא וכל יון
ומצידוניאה ודלמציאה טראציאה קורבאקיאה
וכל האיטאליה עם כל האיים המתיחסים
אתה ובאמונת רומא כגון אנגליאה אסקוציאה
מאיוריקא מינוריקא קורסיקא סארדיניה
שציליאה ציפרי רודי קנדיאה:

גבול האפריקה מתחיל בנגד רמון ספרד
מעבר לים במיצר גיבלטאר הנקרא
מאבריטאניאה ציסארי דרך אנייר וארזילא
ופיס ויסוב כל ארץ כוש העליונה והתחתונה
למטה מדברי חול עד לאחור בים אוקינוס
הגדול וילך ויגיע עד הכנסת ים אוקינוס
בתוך היבשה להתחיל ים סוף לבא מצרים
הוא ים אראביקוס הנקרא המקום הזה
מלכות בארבאריקוס וים בארבאריקוס
ויעלה למצא נהר נילוס היורד בדאמיאטה
ושם ישלים גבולו עד קרוב להר סיני
וזאת האפריקא היא מיוחסת לחם בן נח
והסובב כל הבארבאריאה מאליכסאנדריאה
עד סוף ים הבריטניאה ובו נבללו מלכיות
גדולות מבארבאריא ציריני טוניס ואורן
ופיס וזולתם מלבד מה שמצאו המלחים
החדשים אחורי האפריקא התחתונה בסבוב
הים וביבשה אשר אין להם מספר כמו
שמבואר בעה׳ בפרקים הבאים:

ca, quæ peculiariter deſignatur nomine Æthiopiæ, quæ eſt terra Cush. Et Shem filius Noe erat Rex [2] Shalem, quę eſt Jeruſhalem quę in Aſia Caput Regni populorum. Et Japhet is erat qui venit in Italiam quę eſt in Europa, uti explicatum eſt in Joſepho, & in Libro dicto [3] SUPPLEMENTUM CHRONICORUM.

Verum quoad declarandum limites & terminos eorum, unum cum altero, ubi incipiant, & ubi deſinant, & quiſnam ſit eos interjacens; jam dicemus Europam incipere in Continenti a parte Occidentali Hiſpanię, a Freto Gibeltar ad [4] Rimmon Hiſpaniæ, nempe ad regnum Granatæ; unde continuatur & extenditur per totum finem Italię & inſularum ei adjacentium. Deinde ambit & complectitur omnes provincias Archipelagi in Gręcia uſque ad ſuperiorem partem Septentrionalem maris Helleſponti, & ad Fluvium [5] Tanaim Provinciarum Ruſſię: qui quidem fluvius eſt finis totius Europę.

Partes Europ. particulares, ſunt tota Hiſpania, Gallia, tota Germania, [6] Dacia, [7] Turcia, [8] Hungaria, [9] Polachia, tota Græcia, Macedonia, [10] Dalmatia, Thracia, [11] Chœrobacchia, & tota Italia cum omnibus inſulis quæ numerantur cum ea, & ſunt in Fide Romana, ſicut [12] Anglia, [13] Scotia, Majorca, Minorca, Corſica, Sardinia, [14] Cilicia, Sicilia, Cyprus, Rhodus, & Candia.

Terminus Africæ incipit e regione Granatæ Hiſpaniæ, ab ulterioriparte maris in Freto Gibeltar, (eo in loco) qui vocatur Mauritania Cæſarea, per viam [15] Tanger, & Arzillæ, & Pheſs, deinde circumambit totam terram Æthiopiæ ſuperioris & inferioris, ab inferiori parte deſertorum arenoſorum uſque ad poſteriora maris [16] Oceani magni. Dein pergit & uſquedum adjungatur mari Oceano in medio terræ ubi incipit mare Suph, qua venis ad Ægyptum: iſtud eſt mare Arabicum, & iſte locus appellatur Regnum Barbaricum & Mare Barbaricum. Poſtea aſcendit ad inveniendum (l. c. *ut perveniat ad*) Fluvium Nilum qui deſcendit ad Damiatam: & ibi abſolvit terminum ſuum, uſque prope ad Montem Sinai. Hæc inquam pars eſt Africa quæ attribuitur Chamo filio Noæ, quæ ambit etiam totam Barbariam ab Alexandria ad finem maris Britannici. In ea comprehenduntur Regna ampla de Barbaria, *viz.* Cyrene, [17] Tunis, Oran, Pheſs, cum aliis; præter ea quæ invenerunt navigatores recentiores pone Africam inferiorem per circuitum maris & in Continenti, quæ ſunt innumerabilia, ſicuti explicabitur in Capitibus ſequentibus.

Sed

אולם גבול האסיאה אשר הוא גדול
כפלי כפלים מהשני החלקים האחרים
מתחיל לצד דרום לסוף נילוס ומנהר
טאנס הנז׳ לצד צפון וילך לו מכל צד
ומכל פנה דרום וצפון עד סוף העולם
המזרחי לסינוס מאניוס וסינורום רגיאו כולו
ובזה תכנס פלשתים וכנען וכל ארץ ישראל
אדום עמון ומואב ושעיר דמשק וכל מדי
ופרס ועוץ ופריסטיגאני והיהודים הסגורים
ונהר סבטיון וגומר ומגוג ים אירקניא
וסארמאציא והכלב הגדול וכל יתר העמים
הנדבקים באלה עד אין מספר עד סינוס
מאניוס הנז׳.

Sed profecto terminus Asiæ, quæ est quadruplo major duabus aliis partibus, incipit plaga Australi juxta finem Nili, & plaga Septentrsonali a flumine Tanae prædicto, & pergit sibi ab omni latere & omni angulo Australi & Septentrionali usque ad extremum Mundi Orientalem ad Sinum magnum & Sinarum regionem totam. Et hacce [Asia] includitur Philishtim, & Canaan, & tota terra Israel, & Edom, Ammon, Moab, Seir, Damascus, tota Media, Persia, Uz, Prestigian, & Judæi inclusi, Flumen Sabbation, (i. e. Sabbaticum, & [18] Gomer & Magog, Mare Hyrcanum, Sarmatia, & [19] Canis Magnus, & totum residuum populorum qui his adjacent, donec non sit numerus, usque ad Sinum Magnum prædictum.

NOTÆ IN CAPUT SECUNDUM,

[1] *Europa*, *Africa*, *Asia*) Horum nominum rationes quæ afferri solent, tales sunt quas piget referre. Cum itaque nec a Latinis nec Græcis meliores rationes commode peti possint, recurrendum est ad Phœnices, a quibus plurima tum Appellativa tum Propria Nomina ad plerasque Mundi partes tam per Negotiationem quam per Scripta fluxerunt & derivata sunt. Primo autem quibus Nominibus hæ dictæ partes ab aliis vocatæ fuerint, jam docebimus, postmodum ad Phœnicia Nomina deveniendo.

In Judæorum Scriptis *Europa* aliquando vocari solet *Edom*, per invidiam imposito nomine; quo tamen magis specialiter *Roma* ipsa regni Edomitici caput notatur. Noster in Cap. 7. in Argumento dicit, *Edom quæ in Enropa*, sc. præcipue intelligit *Italiam*, &c. Orientales Europam hodie vocare solent فرنلستان *Frangistan*, quod quidem nomen tempore Belli Sacri natum: ii enim dicto Bello plurimos francos interesse videntes, putabant omnes Europæos esse tales, quos itaque ad hunc usque diem *Francos* vocant. Unde & exteri Principes eorumque Legati veriores Titulos ignorantes, Papam aliquando vocarunt فرنكشاه *Francorum Regem*, & فرنك بيك *Francorum dominum*; & aliquando رومشاه *Europæ Regem*, & روم بيك *Europæ dominum*, ut adulandi mox est nimium cuique tribuere. Nam apud Orientales nomen روم *Rum* ad totam Europam ejusque incolas denotandum subinde adhiberi solet: id quod plane evincitur tam aliunde quam ex loco apud Geographum Nubiensem p. 151. بحر الانقليسيين من الروم *Mare Anglorum Romanorum* seu *qui ex Rum*. i. e. ex Europa. Ad quem locum Gabriel Sionita in Versione sua in marg. addit, *id est*, *Europæorum : nam ab Arabibus* inquit *Europæi omnes Romani appellantur*. Et in Maroccana quadam Epistola ad Regem Angliæ scripta, legitur الي كبير اروم (الروم .l) وسلطانهم *Ad supremum Rumæorum* (i. e. Europæorum) *eorumque Principem* Carolum II. Et *Europa* D. Molino *Rumeli* vocatur. Hujus autem usus & significationis in omnibus causa & ratio est, quod *Rum* seu *Rum-eli* primario notet Europæam partem Bospori Thracici; unde secundario pro tota Europa sumitur. Nam a traslato Imperio, Constantinopolis & tota Thracia vocata est *Rum*, quæ quidem Græciæ pars Europæa ab Asiatica hoc nomine distinguitur.

Si itaque ut jam factum videmus, totum a parte denominare liceat, nomen *Sarmatia* (quæ vulgo male duplex censeri solet,) Europæ in genere quodammodo accommodari posse videatur, cum tot Provincias & Regna, tam magnam sc. Europæ partem uno illo Nomine indigitetur. Imo quod tota Europa sub *Sarmatiæ* nomine olim venerit & jam venire debeat, in *Historia Regum Persiæ* quam meditor, magis probabile (ut spero) facturus sum. Interim autem impræsentiarum addam, necesse esse ut utraque *Sarmatia* in Europa esse censeatur, cum Europa usque ad Volgam extendatur in Aristotelis Libro de Mundo, (si modo Aristotelis sit.) ubi Cap. 3. legitur Εὐρώπη μὲν ἦν, ἐςὶν ὅροι κύκλῳ, στῆλαί τε Ηρακλέους καὶ μυχοὶ Πόντου, θαλαττά τε Υρκάνια, καθ' ἣν στενώτατος ἰσθμὸς εἰς τὸν Πόντον διήκει. Et sic fere Agathemeres, qui notat secundum quosdam, *Flumine Phasi & Isthmo inter Caspium & Euxinum* Europam ab Asia dividi: & pag. 3. & 66. *Asiæ & Europæ terminum antiquos dixisse Phasin Fluvium & Isthmum qui a Sarbo ad mare Caspium extenditur. Postea autem recentiores tradidisse, Mæotidem paludem & Fluvium Tanain*. Quare autem (ut innuit Annotator D. Tennulius) quidam veterum, & in his Herodotus & Æschylus, Asiæ & Europæ terminum statuerint *Phasin*, rationem reddit Procopius lib. 4. Hist. Goth. sc. *Quia Phasis ex adverso Gaditani Freti se attollens, terras velut æquus secat. A freto quippe fusum mare terras utrinque submovet: at Phasis ubi desinit Pontus, in medium ejus Sinum Lunæ in morem curvatum semet dejiciens, continuat acceptam a mari terrarum divisionem*.

Alias nomen *Hesperia*, quæ vulgo reputatur esse altera Europæ pars Occidentalior, (nempe Italiæ & Hispaniæ male restringi solet,) universo occidenti totique Europæ haud incommode tribuatur, & aliquando revera tribuitur, ut mox manifestius fiet. Nam cum Asia vulgo dicatur partium Mundi numero quidem *tertia*, magnitudine vero *dimidia*, hoc in mentem revocat apud Phœnices totius Orbis dichotomiam seu in duas partes divisionem, quarum una erat חצי A'σὶ, *Dimidia*, viz. חצי המזרחי *Dimidia Orientalis*; altera vero חצי המערבי *Dimidia Occidentalis*; seu simpliciter מזרח *Oriens*, & מערב *Occidens*, qui quidem est locus ערוב *Erop* seu *vesperascendi*, ubi sc. Sol יערוב *Yerob* seu *Ye'rop*, id est, *occidit*, q. d. *Europat*, si verbum cudere liceat. Nam vulgaris pronuntiatio fere ubique Gentium, *b* in *p* vertit. Quin & *Ye-rob* seu *Ye-rop* fuerit Nomen proprium Heemanticum, ut יהמור, & יהלם, &c. Vel alias, tertia futuri sæpe nominascit & fit Nomen Substantivum, ut Arab. *Yarab filius Kahtan*, & יעקוב *Jaacob*, *supplantabit*, יהושוע *Jehoshua*, *salvabit*, &c. Et ut verbum *Jehoshua* a frequentiori salvandi actu, in Nomen absolutum migravit; sic *a Ye'rop* frequentiori vesperascendi actu, quasi per Inductionem aliquam habitum est perpetuo nominascens. Et ab horum aliquo vel quovis horum effluxerit *Europæ* nomen: nam in hujusmodi nominibus ab una lingua in aliam translatis, non est necesse

necesse ut Ectypi ad Prototypum convenientia sit ad minutias usque accurata, modo inter se invicem sono quodammodo congruant. Talia enim auribus percepta ab una Gente ad aliam plerumque transferuntur ab iis qui rerum translatarum veram scriptionem non vident nec perpendunt, sed auditu tantum sonum captant, idque literulam addendo, demendo, aut mutando, præsertim *b* in *p*: & maxima ex parte non petunt talia Nomina a forma absoluta, sed constructa, (utpote quæ inter loquendum frequentius audiatur,) sua omnia derivant desumuntque talium Nominum Translatores. Exempla sunto ea de quibus dubium esse non potest. Uti, pro eo quod in S. Bibliis legitur אזוב *Ezob*, fit Gr. ὕσσωπ seu ὕσσωπος: a שבט fit σκῆπτ, scil. σκῆπτον seu σκῆπτρον: a forma constructa חרב, quod est *Gladius* in genere, fit ἅρπη quæ peculiarem gladii speciem notat: ubi *b* in *p* mutatur, ut & in χαλέπ pro حلب *Haleb*, *Aleppo*; & Ἰάθριππος pro يثرب *Jatrib*; & πασχᾶ *Pascha* pro باشا *Basha*, quod & a Turco Græcis literam *b* pronuntiari nescientes, subinde etiam scribitur پاشا *Pasha*, minus recte. Et sic semper Cambrobritannorum vulgus in vocibus Anglicanis proferendis. Litera demitur, dum a نارنج *Narangi* fit αὐραντ seu αὐράντιον. Prosthesews exempla in seq. habentur.

Ut itaque redeam illuc unde diversus sum, *Europ* sit vel יערוב *Yerop* Heemanticum, vel ex forma futuri nominascens; vel etiam ערב *Ereb* seu *Erep*, *vespera*, quod nomen totius plagæ ubi Dies ערוב *Erop*, *vesperascere* & Sol *occidere* solet, ut Arab. غرب *Occidens*. Qui quidem loquendi modus etiam apud Herodotum & omnes Græcos semper obtinuit: ut πρὸς ἠῶ seu ἠῶ *ad Orientem*, cum ἠῷος seu ἠῷος sive ἑῷος sit *matutinus* & *orientalis* situs: & ἠοίη θάλασσα est *mare orientale*: & ἑῷον πέλαγος est i. q. Ἰνδικὸς ὠκεανός: τὸ δὲ κατὰ δύσιν, ἑσπέριος ὠκεανὸς, aut κατ' ἐξοχὴν Ἀτλάντικον: nam πρὸς ἑσπέραν est *versus Occidentem*, quia ἕσπερος seu ἑσπέριος est *vespertinus* & *Occidentalis* situs. Sic ἑσπέρια μέρη *partes occidentales*: & apud Athenæum, οἱ πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦντες *qui versus Occidentem degunt*: & apud Dionysium Alexandrinum, ἕσπερος ὠκεανὸς *Oceanus occidentalis*. Ab hisce exemplis liquet nomen *Hesperiam* non soli Italiæ aut Hispaniæ, sed toti occidenti competere. Cumque jam nominis *Hesperiæ* ratio ex antiquitatis obscuritate & crepera luce emergens melius elucescat. *Hesperus* etiam qui putatur Japheti filius, clarior evadet verbo tenus *Occidentalis quidam homo*, seu *Occidentis incola* tantum: talis enim erit Japheti filius. Cum præcedentibus formulis idem est quoque loquendi mos apud Arabes, quibus tota Occidentalis Mundi pars vocatur ارض المغرب *terra Hesperia* seu *Occidentalis*; & بحر المغرب *mare Hesperium*, est totus Oceanus Occidentalis Atlanticus tam Europæus quam Africanus. Hinc inquam satis clarum, Nomen *Hesperiam* a quibusdam esse nimis restrictum Hispaniæ & Italiæ, cum toti Occidenti competat, & non tantum Europam sed & Africam comprehendat; nam tam hæc quam illa erat a Phœnicia situ Occidentalior.

Hæc autem ne gratis dixisse videar, audiatur Geographus Nubiensis, qui in Clim. 4. parte 1. docet *Europam & Africam olim unum fuisse Continentem, & mare Mediterraneum fuisse stagnum undique clausum; arte autem apertum fuisse inter Tangjam & Andalusiam isthmum qui factus est in Canalem 12. milliaribus longum & tunc 6. latum, qui tamen dicti Geographi tempore in 12. milliarium latitudinem evaserat*. In eundem sensum audiatur antiquus Scriptor Agathemeres, qui lib. 2. c. 2. postquam egit de communi Orbis divisione in 3. partes, quas etiam receptis distinctionibus disterminat limitatque; addit, οἱ μὲν τοι παλαιοὶ τὴν Λιβύην καὶ τὴν Εὐρώπην, ὥσπερ μίαν οὖσαν, συναμφοτέρας ἐκάλουν ἑνὶ καὶ μόνῳ τῷ τῆς Εὐρώπης ὀνόματι. Quo nihil magis appositum & ad rem, dici aut cogitari potuit. Quo tempore facta fuerit divisio seu disjunctio, docet Hier. Vitalis in Voce *Terræmotus*, qui ex Averroe notat, *Cordubæ terræmotum tres annos durasse; quo tempore scribit Joh. Anglicus, Hispaniam ab Africa, & Ossam ab. Olympo divulsam ac sejunctam fuisse*. Freti autem Gaditani Canalis videtur adhuc multo antiquior. Nam Hanno navigavit extra Columnas, uti constat tam ex ejus Navigatione quam ex Arriani Indicarum Libro sub finem, qui Historiarum octavus, Ἄννων δὲ ὁ Λίβυς ἐκ Καρχηδόνος ὁρμηθεὶς, ὑπὲρ μὲν Ἡρακλείας στήλας ἐξέπλωσεν ἔξω εἰς τὸν Πόντον, &c. Et in Libro περὶ ἀκουσμάτων θαυμασίων sub calcem, qui Aristoteli tribuitur, (si modo illius sit, nam stylus & scribendi modus non multum redolent Aristotelem,) λέγουσι τοὺς Φοίνικας τοὺς κατοικοῦντας τὰ Γάδειρα καλούμενα, ἔξω πλεόντας Ἡρακλείων στηλῶν, &c. Omnium autem potissimum est authoritas Hannonis Carthaginensium Regis in *Periplo*, Ἔδοξεν Καρχηδονίοις, Ἄννωνα πλεῖν ἔξω στηλῶν, &c.

Supradictam quoque in Orbis divisione dichotomiam etiam hodie observant & ab omni ævo observarunt Orientales, qui totum Mundum dividunt in مشرق و مغرب *Orientem & Occidentem*: & quando generaliori aliquo modo aliquid dicitur fieri vel factum fuisse شرقا وغربا *per Orientem Occidentem*, id per Universum Mundum fieri intelligitur. Et sic Syri. Ita ut omnium Gentium (exceptis situ Occidentalioribus,) in hanc dictam Mundi dichotomiam consensus plane cernatur.

Hujus itaque divisionis authores fuerunt Phœnices, qui ut prius ita quoque commodius dictam dichotomiam instituere potuerunt; quippe qui in medio inter utramque *Dimidiam* siti fuerunt, & Orbem sic divisum reliquis Gentibus exhibuerunt. Ea autem pars quæ iis Occidentalior; Hispanis Italis, & Græcis erat Orientalior; ideoque ex necessitate loquendi ab his aliter appellari debuit: cum Oriens & Occidens non sint absoluta, sed respectiva tantum, & per varias Globi partes migrent. Hinc est quod quæ Byzantinis erat Ἀνατολή, (vulgo *Natolia* seu *Anadole*,) Phœnicibus erat מערב *Europa*, δύσις seu ἑσπέρα. Perperam itaque (ut nuper dictum) *Hesperia* Italiæ & Hispaniæ vel etiam Europæ vulgo sic dictæ restringitur, cum apud Ptolemæum memorentur *Hesperi Æthiopes*, i. e. Occidentales, eodem nempe sensu quo Phœnices usurparunt, sic dicti. Et *Hesperidum* (i. e. Occidentalium) Pomorum aureorum Horti, erant in Cyrenaica Libyæ, ubi copia auri, ut & serpentum ac Draconum, qui quasi tot illius Custodes, omnes auferendi animo accedentes abigere & arcere dicebantur. Hi enim Horti ex Phœnicum & supra laudati Agathemeris sententia, in Europa fuisse dicuntur.

Sed cum tertia Mundi pars vulgo censeatur esse *Africa*, de hac etiam seorsim disquirendum. Ea (ut vulgo statuitur,) ab Europa dividitur Freto Herculeo, & ab Asia ἰσθμῷ στενῷ, ducta linea a mari Pelusiaco & Palude Sarbonide ad Sinus Arabici μυχὸν seu intimum recessum. Africa latius sumta totum Æthiopiæ Continentem comprehendit; proprie autem dicta (ut statuit D. Golius aliique,) a Tuneto seu Carthagine (sive ab Hippone) ad Barcam & Cyrenaicam & Marmaricam quæ Ægypto proxima, extenditur: & quidem proprie Litoralis est, Numidiam seu Nomades & Lybiæ interioris partes μεσογαίας excludens.

Arabibus quidem hodie dicitur افريقية *Afrikia*, (cujus nominis rationes quas afferunt ineptæ, ideoque nolo recitare,) mutuato a Romanis Nomine. Ptolemæo etiam dicitur Ἀφρική: sed Straboni, Aristoteli, Herodoto, & reliquis antiquis Græcis semper vocatur Λιβύη sc. Libya exterior quæ mari proxima. Non est itaque *Africæ* Nomen hac qua legimus forma, æque antiquum cum eo Asiæ & Europæ, sad a Romanis cusum factumque; idque a ברקה برقة *Barca* seu *Varca* sive *Vareca*, sicut diversitas pronuntiantium illud variare potuerit. Nam non tantum Pœni & veteres Hebræi lit. *Beth* pronuntiabant ut *v*, sed & Arabes sæpe id facere solent, ut apparet tam alibi, quam apud Geogr. Nub. in nominibus بلبونة

la Valona, الجون البنادقة *Sinus Veneticus*, &c.

Est autem *Barca* (ut Herodoto vocatur, qui pronuntiabat *Varca*,) vetus Punicum seu Canaaniticum, denotans præcipuam Libyæ seu Africæ proprie sic dictæ partem circa Cyrenaicam. Est nempe *Barca* stricte sumta, celebris & ampla illa regio alias dicta *Marmarica*, inter Cyrenaicam ad Occ. & Ægyptum ad Ortum, olim *Mareotis Lybiæ*, introrsum ubi *Libya deserta* patens. Populi *Marmaridæ* Straboni, *Barcitæ* Ptolemæo, *Barcæi* Virgilio. Eaque Phœnicibus (præfixo ut solet *He* emphatico aut *Aleph*,) est הברקה *Havarca* seu *Havreca* sive אברקה *Avreca*; unde Romanis *Africa*. Ea itaque Libyæ pars, est *Regio Barcana*, seu *Varcana*, sive *Avarcana* vel *Avricana*, i. e. *Africana*. Idque eadem ratione qua Africani D. Augustini *Hipponem* jam a multis seculis scripserint

בונה بونه *Bona* seu *Bone* sive *Pone*: & tamen pronuntiatio antiqua indicat aliquando scriptum fuisse הבונה *Habbone* seu *Hippone*, seu אבונה *Abbone* sive *Ibbone*.

Et quidem addendi aut detrahendi Literam in initio vocum, exempla infinita & perpetua exhibent Linguæ Orient. ut فاميه *Pamia* vel افاميه *Apamia*; شكم vel اشكم *venter*; Heb. תר vel אתר *explorator*, pl. אתרים a דון quoque אדון *Adon* est *Dominus*, Europæis *Don*, quasi Judex, jus dicens aliis, adeoque Dominus eorum. Sic Heb. דם *dam*, & Chald. דמא *dema*, abbreviata sunt ab אדם *adam*, *rubuit*. Nam in Targ. *Exod.* 4. 26. 27. & in Targ. Psalmorum sæpius occurrunt cum prosthesi lit. *a* vel *i*, ut אדם *adam* vel אדם *iddam*, vel אידם *idam*, vel אדמא *idma* seu *adma*, quæ omnes formulæ *sanguinem* notant. Chaldæis etiam indifferenter dicitur דמדום *dimdum* vel אדמדום *adamdum*, *rubedo*; & חמודמני *damdemoni* vel אדמדמני *adamdemoni*, *uvæ immaturæ subrubescentes* seu *sanguineæ*. Pro Heb. זמה *Zimma*, Chaldæi dicunt אזמאה *azmaa*. Et sic Judæi moderniores in exoticis sæpissime, ut pro σμίλη, dicunt אזמיל *izmel* seu *izmil*; pro στράτηγος, אסטרטיג *estrateg* seu *estratig*; cum magna talium caterva. Quin & in ling. Heb. præfixum *Aleph* formativum in Nominibus subinde visitur, ut in אכזב *aczab*, אכזר *aczar*, אפרח *ephrach*, אצבע *etsha*, & אכן *aken* a כון. Hæc omnia, cum plurimis aliis quæ addi possent, certe faciunt ut Syllabæ prosthesis in Nomine Heb. aut Punico haud difficulter admittatur. Talem litterarum prosthesin multiplicat etiam lingua Gallica, ut pro *Stephano*, *Estienne*, &c.

Et quidem (ut denominationis causam & rationem exquiramus) dictum Nomen הברקה برقة *splendorem* seu *splendentem regionem* notat, cum ea regio radiis Solaribus tam copiose collustretur, ut reflexum ab arenis lumen adeo intense fulgens, a longinquo spectantibus (ad instar Corporis Solaris) aquarum speciem referat: & hicce arenarum splendor & radiatio, Arabibus (ex lingua Persica petito nomine,) dicitur سراب *Serab*, i. e. *aquæ superficies*, seu *superficialis aquarum species*. Hæcque visus deceptio, proh dolor! sæpe illudit siticulosos viatores, qui inter calidissimas illas arenas aquæ refrigerium avidissime expetentes, ad longinqua loca dicto modo resplendentia, spe frustrata haud raro contendere solent.

Hinc etiam Nominis Λιβύη ratio peti potest, sive a *Flamma*, sive a *Leonum* abundantia desumtum credamus, cum utrumq; eodem recidat. Græci sic dictam volunt, quia Leonibus abundat, satis recte: nam לביא est *Leo*, isque *fulvus*. Sed cum לביא contractum sit pro להביא, a להב *flamma*, tam Leo quam hæc Regio (cum utraque sint fulvi & flammei coloris) ab eadem notione denominata videantur; nempe, vel a *fulvescentium Leonum* abundantia, vel a *fulvescentibus arenis* ardore pene inflammatis. Unde flammeæ istius regionis adusti incolæ non sine ratione Αἰθίοπες *vultu adusti* vocantur.

Qui Africam sic dictam volunt a Julio Africano, dormitant plane; quasi Substantivum ab Adjectivo derivari possit, & non potius hoc ab illo derivetur. Clarissimus Golius in Notis ad Alferganium, existimat *Africam* sic dictam esse ab افرخ *afroch*, quod lingua Libyca (ut ille dicit,) *Palmam* notat. Id autem Nominis petitum est ex Numidiæ seu interioris Libyæ lingua *Aquel Amarig* dicta, (de qua mox dicam,) quæ non est Africæ proprie sic dictæ lingua: unde nec Africæ proprie sic dictæ (seu Libyæ exterioris) Nomen ex ea lingua petenda sit. Nam hæ duæ regiones, linguis semper usæ sunt diversis; nempe Libya exterior, olim Punica, nuperis seculis Arabica; interior vero Numidica barbara: de qua Joh. Leoni ab Arabibus suis quærenti, quænam & qualis esset lingua, respondebant esse *Aquel Amarig*: cujus tamen nominis rationem non videbatur satis deprehendisse. Id enim suis Characteribus restitutum, est اقوال اماريغ *sermones garrulitatum ineptarum*. Et quidem cum Joh. Leo Mohammedanis in itinere se sociaret, & ab illis quæreret qualis esset illorum Ethnicorum lingua seu sermo, vix potuerit melius responsum expectare ab illis qui tales miseros homunciones despectui habebant: quorum tamen responsum ille (forte vim vocum non satis perpendens) pro vera ac genuina illius linguæ Nomine reportabat. Errat certe Doctiss. Golius, dum hasce voces suis Characteribus restituere conatur اوال اماريغ exponitque *Lingua suavis & nobilis*. Fallitur enim in prioris vocis scriptione, pro اقوال *Aquel* substituens اوال *Auwel*, q. d. *primarius*, *præstans*, *& præcipuus*; & in vocis posterioris interpretatione, dum ponit *Amarig* esse *sermonem* simpliciter; cum revera ut dicit Ecteri, امراغ (in plurali اماريغ) sit *multiplicare sermonem perperam & inepte*, uti se habet Ethnicorum illorum stulta garrulitas. At e contra, credere miserorum illorum qui bestiis sunt proximi, sermonem vocari *suavem & nobilem*, & tale responsum dari a Mohammedanis illos contemnentibus, valde improbabile est, & a rei natura prorsus alienum. Responsi itaque a Mohammedanis dati Leoni interroganti veritas erat, *Illorum sermonem esse ineptam quandam garrulitatem*.

Ex supra dictis igitur probabile est, *Africæ* Nomen non esse ab *Afroch* lingua Numidica (ut dicit) *Palmam* denotante, sed potius ab הברקה quod in Libya exteriori in quam Romani (quibus *Africa* nomen acceptum ferimus,) penetrarunt. Agnosco quidem Numidiam seu Libyam interiorem *Palmis* præ aliis rebus abundare, & a Joh. Leone tanquam proprio Nomine *Regionem palmarum* vocari. Sed cum *Africæ* Nomen ad nos profectum sit a Romanis, qui non in Libyam interiorem, sed tantum in exteriorem penetrarunt; certe dictum Nomen ex hac potius quam ex illa petenda erit; cum Romani qui dicti Nominis ad nos Latores, exteriorem possederint, interiorem vero nunquam viderint, unde nec aliquid ex interioris Africæ lingua petierint. Multo inquam vero similius est, eos Nomen desumsisse ex ipsa exteriore regione quam possederunt, idque eidem aptasse, potius quam ex altera interiore eis prorsus ignota nec unquam visa, quod plane absonum. Et hinc est quod tantum *Libya exterior* pro *Africa* proprie sic dicta habeatur. *Libya* vero *interior* tanquam alteri prope adjuncta & contigua, minus proprie eodem nomine gaudeat.

Seres videntur trium priorum Mundi partium nomina [ut & Philosophiam suam] olim accepisse a Græcis, idque non tantum propter consonantiam & ordinem, sed & propter *Libyæ* nomen loco *Africæ*, ejusque apud eos pronuntiationem more Græco *Livya*. *Americæ* autem nomen [utpote nuper in Chinam invectum,] necessario habuerint a Lusitanis Nautis & Missionariis illuc profectis. Alias enim naturali suo modo de generali Mundi divisione longe aliter loqui solent. Namque totus citra Chinam Mundus [ut *Europa*, *Asia*, & *Africa*,] quia ad Sinarum Occasum, illis dicitur *Si jam*, i. e. *Occidentale mare*; vel *Ta si yam*, i. e. *magnum Occidentale mare*. Sic nempe loquuntur totum Continentem Occidentalem & omnia Mundi Regna Sinis Occidentaliora [excepta *Tataria*,] eo nomine intelligentes. Et hinc inter reliqua, peculiariter nomen sortitum est regnum *Siam* in India, quia *versus mare* situm *ad occasum* Sinarum; quod in magno Globo Cæsiano legitur *Sian*, [& sic apud Garciam,] quæ est verior scriptio. Nam & Sinicum nomen notans *mare*, quod a Missionariis & aliis Lusitanico more scribitur *Yam*, revera pronuntiandum est *Yang*: alias enim Sinensium pronuntiationi non respondet; uti plenius [cum aliis ad Sinicam pronuntiationem spectantibus] docuimus in Præfatione *Epistolæ quam de Sinensium Ponderibus & Mensuris, & Muro magno, & Foliorum plantæ Cha collectione superstitiosa* edidimus 1688. Et sic reliqua fere omnia nomina Sinica desinentia in *m*, quæ [dicente Martinio] aperto ore pronuntianda sunt. Nostrates autem ea sumserunt a scriptione Lusitanorum, quorum tamen pronuntiationem ignorarunt, quod mille errores peperit. Hinc in impressis Chartis corrigatur *Aynam* insula, pro *Haynan*. Sic etiam nomen *Bantam* ab incolis [ut in Epistolis Malaicis ad Reges Angliæ olim missis observavi,] scribitur بنتان *Bantan*; quod hodie vocatur سورسون *Surosoan*, ut ut in Regis Bantamensis Credentialibus Literis [quas 1683. pro Rege Angliæ ex Arabico interpretatus sum,] sæpius scriptum reperi, tacita prorsus nominis *Bantam* mentione. Occidentalis itaque Mundi pars [ut supra] dicitur *Si-yang*, & pars Orientalis *Ge-puen* seu *Ge-pen*, i. e. *Solis origo*; quo etiam nomine peculiariter notatur *Japoniæ* regnum, inde vulgo dictum *Japan*. Ad *Septentrionalia* Mundi regna designandum, generale nomen *Tata* [tam *Tatariam* quam *Tataros* notans] nominasse sufficit. China ad *Austrum* terminatur mari & *Kiac-chi* Lusitanis dicta *Couchin-China*, cum quibusdam Insulis, quarum major est *Hay-nan*, i. e. verbo tenus *mare australe*, hoc solo nomine totam illam plagam oramque subinde notante: Nam *mare* alias Sinice vulgo vocari solet *Hay*. Ad nudas vero Mundi plagas sine respectu ad regna notandas, habent alia vocabula; ut *Tung*, i. e. *Oriens*; *Si*, i. e. *Occidens*; *Pe*, i. e. *Septentrio*; *Nam*, i. e. *Meridies*. Et hinc Regis Sinarum versus Aquilonem civitas, ubi in æstate residet, vocatur *Pe-king*, i. e. *Septentrionalis Regia* seu *Aula*; & ea versus Austrum ubi in hyeme, *Nan-king*, i. e. *Australis Aula*. Hæc in Ulugh-Beighi & Nessireddini Tabulis rescribenda sunt بيكن *Pekin* & نكنك *Nankin*: pro quibus ex Scribarum ignorantia hodie legitur tantum ينجو *Pangjou*, & in Abulpheda ينجو *Yangjou*, male: nam impunctata invenientes, Puncta pro lubitu apposuerunt Scribæ. Quin & reliqua fere omnia apud Ulug-Begum Chataica seu Sinica vitiose leguntur: quæ [si Literarum Patronis imprimendi sumtum facere placeret,] facile restituere & emendata edere possem; additis insuper plurimis aliis Capitibus, uti de eorum Idololatria, opinionibus de Deo & Paradiso, de Gehenna & gradibus & modis supplicii, de Literatura & Libris & Charta, & imprimendi modo & antiquitate, de Doctorum virorum Gradibus & modo promovendi in Philosophia, & deinde in Militia; & de modo perveniendi ad Dignitates in Aula Regia; cum Pyxide sortilega, & Compasso Ventorum, & Symbolo Apostolico, & Decalogo, & Familiaribus Colloquiis, & Epistolarum Formulis, & aliquos Geographicis, aliisque pluribus; cum omnium Characteribus Sericis & eorundem Sonis.

[2] *Shalem quæ est Jerushalem*] Urbs sane vetustissima est *Shalem*, quippe quam circa annum Mundi 2023. [dicente Josepho] condidit *Shem Noæ* filius, is qui in Lege Mosis cognominatus est *Melchisedek*, [i. e. *Rex justitiæ*,] ut affirmant uno ore Judæi omnes: quod etiam creditu facile, cum *Shemum* ad Abrahami tempora vixisse ex Lege certum sit. Et quidem ipsum quamdiu superstitit, in honore & summa potestate ad extremum usque vitæ terminum permansisse, quivis procul omni dubio facillime crediderit; siquidem tam ipse *Noa* quam ejus filii (ex quibus *Melchisedek*,] naturaliter & ex necessitate fuerint Reges; adeoque Justissimus *Shem* in sua Hierosolymorum urbe degens, ejusdem loci Rex haberi, & Titulo seu Epitheto *Melchisedek*, id est, *Rex justus* seu *justitiæ* merito nuncupari debuerit. Quodque *Melchisedeki* urbs *Shalem* [nam plura sunt loca ejusdem nominis,] sit *Jerushalem*, plus quam probabile, propter hujus commodiorem situm haud ita procul a mari salso ubi a Regibus pugnatum est; adeo ut ipse quamvis senex, inde tamen in Abrahami occursum facillime prodire potuerit. Hancque vocari *Shalem*, plane constat ex *Psalm.* 76. 2. ubi de Deo dicitur, *Tabernaculum ejus esse in Shalem, & habitationem ejus in Sime*: nam harum enuntiationum altera est alterius exegetica, cum nemo poterit imaginari Habitationem ejus fuisse extra Tabernaculum suum, aut in alio loco diverso.

Mortuo *Shemo*, *Jebusæi* a *Jebus* Canaani filio prognati, pulsis *Shemi* filiis eam occuparunt, & per plus quam octingentos annos tenuerunt. Hoc tempore *Shalem*, mutato nomine, dicta est *Jebus*, a *Jebusæis* possessoribus, qui eam de nomine suo [ut Victores solent,] vocari voluere. Postea vero *David* Rex ope Divina adjutus, eandem recuperavit, quamvis *Jebusæi* virium suarum fiducia freti, per contemtum cœcos & claudos ei in mœnibus opposuerint: & recuperando [ut legitur *Judicum cap.* I.] *incolas ore gladii percussit, & urbem incendit*. Sed tamen [ut rursus legitur *Josuæ* XV.] *Jebusæum habitatorem Jerushalem non potuerunt filii Judæ delere; habitavitque Jebusæus cum filiis Judæ in Jerushalem ad* illum tunc *præsentem diem*. Imo & perfectam cum eis amicitiam habuere Judæi, uti constat tam ex aliis quam ex historia *Arauni Jebusæi*, qui amicissime voluit dare *Davidi* Aream suam cum Bobus & Utensilibus; quæ tamen ab eo emere maluit *David*, quia noluit nullius pretii Sacrificium Deo offerre.

Ibi *David* non absque instinctu aut monito Divino, Sacrificium Deo obtulit gratulatorium pro victoria contra inimicos: nam dicta Area erat in *Monte Moriah*, qui sc. ipsissimus erat locus *Davidi* præmonstratus pro ædificando Templo; quod tamen non potuit præstare, quia vir sanguinum fuit. Legitur 2. *Chron.* 3. 1. *Et cœpit Salomon ædificare Domum Dei* בירושלם בהר המוריה *in Jerushalem in Monte Moriah qui monstratus fuerat Davidi patri suo, quem pro loco paraverat David in Area Ornan* [seu *Arauni*] *Jebusæi*. Hocque Nomen [ut & plurima alia in S.Scr.] videtur post factum huic Monti impositum, rei ibi factæ causam innuens; sc. contractum est pro מורה יה *More Jah*, i. e. *docens* seu *monens Dominus*. Nam a ירה fit מורה *More*, *docens*, *monens*, *instruens*, *ostendens*,

dens, *præmonens*; ubi ſcil. Dominus *docebat* Abraham quid faceret Iſaaco, & ei *oſtendebat* ubi inveniret pecudem ſeu Arietem mactandum, & tandem *monebat* ne læderet Iſaacum: & Davidi quoque *monſtrabat* ubi Deo Sacrificium primo offerret gratulatorium, & deinde *præmonebat* ibi Templum eſſe extruendum. Hic itaque Mons tam auſpicato ab initio ad finem in Dei cultum dedicatus, dictus eſt *Moriah*. Et cum Verſ. 8. dicatur אלהים יראה לו השה *Deus providebit ſibi pecudem*: inde Verſ. 14. ipſe mactationis locus vocatur *Dominus providebit*. Unde poſtea apud eos qui difficultate & periculo preſſi, in Proverbium adiit, בהר יהוה יראה *in Monte Domini providebitur* nobis; i. e. Deus providebit nobis, & ex hiſce anguſtiis nos liberabit. In Bibliis Anglicanis legitur, *In the Mount of the Lord it shall beſeen*, minus recte: nam id quod Verſu octavo legitur, *the Lord will provide*, plane indicat ſenſum ejus quod in Verſu 14. eſſe *in the Mount of the Lord it shall be ſeen to*, *or provided for*. Nempe in Monte Domini rei noſtræ cura habebitur, i. e. Dominus rei noſtræ curam habebit & pro nobis providebit, ſicut fecit Abrahamo, providendo ei pecudem ut filio parcere poſſet.

Florentibus Judæis, hæc urbs propter Templum Dei & celebratiſſimam loci Sanctitatem, in S. Bibliis vocatur עיר הקדש *urbs ſancta* ſeu *Sanctitatis*. Et a veteribus Perſis dicta eſt کنک دز هوختن *Paradiſus Judæorum*: de qua re plura [volente Deo] in Tractatu noſtro de *Paradiſo terreſtri*. Eiſdem Perſis hæc urbs alio quoque nomine dicta eſt خانه عحاك تازي *Domus* ſeu *Habitatio Dehak Arabis*; inſinuando ibi olim vixiſſe ejuſdem nominis Perſarum Regem, [de quo fuſe in noſtra *Hiſtoria Regum Perſiæ*,) qui magnam partem Imperii Orientalis obtinebat circa ætatem *Manaſſis* Regis Judæ quem abducebant Aſſyrii, eo tempore quo X Tribus in perpetuam Captivitatem abductæ ſunt. Cumquue Judæi ex Præcepto Divino verſus ſanctum iſtum locum adorarent & etiamnum adorent, Samaritani (ut in Epiſtola Samaritica ad Angliam miſſa,) per ludibrium dicebant eos adorare verſus ࠂࠐࠍࠄ *Gophne*, quæ eſt Hieroſolymis proxima: nempe in vicinia intra pauca milliaria ponitur Γῦφνα apud Ptolemæum, quem videas, uti quoque Adrichomium pag. 27. de Toparchia Gophnitica in Tribu Judæ.

Apud Græce ſcribentes aliquando legitur Σόλυμα, compendioſe pro Ἱεροσόλυμα. Nugantur vero qui Ἱερουσαλὴμ ſic dictam volunt, q. d. ἱερὸν Σαλομῶντος; ut & qui ſomniant *Jerushalem* eſſe per literæ mutationem pro *Jerushalem*. Cum enim *Shem* Rex pacificus 50. annis (ut dicitur) ante mortem, eam condiderit & nuncupaverit *Shalem*, [ut ibi moreretur ἐν Σαλὴμ, τουτέστι ἐν εἰρήνῃ; *David* qui ex ejus poſteris, jure poſtliminii eam tandem recuperavit, reædificavit, auxit, regni Judaici caput conſtituit, & vetus nomen novo includens, eam prophetice nuncupavit ירושלם *Jerushalem*; quod abbreviatum vel pro יירוש שלם *poſſeſſura eſt pacem* poſt tot bella, vel יראה שלם *viſura eſt pacem* hæc urbs, vel incolæ ejus יראו שלם *viſuri ſunt pacem*, vel etiam *Pacificum*, aut *Perfectum & Integrum*. ſc. Chriſtum, cum ne os quidem ejus fractum fuerit; ut integrum, non vero mutilatum Sacrificium pro nobis offerretur. Non ergo ſine Numine factum eſt ut hanc urbem primo inſtitueret *Shem*, eamque typico Nomine inſigniret; eam a *Jebuſæis* ablatam reſtauraret *David*, & antiquum nomen reſtitueret; ut tandem in plenitudine temporis ibi regnaret ὁ βασιλεὺς τῆς εἰρήνης, [ſi noviſſent res quæ ad pacem ſuam ſpectabant,] qui & factus eſt Sacrificium ſatisfactorium olim adumbratum in *Iſaaco* qui typice ibi oblatus in *Monte Moriah* tunc quidem dumis ſcatente, qui tamen poſtea erat הר הבירה *Mons Domus* Domini, ſeu הר הקדש *Mons Sanctitatis*, ubi tandem Templum Hieroſolymitanum juſſu Divino extructum. Adeo ut omnia ab hujus urbis incunabulis ad ejuſdem vaſtationem per Titum Veſpaſianum, conſpirarint ad completionem rerum quas Deus proviſione ſua deſignaverat; ut ſcil. a *Melchiſedeko* primo inſtitueretur talis urbs in qua veri Dei cultus ſtatim poſt Diluvium exerceretur; *Iſaacus* Chriſti Typus figurate offerretur; & poſtea, pulſa *Jebuſæorum* barbarie & Idololatria, ve-

rus Deus in Palatiis ejus rurſus tandem agnoſceretur, & Chriſtus Dominus [promiſſus *Meſſias* in *Iſaaco* adumbratus] ibi regnaret & coleretur, eſſetque Civitas Magni Regis & Gaudium totius terræ.

Quia vero Civitas erat quaſi duplex, viz. inferior quæ infra *Montem Domus Domini* in plano codita; & ſuperior, [quæ a Conditore aliquando nominata eſt *Civitas Davidis*] in latere ſeu declivitate *Montis Sionis*, cujus verticem occupabat Templum Domini, Judæi S. Bibliorum Punctatores legendum punctarunt quaſi in forma Duali *Jerushalaim*, ſubintelligendo literam *Jod* in ultima ſyllaba, nimis critice & quoque falſo: unde & extra Biblia in eorum Libris, aliquando ſcriptum videmus ירושלים inſerta litera *Jod*, ut hic fit. Non autem ferenda eſt talis Punctatio & lectio quæ totam ſignificationem tam Grammaticam quam Typicam obſcuret incaſſetque. Cumque hæc talis diſtinctio alias non cernatur in S. Bibliis, ſed ibi ſemper vocetur עיר *Urbs* in ſingulari, non autem עירים *Iraim* in Duali, aliquantulum ſuſpicor antiquitatem noſtrorum Siclorum tam Hebraicorum quam Samariticorum, in quorum omnium Inſcriptione legitur ירושלים הקדושה, ſeu ࠉࠓࠅࠔࠋࠌ · ࠄࠒࠃࠅࠔࠄ *Jerushalaim Sancta*; excepto uno Samaritico æreo, in quo recte legitur ࠉࠓࠅࠔࠋࠌ · ࠒࠃࠔࠄ *Jerushalem ſancta*. Et ſic Verſio Græca ante Punctationem facta, Ἱερουσαλὴμ. Cum enim in illis legatur ירושלים ſecundum Punctationem quæ moderna eſt, ſequetur illos Siclos cuſos fuiſſe ex quo facta eſt dicta Punctatio.

Hæc urbs ab Ælio Adriano Romanorum Imperatore capta, ab eo nominata eſt *Ælia Capitolia*. Is, ut dicitur, Montem Calvarium & Chriſti Sepulchrum (antea extra mœnia) muro cinxit. Hodie & ab aliquot ſeculis, tam a Mohammedanis quam a Chriſtianis Arabice loquentibus, *Beito'l Mabdes* nuncupatur. Sic in Libro *Maſalic-Mamalic*, quem alias abbreviate citare ſoleo *Maſm*, اورشلم اي مدينة السلم وهي بيت المقدس *Urashlem*, *ea eſt Urbs Salutis*, *eadem ſcil. quæ Beito'l Mokaddes*. Alias autem plerumque apud ejuſmodi Mohammedanos Scriptores, *Urbs Salutis* eſt ex Nominibus *Bagdadi* circa tridui itinere ab antiquo *Babele* diſtantis: ideoque maximo favore Mohammedanus Author dignatus eſt Hieroſolymas eadem appellatione decorare. Eſt autem *Beito'l Makdes* ſeu *'l Mikdas*, idem quod בית המקדש *Domus Sanctuarii*, quo nomine non Templum, ſed Urbs ipſa intelligitur; quæ aliquando etiam ſimpliciter dicitur מקדש *Mikdash*, *Sanctuarium* Synecdochice, denominatione a potiori & nobiliori ejuſdem parte deſumta. Syris vulgo audit ܐܘܪܫܠܡ *Urishlem*. Sed *Jeſu Bar Ali* in Lexico Syr-Arabico, captato nominis Arabici ſono, vocat ܡܩܕܫ *Mactash*. Et ſic in Samaritanorum Sichemenſium Epiſtola ad Clariſſ. Ludolphum miſſa, ſcribitur ࠌࠒࠃࠔ *Mactash*, more [ut videtur] Syr-Arabum inter quos vivunt. Hæcce urbs hodie vocatur quoque [præcipue a Chriſtianis] قدس مبارك *Kuds Mobarek*, i. e. *Sanctitas benedicta*, vel alias قدس شريف *Kuds Sheriph*, i. e. *Sanctitas nobiliſſima*; vel plerumque brevitatis cauſa ſimpliciter قدس *Kuds*, i. q. Heb. קדש *Kodesh*, i. e. *Sanctitas*. Hinc Europæis Viatoribus corrupta Nomina *Gotz*, *Godz*, & *Cuzmobarch*, &c. quæ Lexici Geographici Author ex aliis Europæorum Libris corraſit: & Molino *Chuzzi ſerif*, minus bene.

Hieroſolymorum Urbs apud Arabum Geographos (Synecdochice ut ſupra,) vocari ſolet الاقصي المسجد *Templum extremum* ſeu *extimum*, quippe quod reſpectu Arabiæ & Templi Meccani, verſus extimum Occidentem ſitum habeat. Herbertus noſtras in Itinerarii ſui editione prima (tanquam nomine inter Orientales recepto) ponit *Jeruſhalem* in Oriente vocari *Kurſakaleel*. Quid autem hoc nominis ſit, & an revera aliquid ſit, vix mihi conſtat. Si recte ſcribit, forte ſit كرسي خليل *Rurſa Chalil*, id eſt, *Sedes Abrahami*, quia is in *Monte Moriah* ubi

Templum poſtea extructum, aliquantulum manebat mactaturus Iſaacum. Sed nunquam inveni tale hujus urbis Nomen in Orientalium Libris. In altera dicti Itinerarii editione, hoc (cum aliis aliquot Nominibus Propriis) prorſus omittitur. Quale autem portentum Nominis pro hac urbe ſit *Lecouſt*, quod in Indice Geographico legitur, hariolari neſcio, niſi forte ſit pro *le Couds*.

Sunt qui putant *Jeruſhalem* aliquando vocatam fuiſſe *Gablan*, ſuam opinionem petentes ex Talmude in Tract. *Sanhedrin*, *fol.* 97. 1. ut & ex Tract. *Sota*, *cap. ult.* prope finem, ubi (dum de Judæorum exilio & deſolatione agitur,) legitur quod *in poſtremis temporibus Meſſiæ* בית הוזעד יהיה לזנות והגליל יחרב והגבלן ישום יאשם ישום ואנשי גבול יסובבו מעיר לעיר *Domus Synedrii erit pro fornicatione, & Galilæa vaſtabitur, & Gublan deſolabitur, & viri limitis* (terræ Iſraelis) *circuibunt ab urbe in urbem*. Eadem quoque (excepto quod pro ישום legatur יאשם) habentur in dicto loco Tract. *Sanhedrin*, ubi Gloſſator Talmudicus hæc adjicit, ותג והגבלים מקום ששמו כך ישתומם *Gablan*, i. e. *Gebalim*, (*ſc. locus ejus nomen ſic eſt*,) *vaſtabitur*. Unde D. Carpzovius & alii putant hoc eſſe ab Arabico جبل Gjebal *Mons*, q. d. Montana regio, *Jeruſhalem* intelligentes. Et ad firmandam ſuam opinionem, ex Strabone adducunt Σολύμους eſſe Καβαλεῖς: cum tamen Strabo iſtos *Solymos* ponat in Piſidia, ab Homero etiam commemoratos. Dicta autem de *Gablan* opinio, ex mendoſa Talmudis lectione videtur proceſſiſſe. Sed in Talmudis Exemplari quodam Seldeniano ad dictum locum in *Sanhedrin*, antiqua manu Doctiſſimi ejuſdem Judæi, (qui emendando totum percurrit Talmudem) additur MS. correctio marginalis docens quod pro הגבלן *Gablan* legendum ſit הלבנון *Lebanon*, ſenſu quidem optimo. Et hoc modo omnes aliæ conjecturæ ruunt, dum ſcil. ſublato mendo, legatur *Lebanon*, cujus gloriam eodem modo longe ante Eſajas Propheta etiam deceſſuram ſæpius prædixerat. Miror autem Judæorum deſidiam & incuriam, quod chariſſimum ſuum Talmudem in omnibus editionibus ubique paſſim corrupte & incorrecte mendis ſcatentem prodire ſinant. Si aliquis recudere vellet, ad dictum noſtrum Exemplar Seldenianum (excepto quod proh dolor! unus deſideretur Tomus,) correctiſſima adornari poſſet editio.

D. Lightfootus in Notis ad D. Marcum, exiſtimat quod apud Herodotum Κάδυτις (Gen. Καδύτιος,) ſit *Jeruſhalem*: quæ quidem Κάδυτις ibi deſcribitur non eſſe minor quam *Sardis*. Et quod eo nomine intelligatur *Jeruſhalem*, potius quam *Damaſcus*, probabile videtur, cum haud ita procul a mari eſſe ibi inſinuatur; & præterea fiat mentio *Montium Cadyti*, cum e contra Ager Damaſcenus ſit in Cœloſyria Campus planus multis fluviis & aquarum ductibus irriguus & fertilis, adeo ut a quibuſdam Paradiſus terreſtris creditus fuerit; quæ itaque regio etiam hodie dicta eſt غوطة دمشق *Damaſci Guta*, quod talem *terram depreſſam & aquis irriguam* notat. Et quoad hocce apud Herodotum memoratum Nomen, nullus dubito quin una litera ex Scribarum errore mutata, Κάδυτις ſit pro Κάδυσις, quod rejecta (ut debet) terminatione, eſt קדש ſeu قدس Κάδυς, idem ſcil. Nomen quod ſupra explicatum, quo tam a Judæis quam ab Arabibus olim vocata fuit *Jeruſhalem*. Cumque id fuerit inter alia celeberrimæ hujus nobis recepta in Oriente Nomina, non eſt mirum cur Herodotus tam celebris loci ſub illo nomine mentionem fecerit, & cur Scribæ (ut in exoticis ſolent) una litera erraverint.

[3] *Supplementum Chronicorum*) Compilavit & edidit *Jacobus Philippus Bergomas*, anno 1500. quod poſtea emendatius prodiit 1535.

[4] *Rimmon*) i. e. *Granatum*, ſcil. *Malogranatum*: ſic enim Author noſter *Granatæ* urbis nomen ſuo modo exprimit per vocabulum ejuſdem ſig. in lingua Heb. Adeo ut heic *Rimmon Sepharad* ſit *Granata Hiſpaniæ* urbs.

[5] *Tanaim*) Heb. לטאנאס *la Tanais*, qui quidem Fluvius effundit ſe in نحر الازرق *mare cœruleum* dictum *Mæotidem Paludem*. Arabice ſcribitur ذان *Tan*, accolis *Tana*, qua ſcriptione diſtinguenda eſt a *Tona* ſeu *Donaw* ſive *Danow*, i. e. *Danubius* ſeu *Iſter*, Arab. طنا *Dona*. Articulus *la* eſt ex lingua Italica quæ Authoris vernacula: nam hic Fluvius Italis audit *la Tana*, quod Anglice diceretur *the Tanais*. Et ſic poſtea aliis locorum Nominibus præponitur *la*, ut למיקא *la Mecha*, &c. quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

[6] *Dacia*) Populum quod attinet, Suidæ Πατζινακῖται vocantur Δάδες a ſing. Δάξ, Latine *Dani*, *Davi*, *Dai*, & *Daci*; a quorum ſervili conditione, *Davus* pro *Servo* apud Comicum. Eſt autem *Dacia* triplex, continens *Tranſylvaniam*, quæ *Dacia mediterranea*; *Moldaviam*, quæ Dacia Ripenſis ſeu *Pannodacia*; *Valachiam*, quæ *Dacia Alpeſtris* ſeu *Alpina*. *Dacia* Turcis dicitur قره بغدان *Cara Bogdan*, id eſt, *Nigra Bogdan*, & Græcis modernis Μαύρα Δαβία *Nigra Davia*: unde *Moridavia* ſeu *Moldavia*, eodem literæ permutatione qua pro *Mori bacca* dicimus *Molberry* ſeu *Mulberry*. *Dacia* vel ejus pars vocatur quoque Μαύρα Βλαχία *Nigra Vlacchia*, Turcis قره أفلاك *Nigra Iſtac*, vel ſimpliciter *Iſtac*. Hinc aliquot virorum nomina, ut *Vlacq* ſeu *Vlachus*; & *Matthæus Flacius Illyricus*, aliique. Non enim ſentio cum D. Cointe, qui gratis dicit verum ejus nomen eſſe *Flavium*. Nam cum ipſe ſit ex Illyria ortus, id indicat eum eſſe *Flacium*. Sunt qui *Bogdan* exponunt *Dei donum*: & quidem lingua Illyrica *Bog* eſt *Deus*; non autem *Dan*, ſed *Dar* eſt *donum*.

[7] *Turcia*] i. e. Turcarum Sedes in Europa, hodie عثمان ولايتى *Oſmanica regio*; & Turca eſt عثمانلي *Oſmanli*: ſic enim id nomen pronuntiant Turcæ, Arabes *Othman*. Eorum vero originalis & nativa Sedes, eſt in تركستان *Turceſtan* ſupra Mare Caſpium. De hoc autem plura (annuente Deo) in peculiari Diſſertatione de *Tartaria* ſeu *Turcia Aſiatica ac Orientali*. R. Benjamin in Itinerarii ſui pag. 27. 39. 54. &c. Turcas vocat *Togarmim*, תוגרמים והם נקראים טורקוש *Togarmin qui vocantur Turcæ*. Sed quidem *Togarmim* ſeu *Togarmæi* potius videntur eſſe تركمان *Turcomani*, familiari literarum metatheſi pro *Tucarmani*. Tales tranſpoſitiones viſuntur in ἀμίζης pro ἀζίρης وزير *mazir*; & apud Ptolemæum & in Mappis Ζιγίρα pro Γιζίρα جزيرة & hujuſmodi ſexcenta alia, quæ non tantum in difficilioribus & exoticis, ſed & in vernaculis accidere ſolent.

[8] *Hungaria*) Ab Hunnis occupata regio, Romanis *Pannonia*, Turcis مجار *Maggjar*. De hoc autem plura in dicta Diſſertatione de *Tataria & Tataris*.

[9] *Pelachia*) i. e. Poloniæ pars Boreo-Orientalis. Hæc loca ſic nominata ſunt ex *Pol* id eſt *Planities* eorum lingua, utpote quæ ſit regio plana. Turcis dicitur لخ *Lech* ſeu *Leh*, ab antiquo aliquo Rege qui ibi aliquando regnavit. Duo enim Fratres olim, *Lech* quidem *Poloniam*, *Czech* vero *Bohemiam* occuparunt: quæ itaque Regna ad hunc uſque diem dicta nomina retinent.

[10] *Dalmatia*) Turcis بوسنة ايلي *Boſna-ili* ſeu بوسنه ولايتي *Boſna vilayeti*, id eſt, *Boſniæ regio*.

[11] *Chœrobacchia*) Vulgo *Chirobacchi*, urbs Thraciæ.

[12] *In Fide Romana*, *ſicut Anglia*) De Authoris tempore intelligendum eſt.

[13] *Scotia*) Videtur deprehendiſſe *Tuæſim* ſeu *Tuædam* Fluvium (qui Scotiam ab Anglia ad Bervicum dirimit,) illam facere diſtinctam Inſulam, eam ab hac ſejungendo. Sic in Argumento Capitis VII. in-

ter

ter Capitum Elenchum generalem, legitur אי סקוציא *Inſula Scotia*. Sed in ejuſdem Argumenti Verſione hoc non notavi, quia in Textu Libri eſt tantum סקוציא *Scotia*. Sed in Textu Capitis II. & VII. & XII. Scotia plane ut particularis Inſula numeratur, aliter quam nos facere ſolemus. Et ſic Geograph. Nub. Clim. VII. parte ſecunda, الجزيرة سقوسية التصلة تجزيرة انقلطرة *Inſula Scotia contermina eſt Inſulæ Angliæ*. Adeo ut noſter Hebræus, quamvis errans, non ſit in ſua opinione ſolus; ſed ab aliis præeuntibus ſeductus.

[14] *Cilicia*) Hodie *Caramania*. Ne autem hoc Nomen aliquem fallat, diligenter diſtinguendum eſt a *Caramania* in Perſide, quæ incolis كرمان *Kirman*. *Cilicia* autem ab Amano monte, Turcis dicitur قره امان ايلي *Cara-aman-ili*, id eſt, *Nigri Amani regio*. Alias *Cilicia* Turcis vocatur ذوا لقدريه *Du'l Kadaria*, ut Bernardo da Parigi. At D. Rycauto p. 95. *Zulkadrie* ponitur i. q. *Maraſh* ad Euphratem ſita. Aliqua ejus pars eſt plana: altera vero aſpera Turcice dici ſolet طاش ولايتى *Saxoſa regio*, Straboni Τραχεῖα Κιλικία, quam incolunt Τραχιῶται. Alias *Cilicia* vocatur سيس *Sis*, ut Molino. Et ſic apud *Calcaſhendium*, tomi ſecundi pag. 332. سيس قاعدة بلاد ارمن وقاعدة الثغور الشمالية *Sis eſt Sedes principalis regionis Armeniæ & ſedes limitanearum regionum Septentrionalium*. Vide etiam pag. 323. apud dictum *Calcaſhendium*.

[15] *Tanger*, *Arzilla*, *Pheſs*) *Pheſſ* Arabice فاس *Phas*, ſeu incolarum exili modo pronuntiandi, *Thes*, id eſt, *Securis*; a Securi aliqua in prima urbis fundatione inventa, ut dicitur. *Arzilla*, (ut vulgo pronuntiamus, interponendo *r* epentheticum,) eſt Oppidum litorale in mari Atlantico, haud procul a Tanger ſitum, Arabibus Africanis ſeu Mauris dicta ازيلا *azila Tanger* Græcis Τίγγις, Arabibus طنجه *Tangie* ſeu *Tengje*. Europæi in fine addunt *r*, plenioris ſoni cauſa; niſi forte Græcis literis ſcribendo Τίγγις migraverit in Τίγγιρ, quod in multis aliis factum eſt, ut alibi monſtrabitur. Quin & Arabum *He* finale negligenter ſcriptum, ab imperitis quibuſdam Europæis aliquando habitum eſt pro *Re*.

Stephano, Τίγγις πόλις Μαυρυσίας· ὁ πολίτης Τιγγίτης. --- Τιγγιτανὸς ἐν τῷ ἐθνικόν. Hæc urbs eidem Stephano dicitur quoque Θιγγη, & Gentile, Θίγγιος. Stabo, Πλησίον δὲ καὶ πολίχνιον μίκρον ὑπὲρ τῆς θαλάττης, ὅπερ Τίγγα καλοῦσιν οἱ Βάρβαροι, Λιγγα δὲ Α'ρτεμίδωρος προσηγόρευκε, Ε'ρατοσθένης δὲ Λίξον. κεῖται δὲ ἀντίπορθμον τοῖς Γαδείροις ἐν διάρματι σαδίων ὀκτακοσίων, ὅσον ἑκάτερον διέχει τοῦ κατὰ τὰς σήλας πορθμοῦ. Sunt tamen qui *Lingam* & *Lixum* diſtinguunt. P. Mela, *Ejus oræ finis* Mulucha: *caput atque exordium eſt Promontorium*, *quod Græci* Ampeluſiam. *Afri aliter*, *ſed idem ſignificante vocabulo*, *appellant*. *In eo eſt ſpecus Herculi ſacer*: *& ultra ſpecum*, Tinge *oppidum pervetus*, *ab Antæo* (*ut ferunt*) *conditum*. Procopius de Bello Vand. dicit Gergeſæos & Jebuſæos quos Joſua filius Nave ex Palæſthina expulit, oppidum *Tingin* ſitu munitiſſimum in *Numidia* ædificaſſe, ubi duæ ex albo lapide erant Columnæ prope magnum quendam Fontem conſtitutæ, quibus Phœnicum lingua literæ inciſæ erant, migrationis cauſam continentes & declarantes. En locum integrum ex Procopio habe, ex *Belli Vandalici lib. 2. cap. 10. p.* 257. Ε'πειδὴ Ε'βραῖοι ἐξ Α'ιγύπτου ἀνεχώρησαν, &c. *Cum Hebræi ex Ægypto egreſſi*, *non longe a Palæſtinæ finibus abeſſent*, *Dux viæ Moſes*, *Vir ſapiens*, *e vita migravit*. *Ducatum ſuſcepit Jeſus Nave filius*: *qui Gente hac in Palæſtinam inducta*, *virtutem in bello promens humana majorem*, *ac debellatis indigenis omnibus*, *Urbium facile potitus eſt*, *auditque plane Invictus*. *Tunc temporis maritima omnis regio*, *a Sidone ad Ægypti fines*, Φοινίκη *Phœnice dicebatur*; *nec niſi unum ibi quondam fuiſſe Regem confeſſione omnium conſtat*, *qui de Phœnicum Antiquitatibus ſcripſere*, *Illic Gentes numero abundantes degebant*, *Gergeſæi*. *Jebuſæi*, *aliæque aliis diſcretæ nominibus in Hebræorum Hiſtoria*. *At ubi Ducem advenam vinci non poſſe intellexerunt*, *relicta patria*, *in Ægyptum conterminam commigrarunt*. *Hic loco non invento qui ſedes iſtis ſatis laxas præberet*, *quod jam ab ævo longinquo frequens populis Ægyptus eſſet*, *in Libyam conceſſerunt*; *quam totam uſque ad Columnas Herculeas obtinuerunt*, *multiſque urbibus conditis*, *frequentarunt*. *Phœnicum lingua etiam utuntur incolæ*. *Caſtellum quoque ſtruxerunt in urbe Numidia*; *ubi eſt urbs jam dicta* Τίγγισις Tigiſis (l. Τίγγισις *Tingis*, ſeu *Tanger*.) *Ibi ad fontem uberrimum Columnæ e lapide candido viſuntur duæ*, *quæ inciſam Phœnicum literis & verbis ſententiam hanc ſervant*, ἡμεῖς ἐσμεν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ, *Nos ii ſumus qui fugimus a facie Jeſu latronis*, *filii Nave*. *Ante horum adventum*, *colebant Africam alii populi*, *qui* (*quod ibi jam inde antiquitus habitaſſent*,) αὐτόχθονες, i. e. *regionis ſoboles eſſe dicebantur*. *Hinc perhibent terræ filium fuiſſe Antæum*, *ipſorum Regem*, *qui Clipeæ cum Hercule luctatus eſt*. *Poſt etiam qui e Phœnicia cum Didone migrarunt*, *ad colonos Africæ*, *tanquam ad conſanguineos*, *ſe contulerunt*; *atque ipſis volentibus*, *Carthaginem condiderunt*, *tenueruntque*. *Procedente tempore Carthaginenſes opibus numeroque aucti mirum in modum*, *vicinos*, *qui primi* (*quemadmodum dictum eſt*,) *e Palæſtina venerant*, *& hodie vocantur Mauri*, *acie fuſos*, *longiſſime ab urbe Carthagine ſibi ſedes legere coegerunt*. *Dein Romani*, *omnibus debellatis*, *extremas oras Africæ*, *habentis hominum domicilia*, *Mauris aſſignarunt*; *Carthaginenſes cæteroſque Afros ſtipendiarios habuerunt*. *Denique Mauri*, *Vandalis ſæpe victis*, *quam appellant nunc Mauritaniam*, *a Gadibus ad Cæſareæ limites pertinentem*, *& reliquæ Africæ partem maximam*, *occuparunt*. *Hactenus de ſedibus Maurorum in Africa*.

Phœnicum lingua erat Canaanitica ſeu Hebræa; ex qua itaque ipſa Phœnicia verba elicere haud ita difficile, ſi conjecturæ locus concedatur; miſſo etiam Græcorum more ſcribendi *Jeſu fil. Nave*, pro *Joſua fil. Nun*.

Nos ſumus fugientes a facie Joſuæ prædonis filii Nun.) quæ ſic forte priſtinæ ſuæ Scriptioni reſtituenda ſint. (אנחנו בורחים מפני יהושע הגזל בן נון)

Talem a fugientibus Canaanæis poſitam fuiſſe Inſcriptionem, valde probabile eſt, quamvis a pluribus Authoribus non confirmetur. Hæc urbs a Claudio Cæſare Colonia conſtituta eſt, & *Julia traducta* nuncupata: unde etiam corrupte *Jel*.

[16] *Oceani*) Per Oceanum plerumque intelligit *Mare Atlanticum*, ſic dictum quia Atlantem in Africa Montem alluit. Et autem اطلس *Atlas* Arabice *glaber*, & *cinereus* ſeu ad *nigrum colorem vergens* quidvis, ſive mons ſive aliud. Eodem nomine etiam denotatur *Tramoſerica* veſtis, (Anglice *Sattin*,) propter glabritiem. Hic Mons Hiſpanis dicitur *Montes claros*, Mauris hodie الريف *Erriph*, id eſt, *Satis & lætiori proventu gaudens ſolum* ſeu *terra*. Arabibus hoc Mare (quia totum terrarum Orbem circumambit,) vocatur بحر محيط *Mare ambiens*, Straboni Συῤῥοῦν, *mare circumfluens* ſeu *in ſe rediens*. Cur autem vocetur ὠκεανὸς, Agathemeres ſuam non ſatis aptam rationem reddit, διὰ τὸ ὠκέως ἀνύειν τὴν γῆν. Eſt autem ὠκεανὸς nomen factum ab Ægyptiaco ὠκεάμης, eodem ſignificatu. Hinc Arabes mutuarunt magni ſui Lexici nomen قاموس *Camus*, q. d. *Verborum Oceanus*. Ea autem Maris Atlantici pars quæ ab Anglia verſus Septentrionem protenditur, Arabum Geographis dici ſolet بحر مظلم *Mare tenebroſum*, & بحر زفتي *Mare piceum*, propter denſas nebulas, & alicubi craſſiores tenebras quæ ibi habentur.

[17] *Tunii*] R. Benj p. 126. dicet *Tunetum* olim vocatum fuiſſe חנס *Hanes*; quod tamen potius eſt in Ægypto. Geogr. Nub. in Clim. 3. parte 2. dicit olim dictum

dictum fuiſſe ترشيش *Tarſhiſe*, ut MS. pro quo in impreſſo codice male legitur لرسيس A Divo Paulo autem didicimus *Tarſhish* eſſe in Cilicia. *Tunetum* hodie civitas & Emporium celeberrimum: olim Tumulus editior 12. forte milliaribus a Carthagine diſtans, unde Scipio Carthaginenſes ad comburendum Claſſem properantes proſpexiſſe dicitur.

[18] *Gomer & Magog*] De his vide Textum Capitis III. in Clim. VII.

[19] *Canis Magnus*] Intelligitur Tatariæ Imperator, qui apud Bergomatem ſupra memoratum, dicitur *Can.* Quin & Europæis inveterato more vocatus fuit, *Canis*, uti conqueritur D. *Michovius Cap.* VIII. ubi corrigit eum errorem qui ex nominum conſonantia ortus eſt. Eſt autem قاان *Kan* in lingua Mogolo-Tatarica ſummæ Dignitatis Titulus, qui apud eos non niſi Imperatoribus tribuitur. Perſæ id nominis ab illis mutuantes, ſcribunt خان *Chan*, & uſum aliquantulum mutantes, pro Titulo Principis qui Regi proximus eſt (ſc. *un Duc*) utuntur. Arabes [qui Perſica & Tatarica nomina ſubinde corrumpere ſolent,] ſcribunt خم *Cham*, minus bene.

CAPUT III.

פרק ג׳ בחלוקת הישוב הצפוני בכדור הנז לשבעה אקלימים ברצועות
באורך וברוחב מן המזרח אל המערב:

Caput tertium agit de diſtributione Habitabilis-partis Septentrionalis in Globo prædicto, in 7 Climata, lineis per longitudinem & latitudinem ab Oriente in Occidentem.

כל החכמים הקדומים הסכימו וחלקו כל
הישוב הזה אשר בצפון הכדור באורך ממזרח
למערב ורחבו שהוא ממשוה היום העובר
על אי טראפובנא אשר בים הודו ויתרחב
עד ים אוקיאנוס להולאנדי אשר בצפון
אשכז הנקרא מאנייא גירמאניא חלקוה
לשבעה אקלימים אשר נבאר מספרם ומקום
תהנותם ואורך הימים הארוכים אשר לכל
אחד מהם כפי מה שראיתי מהקדומים ואם
יש חלוקות אחרות ואופנים אחרים אשר
ראיתי לאנשי זאת המלאכה ממ׳ נטיתי לבי
ללכת אחרי עקבות טולומיאו וציוריו להיותו
מפורסם אצל חכמי הנוצרים וגם מחכמי
ישראל המתעסקים בחכמת התכונה אשר
החכמה הזאת הכרחית למשפטיהם בעיון
מסיבות הגלגלים עד אנה יסובו בלכתם
אשר על זה לא דבר כלל אלדד הדני
ובעל המסעות רק בהליכותיו ובמאורעות
לו ואומר בחלוקותם:

OMnes Sapientes antiquiores convenerunt, & univerſam hanc Habitabilem-partem quæ in Septentrione Globi, diviſerunt per longitudinem ab Oriente in Occidentem; & ejuſdem latitudo quæ eſt ab Æquatore pertranſeunte inſulam [1] Taprobanam in mari Indico, extenditur uſque ad mare Oceanum, per Hollandiam quæ ad Septentrionem τῆς Aſcenaz, quæ vulgo vocatur Germania magna. Hoc inquam diviſerunt in 7 Climata, quæ numeratim [ut & locum ubi deſinunt] deſcripturi ſumus, una cum longitudine dierum longiſſimorum in ſingulis, prout apud antiquos obſervavi; quamvis dentur aliæ diviſiones modique alii, uti apud hujus Artis peritos vidi, nihilominus inclinavi cor meum ad ſequendum [2] veſtigia Ptolemæi ejuſque Mappas, quippe qui celebris ſit tam apud Doctos Chriſtianorum quam apud Doctos Iſraelis operam dantes Scientiæ Aſtronomiæ, quorum judicio hæc doctrina habita eſt neceſſaria ad ſpeculationem Revolutionum Sphærarum, quatenus circumvolvuntur in proceſſione ſua; de qua re nihil omnino dixit [3] Eldad Danęus, nec [4] Author Libri Itinerum; qui egerunt tantum de perambulationibus ſuis & rebus occurrentibus ſibi ipſis. Ego autem dicam de diviſionibus eorum.

כי האקלים הראשון עובר קוטב אורכו על
מירואי אשר הוא באמצע נהר נילוס ר׳ל
אי אחת גדולה כמו פוליסינו של יבשה
אשר בו ישוב ומלכות גדול וארוך ונילוס
יחלק הנה והנה ומתארך בכל שני צדדיו
וישוב להיות אחד בסוף האי הזאת וילך
האיקלים הזה ממזרח למערב ויכנסו תחתיו

Polus latitudinis Climatis primi tranſit per Meroen quę eſt in medio fluminis Nili; quę ſcilicet eſt inſula quędam magna ſicut [5] Peninſula Continentis, in qua eſt Habitatio & Regnum magnum ac longum; & Nilus hinc illinc diviſum per utraque ejuſdem latera extenditur, & deinde in hujus inſulę extremitate in unum redit. Pergit hoc Clima ab Oriente in Occidentem, & ſub

תחת השמים עמים רבים ומדברות ארוכות וישובים גדולים ועובר על קצת ים הודו ואצל טרפובאנא וכוש וליביאה ואיטיאופיאה אינפריאור עד סבוב ים פורטונאטי אינסולי ויומו הארוך יב״ שעות ג״ רביעים יען מעברו ממוך לקו משוה היום מלמעלה על היבשה:

האקלים השני עובר קוטב אורכו ממזרח למערב על סיניס באיגיפטו אשר בגליל מצרים ויומו הארוך יג״ שעות ורביע ויכנסו תחתיו עמים רבים ממזרח למערב אורך ארץ הודו ויעבור נגד השמים על נהרי גאנגיי וסינוס פירסיקוס הוא ים פרס וכל ארביאה פיליקש ויעבר על רוחב ים סוף הוא ים אראביקוס ויעבור כל ארץ מצרים וכוש עד סמוך הרי מבריטאניא ציסארי ויכנס בים אוקיאנוס המערבי למעלה מהאיים פורטונאטי:

האיקלים השלישי יעבור קוטבו ממזרח ללכת אל המערב ויעבור על אלכסנדריאה וכל מלכיות הבארבאריאה ויומו הארוך יג״ שעות ג״ רביעים ויעבור למעלה בשמים על ארביאה פיליקש וסמוך לזה הולך ועובר סמוך ליודיאה היא ארץ ישראל שהיא סמוך תוך איקלים שלישי וחצי והוא באמצע הישוב עד טבור הארץ כאשר נבאר במקומו בע״ה:

האיקלים הרביעי בתחלתו יעבור סמוך לארץ ישראל דרך ים אולם מעברו עובר על רורי לפי השם המיוחד לו לחכמי המלאכה ויעבור קוטבו דרך השמים ולמטה בארץ תחתיו מדי ודראנגיאנאה וקארמאניה ומדברות אריאה וטרציאה וציפריאה ורודי אשר הוא מסומן עליו כאמור ויתארך באורך ים האמצעי דרך סיציליאה וסרדיניא עד קרוב לים ספרד וקאטלוניא ויומו הארוך יד״ שעות ורביע:

האיקלים החמישי יעבור מדרך מזרח על רומי ותחתיו מהתחלת המזרח כל מלכיות סאקא וארץ מדי ומתחרת לים אירקאניאה הוא ים קספיאו ויתארך סמוך לארציפליגו כלו ויון וישטט על רומי וילך באורך

& sub eo collectę sunt sub ipso cœlo Gentes multę, & Deserta longa, & Habitationes magnę: transitque per partem maris Indici, & per Taprobanam, & Cush, & Libyam, & Æthiopiam inferiorem, donec tandem circumeat mare Insularum fortunatarum. Et dies ejus longissimus est 12 horarum cum tribus quadrantibus, cum transitus ejus sit prope Æquatorem superius per Continentem.

Polus longitudinis Climatis primi transit ab Oriente in Occidentem supra Syenem in Ægypto, quę in regione Mitsraim. Et dies ejus longissimus est 13 horarum cum quadrante. Sub eo comprehenduntur Gentes plurimæ ab Oriente in Occidentem per longitudinem terrę Indię: & transit e regione cœlorum per [6] flumina Gangis, & Sinum Persicum, (is est mare Persicum,) & totam Arabiam felicem, & per totam latitudinem maris Suph quod est Mare Arabicum, & per totam terram Ægypti, & per Cush, usque prope montes Mauritanię Cęsareę: & tandem committitur mari Oceano Occidentali supra Insulas fortunatas.

Polus Climatis tertii transit ab Oriente qua itur ad Occidentem, transitque per Alexandriam, & omnia regna Barbarię. Et dies ejus longissimus, est 13 horarum cum 3 quadrantibus. Deinde transit superne per ipsos cœlos per Arabiam felicem: & juxta hanc eundo transit per Judęam, quę est Terra Israelis, quę est prope medium Climatis tertii, & dimidia (ejusdem longitudine:) est in medio Orbis-habitabilis in umbilico terrę, sicut explicaturi sumus in loco suo, per auxilium Dei, & opem ejus.

Clima quartum initio suo transit prope terram Israel, per viam maris. Sed [ulterior] transitus ejus est per Rhodum, secundum 7 Nomen ei appropriatum per hujus Artis peritos. Transitque Polus ejus per viam cœlorum & per terram deorsum. Sub eo sunt Media, Drangiana, Carmania, & Deserta Arię, & Thracia, Cyprus; & Rhodus, quod [Nomen] ei assignatum, ut dictum est. Deinde extenditur per longitudinem Maris Medii, per viam Sicilię, & Sardinię, donec appropinquet mari Hispanico & Catalonię. Et dies ejus longissimus est 14 horarum cum quadrante.

Clima quintum transit a via Orientis per Romam: & sub eo ab initio Orientis sunt omnia [8] regna Sacarum, & terra Medię, & quicquid est infra Mare Hyrcanum, quod est Mare Caspium: & extenditur prope Archipelagum totum, & Gręciam, & transcurrit per Romam, & transit per medium Italię, usque ad Hispa-

האיטאליאה עד ספרד ויומו הארוך י״ד שעות ג׳ רבעים:

האיקלים הששי יסוב ויעבור ממזרח למערב על בוריסטניס בארצות אשכנז ויעבור מתחלת המזרח למעלה ממדי באוזיאנא ובאמצע ים קאספיאו ועל אלספונטי ופונציאו סאיבזיניאוס למעלה מקוסטאנטינופולח ויכנסבאורך אשכנז כלו עד זבול פלאנדריס ויומו הארוך ט״ו שעות ורביע:

האיקלים השביעי יבא ממזרח על הרי אזירפאה בקצות אשכנז ויבא ויתארך ממזרח למערב על כל גלילות סיריקאה וסקיטאניאה סופיריאור הנקרא גומר ומגוג ועל כל הסרמציאה סופיריאור ועל ערי הולאנדי והאיים הצפוניים ועל יתר פלאנדריס ואנגליא וסקוציאה ואיברניאה ויומו הארוך ט״ו שעות ג׳ רביעים ויתארך בים אוקיאנוס עד סוף העולם:

הנה אלה הם ה״ז האיקלמים נחלקים לפי מה שבינותי מדברי טולומיאו והמחוזות הנמצאות תחת קו חלוקת האיקלמים ההם לפי חלוקתו בציוריו וספריו ושמות אשר קרא להם אולם מצאתי סדר אחד נבדל מזה ולא ישר בעיני כי ראיתי רוב היודעים נוטים לאלה ובזה אספיק:

paniam. Et dies ejus longiſſimus eſt 14 horarum cum 3 quadrantibus.

Clima 9 ſextum circuit & tranſit ab Oriente iu Occidentem per Boryſthenem in terris Germaniȩ. Er tranſit ab initio Orientis ſupra Mediam per Oxianam, & per medium Maris Caſpii, & per Helleſpontum, & Pontum Euxinum ſupra Conſtantinopolim, & contiguum eſt longitudini totius Germaniȩ uſque ad limites Flandriȩ. Et dies ejus longiſſimus eſt 15 horarum cum quadrante.

Clima ſeptimum venit ab Oriente per Montes Riphȩos per extremitates Germaniȩ: & venit extenſum ab Oriente in Occidentem per univerſas Regiones [10] Sericȩ & Scythaniȩ [11] ſuperioris, dictȩ Gomer & Magog, & per totam Sarmatiam ſuperiorem, & per urbes Hollandiȩ, & Inſulas Septentrionales, & reſiduum Flandriȩ, & per Angliam, Scotiam, & Hiberniam. Dies ejus longiſſimus eſt 15 horarum cum 3 quadrantibus. Et extenditur per Mare Oceanum uſque ad extremum Mundi.

En hæc ſunt 7 Climata diviſa prout intellexi ex verbis Ptolemæi, & Territoria quæ reperiuntur ſub linea diviſionis Climatum, quæ ſunt ſecundum diviſionem ejus in Mappis ipſius & Libris ipſius, & Nomina quibus loca vocavit. Inveni quidem ordinem alium ab hoc diverſum, (ut ſupra dictum:) ſed non videbatur rectus in oculis meis. Cumque viderem pleroſque Doctos ad hunc inclinantes: ideoque hocce contentus fui.

NOTÆ IN CAPU TERTIUM.

[1] *Taprobana*] Author noſter malam aliquam vulgi pronuntiationem ſecutus, fere ſemper ſcribit טאראפובאנא *Tarapobana*, facta literarum metatheſi, quam non reduxi. Hæc Inſula hodie incolis *Lankawn* vocata eſt, dicente Knoxio. Olim dicta eſt Σιμοῦνδα, nunc Σαλικὴ, inquit Agathemeres antiquiſſimus Author. Ptolemæo, incolæ Σάλαι. Sed pro Σαλικὴ [quo forte ſcribæ erraverint,] potius legendum videtur Σαλινή: ea enim eſt Inſula quæ in Globis *Zeylon* ſeu *Ceylon*, incolis සෙලන් *Selan*. Namque ſonum literæ *z* in ſua lingua non habent Selanenſes: ſed Belgarum proprium eſt *s* acutum efferre ut *z*, & hoc modo dictum nomen a vero detorqueæ; ut & *a*, craſſius ſonare ut *o*. In Periegeſi Arabica, cap. 6. ſcribitur سيلان *Seilan*, apud Turcas Europæos زيلان *Zeilan*, apud Paulum Venetum *Seilam*, minus bene.

In Orientalium Libris, hæc Inſula fere ſemper vocatur سرنديب *Serandib*, nomine conflato ex *Seran* pro *Selan*; & ex ديب *Dib*, quod vicina lingua Malabarica *Inſulam* notat. Sic *Naldiv* [vulgo *Maldivas* vocamus,] eadem lingua *Quatuor Inſulas* ſignificat: tanta enim Inſularum multitudo, a quatuor præcipuis & inſignioribus denominata eſt. Et ad littus Indicum *Angediv* ſign. *Quinque Inſulas*. In dictæ Periegeſeωs citato capite, ſcriptum eſt سنديب *Sendib*. Et in Pherh. Gj. سرنديب *Serandil*, utrumque male. Hinc autem eſt, ſc. a voce *Dib*, quod hujus incolæ nuncupati fuerint *Divi*, *Divæi* ſeu *Diveni*, id eſt, *Inſulani*. Apud Ammianum Marcellinum lib. 22. pag. 306 legitur de *Nationibus Indicis certatim cum Donis Optimates mittentibus ante tempus ab uſque Divis & Serendivis*, i. e. ab inſulis & inſulanis plurimis, particulariter ab inſula *Seren* ſeu *Selen* ſive *Selan*. Sed cum hæc ſit præcipua & totius Indiæ maxima Inſula, neceſſe eſt ut de hac ſola ejuſve Incolis intelligatur Philoſtorgius Lib. 3. §. 4. 5. agens de *Theophilo Indo, qui* ἀπὸ τῶν Διβηνῶν *a Divenis ad Romanos miſſus eſt*, Διβοῦς γ᾽ ἐστὶν αὐτοῖς ἡ νῆσος χώρα, τῶν Ἰνδῶν δὲ καὶ οὗτοι φέρουσι τὸ ἐπώνυμον. Et mox rurſus, ἐπὶ τὴν Δίβου νῆσον. Ad hunc locum docte diſſerit Jac. Gothofredus, quem tamen alias peſſime fefellit conjectura, dum ſtatuit hanc *Divorum* inſulam forte eſſe *Davadam* in Arabia, vel Δίαν, vel Δίβας: & tandem veritatem aliis & potioribus definiendum relinquit. Deinde notat Nicephorum lib. 9. cap. 18. male legere Διαβοῦς & Διαβηνοὺς, & Interpretem inde feciſſe majorem errorem *Adiabenos*: iſtum tamen alio-

alioquin ſecutum eſſe Baronium Ann. 354. num. 12. & 14. Qui itaque hinc corrigatur : nam *Adiabeni* inter Aſſyriam & Perſidem ſiti ſunt.

Rex Selanenſis affectat ſua lingua vocari රජසිංහ *Raya Singha*, i. e. *Rex Leonum*: quamvis revera nulli ſint ibi in tota illa inſula Leones : ſed *Leonini homines* intelliguntur. Et inde eſt quod *Incolæ* ſua propria lingua vocentur සිංහල *Singhala*, id eſt, *Leonini*. Hinc eluceſcit ratio ejus quod in Codice Geographico Perſico *Maſalic-Mamalic* ſcriptum legitur, جزيرة سنكاديب ومي سرنديب *Inſula Singhadib*, *ea eſt Serandib*: nempe *Singha-dib* eſt *leonum inſula*.

Amici noſtri defuncti conjectura erat, quod *Taprobana* ſic nominata fuerit a *Dib*, i. e. *inſula*, & رهوان *Rohvan* [ſeu *Rahvan*, ut in Perſarum Libris ſcribitur,] quod eſt Nomen celſiſſimi hujus inſulæ Montis, qui creditur totius Orbis altiſſimus. Is incolis dicitur *Hamalel*, Italis *Pico de Adam*, Belgis *Adams Bergh*, ſeu *Mons Adami*. Incolæ enim Adamum e cœlo ſeu Paradiſo cœleſti lapſum, [talem enim ejus Lapſum intelligunt,] in hunc Montem cecidiſſe credunt, ibique pedis ſui veſtigium ſatis grande ad hunc uſque diem viſendum manere. Quod itaque Veſtigium Incolæ quotannis ſolenniter & religioſe viſitant coluntque. Adeo ut *Taprobana* ſecundum amici noſtri conjecturam, ſic dicta fuerit quaſi *Tibrovan*, id eſt, *Inſula Montis Rohvan*. Ingenioſa ſane conjectura, ſi non obſtaret quod *Dib* in Compoſitione ſemper poſtponatur : atque adeo hac ratione iſta Inſula nominanda eſſet *Rovandib*, non autem *Dibrovan*. Talis autem τῆς *Dib* præpoſitio nuſquam comparet, nec ullibi unquam cernitur.

Toto autem cœlo terraque in re hiſtorica errat Samarita *Gen.* VIII. 4. ponens *Noæ Arcam requieviſſe* ࠏࠋ· ࠈࠅࠓࠉ· ࠎࠓࠍࠃࠉࠁ *ſuper mortem τῆς Serandib*.

Hæc eſt ipſa & fere ſola Inſula ferax Cinnamomi, quod quidem Aroma ab Incolis ſcribitur කුරුඳු *Kurudhu*, & tamen potius pronuntiatur *Kuru-ndhu*, de quo [volente Deo] plura dicturi ſumus in Notis Biblicis.

Hanc inſulam accurate deſcriptam videas apud Knoxium noſtratem Anglice; & apud Baldæum quem Belgice poſſidemus. Strabo eam Magnam Britanniam æquare ſtatuit : οὐκ ἐλάττων τῆς Βρεταννικῆς ἡ Ταπροβάνη. *Ben Ishac fol.* 40. 2. dicit, جزيرة سرنديب وهي عظيمة قدر جزيرة الاندلوس قدرها ثمانون فرسخ علي ثمانين فرسخ *Inſula Serandib eſt magna ut inſula Andalus* ; *viz. magnitudo ejus eſt* 80. *Paraſangarum in* 80. *Paraſangis*. Nempe utraque dimenſione tam longitudine quam latitudine eſt 80. Paraſangarum. Quid ſupradicti Authores de ea ſtatuant, quiſque videat.

Errones & vagabundi Sortilegi qui nobis perperam dicuntur Ægyptii [*Gypſies*,] & Italis *Zingari* ſeu *Zingani*, mihi videntur ſic dicti, q. d. *Singali* : nam a quavis Regione tales nebulones ſe denominare poſſunt & ſolent, & omnes (ut puto) Regiones ejuſmodi Errones poſſident, qui lingua ſemper a communi diverſa, impoſturæ gratia utuntur. Adeo ut Linguarum in toto Orbe numerus, hac ratione duplex ſit, reſpectu earum quæ vulgo reputari ſolent. *Bernardo da Parigi* in *Vocab. Ital. Turc.* perperam ponit جنكان *Cingan* & جنكانه *Cingana*, quaſi eſſent vocabula Turcica, cum ſint tantum Italica Turcicis literis ſcripta.

[2] *Veſtigia Ptolemæi*) Nempe in multis ſecutus eſt Ptolemæum: ſed Cap. V. plane profitetur ſe doctorum multa quæ Ptolemæum latuerant.

[3] *Eldad Danæus*) Iſte Hebræus Author extat Latine excuſus in calce Chronologiæ Genebrardi, p. 53. *Theſ. Antiq. Sacr.* Tom. VII. Hebraice etiam habemus in Bibliotheca publica Oxonienſi.

[4] *Author Libri Itinerum*) Is eſt *R. Benjamin Tudelenſis*, qui extat Heb. Lat. cum Notis excuſus per D. l'Empereur. Ille ibi p. 140. dicitur obiiſſe anno Chriſti 1173.

[5] *Peninſula*) Author heic utitur vocabulo Veneto *Poleſino*, quod potius ſcribendum fuiſſet *Poleſine* aut *Poleſene*. Hocque mera corruptione a Lat. *Peninſula* detortum.

[6] *Flumina Gangis*) viz. Gangis in plura flumina ramificatur & dividitur, ubi in Sinum Bengalenſem exoneratur.

[7] *Sec. Nomen*) Nempe Ptolemæo Διὰ Ῥόδου nominatur.

[8] *Regna Sacarum*) Herod. dicit Σκύθας a Perſis vocari Σάκας, quod tamen eſt vocabulum Arabicum ساقي *Sacæ*, id eſt, *Potatores*, & *Pocillatores*: cum omnes illæ Gentes Septentrionales Potationi nimium indulgeant, ut bene notum eſt de Moſcovitis, Polonis, aliiſque Scythis rigidiſſimas illas regiones incolentibus. Et ab eodem fonte apud Græcos Scriptores Perſarum aliquod Feſtum dictum eſt Σακέα, quod quidem eſt ejuſdem ſoni Nomen Arab. سقية & Chald. שקיא : non enim eſt nomen Perſicum, ut nec alia quædam quæ ab imperitis Perſica eſſe dicuntur. Scytharum nomen videtur tribui tam Occidentalibus quam Orientalibus Septentrionis Incolis : ideoque optarem ut de his verba facientes, vellent diſtinctius loqui : nam alias de quo populo loquantur aut in qua regione verſentur, a nobis pariter ignoratur. Doctiſſimus Golius in Append. Atlantis Sinici demonſtrat *Scythiam* eſſe *Cathaiam* ; quod quidem Nomen in pleriſque Orientalium Libris vulgo ſcribitur خطا *Chata* ſeu خطاي *Chatai* : ſed Author τῆς *Logat Meſnavi*, monet rectius ſcribendum قتا *Kata*, jocoſe addens alterum priorem ſcriptionem eſſe (ut nomen Arabice ſonat,) خطا *Chata*, i. e. *Mendum* ſeu *errorem*. Plura cupiens, videat accuratiſſimam *de Chataia Diſquiſitionem D. Mulleri*.

D. Grueber ex China ad amicum ſcribit, quod *Ca-ta* Sinice ſignificet *Terram Orientalem magnam*. Et quidem *Ta* eſt *magnum* : ſed quod *Ca* ſit *Terra Orientalis*, non conſtat, nec Chinenſis meus agnoſcebat. At mihi videtur non eſſe Sinicum Nomen, ſed forte Turcico-Tataricum, quo totum Regnum Chinenſe (vel ſaltem Septentrionalior ejus pars) nominatum eſt ex quo in eam dominati ſunt Tatari. Et ſane impoſſibile eſt ex communi uſu loquendi ut *Chataia* quæ ad Sinarum Septentrionem & Occaſum vergit, a Sinenſibus in ſua lingua vocetur *Terra Orientalis*, quod potius dicendum eſſet ab illis Turcis qui a *Chataia* ſunt ſitu Occidentaliores. Nam hoc nomine præcipue intelligitur Deſertum vicinum urbi *Socheu* in Provincia *Xenſi*, quod alias diſtinctius vocatur Turcice قرة خطاى *Cara Chatai*; id eſt, *Nigra Chataia*, vel ut D. Golius reddit, *Terra Chataiæ*. Sic enim ſubinde uſurpatur vox apud Turcice loquentes, ut قرهدن ودكزدن *per terram & per mare*, ſeu *per mare*, ſeu *per continentem & per mare*.

[9] *Clima ſextum*] Noſter ſtatuit tantum 7. Climata, omittens agnoſcere Ptolemæi Clima *Per Pontum*, quod ei ſextum eſt: & ſeptimum eſt *Per Boryſthenem*, octavum *Per Riphæos montes*. Unde autem *Riphæorum* nomen ortum ſit, nondum didici : nam D. Michovius [qui Canonicus Cracovienſis, & in Septentrionalibus illis regionibus toto ſuo tempore verſatus,] in ſua Sarmatiæ & Moſcoviæ Hiſtoria, plane negat alicubi terrarum dari *Riphæos montes*, ſed fabulam & chimæram eſſe dicit; negatque Fluvios *Volgam*, *Dzuinam* ſeu *Tanaim*, aut *Bob* ſeu *Boryſthenem* (qui *Niger*,) ex illius nominis montibus ſcaturire, ſed e paludibus & locis planis eos derivat : & Deum precatur ſe liberandum ab hominibus talia affirmantibus. Sic ille.

Sed ut noster Judæus in sua sententia persistat, mox addit, *Septem Climata ex verbis Ptolemæi*; ubi tamen non videtur satis accurate secutus Ptolemæum, qui plane statuit 8. Climata, ut dictum. Et non obstante suo per totum illud Clima saltum, tamen ordine procedit in diei longitudinem statuendo, quasi illud Clima non transiliisset. Cæsius quidem ex utraque Æquatoris parte numerat tantum 7. Climata: & sic Gassendus, & quoque Orientales. Tales enim divisiones imaginariæ, pro lubitu sunt. Paralleli definiuntur, intra quos dies longissimus procedit augeri quadrante horæ: ita ut quodlibet Clima duos in se comprehendat Parallelos, & diem augeat dimidio horæ. Æquator secundum Ptolemæum, secat insulam Taprobanam australiore ejus parte; quam tamen insulam recentiores Globorum & Chartarum Authores rectius collocant magis ad Septentrionem 7. Gradibus. Et quidem ab ipso Æquatore deberet incipere Clima primum, ubi dies 12. horarum, ut & noctes. Sed quia illa pars olim credita est nimis torrida, Clima primum (ut supponeretur habitabile, statuebatur inchoare in habitabiliori loco, ubi [ut vult Gassendus,] dies est 13. horarum; vel alias 12. cum 45. ut vult Ali Bergjendi Persa. Antiquus Scriptor Agathemeres pag. 32. rem facit planam, hoc modo; viz. numerat Parallelos 23. præter lineam Æquinoctialem, a quo primus parallelus distat gradibus 4. minutis 15. & maximum ibi diem statuit esse horarum 12. minutarum 15. Secundum Parallelum ponit ab Æquatore gr. 8. min. 25.; & diem longissimum 12. 30. Tertius Parallelus sec. eum, ab Æquatore distat $12\frac{1}{2}$ & longissimus dies 12.45. Et ad quartum Parallelum *per Meroen*, ponit Climatum initium ab Æquatore distans gran. 16. min. 25. ubi scil. est discrimen unius horæ: ita ut dies longissimus ibi sit 13. horarum. *Calcashendi Ægyptius tom. 2. pag.* 114. de Climatum initiis & finibus ex *Abulpheda* sequentia exhibet, اختلفوا بترتيبها بحسب العرض وا لباقى *Dissentiunt de ordine Climatum, quoad Latitudinem. Sunt qui ponunt primi initium esse ab Æquatore, & ultimi finem esse ubi desinit habitatio in Septentrione, i. e. ad 60. gradus. Sed Abulpheda ponit primi initium ubi Lat.* $12\frac{2}{3}$ *& quicquid inter hoc & Æquatorem, esse extra Clima primum; & finem ultimi esse ad Latitudinem* $50\frac{1}{3}$ *& quicquid ultra hoc ad Septentrionem, esse extra Clima septimum*. Nempe sequente modo se habebit Schema ex *Calcashendii* verbis Translatum:

Climatis	initium	medium	finis	amplitudo	Sec. Abulphedam Longitudo, a litore maris Atl. in Occ. ad litus maris Atl. in Oriente.
Primi	$12\frac{2}{3}$	$16\frac{1}{2}\frac{1}{8}$	$20\frac{1}{4}\frac{1}{8}$	$7\frac{2}{3}\frac{1}{8}$	172 27
II.	$20\frac{1}{4}\frac{1}{8}$	$24\frac{2}{3}$	$27\frac{1}{3}\frac{2}{3}$	7,3′	164 20
III.	$27\frac{1}{2}$	$30\frac{2}{3}$	$33\frac{1}{2}\frac{1}{8}$	omit.	54 50
IV.	$33\frac{1}{2}\frac{1}{8}$	$36\frac{1}{5}\frac{1}{6}$	39 *min.* 10′ --	5 17′ *p. m.* ---	144 17
V.	39	$41\frac{1}{4}$	$43\frac{1}{4}\frac{1}{8}$	$4\frac{1}{4}\frac{1}{8}\frac{1}{10}$ *fere* ---	135 22
VI.	$43\frac{1}{3}\frac{1}{8}$	$45\frac{1}{10}$	$47\frac{1}{5}$	$3\frac{1}{2}\frac{1}{8}\frac{1}{5}$	124 27
VII.	$47\frac{1}{5}$	$48\frac{1}{1}\frac{1}{4}\frac{1}{8}$	$50\frac{1}{3}$	3,8′	119 23

Solebant olim instituere divisionem in 5. Zonas, 7. Climata, & 14. Parallelos, quos tamen Ptolemæus jubet esse 21. quorum ultimus per Thylen. Numerus autem pro cujuslibet arbitrio minui aut augeri, & aliter fingi & determinari potest. Recentiores qui accurate de usu Globi scribunt, ab utraque Æquatoris parte in universum 99. Parallelos ponunt, uno Gradu a se invicem distantes. Ne autem in Globo locorum Nomina tot lineis obscurentur, describunt eos per singulas Graduum Decadas tantum.

[10] *Regiones Sericæ*) A Ptolemæo ἡ Σηρικὴ ubi incolunt Σῆρες, collocatur ad Boream Sinarum: & secundum hunc situm, Seres deberent esse *Mogolo-Tatari* supra Sinarum murum. Quomodo autem *Seres* a Borealibus Sinensibus distinguendi sint, alii Authores vix possunt dicere; ideoque eorum situm plerumque confundunt: idque merito, cum Seres & *Sinenses* sint una eademque Gens, nomine aliquantulum mutato. Idque Atlantis initio testatur D. Martinius, sc. quod *Serica*, *Sina*, & *China* sint idem.

Hæc autem Nominis corruptio, primo profecta est ab Arabibus, qui haud pauca Nomina nobis corrupta partim tradiderunt, partimque alii ex eorum male exaratis Libris tanquam ex vitiato fonte corrupte hauserunt. *China* enim Persis & Turcis & Tataris) ad indigenarum normam) recte vocatur & scribitur چين *Chin* seu *Tchin*. Cum autem litera چ ore Arabico pronuntiari non possit, Arabes perpetua & constanti regula, quotiescunque hæc litera in quovis nomine a Persis aliisve accepto occurrit, eam semper mutant in suum ص *Sad*: adeoque hoc nomen suo more scribunt صين *Sin*. Unde est, ut apud Scriptores pro *China*, sæpe minus recte dicatur *Sina*: seu in plurali Σῖναι *Sinæ*, cum Græci etiam sonum *tch* suis literis exprimere non valeant. Cumque jam litera ن *n* & syllaba رى *re* scriptura parum differant, Scribarum incuria & ignorantia fecit ut pro صين *Sin* aliqando scriberetur & legeretur صيرى Σῆρε *Sere* vel *Sera*, seu potius *Sire*, vel *Sira*, quia η *Eta* ut *i* olim sonabat. Nam *Sericæ* Metropolis Ptolemæo vocatur Σῆρα. Hujus exemplum, ubi pro صين *Sin* legitur صيرى *Sere*, extat apud Abu Mohammed Mustapham, in ea quam ab Orbe Condito Arabice deduxit Historiam.

Et quidem, quomodo literarum inter se invicem similitudo, Nominum & Vocum confusionem pepererit, constat tam ex plurimis aliis quam vice versa ex mutatione syllabæ رى *re* in ن *n*, ut videri potest apud *Camusi* Authorem *Phiruzabadium*, qui ordine vocum desinentium in *Nun*, habet قنين الطنبور *Kinnyn est i. q. Tambur.* Ubi ex *Piruzabadii* dispositione hujus vocis inter desinentia in *n*, plane constat eum revera legisse *Kinnyn*: cum tamen ex significatione certissime constet, eum sic legisse pro قنيرى Κινύρα. Nempe aliquando *He* finale transit in punctum τῶ *Nun*: & aliquando rursus viceversa, punctum τῶ *Nun* vel τῶ ز *Ze* transit in *He* finale. Illius exemplum extat in dicto *Kinnyn* pro *Kinnyra*; hujus exemplum in *Sira* pro *Sin*. Et τῶ *Ze* transeuntis in syllabam *re* seu *ra*, exemplum visitur in *Ulug-Begi* & Tusæi Tabulis Persicis quas edidit D. Gravius, ubi pro كنككدز *Gangh-diz*, male legitur كنكدرى *Cancadora*, nomen certe monstrosum & Orientalibus auribus prorsus inauditum. Simili etiam errore errasse videntur veteres Græci, & ex Arabum male exaratis Libris petiisse كزبرى Κορίανον, pro eo quod legi debuit كزبرة *Cuzbura*, id est, *Coriandrum*; ubi syllabæ *ra* transitio in *n*; & ex absentibus aut male sitis diacriticis Punctis, *ria* lectum pro *Zbu*.

Hei-

- Heicque notari potest, frustra eos esse qui σηρικὸν *Sericum* pannum aut filum sic dictum putent, quia venit aliquando a Seribus & apud eos nascatur. Fateor quidem Procopium Historicum monuisse, id aliquando etiam vocatum fuisse Μηδικὸν, quasi a *Media* veniens: ubi denominatio sumitur a Gente vel Regione ubi nascitur. Fateor etiam *Sericum* in China copiose nasci & provenire, præsertim in Provincia *Chekiang* & alibi, ut monet D. Martinius Atlantis Sinici p. 4. 53. 99. 146. Hæc faciunt ut dicta opinio sit probabilis: quæ tamen non est vera. *Sericum* magis copiose quam in aliis locis, nascitur & conficitur in India & Persia ac Media, unde una cum re Nomen etiam acceperunt Mercatores Arabes, a quibus alii Occidentaliores id reportarunt. Illud enim nomen accepimus ab Arabibus, qui id diserte acceptum referunt Persis, apud quos vera vocis originatio reperienda est. Id enim Persice vocatur سره *Sere*, unde Arabes addendo (ut solent) ق, faciunt سرق *Serek* seu سرقه *Sereca*. Est autem apud Persas سره *Sere*, primario *res quævis melior & præstantior*, & *præcipua pars rei*. Et quia *Sericum* est præstantius aliis pannis, ideo id vocatur سره *Sere*. Arabes autem perpetua regula, assumentes sibi vocem aliquam Persicam desinentem in *He*, illud *He* mutant in *Koph:* ut pro خنده *Chenda* scribunt خندق *Chendak*, cum ejusmodi aliis. Sic pro سره *Sere*, scribunt سرق *Serek* seu *Serk* sive *Sirk*: unde Europæi mollius dicunt *Sirk*. Usurpatur etiam in forma alia سرقه *Sereca*: sic *Gjeuhari*, & *Turgjeman* Arabicus, aliique Lexicographi. D. Golius ex Gjeubario habet, سرقه Sereca, *tela*, *parsve ejus*, *panni serici*, peculiariter *albi*. Et Ecteri Kara-Hisari in Lexico Arabico-Turcico legit, السرقة حريرك غايتى ايوسنه درلر وعند البعض اق حريره درلروراتى عليه السرقة اي ثوبا من حرير *Al Sereca est Sericum optimum. Apud quosdam, Sericum album explicatur. Dicitur quoque. Vidi super eum Al Sereca, id est, vestem ex Serico*. Sic Nigro-Castellensis Ecteri dubium omne e medio sustulit.

[11] *Scythania*) Noster semper sic vocat *Scythiam*. R. Benjamino p. 208. סקוטניא איסטרא *Scythania ostera*, est *Scythia extra Imaum*: scil. *Mogolo-Tartaria* supra murum Chinensem intelligitur.

CAPUT IV.

פרק רביעי יזכור בו מה שחלקו חכמי המלאכה הזאת הישוב הזה הנ׳ז למעלות ולחלקים ולרצועות:

Capite quarto commemoratur, hujus Artis peritos divisisse Orbem habitabilem prædictum sec. Gradus & Partes, & Lineas.

חכמי המלאכה הזאת חלקו הישוב הזה לשבעה איקלימים הנז׳ עם המדברות והיערות והבלתי מיושב אשר בו וזה לתועלות רבות המלאכה ובחכמת התכונה למען יודעו המקומות והגלילות כלם בפרטות בכמה מעלות מוצאם יבאי זו רצועה יוחסו ישובם הן באורך או ברוחב הישוב הנז׳ ולפי חלוקת טולומיאו לפי מה שנתבאר אצלו ואשר כתב הוא בספריו ובמה שידע ונתגלה לפניו מאורך הישוב כתב וחקק ממזרח למערב תשעים חלקים ויש באלו נ״כ רצועות הנקראות זוני או ליניאי או פאראלילי וברוחב הישוב אשר מדרום לצפון סידר בו ששים והמש מעלות אשר במעלות האלה וברצועות וברביעים האלו ישתטח וישוטט בהם הישוב כלו עם הבלתי מיושב אשר בו באופן כי מי שיקרא במלאכה הזאם ומי שיעיין במפא מונדו היינו בצורת הישוב ימצא כל גליל וגליל וממלכה ראשית וכל מחוז גדול שיהיה או איזו מן האיים אשר בים ובאי זה שיהיה ימצא מקום

HUjus Artis periti huncce Orbem-habitabilem [una cum desertis & Sylvis & parte non habitata,] diviserunt in 7 Climata prædicta, idque propter plurimos usus tam in hac Arte quam in Scientia Astronomiæ, ut possent sciri loca, & regiones omnes in particulari, quot Graduum esset exitus eorum, & ad quamnam [1] Lineam pertineret Habitatio eorum, sive Longitudine sive Latitudine Orbis-habitabilis prædicti. Et [hoc] secundum divisionem Ptolemæi, prout ab eo explicantur, & in Libris suis scripsit. Is enim id quod novit & retectum est ante eum, de Longitudine Orbis-habitabilis scripsit & exaravit: quod sc. ab Oriente in Occidentem sint 90 partes [2], in quibus etiam sunt Lineationes dictę Zonæ & Lineę & Paralleli. Et in Latitudine Orbis-habitabilis ab Austro in Septentrionem ordinavit 65 Gradus [3] per quos Gradus & per Parallelos & Quadrantes istos expanditur & diducitur Orbis-habitabilis totus, una cum non-habitabili quod est in eo: adeo ut quicunque legerit in hoc Opere, & inspexerit Orbis-habitabilis formam (seu figuram) vulgo dictam Mappam Mundi, inveniet singulas Provincias, & quodvis Regnum præcipuum, & omne Territorium magnum, & quamlibet ex Insulis quæ in mari: & & ubicunque fuerit, inveniet locum ubi de-

מנוחתו ; וזה אחר מן הדברים הראשיים
אשר בזאת המלאכה כאילו תאמר יודיאה
שהיא ארץ ישראל אשר באמצע הישוב
על טבור הארץ וכן הוא בודאי תמצאנה
מצויירת בין הל״ג או ל״ד מעלות מרוחב
הישוב מצפון לדרום וכן ציורה והנחתה
היא סמוך לרצועה ארבעים וחמשה באורך
ממזרח למערב וכן כל מלכות ומלכות
מצוייר במקומו האמתי לו בציור : אמרו
כי אורך האיטאליאה נצבת בכך מעלות
ואורך הבארבאריאה בכך מעלות : ואמרו כי
איספרובאנא תחת משוה היום בס״ה מעלות
באורך ממזרח למערב וכן לכל מקום לכלם
ומי שיעיין בספרים המצויירים או במפא
מונדי האמיתים ימצא מספר המעלות
והרצועות לכלם :

definit: & hoc est unum ex præcipuis rebus quæ sunt in hoc Opere. Exempli gratia, Judæa quæ est Terra Israel, est in medio Orbis-habitabilis in ipso terræ umbilico: & sic certo invenies eam depictam [4] inter 33 aut 34 Gradus Latitudinis Orbis-habitabilis ab Aquilone in Austrum. Et sic pictura [seu delineatio] ejus & situs ejus est prope Lineam 45 in Longitudine ab Oriente in Occidentem. Et eodem modo singula Regna depicta sunt in locis suis veris in Mappa. Dicunt Longitudinem Italiæ collocatam esse in tot Gradibus, & Longitudinem Barbariæ in tot Gradibus: & dicunt Insulam Taprobanam esse sub Æquatore diei in 65 Gradibus longitudinis ab Oriente in Occidentem. Et sic de singulis locis. Et quicunque inspiciet Libros depictos aut Mappas Mundi veras, inveniet numerum Graduum & Linearum pro illis omnibus.

NOTÆ IN CAPUT QUARTUM.

[1] *Lineam-sive longitudine sive latitudine*) i. e. sive Parallelum sive Meridianum.

[2] *90. partes*) *Ptol. cap. 24. pag. 26.*

[3] *65 gradus*) *Ptol.* ponit Gradus 63. & postea Meridiem versus, 16. totum 79.

[4] 33. *aut* 34.) Sic fere Globus Gæsianus. Ptol. ponit inter 31. & 32. Mox apud nostrum pro 45. potius legendum 65. nam Globi habent 60. & Ptol. 66. Et postea, pro 65. סה, potius legendum 105. קה: nam Globi habent 100. Hæc per lapsum Scribarum; adeo proclive est errare.

CAPUT V.

פרק ה׳ יודיע אורך הישוב בקו ישר עם הבלתי מיושב אשר בו
וצורת הים האמצעי וארכו וגבוליו מראשו ועד רגליו :

Capite quinto describitur Longitudo Orbis-habitabilis in linea recta, una cum parte non habitata quæ in eo, & figura ejus: & quoque Maris Medii Longitudo & ejusdem limites, a capite usque ad calcem.

הכוונה בפרק הזה להודיע בראשונה כי אורך
הישוב הארציי ביבשה מן המזרח למערב
הוא זה מתחלת המזרח באינדיאה איסטרא
וסינוס מאגייוס בים וביבשה סינארוס ריגואו
המזרחי וומשך ארכו עד סוף מיצר גיבאלטאר
היינו הנקרא מצד הדרום מאבריטאניאה
ציסארי ארי אשר הבארבאריאה באפריקא
אשר בנגר זה לצד הצפוני מעבר לים
האמצעי באיברופא שם גלילות גראנאטה
היא רמון ספרד ופורטוגאלי ופינים טירא
בארץ ארום והקו הזה הארציי יוכל אדם
לרכוב עליו באורך תמיד מראשו ועד רגלי
מבלי יצטרך לעבור שום ים רק ביבשה תמיד
בדרך אראביאה ואפריקא ואמרו המדברים

SCopus est in hoc Capite imprimis docere Orbis-habitabilis terrestris Longitudinem per [1] Continentem esse ab Oriente in Occidentem; hoc est, ab initio Orientis & Sinu magno per mare; & per terram, a Sinarum regione Orientali: & Longitudinem suam continuat usque ad finem Freti [2] Gibeltar, quod in latere Australi vocatur Mauritania Cæsarea, quæ est in extremitate Barbariæ in Africa: & e regione hujus ad latus Septentrionale est Trajectus Maris Medii in Europam. Ibi sunt regiones Rimmon Hispaniæ, vulgo Granata, & Portogallia, & finis Continentis in terra Edom. Et secundum hance lineam terrestrem poterit aliquis equitare per continuatam longitudinem à capite ad calcem, absque necessitate transeundi aliquod mare, sed tantum per terram continuo per viam Arabiæ & Africæ.

שהוא קרוב לשבעת אלפים מילים או
שמונה : אולם היום הזה כבר אמרתי
שנתארך ונתרחב ביותר הרבה באופן כי
מצאו ישובים גדולים ומלכיות רבות מהלאה
למזרח האינדיאה אסטרא הנ״ל וסינוס
מאניוס · וגם כי כבר סבבו היום הזה
ספינות הנוצרים ספרדיים דרך אוניה בלב
ים כל אורך הדרום ממערב למזרח ואחר
סבבו היבשה ההיא מן הצד הדרומי לצפוני
ומצאו שם מן החדושים רבים כמו שנבאר
בעה׳ וכאשר ימצא כתוב בציורי המפא מונדו
ובספרי המלאכה הזאת החדושה אשר נעלמו
מספרי טולומיאו אשר לא דבר בו מאומה
מסינוס מאניוס והלאה בדרך הים ולא
להלאה מסינארום ריניאו בדרך היבשה :

אולם בצורת הים עם קשר ומשך כל
הימים הרבוקים ומחוברים זה עם זה
נאמר איך הוא דבר אמת שהים האמצעי
בכללו הנקרא מארי מידיטיראניו מתחיל
מן הצד המערבי ממיצר גיבאלטאר אשר
שם התחלת ים אוקיינוס הסובב היבשה
כלה והים הזה האמצעי ימשך באורך אל
המזרח קרוב לשלושת אלפים מילין עד בארוט
אשר בסיאה בגליל ארם והוא חוף הים
לדמשק ורוחב אמצעותו הוא בגינובא וחוף
פיסא ואוסטיאה אשר הוא נגד קארטאגינאה
אשר היא אצל טוניס בבארבאריאה רחבו
קרוב ליותר מאלף מילים :

האיים הגדולים והידועים אשר בו בים
הזה הם מן המערב אל המזרח היינו
מהיוריקא ומינוריקא נגד קאטאלוניאה
סארדיניאה נגד פרווינצא ומארסיליאה
קורסיקא נגד טוסקאניאה ושיציליאה נגד
קאלאבריאה קירפו נגד מאצידוניאה וגריציאה
קאנדיאה רודי וציפריאה נגד עוץ וציליסיאה
וארמיניאה דרך תוך היבשה מלבד איים
רבים מאד למאות מיושבים גדולים
וקטנים ובלתי מיושבים ידועים בשם
ליורדי הים כגון האיים הקטנים הסמוכים
לנאפוליס ולטוניס וזולתם לאין מספר :

cę. Historici dicunt hoc esse circiter 7000 aut 8000 milliaria. Verum hodie, sicut dixi, multo magis extenditur longitudine & latitudine; eo quod jam repertæ sint Habitationes magnæ & multæ ultra Orientalem partem Indiæ exterioris supra memoratæ, & ultra Sinum magnum: Et quoque quia Christianorum Hispanorum naves per viam navigationis in corde maris circumiverunt per totam longitudinem Austri ab Occidente in Orientem; & deinde circumiverunt Continentem qui est a latere Australi ad Aquilonare, ibique invenerunt plurima 3 nova, (prout declaraturi sumus auxiliante Deo, & prout invenietur scriptum in mea delineatione 4 Mappæ Mundi, & in Libris de hac Arte recentioribus,) quæ latuerunt Libros Ptolemæi, qui ne gry quidem dixit de 5 Sinu magno & ultra per viam maris, nec de via per continentem ultra Sinarum regionem.

De figura autem Maris, una cum annexione, & continuatione omnium marium sibi invicem adjacentium & adjunctorum, dicemus quomodo res se habeat, verbum veritatis; quod nempe Mare Medium generaliter dicitur Mare Mediterraneum, incipiens a latere Occidentali Freti Gibeltar, ubi etiam est initium Maris Oceani 6 circumeuntis universam terram. Et hocce Mare Medium versus Orientem extenditur in longitudine prope 3000 milliarium, usque ad Berytum in regione Syriæ, quod est Portus maritimus pro Damasco. Quoad Latitudinem ejus media ejusdem parte juxta Genovam, & Portum & Ostiam, quæ sunt e regione Carthaginis, quæ apud Tunetum in Barbaria; latitudo inquam ejus est fere plus quam 1000. milliarium.

Quæ in hoc mari ab Occidente in Orientem Insulæ magnæ ac notæ, sunt Majorca & Minorca e regione Cataloniæ, Sardinia e regione Provinciæ & Marsiliæ, Corsica e regione Tuscanię, & Sicilia e regione Calabriæ; Corfù e regione Macedonię & Gręciæ; Candia, Rhodus, & Cyprus e regione 7 Ausitidis & Ciliciæ & Armeniæ, quæ sunt in via per medium Continentis: pręter alias Insulas plurimas usque ad aliquot Centenas majores & minores, inhabitatas, & non habitatas, nomine notas descendentibus in mare; sicuti Insulę parvę prope Neapolim & Tunetum, & præter eas innumeræ aliæ.

NOTÆ

NOTÆ IN CAPUT QUINTUM,

[1] *Continens*) יבשה seu יבשת proprie est *Arida*, sc. Terra, nempe Terra firma; idem quod Arist. Libro de Mundo, cap. 3. vocat τὸ ξηρὸν, ὃ γῆν τε καὶ ἠπείρους καὶ νήσους ὀνομάζομεν. Nos autem Insulas sub Continentis nomine non comprehendimus.

[2] *Gibeltar*) Nautis *Gibletor*. Turcis سبته بغازي *Fauces Septæ*, Arabibus بحر زقاق *Mare Freti*, & زقاق سبتة *Fretum Septæ*, seu *Cevtæ*, ut alii scribunt. Hoc Fretum angustiore sua parte quæ apud *Tituan*, dicitur latitudine habere 7. Leucas.

Tempore Ruderici Regis Hispaniæ, [inquit Mariana p. 255.) Mauritaniæ & Numidiæ Imperator fuit *Vlit Miramolinus* : is tamen rectius dici debet وليد امير المومنين *Valid Emiro 'l Mumenin*, id est, *Valid Princeps fidelium*. Ille autem p. 256. pergit narrare, quod *huic Imperatori duo erant Duces, Muza & Tariffius Abenzarca, qui Hispaniam invaserunt : & primo ab eis occupatus est Calpe mons & Heracleæ urbs ei imposita, quæ ex eo Gibraliaris nomen accepit, a Tarif & Gebal, quæ vox Montem significat nomine duplicato. Ab eodem Duce, Tariffæ nomen vicino oppido est factum, --- cum olim Tartessus diceretur*. Hæc ille, satis mendose; ut & Lexici Geographici Author, qui etiam male legit *Gebel Tarif*. Nam isti Duces erant موسي بن نصير *Musa filius Nassir*, & طارق *Taric*; non autem *Tarif*, ubi in uno nominis Arabici punctulo erratur; idque forte propter ق *Koph* Mauritanicum male acceptum pro *Phe* : nam ab illis id scribitur طارق quod Asiaticis طارق. Nec quidem nomen *Tarif* significat *Montem*, i. e. *Gebal*. ut ille vellet insinuare; nec ab isto Duce, *Tariffæ* nomen *Tartesso* impositum. Nam apud Geographum Nubiensem (cui fides in hac parte tuto adhiberi potest,) plane aliter scribitur nomen Insulæ & Urbis طريف *Tarif* a Gadibus 63. milliaribus distantis. Et apud eundem Geographum, eodem Capite, viz. *Climatis* 4. *parte* 1. *p.* 154. totius rei veritas plane & plene aperitur; docetur nempe جبل طارق *Gjebel Taric* seu *Montem Taric esse montem rotundum a reliquis montibus separatum, cujus radices alluit mare : sic dictum fuisse, quod ex isto Monte contra Urbem Insulæ Viridis (qua 6. milliaribus a Monte distat, & omnium prima a Mauris expugnata est anno Hegjræ 90.) cum copiis suis descenderet Ducum alter dictus* طارق بن عبد الله بن وتمو الزناتي *Taric filius Abdallah filii Wanmu Zanatiensis*, sc. de familia seu Tribu *Zanata* v. *Nub.* p. 73. Nempe dictus Mons is est qui *Calpe* dicitur, estque altera Columnarum Herculis, quibus ambabus superstructa sunt Castella.

A *Calpe* haud multum distant *Gades*, viz. Insulæ duæ haud procul a litore Hispanico, in quarum altera est urbs hodie *Gadiz*, *Caliz*, seu etiam *Cales* monosyllaba. Et harum major (dicente Agathemere) longa est 108. Stadia, lata 16. Dictæ Gadium Insulæ extra Columnas sitæ sunt, ut monet Strabo, ἔξω δὲ στηλῶν τὰ Γάδειρα. Heic erat Orbis habitabilis terminus Occidentalis, ut dici solebat, τὰ πέρα τῶν Γαδείρων οὐ περατά. Et hoc quidem dicitur, quia finis terræ & initium Maris, ulteriorem in Occidentem transitum per terram prohibeant ; non ut aliqui perperam credunt, (cum Γάδειρ *murum* significet,) hoc loco esse altissimum aliquem murum qui hominum ulteriorem transitum prohibeat : sed hoc loco erat Insula tali nomine insignita, (quæ erat ultimus Occidentis terminus habitatus,) ultra quam habitiones nullæ, nullusque per terram transitus dabatur. Si enim Pœni sub Muri aut Aggeris specie, voluissent hoc nomine vel proprie vel figurate notare tale Obstaculum quod *Murum humilem* significat, sed potius חומה *Choma* quod *murum altum* fortem & insuperabilem denotat, qualia sunt in Oriente Urbium mœnia ad plus quam 60. pedum altitudinem surgentia. Ut itaque res planior fiat, quo sensu accipi solet *Gader*, in sequentibus examinabimus.

In S. Bibliis גדר *Gader* plerumque *Sepem* ex Cannis, vepribus, aut arborum ramis contextam denotat. Secundo, notat murum ex solutis lapidibus constantem, quem vocamus *Maceriam* seu *Maceriem*, quibus agri, horti, & vineæ circummuniri solent, ad vulpium & aliarum bestiolarum accessum prohibendum. Sic *Prov.* 24. 31. *Transivi per agrum & vineam hominis pigri*, וגדר אבניו נהרסה *& Geder*, i. e. *maceria lapidum ejus erat diruta* : nempe maceria ejus lapidea quæ agrum & vineam cingebat, neglecta & semidiruta jacebat, reparatione indigens. Syrus hoc loco ܣܝܓܗ ܕܟܐܦܐ *maceriæ ejus lapideæ*. Et apud Turgj. Syrum, ܣܝܓܐ ديوار *Siyogo est Divar*, scil. *murus*, seu *maceria*, vel etiam *sepes*: tanta latitudine exponitur Persicum ديوار *Divar*. Nam apud Ecteri, سياج ديوار خاريں دكنلو ديوار *Siyag* seu *Sepes est murus spineus*. Quodque *Gader* notet *murum* debilem qualis est *Maceria*, constat ex *Psal.* 62. 3. ubi legitur, קיר נטוי וגדר הדחויה *paries vacillans* seu *inclinatus*, *& maceria trusata*; id est, ruitura, utpote quæ jam pœne detrusa sit, & cuivis trusioni casura cederet. Tertio, significat *Maceriam ex cæso lapide*, ut ad rem exaggerandam dicitur *Thren.* 3. 9. גדר גזית *maceria ex cæso-lapide*; eaque adhibito etiam cæmento seu intrita, ut certe necessario debuit esse *Ezek.* 42. 7. 10. 12. ubi exterior Templi *Peribolus* vocatur גדר *Gader*; qui non admodum altus, ne Templi structuram obscuraret; sed tantum ad arcendum leviores quasvis injurias. Ex his omnibus constat *Gader* esse *murum humilem*, nec adeo altum ut hominum ulteriorem transitum in Occidentem prohibere posset.

Eundem quoq; hujus vocis usum in sua lingua agnoscit Turgjeman Arabs, جدير ديوار پستى *Gjadir est murus humilis*, vel *maceria humilis*, vel etiam *sepes humilis*, ut supra *ex Ecteri* notatur. Quia vero *maceriam* seu *sepem* significat hæc vox, eadem quoque subinde significatur *Septum*, seu *locus circumseptus*, *maceria aut sepe cinctus*, ut *caula* ovium, &c. ut *Num.* 32. 24. Et sic vult Plinius, dicendo *Gadira Hispaniæ insula*, *quia Gadir Pœnis Septum notat*. In eundem sensum Gjeuharius pariter habet, الجدير مكان قد بني حواليه جدار ويقال للحظيرة من صخر جديرة *Al Gjadir est talis locus circa quem struitar Gjedar : & quoque caula (seu Septum) ex lapide, dicitur Gjadira*. Est autem جدار *Gjedar*, i. q. ديوار *murus* seu *maceria*, ut exponit Turgjeman Arabicus.

Qualis sit harum vocum usus hodie in Syria & Palæstina, apparebit ex Responso amici Syro-Arabis, qui mihi de his interroganti sic rescripsit,

وان تريد تعرف ايش فرق بين السياج
والجدير عندنا في بلادنا هو السياج من
القصب وعليف وقلم وهو عرضه ثلاث
اذرع والذي خارج السياج ما يضر الداخل
لوبسيان او الكروم الذي يعملوا لهم سياجة
والجدير ما هو من الحجارة لاكن يقو
موا

موا من التراب حيطي علوبي نراع ويقطعوا من الشوك ومن غيره ويغرسونه فوق التلم وهاني يقال له الجدير وفيه الناس يعملوا السياج من حجارة *Si autem cupis ſcire differentiam apud nos inter Siyagj* (ſepem) *& Gjadir* (macceriam) *in patria noſtra, id eſt Siyagj quod ſit ex cannis & vepribus & arundinibus, latitudinis trium cubitorum: & id quod extra Sepem, eſt ad lædendum quemvis intrantem Hortum aut vineam pro quibus conficiunt talem Sepem. Eſt vero Al Gjadir id quod ex lapide conſtat: & in illo ab humo ſurgunt duo parietes cubitalis altitudinis*: & deinde medium ſpatium terra implentes, *exſcindunt ſpinas & res alias, eaſque in medio ſulco plantantes, hoc vocant Al Gjadir. Sunt autem aliqui qui etiam Siyagj ex lapidibus confici dicunt*: id eſt, volunt Siyagi eſſe etiam ex lapidibus conſtructum pariter ac Gjadir, adeoque Siyagj ſignificare *Maceriam lapideam*, quamvis apud pleroſque (ut ſupra) ex contextis & complicatis vepribus confici habeatur.

[3] *Nova*) Res novas antea non detectas.

[4] *Mappa Mundi*) Authoris Mappa hodie non extat, quantum ſcio.

[5] *Sinu magno*) Noſter Author heic ſui obliviſcitur, dum gratis taxat culpatque Ptolemæum, quaſi hujus Sinus non meminiſſet: cum certe apud Ptolemæum lib. 7. cap. 5. Sinuum numero plane accenſeatur Κόλπος μέγας, qui in Mappis Ptolemaicis ſitum habet inter Malaccam & Borneo. Noſter inquam, ſui oblitus videtur, cum is alibi (viz. medio Capitis IX.) diſerte agnoſcat Ptolemæum deſcripſiſſe Orbem uſque ad Sinum Magnum, incluſive loquendo.

[6] *Circumeuntis*) Eodem ſe modo ſic vocatur hoc Mare, quo Arabibus id dicitur بحر محيط *Mare circumiens cingenſve Orbem terrarum.*

[7] *Auſitidis*) Noſtri Authoris עץ ſeu *Auſitis*, eſt inter Ciliciam & Syriam; de qua regione vide Notas ad Cap. XI.

CAPUT VI.

פרק ו׳ בבאור המקומות אשר באורך שפת ים אפריקא
וברבריאה ממזרח למערב באורך ישר:

Capite ſexto eſt Deſcriptio locorum per longitudinem totius oræ maritimæ Africæ & Barbariæ, ab Oriente in Occidentem longitudine recta.

המחוזות אשר על צד עבר הים האמצעי הוה אפריקא מן המזרח אל המערב הם אלו להתחיל מליציאה ושיליציאה אשר בסוריאה בשם ר׳ז׳ל היא מגבול ארם וללכת על שפת הים עד סוף צד המערב הנקרא מאבריטאניה ציסרי נגד מיצר גיבאלטאר ברמון ספרד אשר היא קרוב לאלפים וחמש מאות מילים ויותר נמצאו בו אלו המקומות הראשיים וידועים בראשונה היא ליציאה ושיליציאה מארם ובארוט וצור וצידון ולבנון היורד בים ויפו וכל ארץ ישראל הימיית אשר לזבולון וירד הגבול עד כל ארץ פלשתים הימיית הנקראת צידיניס וירד הגבול מחוז מצרים הימיי דאמיאטא ופיורת לשונות סעיפי מימי נילוס ואליכסאנדריאה וכל הנדבק עמה וירד הגבול עוד על שפת הים בכל אורך האפריקא היא כל הבארבאריאה דרך טוניס היא קארטאגינא וכל המלכיות ההם עד אשר יגיע במלכות אורן בונייאה ועד עוד מלכות מאבריטאניאת ציסרי הנז׳ אשר היא סוף הרצועת הימיית נגד רמון ספרד באור וקרוב הכל לשלושת אלפים מילין:

ושם במאבריטאניאה מגבול אפריקא מלכיות רבות שישמעאלים ומלכות פיס

TErritoria [1] quæ ultra Mediterraneum ad latus Africanum ab Oriente in Occidentem, hæc ſunt; incipiendo a Lyſia & Cilicia quæ in Syria (uti eam vocant Doctores noſtri,) quæ eſt ex limitibus Aram; & inde eundo per oram maris uſque ad extremum latus Occidentale dictum Mauritania Cæſarea e regione Gibeltar quod in Granata Hiſpaniæ, (quod eſt ſpatium fere plus quam 2500 milliarium, hæc inquam reperiuntur loca: viz. præcipua, & primo nota, ſunt Lyſia, & Cilicia ex [2] Syria; & Berytum, Tyrus, Sidon, & Lebanon, deſcendentia ad mare: item Joppa, & tota terra Iſrael maritima quæ ſpectat ad Zebulun. Tum deſcendit terminus uſque ad totam terram Philiſtæorum maritimam dictam [3] Cedenem. Deinde deſcendit terminus ad Ægypti territorium maritimum, & Damiatam, & oſtia ac linguas ramorum aquarum Nili, & ad Alexandriam totumque quod ei adjacet. Tum adhuc deſcendit terminus juxta oram maris per totam longitudinem Africæ, viz. per totam Mauritaniam via Tunis quæ eſt [4] Carthago; & per tota illa regna donec pertingat ad regnum Oran, & Bugja, & uſque ad regnum Mauritaniæ Cæſareæ prædictæ, quæ eſt ad extremum lineæ maritimæ e regione Granatæ Hiſpaniæ, ſicut dictum eſt. Et totum conſtat prope 3000. milliaribus.

Et ibi in [5] Mauritania (quæ eſt terminus Africæ,) ſunt multa regna Iſmaelitarum, & regnum Pheſs; & præterea alia

plura

וזולת אלה רבים ונכבדים וארוכים מיושבים
וגם מדבר שממה : הן כל אלה אשר
זכרנו נכללו בערוגת שפת עבר הים האמצעי
לכל ארכו מכל האפריקא והבארבאריאה
שהיא דרומית לנו אנחנו היושבים תחת
ערוגת חצי האיקלים העובר על רומי
בכלם ילך וירכב כל איש ויעבור בארכם
מארצות המזרח למערב מבלי שימצא ים
מטסיק רק נהרות רבים קטנים עם גדולים
יורדים לאין מספר היורדים מהרי אפריקא
ובארבריאה אל ים האמצעי מידיטיראניאו
זכרנו מהאיים אשר בתוכו לצד ארצות
אמונת אדום וכן נמצאו איים אחרים
קטנים סמוך לטוניס אין תועלת בהזכרתם
כגון איי לאזירבאס וזולתם :

plura egregia & longa habitata : & quoque Desertum desolatum. En hæc omnia quæ memoravimus, continentur in area litorali ultra Mare Mediterraneum per totam longitudinem suam & totius Africæ ac Barbariæ, quæ est ad Austrum nostri qui habitamus sub area dimidii Climatis transeuntis per Romam. Per omnium istarum longitudinem poterit quivis ambulare aut equitare & transire a terris Orientalibus in Occidentem, & non inveniet aliquod mare impediens : sunt tantum Flumina multa magna & parva decurrentia absque numero, quæ descendunt e Montibus Africæ & Barbariæ in Mare Medium seu Mediterraneum. Et jam commemoravimus quasdam ex Insulis quæ sunt in medio ejus, eodem latere cum terris quæ sunt Fidei Edomææ. Et sic reperiuntur aliæ Insulæ parvæ prope Tunetum, quas inutile esset enumerare, sicut Insulæ [6] la Zerbas, & ejusmodi aliæ.

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

[1] *Territoria*) Boni Interpretis est, Authoris sui sensum & verum scopum recte assequi, non autem sensum alienum ei affigere, sequendo impressa Lexica, quæ nunquam ita erunt perfecta ut omnes singularum vocum usus & proprietates docere & continere præsumantur, quin liceat ab eis aliquando recedere, meliore authoritate fretus. Idem heic faciendum occurrit : nam cum Judæi de usu hujus vocis מחוז *Machoz* inter se discrepent, meum erat bene perpendere quid per eam heic voluit Author, qui nil plane nisi *Territorium* seu *Provinciam* hac voce intelligit : idque tam ex hoc Capite quam ex aliis constat. Nam Cap. VII. מחוז התוגר est *Territorium* seu *Provincia Epirus* : ubi hæc vox non potest de aliqua Urbe aut Oppido exponi, cum Epirus sit integræ Provinciæ nomen. Et sic ex מחוזות *Territoriis* maris Adriatici ponitur Apulia, &c. Eodem modo Cap. XI. *Territorium* Istriæ est integra Provincia. Et Cap. XXIV. legitur, יבשת מחוז גליל למיקא *Continens territorii regionis Mecca*. Et sic *Aben Chabib* in initio Commentariorum suorum ad *Bechinath Olam*, אוטראנטו אשר במחוז פולייא במלכות נאפולי *Otranto est in Territorio* seu *Provincia Apuliæ in Regno Neapolitano*. Et *R. Jedaya Badreshi* in sua התנצלות *Apologia*, eodem usu adhibet, *Provinciam* Galliæ vocans מחוז פרובינצה *Territorium Provence*. E contra autem, noster de *Urbe* loquens semper utitur voce עיר : ut supra citato Cap. XI. & alibi, ערי תוגר *Urbes Epiri*. Ex dictis constat nostrum Authorem per *Machoz* ubique *Territorium* seu *Provinciam* intelligere. Jam postea, quem alium usum apud alios Authores habeat, ulterius disquirendum.

Kimchius in Libro Radicum exponit *Machoz* esse מדינה *urbem*, vel פלך *Tractum* terræ; vel potius גבול *Terminum*, ex *Psal.* CVII. 30. *Donec veniant ad terminum desiderii sui*. Additque חוז idem esse in lingua etiam Arabica; in qua quidem حوز *Hauz* est *Ora*, *Margo*, aut *latus* rei : itemque *Tractus* terræ aut ejusdem *medium*.

Sunt qui pro *Portu* utuntur hac voce. Et sic in Psalmo citato exponit Græcæ Versionis Author, quem sequuntur Syrus & Arabs. Et sic etiam Gorionides Lib. VI. Cap. 55. ubi de Herode dicitur, ויבן אלמן ומחוז לאניות הבאות שם בנה *Extruxit* λιμένα & *Portum*, *pro navibus* (inquam) *advenientibus ibi extruxit*. Noster autem de *Portu* loquens, semper utitur חוף *Ghoph*; ut Cap. V. ubi de Portubus Pisa, Ostia, & Beryto agit.

Sed post hæc omnia, doctissimus R. Pirchon definite & determinate loquens, statuit *Machoz* esse proprie *Urbem* : & eo sensu exponit supra citati Psalmi locum, מחוז חפצם פירוש עיר ולשון תלמוד בני מחוזא בני המדינה *Machez desiderii sui*, *i. e. Urbs desiderii sui* : *& in lingua Talmudica*, *Bene* τῆς *Machoza*, *sunt Filii urbis*. Hoc confirmatur etiam ex usu Syrorum & Chaldæorum. Syrorum enim Lexicographi scribunt ܡܚܘܙܐ ܗܘ ܡܕܝܢܬܐ مدينة صغيرة *Mochuzo est Urbs parva* seu *civitas minor* : nempe Oppidum magnum.

Hoc nomine in plurali forma enuntiato, nuncupatur maximum quoddam Oppidum, Urbem magnitudine æquans, infra *Bagdad* ad Tigrim situm, Græcis dictum Κτησιφῶν, quod Straboni vocatur κώμη *Pagus*, *qui tamen* (ut ipse addit) *Urbis potentia & magnitudine est*, *cum Parthorum multitudinem & apparatum recipiat*, *& necessaria illis suppeditet* : *ibi enim Parthorum Reges propter aeris temperiem hyemare solent* ; *æstivare vero in Hyrcania & Ecbatanis*. Hoc inquam Oppidum Syriace vocatur ܡܚܘܙܐ *Mochuze*, Arabice المداين *Al Madain*, id est, *Urbes*, in plurali forma, quia forte in plures partes divisum. Hinc lucem fœneratur id quod adducit D. Buxtorfius in Lex. Talm. מחוזא *Machaza esse nomen proprium alicujus Urbis*, *cujus cives præpingues & corpulenti*, *maxima ex parte Israelitæ*. Est nempe Urbis *Ctesiphon* in Chaldæa, (secundum Nubiensem) 15. milliaribus infra *Bagdad*, ad occidentalem partem Tigridis situm. *Calcashendi* ponit 25. milliaribus infra *Bagdad* : additque ibi fuisse ايوان كسري *Æstivarium Nushirravani*. Tom. 2. p. 423. Ibi etiam fuit Schola seu Academia Hebræorum, de qua *R. David Ganz*. p. 116. Prope initium Historiæ Saracenicæ, hujus Urbis meminit *Elmacinus*, المداين والماحوزة *Al Madain & Al Mahoza*, quasi his duobus nominibus notarentur duæ distinctæ Urbes : sed delenda est Copula; nam alterum nomen est alterius exegeticum. Ibi Doctiss. Erpenius perperam legit *Al Mahura*, pro *Al Mahuza*; omisso punctulo in Arab. Et sic fecit in aliis millies, propter male exaratum exemplar Punctis diacriticis sæpius destitutum.

Urbs קטסיפון *Ctesiphon* in Paraphrasi Chaldaica *Gen.* X. 10. respondet Hebræo כלנה *Calne* ; Syris

ܟܠܝܐ *Cal ye* seu *Cal-yo*, Scribarum mendo pro ܟܠܢܐ *Calno*, propter similitudinem literarum *Nun*, & *Jod*. Lexicographus Syrus habet, ܟܠܝܐ ܕܐܝܬܝܗ̇ المداين ܒܐܪܥܐ ܕܫܢܥܪ ܗܝ ܩܛܝܣܦܘܢ, *Cal-yo quæ est in terra Senar, est Ctesiphon, sc. Al Madain*. Et huic conformis est *Isa ibn Ali* in Lexico Syr-Arab. المداين ببابل ܟܠܝܐ ܗܝ ܕܐܡܝܪܐ ܒܟܬܒܐ ܐܘܪܟ ܘܟܠܝܐ ܕܒܐܪܥܐ ܕܫܢܥܪ, *Cel-yo ea est de qua dicitur in Scriptura, Oroch & Cal-yo quæ in terra Sen-ar: est sc. Al Madain in Babylonia* seu Chaldæa. Sic enim a Syris pronuntiantur ea quæ in S. Bibliis dicuntur *Erech* & *Calne*, quæ in Chaldæa seu Babylonia sitæ.

[2] *Syria*) Hodie lingua Arabica vocatur شام *Sham*, quia ad lævam seu Septentrionem Africæ sita *Syria* sic dicitur צור *Tsur* seu *Tsor*, id est, *Tyrus*: unde levi mutatione fit سوريا *Suria* seu regio circa Tyrum. Alias Syria vocatur سورستان *Suristan*. Incola dicitur سرياني *Sur-yani* & ܣܘܪܝܝܐ *Syr-yoyo*. Sic enim scribitur per *Samech*; quamvis secundum nominis originationem, melius scriberetur per *Tsade*.

Strabo dicit nonnullos totam Syriam dividere in Κοιλοσύρυς & Φοίνικας. Alii aliter: de qua re eum consulas, p. 415. ut & Ptolemæum. Generali nomine Syria vocatur *Aram*; & distinguitur in *Aram-Soba*, de qua alibi agimus; & in *Aram-Naharaim* seu *Aram inter duos fluvios*, ideo dictam Græcis *Mesopotamiam*. *Syria cava* Arabice dicitur الغور *AlGaur*, & alias الغوطة *Al Gura*, quæ *cavam & depressiorem terram* significant. Syriace audit ܣܘܪܝܐ ܥܡܝܩܬܐ *Syria profunda*. Et pars circa Damascum, est غوطة دمشق κοίλη Δαμασκȣ.

Apud Plinium lib. 5. cap. 19. al. 23. legitur, *Cælesyria habet Apamiam Marsya amne divisam a Nazerinorum Tetrarchia: Bambycen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur, Syris vero Magog. Ibi prodigiosa Atargatis, Græcis Derceto dicta*. Hæcce prodigiosa, ut puto, ea sunt de Piscibus Hierapolitanis, quæ narrat Ælianus in Hist. Animal. lib. 12. cap. 2. Sed profecto nihil mihi magis prodigiosum videtur, quam ut heic legatur *Magog* pro *Mabog*; & quod iste locus Plinianus tot viros doctos seduxerit, quorum nemo hactenus eum correxit, nec mendum inesse animadvertit, sed secure in suis citationibus eum secuti sunt de *Magog* sacro Scripto infami agentes. Strabo p. 433. docet in mediterraneis Syriæ partibus e regione Laodiciæ, situm habere Hierapolim ἐν μεσογάιῳ κατατικρὺ Λαοδικέας, Ἱεράπολις. Stephano scribitur Ἱεροπολις, emphatice sic dicta, propter prodigiosa Deastræ Atergatis Sacra.

Alibi idem Strabo, p. 515. pessime confundit *Bambycen* seu *Hierapolim* cum *Edessa*, his verbis; *Quatuor Schœnorum spatio trans flumen* (Euphratem) *est ἡ Βαμβύκη, ἣν κ̀ Ἔδεσαν κ̀ Ἱερὰν πόλιν καλȣ̃σιν, ἐν ᾗ τιμῶσι Συρίαν θεὸν Ἀτεργάτιν*. Quam humanum est errare! Est quidem *Edessa*, (non item *Hierapolis* seu *Bambyce*) in Mesopotamia trans Flumen, (ut dicit,) ea quæ alias vocatur الرها *Al Roha* seu *Errhoe*: & dicente Plinio, ibi est Fons dictus Καλλιῤῥόη An vero hoc Nomen Græcum ab Arabico, vel vice versa, fluxerit, non determino.

Ut autem (missa hac digressione,) rem totam de *Hierapoli* seu *Bambyce* aperiam, & omnes hujus Urbis Nominum mutationes persequar, primo notandum est, hanc urbem olim a Persis Syriam invadentibus, dictam fuisse منبه *Mambe*. Sic Calcashendi Tom. 2. p. 29. *Hierapolis structa est per* الاسرة *Cosroes Reges Persiæ, & dicta est* منبه *Mambe*; *quod dein Arabizatum, fit* منبج *Mambegz. Inque ea olim fuit πυρεῖον Persarum*. Ibi sc. fuit Ignis Persarum Fanum, de quo consulatur D. Golius in Notis ad Alferganium. In hoc autem nomine *Mambe*, notanda est duplex menda, eaque orta ex literarum permutatione, quæ tamen recepta est & usu communi comprobata. Imprimis enim *He* mutatur in *Gjim*: & quidem in Nominibus Persicis in *He* desinentibus quæ forte ab Arabibus usurpantur, illud *He* semper mutari solet vel in *Koph* vel in *Gjim*. Secundo, in nominibus a *Pe* aut *Be* incipientibus, illud *Pe* aut *Be* a vulgo sæpe mutatur in *Mim*. Hujus enim Urbis nomen a Persis inditum, revera fuit پنبه *Pambe*, quo significatur *Bombyx* seu *Bombycinum* quidvis, consonante etiam nomine: Idque propter *Bombyccinæ* seu *Cottoniæ* lanæ in illius regionis arboribus nascentis copiam, quam & ipse sæpe pro nihili pretio ex Syria accepi. Atqui pro پنبه *Pambe*, vulgus sæpe effutire solet منبه *Mambe*. Sic pro Turcico بيك *Bin*, id est, *mille* vulgus sæpe dicit & scribit من *Min*: & pro دوه *Deve*, id est, *Camelus*, ponunt تمه *Teme*: tam pronum est quasvis literas mutare in *Mim*, facilioris pronuntiationis causa. Et quidem hujusmodi scriptionis in Libris suppetunt mille exempla, quibus hoc dictum nomen *Bombycinum* seu *Cottonium* notans, scribitur مموغ *Mamug*, & مموق *Mamuc*, & ممبق seu بمبوق vel پمبوق *Pambuc*, vel etiam بمبوق *Bambuc*.

Unde contigit ut hujus urbis nomen a Græcis scriberetur Βαμβύκη q. d. *Bombycina* urbs, Bombycis copia gaudens.

Quæ autem ab Arabibus dicta est منبج *Mambigz*, a Syris dicitur *Mabob*. Et ut nemo de ea re amplius dubitet, audiatur *Isabar Ali* Syrus sua lingua loquens, مدينة ܡܒܘܓ ܡܕܝܢܬܐ ܗܝ ܗܝ ܕܗܝܪܦܘܠܝܣ منبج *Mabog est Urbs quædam, quæ sc. est Hierapolis: nempe Urbs Mambigz*.

Hæcce Urbs, vel alias parvum illud Oppidum quod ad Euphratis vicinum Pontem extructum, fuit veterum Ζεῦγμα: quo etiam nomine vocatur ipse *Pons* Ζεῦγμα ποταμȣ̃, quod fluvium jungat: Straboni Ζεῦγμα τȣ̃ Εὐφράτȣ *juxta Commagenam*. Nam ex adverso hujus Urbis, Euphrates Ponte jungitur apud aliud parvum Oppidum eodem nomine dictum *Mambe*. In Libro *Masalic Mamalic* memoratur جسر منبج علي الفرات *Pons Mambigz super Euphratem*: qui quidem Pons e est regione Hierapoleos, sed unius diei itinere ab ea distans. Sic AlMegrebi in sua Geographia Arabica, بينها وبين الفرات حيث قلعة نجم والجسر خمسة وعشرون ميلا *Inter Mambigz & Euphratem, ubi est Castellum Negim & Pons, sunt 25. milliaria*. Ex supradictis itaque vides hunc locum a *Bombycis* seu Gossipii abundantia, a Persis primo dictum fuisse پنبه *Pambe*, unde quidam postea detorserunt *Mambe*, & alii *Pambuc*: seu *Bambuc* unde Græcorum Βαμβύκη. Dictam Urbem continet Syriæ regio قورس *Cyrrhus* seu *Cyrrhistica*, omnibus notissima, & arborum Cottoneæ seu Bombycinæ lanæ feracissima.

Ne autem supra citatum Plinii locum nimis perfunctorie relinquam, dicti *Nazerini* quorum ibi meminit, sunt Curdorum pars qui hodie vocantur نصيري Noseiri, id est, *Nosairæi* seu *Noseireni*, in parte Montis Libani habitantes. De quorum Religione & Moribus multa habeo dicenda, si Adversaria excutere vacaret. Doctissimus Harduinus in Plinianis Animadversionibus notat tantum, eos apud Europæos Viatores vulgo dici *les Nassaries*.

Derceto & *Atergatis* deſcribitur *Dea qua ſemipiſcis*, ſc. Dagon fœminea, a maritimis illis Philiſtæis culta, quam vulgo *Mermayd* vocamus: litorales enim incolæ victum e mari quærentes, tam illas quam Tritones colebant. Et quidem hæc duo nomina unum ſunt, nam Δερκετ & *Targat* plane idem ſonant. Hoc autem Nomen varie ſcribitur & corrumpitur, ut *Athara*, *Artaga*, &c. Seldenus exiſtimat veram ejuſdem ſcriptionem eſſe אדיר דג *Adirdaga*, id eſt, *magnificus piſcis*, ſeu forte *Honoratus & reverendus piſcis*. Plura cupiens, eum conſulat de *Diis Syris Synt.* II. *cap.* 4.

3 *Cedenem*) Heic mendum ſubeſſe non dubito. Codicis Veneti Deſcriptor ſe melius extricare neſciens, pro *Cedenes* legit צידונים *Sidones*. Sed locus de quo agitur, plane remotus eſt tam a Sidoniis quam a Cyrene: quorum hoc apud noſtrum conſtanter ſemper ſcribitur צירינים *Cyrenes*, ſcriptura fere accedente ad illud Nomen de quo quæritur. Iſte quidem Tractus de quo heic agitur, Adrichomio dicitur *Cedar* Arabiæ pars: unde pro צירינים *Cedene* videatur potius legendum צידרידים *Cedarene*.

4 *Carthago*) Lexici Geographici Author refert, *Carthaginem* hodie dictam eſſe *Berſack* incolis, (forte ab antiquo nomine *Byrſæ* a Didone ibi conditæ,) & *Cartin*, & *Rocoa de Maſſinaces*; Africanis *Al Menara*. Sic Ille. Arabes ſcribunt برشك *Bershak*. Alterum nomen المنارة *AlMenara* eſt *Turris* ſeu potius *Pharus*. Et Carthaginenſium *Byrſa*, forte ſit pro בצרה *Byſra* ſeu *Boſra*, (i. e. *Propugnaculum* ſeu *locus munitus* in genere,) familiari literarum metatheſi, quæ mille exemplis illuſtrari poſſit.

Græcis audit Καρχηδων, unde apud Plautum Comœdia dicta *Carchedonius*, id eſt, *Pœnulus*: in qua quidem Comœdia hæc urbs Punice vocatur *Chaedreanech*; quod, ſi ſcriptio non fallit, videretur eſſe הדרי הנחה *Chadre hanacha*, id eſt, *Cameræ quietis* & ſecuritatis. ad הניח *haniach*, *ſecure quieſcendum* ibi. Sed conſtans apud Græcos & Romanos primæ Syllabæ ſcriptio Καρ. *Car*, ſuadet ab imperitis Scribis Plautinis factam fuiſſe literarum tranſpoſitionem: adeo ut pro *Chædreanech*, reducta metatheſi legendum ſis *Chardeanech* ſeu *Carde-anech*, quod apprime quadrat receptæ hujus Nominis ſignificationi, ut ſit Hebraice ſeu Punice ſcriptum קרת הנכה *Cardhaneca* ſeu *Cardhanaca* ſive *Carthanaca*, id eſt, *Urbs nova*. Secundum hujus Nominis apud Græcos torſionem, Καρχηδων videretur eſſe קרת חדשא *Carthadasha*, quod etiam eſt *Urbs nova*. Nam קרת *Careth* & קרתא *Cartha* eſt *Urbs*. Si autem קרת הנכה ſit vera dicti Nominis Enucleatio & ad ſuam ſcripturam reſtitutio, tum Romani videntur id Euphoniæ cauſa contraxiſſe, dicentes *Carthago*, pro *Carthanago* ſeu *Carthanaco*.

Eadem hujus Nominis ſignificatio in *Cartagena* Hiſpaniæ urbe ab עזרי בעל *Ezri-baal* vulgo *Aſdrubaal* (patre τοῦ חני בעל *Hannibaal*) condita; ea enim apud Polybium Νεάπολις & Καινη πόλις audit. Ejuſdem quoque Nominis urbem in Peruviana regione condiderunt Hiſpani, cujus meminit R. Azarias in *Meor Enaim*; illam *Cartagenam* Salomonis *Ophiram* eſſe conjectans, peſſima certe conjectura. Conſulas ejus Cap. XI. a fol. 55. ad 58. 2.

Antiqua autem Carthago, (ut ad eam revertar,) ſita fuit in regno Tunetano: & Carthaginenſes fuerunt Tyriorum Colonia quædam octingentis p. m. ante Chriſtum annis a Didone deducta, & in Africa plantata. Hi erant *Libyphœnices*, ſeu ut Plinius *Libophœnices*, quorum regio (viz. Ager Tunetanus) Saluſtio *Libophœnicia* dicitur. Urbs erat primo condita [ut dicitur in terræ portione haud magna, quam a Rege Africano qui Tunetano Agro potiebatur, aſtute emerat Dido; quantum nempe Tergore Bovino ambire potuit. Illa itaque dictum Tergus ſeu Corium in anguſta ſegmenta diſſecuit diſtribuitque; qua ratione dictis ſegmentis majorem terræ portionem quam Rex ſperaverat, circumcluſiſſe dicitur. Mihi autem videtur alium aliquem ſubfuiſſe dolum, viz. eam tantum terræ emiſſe quantum Bovinum Corium (vivente adhuc Bove) uno die circumire potuit. Nam cum Bos ſine Corio ire non potuerit, ideo (tacita Bovis mentione) ſolo Corio faciendum & emetiendum prætendebat, Bove ipſo ſimul doloſe ſubintellecto. Vel alias, forte fuerit tantum terræ quantum ambiri potuerit a Corio Bovino hominis manu portato; aut tale quiddam. Hujuſmodi enim fœmineo & ingenioſo dolo (propter rei novitatem & elegantiam,) reſiſtere & contradicere non potuerit Rex; ſui etiam forte impotens & amore captus. Fœminæ enim innata aliqua aſtutia, & aliquo (præſertim ſi formoſæ ſint,) ſexus ſui privilegio, omni ſemper ævo viris ſubdole imponere ſolebant. Alias autem, ſi tale quid [ut prædictum] non admittitur, hiſtoria eſt valde improbabilis: cum ſane Corium Bovinum in ſegmenta partitum, vix dimidium jugerum ambire potuerit; quæ tam minuta terræ portio condendæ urbi ſufficere non potuit.

Hoc autem quicquid fuerit, ante Æneæ tempora actum eſt; contra Virgilium. Nom oræ illius maritimæ incolæ Carthaginenſibus antiquiores, erant Canaanitæ ſeu illius terræ Mercatores a Joſua expulſi. Sacra enim Scriptura non dicit Joſuam eos interfeciſſe, eos autem a facie ejus fugiſſe. Et quorſum fugere potuerint Mercatores rei nauticæ periti & navibus inſtructi, niſi per mare ut omnia ſua Bona ſecum portarent: quod per terram æque commode feciſſe non potuerint. Præterea, ſi per terram fugiſſent, omnes naves ſuas quibus victum quærebant, inimicis reliquiſſent. Cum itaque Joſua per viam Deſerti & per terram eos invaderet, omnino oportebat illos fugam capeſſere per contrariam plagam, ſc. per mare, ubi liberrimus exitus patebat illorum navibus totam ſupellectilem & jumenta [ſi quæ habebant] portantibus; quæ omnia per terram portaſſe plane impoſſibile fuiſſet.

Totam itaque oram Africanam ab Ægypto ad Tangjam tenebant iſti populi fugitivi, ex terra Canaan & antiquis ſedibus per Joſuam expulſi: unde & ea ſupra pag. 23. ex Procopio notavimus, probabiliora fiunt; quamvis ab ipſo ſolo [quatenus ſcimus] memorentur, & aliorum Authorum confirmatione indigeant. Sed ad hanc ſententiam corroborandum facit, quod ſc. D. Auguſtinus interrogatis ſuis Hipponenſibus *Cujates eſſent*, accepit ab eis reſponſum, *ſe eſſe Cananæos*. Verba extant in D. Auguſtini Epiſtola ad Romanos inchoata, *Interrogati ruſtici noſtri, Quid ſint? Punice reſpondentes*, *Chanani*; *corrupta ſcilicet, ut in talibus ſolet, una litera, quid aliud reſpondent quam Chananæi?* Pace autem D. Auguſtini, dicam, Si ipſe noviſſet linguam Hebræam, plane vidiſſet recte fuiſſe reſponſum, nec opus eſſe excuſationis pro defectu unius literæ: nam Hebraice aut Punice כנעני *Chanani*, eſt Latine *Cananæus:* nec debebat ab illis in lingua Punica Latinam terminationem expectare. Lingua enim Chananæorum & Pœnorum, eadem, & populus idem, ejuſdem originis, utrique ex Syria & Chananitica regione ſeu Phœnicia orti: nam *Syria* eſt *Soria*; facto nomine a צור *Tſor*; id eſt, *Tyrus*, ut ſupra dictum. Adeo ut nihil interſit niſi temporis differentia; quod ſc. una Colonia major & generalior Joſuæ tempore profecta ſit, altera vero Colonia minor poſtea a Didone deducta fuerit.

Quoad uſum vocis *Chanani* in lingua Punica, eadem cum D. Auguſtino formula videtur uſus Plautus in Pœnuli Actus V. Scena tertia, לא כנעני *La Chanani vos*, *quos ergo jam detrudam ad molas*: id eſt, quia non eſtis ex noſtratibus Chananæis, ſed alienigenæ, ergo ad ſupplicium ſeu labores detrudam.

Nec tantum in Africam, ſed & ad alteram maris oram, in Cyprum & Græciam; fugientes appulerunt. Nam quod Cyprus olim a Phœnicibus occupata & habitata eſt, inde eſt quod Zeno Κιτιεὺς [ab urbe Κίτιον in Cypro] Ciceroni vocatur *Pœnulus*. Κίτιον enim celebris ibi urbs, unde כתים *Kittim* in Sacris tam hujus loci quam viciniæ nomen legitur. Et quidem Cypriotæ olim tam celebres, ut Evagoras Cypri Rex exercitum 200000. militum contra Artaxerxem duxerit. Hujus filios juniores, Socrates vocat Ἄνακες ſeu Principes, quorum ſc. humeri τοῖς ענקים *Anakim* ſeu *Torquibus* diſtincti & redimiti.

Phœnicibus autem ex Orientaliori plaga in Græciam appellentibus, inde eſt quod Græci ſuas Literas acceperunt a manu קדמי *Cadmi* ſeu *viri Orientalis*. Phœnices enim omnes reſpectu Græciæ, ſitu erant קדמויים *Orientales*, ſeu Καδμαῖοι ut loquitur Herodotus. Nec tantum Literas, ſed & Voces plurimas ab eis acceperunt Græci; quales ſunt לפיד *Lappid* pro *Lampade*; פלגש *Pillegesh* παλλακὶς ſeu πάλλαξ *pellex*; יין *Yain*, οἶν, *vinum*; ארץ *Erets*, ἔρα, *terra*; cum plu-

plurimis aliis , quæ prolixum eſſet enumerare. Linguæ Phœnicum λείψανα quædam apud Plautum reperiuntur : ut *Avo donni* , id eſt , *Ave domine mi* , ſeu *Vivas o domine mi* : eſt ſc. ſuis characteribus reſtitutum , חוה ארני *Havo adoni*. Talia ſunt נא את העליונים והעליונות שקרת יסמכון זאת *Na eth haeljonim vehaeljonoth she Kereth jiſmecun zoth* , id eſt , *Obſecro ſuperos ſuperaſque qui ſuſtentant vel tuentur urbem hanc* : alii volunt , חורת אישי מכון זאת *coreth ishe macen zoth* , id eſt , *quos Sculpunt viri hujus loci* , &c. quæ non tam probabilis lectio . Omnia autem Scribarum vitio & corruptela adeo depravata ſunt , ut nil niſi incerta de eis conjectura reſtet : accedit quoque , quod vulgi pronunciatio a Grammaticali punctatione & ſcriptione diverſa fuerit, ut quotidie videmus tam in lingua noſtra quam in aliis. Multa etiam Punica extant apud Euſebium in Præp. Evang. quorum aliqua delibabo , & ſuæ ſcripturæ reſtituam. Ibi enim ex ſententia Phœnicum , Principium creationis Mundi ponitur *Aer tenebroſus chaoſque turbidum*, in quibus *Chaos* eſt כהות *Cauth*, ſeu *Caus*, [ut Judæi Germani efferunt ,] id eſt , *obſcuritas* , *tenebræ* . Poſtea fuit מוט Μὼτ *motio* . Deinde creata ſunt Animalia dicta צופי שמים Ζωφάσημιν, ſcilicet ὐρανῦ κατόπται [ut Euſebius exponit,] *cœli contemplatores* . Porro unum cœli Moderatorem eſſe credebant , quem propterea nominabant בעל שמים Βεελσάμην, ὐρανῦ Κύριος, Græcis Ζεὺς dictus . Poſtea in Genealogia Deorum , venit מישור & צדק Μίσωρ κ̀ Συδὺκ , *rectitudo & juſtitia* , vel ut Euſeb. exponit, εὐπέτην εὔλυτον κ̀ δίκαιον , *ſolutu facilis* & *juſtus*. Miſoris filius ponitur Τάαυτος, Ægyptiis dictus Θωὼρ, Alexandrinis Θωὼρ , Græcis Ἑρμῆς : nempe a *Rectitudine* degeneravit טעות *Taut*, id eſt, *Error*, *& Idololatria* quæ ex errore orta. Talia enim ſignificat *Tauth*. Deinde ex צדק *Sedek*; is eſt *Jupiter*, ſeu *Juſtitiæ deus* , orti ſunt Διόσκυροι *Jovis filii* . Eorum tempore natus eſt עליון Ελιῦν , ὕψιστος ; & fœmina dicta בארות Βηρὼθ , poſtea Βηρυτὸν *Berytum* . Poſtea ex cœlo & terra natus אל Ἦλον, cujus ſocii אלהים Ἐλωείμ , i. e. Κρόνιοι ; & דגן *Dagan* Δαγὼν , is eſt Σίτων . Forte autem pro דגי *Dagan* , melius legendum , דגון *Dagon* , quia *piſcatu* æque ac *cerere* vivebant Philiſthæi & Phœnices maris litora incolentes . Deinde prodiit filia עשתרות Ἀστάρτη ſeu Ἀφροδίτη . Poſtea Ponto naſcitur צידון Σιδὼν, *Piſcatio* : quo nomine Phœnices condiderunt urbem , ut & antedictum *Berytum*. Deinde venit Ἄσδωδος, pro אשדוד Ἄσδωδος *Azotus* , alia Philiſthæorum urbs maritima . Poſtea a שור *Tauri capite* ſtella, ad צור Τύρον, *Tyrum* urbem alluditur. Tandem ſubſequitur מות Μὼθ , *Mors* . *Byblum* urbem poſſidet dea בעלתה Βααλτὶς. Et Τάαυτον Ægypti Regem creat Saturnus, qui Phœnicibus ישראל Ἰσραὴλ, quem poſt obitum , in ejuſdem nominis Aſtrum conſecrarunt . Is filium ſuſcepit ex nympha העוברת Ἀνωβρὲτ, *prægnante* . Iſte erat filius יחיד Ἰεοὺδ , μονογενής. Dictus *Taautus* [ut ibi p. 40. 41.] Draconis Serpentumque naturæ divinitatem tribuebat ; quam ejus opinionem Phœnices & Ægyptii comprobantes , de Hieroglyphico Serpentis multa myſterioſa excogitarunt .

A Phœnicibus Ægyptii ſuam habuerunt Theologiam , vel ſaltem multa nova inde petita , ei addiderunt . Cum enim Phœnices eſſent e patria pulſi , eorum partem in Ægyptum [Phœniciam & Africam interjacentem] conceſſiſſe, non eſt dubitandum. Imo & ipſe Cadmus in Ægypto fuit, adeo ut a quibuſdam Thebis oriundus credatur, referente Euſebio & Herodoto : & in Ægyptum [inquam] migrantes *Cadmei* ſeu *Phœnices* , Theologiam ſuam ibi diſſeminarunt . Nam (ut Herod. pag. 47.] Orpheus in Ægyptum commigrans, ibi τοῖς τε Καδμείοις *amicitiam coluit* ; id eſt, cum קרמיים *Orientalibus* ſeu *Phœnicibus* amicitiam habuit. Ægypto enim Orientalior eſt Phœnicia . Harumque Gentium myſteria tandem adeo involuta & intricata evaſerunt, ut ipſi talium numinum cultores ſuis myſteriis [ævorum decurſu partim mutatis & partim oblivioni traditis,) implicati & confuſi , tandem ignorarint qualia ea eſſent ; adeo ut ipſi de eorundem nominibus inter ſe contenderent & diſſentirent; ut apparet tam ex Euſebii Præp. quam ex Plutarchi Libro de Iſide & Oſiride.

Dictis fidem faciunt Phœnicea Ægyptiorum numinum Nomina , quæ plane indicant ea a Phœnicibus accepta fuiſſe . Talia ſunt *Oſiris* , qui חוזר *Ozer* , id eſt, *Circuitor*, ſcilicet *Sol* qui Orbem circumit : cujus filius erat אור Ὦρος *lux* ſeu *lumen*. Dein *Oſiridis* tam uxor quam ſoror erat עסים Ἶσις terræ *ſuccus* ſeu *humor* Solis calore impregnatus & fertilizatus . Unde & *Iſidis* nomine , *Luna* quæ humidis præeſt , notatur . Eorum Taurus ſacer, Euſebio vocatur אבים Ἆπις ſeu Μνεῦις, ſcil. *Abis* ſeu *Evis*, qui & שור אבים Σίραπις, *Bos ſaginatus* . Et *Anubis* canina forma , erat הבונה *Anobea*, id eſt , *Latrator*.

Eorum *Oſiris*, alio nomine vocatus eſt *Bacchus* , a בכי *fletu* ſic dictus ; ut bene demonſtrat Clariſſ. Golius , ex Abulpharagio indicans apud Sabæos [Phœniceæ religionis homines] in medio Menſis *Tammuz* celebrari عيد لبوقات (Feſtum בוכיות *Bochioth* ſeu *mulierum ejulantium* ,] vel ut ipſe Abulpharagius ex Arabibus exponit , يعني النسا المبكيات عيد يعمل لتاوز الاله ويبكي النسا عليه كيف قتله ربه وطحن عظامه في الرحا ثم نراها *Feſtum Boucat* , *erat fœminarum flentium* , *quod celebrabatur in gratiam dei Tauz* (lege *Tammuz* .) *Illum vero mulieres deflent* , *quomodo interfecerit eum dominus ſuus* , *& oſſa ejus in mola comminuerit* , *& ea comminuta poſtea diſperſerit*. Nempe nomine *Tammuz* intelligunt *Solem* : quamvis , referente Maimonide , Sabaitæ nugatores (ſui ritus uſum & originem obliti] putent ſe lugere aliquem Prophetam ſuum dictum *Tammuz* , ab aliquo injuſto Rege occiſum , &c. Dictæ autem inſtitutionis meminit Prophtea Ezekiel Cap. VIII. de fœminis plangentibus pro *Tammuz* , (ſeu Sole ,] cui *Julius* menſis erat ſacer & ab eo denominatus *Tammuz* Syro-Phœnicibus , utpote menſis ferventiſſimus & Sole ſaturatus. Solis vero diſceſſum , quia tum poſtea declinare incipit , deflebant , fingentes eum a domino ſuo interfici & in partes diſſipari. Sed initio vernantis anni , ejuſdem *Oſiridis* , ſeu *Circuitoris* acceſſus & rurſus inventio , haud minimum eis gaudium parere ſolebat. Huic opinioni favent Seldenus & D. Hieronymus . Et Euſeb. Præp. p. 27. dicit *apud Phœnices Solem & Lunam ſempiternos habitos eſſe deos*, -- *quorum alterum Oſirin alterum Iſin nuncuparunt* . *Luna* ſc. eſt humiditatis domina , in lingua Ægyptia *Io* ſeu *Joh* vocata. Et *Sol* dictus *Oſir* ſeu *Circuitor* , propter ceremoniam deflendi eum , alio nomine dicitur quoque *Baccus*, qui dicente Herodoto eſt *Oſiris* , pag. 165. Ὄσιρις δέ ἐστι Διόνυσος κατ' Ἑλλάδα γλῶσσαν . Bacchi autem ἔτυμον a *Bech* ſive voce ſive compellatione Hircorum , [ut quidam perperam volunt ,] omnino ἀπροσδιόνυσον habendum. Sed e contra, בוכיות *Bochioth* ſeu בכיות *Bachioth* , id eſt , *Flentes* , *ejulatrices* , ſunt fœminæ מבכות את התמוז *me-Baccheth* τὸν *Tammuz* : i. e. *deflentes Tammuz* : & בכות eſt *Fletus*, *planctus*, quod Judæi Germani [qui ת finale ſemper efferunt ut ס ,] pronuntiant *Bachus* . At in voce Βάκχος, terminatio ος potius a Græca lingua videtur adjecta .

Nec quidem immerito factum ut *Bacchus* ſeu *Sol* haberetur deus Vini , quippe cujus virtute matureſcant uvæ omniaque foveantur , ejuſque calore tanquam Phallo procreentur , quo & uxor ejus (ſc. terræ *ſuccus* & *humor*) fœcundetur . Unde in Simulachro ejus *Phallum* peculiariter adorabant , ut notat Euſebius; & in ſolenni Proceſſione , fœminæ ſine rubore talem *Phallum* a collis pendentem , ut fertilitatis & fœcunditatis ſymbolum portabant . Herodotus p. 123. monet Mercurii etiam Statuam cum porrecto Veretro fieri ita ut tam ad Mercurium quam ad Bacchum referatur Idoli Nomen בעל פעור *dominus turpitudinis* ; & בית פעור *locus turpitudinis* ubi colebatur.

Quæ olim adnotavimus ad Ulug-Begi Obſervationes Stellaram , *Oſirim* habitum eſſe pro *Canopo* , & *Iſidem* pro *Canicula* , non egent authoritate veterum quæ illi opinioni ſuffragetur, ut ex dicto Plutarchi de *Oſiride & Iſide* Libello patet . Nempe adeo confuſa erat Ethnicorum Theologia & Theogonia, ut deaſtros ſuos alii hoc alii aliud eſſe ſtatuerent . Imo doctum & ingenioſum illa ætate [ut & hodie in Ægypto] habebatur, res planas & bene notas, obſcuriores reddere , in abdita myſteria convertere , & ingenioſo ænigmate involvere . Ejuſmodi enim erat illorum ſecu-

culorum genius, ut tota eorum Religio esset plane ænigmatica; & ingeniosus ænigmatum cusor, in eorum mysteriis doctus Antistes habebatur. Namque talium avida erat mirabunda plebs, cui itaque Sacerdotes nugivenduli eo facilius imponere & suas ineptias obtrudere potuerunt. Tales itaque homines qui illa ætate maxime æstimabiles erant & magni habiti apud suos, ii erant qui dicto modo omnia in nugas convertendo, nobis posteris crucem pararunt.

Sed ut id a quo digressi sumus, resumam; Ægyptiorum *Thoth* est quoque a Phœnicibus, ut supra monitum. Euseb. Præp. pag. 31. dicit *Ægyptios eum vocare* Θωὺθ, *Alexandrinos* Θὼθ, *Græcos* Ἑρμῆν. Et postea pag. 33. dicitur Τάαυτος *Ægyptiis vocari* Θωὼρ [ubi *Rho* pro *Sigma*] *Alexandrinis* Θωὺθ, *Græcis* Ἑρμῆς. Iste eorum deus & Rex quem Saturnus eis præfecit, origine est nihil aliud quam Phœnicum טעות *Taus*, id est, *error*, & *idolum* quod erroris causa. Idem sc. numen est quod Arabibus dicitur طاغوت *Tagut*, significans in genere tam *Idolum* quodvis, quam *quivis erroris Dux & Author*. Sic enim in genere ab Arabibus vocata sunt antiqua Meccensium Idola اللات *AlLat*, & العزى *AlUza*, &c. Talis est, ut vides, apud Phœnices & Arabes in Idolorum eorumque Latriæ denominatione consensus; ut sc. Nomen quod ab Orthodoxis feliciter impositum, ab ipsis etiam Idololatris & Paganis libenter retentum fuerit, quod nunquam fuisset factum, si vim & originem vocis probe intellexissent. Tanta erat Idololatrarum in rebus suis ignorantia, ut quod revera in errore fundatum, ab eodem per colentium errorem haud illibenter denominari voluerint. Dictum autem Nomen quod ab Eusebio de solo Mercurio exponitur eique restringitur, generali significatione omni Idolomaniæ æque competit, & ad quodvis Idolum trahatur, cum sit denominatio generalis nulli soli numini restricta.

Hoc modo præstiti id quod faciendum susceperam, sc. Carthaginensium & eorum Nominis originem dedi, & qualis fuerit eorum ut & antiquiorum oræ Africanæ incolarum lingua docui, & Phœnicum Theologiam ad Ægyptios propagatam & ab eis receptam fuisse monstravi, idque luculentioribus (ut spero] indiciis quam ut de hac re quis amplius dubitare sinatur.

Addam tantum, quod Arist. [in libro de Mirabilibus Auscultationibus, dicat *Phœnices* a Græcis Φοίνικας vocari, a φοινίξαι, quod Perrhæborum lingua est ἀμάξαι *trucidare*, quod omnes ubicunque venerunt, trucidaverint. Quod non placet. Eos enim Φοίνικας appellabant, quia *Coccineis* vestibus induti, quippe quæ in Oriente olim & usque hodie semper affectatæ. Et a Græca φοῖνιξ *ruber color*, dicti sunt *Pœni*, & Adj. *Punicus*. Hinc etiam φοῖνιξ avis dicta, quia *rubra* seu *flammea*.

5 *Mauritania*] Alias *Maurusia* dicta, ab incolis Mauris: estque duplex, Tingitana & Cæsariensis. Sexto Rufo, *Hispania transfretana*, & in Libro Notitiarum, *Hispania Tingitana* nominatur. Nugantur qui volunt terminationem *tania* esse a Persico *stan*, q. d. *Mauristania*. Sed ut a *Tingi* dicitur Τιγγίτης *Tingites* & Τιγγιτανὸς *Tingitanus*, sic analogum est ut a *Mauri* fluxerit *Mauritanus*, & Substantive *Mauritania*, vel *Mauretania* ut in Nummis antiquis scribi solet, testante Carolo Stephano.

Apud Græcos veteres aliquis putarit Μαῦρον significasse *clarum*, cum apud eosdem ἄμαυρον (præposite *Alpha* privativo) sit *obscurum*, q. d. *minime clarum*. Cur itaque Μαῦρος apud Græcos modernos significet *Nigrum* seu *Nigritam*, (ut multi existimant, & communis usus obtinet,) difficile est imaginari; præsertim cum *Mauri* omnes qui (evitata Solis infectione) domi se continent, sint plane albi; ut apparet tam ex aliis quam ex Legato Maroccano محمد بن حدو *Mohammed* (seu *Ahmed*) *filio Haddu* qui in Anglia nobiscum fuit 1683. quamvis ortus fuerit ex Provincia اعطر *Ohtor* seu اعطار *Ohtar* (nam Legatus ipse utroque modo scripsit) in Regno سوس *Sus* quod Australe est. Sic etiam fœminæ domi se continentes, albæ sunt æque ac Anglicæ. Verum est, quod cum his mixtim vivant aliqui ex populis longe australioribus, qui sunt plane nigri, progeniem sui similem propagantes, quod ab ipso Legato perquisivi. Hinc factum est, ut ex hisce nigris una cum *Mauris* mixtim viventibus & nigram sobolem in illis oris propagantibus, *Mauri* omnes *Nigritæ* esse perperam existimentur. Quotquot ex illis albioribus quotidie se Soli exponunt, (quod in Legati Asseclis vidimus,) valde adusti sunt, eodem plane modo ac Rustici Anglicani qui sub dio semper versari solent. Tales sunt *Tawny-Moors*, quo nomine nostrates Sole nimis adustos improperare solemus. Reliquæ etiam Maurorum species apparent in Propriis nostris Gentilitiis, qualia sunt *Blach-moor*, & *Whit-moor*, in communi usu apud Anglos.

Maurorum quidem Nomen apud Livium & Salustium extat, antiquiore autem notatione; cum revera nomen sit origine Hebraicum seu Phœniceum, ut mox plane monstrabitur. Namque spacium inter Calpen & Abylen Herculis Columnas, Fretum est angustum pro trajicientibus ab uno litore ad alterum. Sic noster sub finem Cap. XII. *Juxta Gibeltar est* מעבר *Transitus* seu *Trajectus pro omnibus circumeuntibus per continentem ad eundem in Mare Oceanum*. Et Straboni in *Tinga*, hicce locus πόρθμος, Hirtio *Trajectus* vocatur. Agathemeres suo tempore ponit hujus *Trajectus* latitudinem esse 80. stadiorum, i. e. I C $\frac{1}{2}$ milliarium, Geographus Nubiensis Climatis 4. ti parte 1. dicit istud Fretum olim fuisse Isthmum, postea Regis cujusdam Africani sumtu perfossum ad latitudinem 6. milliarium, undarum autem allisu se tandem dilatasse ad lat. 12. milliarium. Idem alibi dicit esse 18. milliaribus latum. Lexicon Geographicum (undecunque id hauserit,) ponit latitudinem hodiernam 12. milliarium. Idem alibi 9. mille passus patere dicit.

Hæcce maris angustia Turcis dicitur سبته بغازی *Septa bogazi*, id est, *Fauces* seu *angustia juxta Ceutam* oppidum: paulo corruptius *Set-bogazi*. Vulgo dicitur *Fretum Gaditanum* seu *Herculeum*, *Fretum Columnarum*, *Fretum* seu *Ostium Oceani*, *Fretum Hispanum* seu *Iberum*, *Limen maris interni*, &c. Nostro Judæo plerumq; vocatur in genere מיצר *Metsar*, id est, *Fretum angustum*, ut respondeat Hispanico *Estrecho*, Anglice *the streighis*. Arabibus dicitur زقاق *Zocak*, quod primario *Angiportum* seu *Plateam angustam*, sive *Transitum quemvis augustiorem notat*: unde &, *Canalem* seu *Alveum angustiorem*, sive *Fretum*. Et hocce Mare Mediterraneum, vel præsertim pars ejus Freto proxima, Arabibus nominatur بحر الزقاق *Mare Freti*.

Cumque heic semper a perfosso Isthmo fuerit pro trajicientibus locus cæteris commodior ubi hocce Mare trajicere solebant a Pœnis remotius in Mauritania Cæsariensi & Agro Tunetano degentibus, quicunque prope istum מעבר *Trajectum* vivebat, dicebatur מעברי *Ma'vri*, id est, *Trajectaneus*, seu ad Trajectum degens; vel *Trajector*, *Transfretator*, qui sc. dictum Fretum sæpius trajicere solebat. Et hinc factum est ut hujus loci Incolæ primo & primario dicti fuerint *Mauri*: quod tamen Nomen postea ad alios remotiores transiit. Hoc etiam nos monet unde Hispania (ut & Fluvius *Iberus* eam secans) a dictis Pœnis vocata fuerit Ἰβηρία *Iveria*, quia nempe erat עבר הים ever *Ultra* vel *trans mare*, seu *Ultramarina* regio: nam עבר *evr* est cujusvis maris aut fluminis pars ulterior. Unde etiam hujus regionis Fluvius Gallis dicitur *Ebre* Hispanis *Ebro* (pron. *Evro*) q. d. Fluvius regionis *Iveriæ* seu *Transfretaneæ*, ut a Mauritaniæ incolis dicebatur. Et eadem ratione *Georgia* a Georgio Cappadoce sic nominata, olim a Phœnicibus & Syro-phœnicibus dicta est quoque *Iberia*, quod nempe esset في عبر الفرات *phi Ibri'l Phrat*, id est, *in ultrajecto Euphratis*. Sic, quia pater noster Ahraham in terram Canaan olim venerit ex Mesopotamia ab עבר *Evr*, id est, *Ultra* Euphratem, is a Cananæis dictus est עברי *Ivri* seu *Ibri*, id est, *Ultraneus* seu *Ultrafluvialis* sive *Ultrajecta-*

jectaneus; ſcil. *Hebræus*, vel potius *Ibræus* ſeu *Ivræus*. Quod itaque ſcriptum erat Ἰβηρία, olim pronuntiatum eſt *Iveria*: nam quod Græci antiqui ſuum ω pronuntiabant ut *v*, multis & certiſſimis indiciis conſtat: nec hodierni Græci poſſunt literæ *b* ſonum formare, niſi pro eo ſcribendo μπ. Hiſpani etiam uſque hodie, ubicunque ſcribunt *b*, id ſemper ſonant ut *v*, & viceverſa. Hujus rei veritatem mihi interroganti confirmabat *D. Dr Sall* olim Profeſſor Salmanticenſis: idque per exemplum ex quotidiana Menſæ Benedictione in ſuo Collegio Salmanticenſi uſitata; ubi inter cætera, pro *Benedictus ſit Deus qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum*, inepte dici ſolet, *Venedictus ſit Deus quibibit & regnat*, &c.

Mauritania Arabibus omnibus dicitur البربرية *AlBarbaria*, cujus incola eſt البربر *AlBarbar* ſeu بربرى *Barbari*. Hi ſunt veri & genuini Arabes, ut eorum Lingua & Libri ſcripti indicant: lingua enim eſt vere Arabica. Quodque omnes tam ruſticani quam oppidani tales eſſent, agnoſcebat Rex Maroccanus, qui in nupera Epiſtola ad Magnæ Britanniæ Regem ſcripta, de ſuo populo loquens, ſeipſum plane numero τῶν *Alarbes* accenſebat, dicendo نحن العرب *noſotros Alarbes*, ut Hiſpani loquuntur, i. e. *Nos Arabes curamus habere milites fortiores in campo, debiliores oppidis defendendis relinquentes*. Sic ille in dicta Epiſtola. Per errorem itaque noſtrates diſtinguunt eorum Oppidanos in *Mauros*, & Ruſticanos in *Alarbes* & *Algarbes* ſive *Algarves*, cum omnes ſint pariter *Arabes*. Quomodo autem hic error evenerit, paucis dicam. Eſt quidem الغرب *Algarb*, ſeu ut Hiſpani ſonant *Algarv*, *Occidens*: unde Arabes Mauri qui in Occidentali Luſitaniæ parte (Andaluſiæ ſeu Hiſpaniæ Bœticæ proxima, ubi plurimi Mauri mixtim cum indigenis inhabitabant,) ab Hiſpanis vocati ſunt *Algarves*, i. e. *Occidentales*; qui nuperis ſeculis ex Andaluſia pulſi, in Mauritaniam Tingitanam conceſſerunt. Unde noſtri Mercatores, (ne in cumulandis Titulis deeſſe viderentur,) Regi Maroccano Libellos ſupplices exhibentes, inter cætera, eum nuncupare ſolent Regem τῶν *Alarbes & Algarbes*. Cum itaque 1683. meum eſſet Regis Angliæ Literas Recredentiales in linguam Arabicam vertere, (ut Rex Maroccanus eas ſine Interprete legere poſſet,) ut de hac re certiores eſſemus, conſulendum curavi Legatum Maroccanum, qui de hiſce Titulis requiſitus, talem diſtinctionem non agnoſcebat, nec Regem ſuum habere Subditos dictos *Algarbes* ſeu *Algarves*, nec quod is unquam dictus Rex τῶν *Algarves*: a quo itaque Titulo in Recredentialibus Arabicis abſtinuimus, quamvis noſtri Mercatores inſtarent, Regem Maroccanum ex tali omiſſione ſuccenſurum. Legatus admittebat quidem dari alicujus Provinciæ maritimæ populum dictum الغرب *Algurb*; ſed nomen τῶν *Algurbes* inter ſui Regis Titulos non venire. Noſtrates autem ex Andaluſenis Hiſpanis ita loquentibus, didicerunt Regi Maroccano iſtiuſmodi Titulum tribuere, quod tamen a genuinis ejus ſubditis non fit, nec ipſe unquam tale quid ab eis exigit. Hiſpanorum itaque error eſt τὺς *Alarbes* a *Mauris* diſtinguere, cum differentia ſit nominalis tantum, & non realis, & τὺς *Algarbes* (quia in *occidentali* Luſitaniæ parte vixerunt, ſic dictos,) eo nomine a veris *Mauris* itidem diſcriminare, & Regi Maroccano diſtinctum Titulum ab eis deſumtum tribuere.

Barbari itaque ſunt Arabes qui in Mauritania littus Mediterranei & Oceani uſque ad Atlantem Montem inhabitant, ut & qui in Æthiopia Maris Rubri littus incolunt. Adeo ut cum بر *Bar* ſignificet *Littus* & *Continentem*, eo geminato videntur vocari *Barbar*, q. d. *Littorales*, ſeu *Continentis littoralis incolæ*; بر בר *Bar* eſt i. q. ברא *Campus*, *Deſertum*, *Sylva*, & *incultus locus*, & quoque *Extra*, *extraneus*, *ſylveſtris*, *campeſtris*; quo quidem nomine, geminato ſono, iſti Arabes ab extra venientes & in Africæ oram irruentes, a Pœnis vocati ſunt *Exteri* ſeu *extranei*; vel etiam *Agreſtes* & *campeſtres* homines, per campos cum tentoriis errabundi, ut Arabum mos eſt. Erat enim Herodoti tempore & omni ævo notum vocabulum, quo Græci *Extraneos* omnes extra Græciam, vocabant *Barbaros*, voce origine Punica, quos etiam *Agreſtes & incultos* eſſe intelligebant. Eodem modo Arabes Aſiatici præ ſe omnes alios [præcipue Perſas] vocant عجم *Agjam*: quo etiam nomine Mauritani ſeu Arabes Africani Hiſpanos & Europæas Gentes indigitare ſolent.

At quoad ſupra dictos *Algarves* & *Mauros* olim in Luſitania degentes, Iſabella Emanueli Regi nuptura, [referente Mariana] ex conjugalibus legibus eſſe poſtulavit, ut tam Judæi quam Mauri omnes, ut Chriſtianæ Religionis hoſtes, ex regni Luſitani finibus ejicerentur. Hocque ex parte factum eſt; viz. Mauris in Tingitanam regionem trajicientibus, Judæis autem fraude detentis & per vim ad Chriſtianam Religionem adactis. Publico enim Edicto banniti ſunt: cum tamen trajecturi eſſent, clam detenti ſunt, & quaſi Bannitionis Edicto non paruiſſent, ad Religionem Chriſtianam amplectendum coacti & compulſi. Legationis Maroccanæ Secretarius *Hagj Lucas* (quod a fide digno accepi) fuit ex Mauris Luſitania pulſis, qui hodie degunt in Mauritania Tingitana; ubi eorum mos eſt ut Patres diem obituri, eas quas ſecum attulerunt domum Luſitanarum Claves tradant filiis, utpote quos aliquando ad eaſdem Domos reverſuros ſperent.

[6] *la Zerbas*] Alias *la Gerbas*.

CAPUT VII.

פרק ז׳ נבאר מחוזות כלם הידועים ממלכות אדום אשר באירופא מתחיל
מאנגליאה וסקוציאה ואיבירניאה עם כל אורך הים האמצעי
ושפתו עד דרך מבוא ים אדריאנו המגיע לויניציאה:

Capite ſeptimo explicabimus notiora omnia territoria regni [1] *Edom quod in Europa, incipiendo ab Anglia, Scotia, & Hibernia, cum tota longitudine Maris Mediterranei & ora ejus, uſque ad viam introitus Maris Adriatici pertingentis ad Venetias.*

עקר הפרק הזה להודיע כי בסוף המערב
הצפוני תוך ים אוקיאנוס נגד אחורי מלכות
צרפת אשר מתחת אחורי ספרד נמצאו

PRæcipuum in hoc Capite, eſt docere, quod in extremitate Boreo-Occidentali in medio Maris Oceani e regione poſteriorum Galliæ quæ eſt ſub poſterioribus Hiſpaniæ, in iſto inquam Mari Oceano Se-

בים ההוא האוקיאנוס הצפוני איים רבים
וכבדים כגון אינגלאטירא וסקוציאה שכנתה
וקרובה לה וגם האיבירניאה אשר מתחת
לה בתוך הים הצפוני הזה : האמנם מקצת
גליל ספרד ופורטוגאל החונים על צד הים
אוקיאנוס הם סוף הישוב בישוב המערב
הארציי ואחוריהם צרפת היא גאליאה
עד נהר רינוס הגדולה עובר בקולוניאה וניאה
אשר שם סוף גבול גאליאה ואצלה למאנייא
גירמאניאה היא אשכנז ודאציאה פאנוניאה
היא אונגאריאה עד נהר דאנוביאו וירד
הגבול עד יון וטרצייאה ומחוז התגר עד
קוסטאנטינופולי אשר למעלה על ים
ארציפילינו האמנם בטרם נבאר זה נודיע
אורך גלולות אשר על שפת הים האמצעי
ממקום אשר יכנס ים אוקינוס במצר גיבילטאר
נגד רמון ספרד איך ימשך שפת הים ההוא
ממיצר גיבילטאר עד סוף איטליאה אשר
בקאלבריאה לסבוב מלכות נאפוליס ויכנס
בים אדריאטיקו המגיע עד ויניציאה
ואיסטריאה :

ראשונה מרמון ספרד יעלה גבולים
באנדלוסיאה וקורדובא ועלה הגבול
בקאטאלונייה ואלינצא דאראגון פרפינייאן
מים מתים נהר רודאנוס הצרפתי פרוינציא
ועלה מרסיליאה גראסא וניצא גיינובא
ספיצה פיסא פיומבין ואוסטיאה חוף רומא
ועלה בגאיטא ונאפולי ויכנס בפארו דימיסינא
אשר באי סיציליאה נגד ריאו דקלאבריאה
מלכות נאפולי ומשם יסוב טאראנטו וסוף
איטליא ויכנס הים ההוא בים אדריאטיקו
ויעלה עד ויניציאה ואיסטריאה :

ואלה מחוזות הים אדריאטיקו אשר
באיטאליאה לאפולייא היינו טראני בירליטה
בארי וכל גלילותיה לאברוצאה לאנצאנו
לאמארקא דאנקונא ארציית וימיית רומאניאה
פיסירו רימיני צירויאה ראוינה וקיוזא עד
ויניציאה וסבב סוף הים ההוא בגולפו
אסטריאנו וירד אחורנית בדאלמציאה היא
סקייאבוניאה נגד לאמארקא וירד במצדוניאה
היא אלבאניאה וערי התוגר לאוילונא
ודוראצו עד גלילות יון אשר נגד אי קורפו
ללכת מודון קורון אשר ליון ומשם יסוב
הים לאריציפילינו אשר הוא ים עגל מלא
איים רבים קטנות עם גדולות ושם יסוב

Septentrionali reperiantur plurimæ Insulæ egregię, ficut Anglia, & Scotia quæ ei vicina est & proxima illi; & quoque Hibernia quæ est sub ea, in medio istius Maris Septentrionalis. Utique partes regionis Hispaniæ, & Portugalliæ adjacentes ad latus Maris Oceani, sunt in fine Orbis in habitatione Occidentali terrestri. Et post eas est Tsorpath seu Gallia usque ad Rhenum fluvium magnum qui præterfluit Coloniam, ubi est terminus Galliæ. Et juxta eam est Ashcenaz seu Germania magna, & Dacia, & Pannonia seu Hungaria, usque ad Flumen Danubium. Deinde descendit terminus usque ad Græciam, & Thraciam, & territorium [2] Togar, usque ad Constantinopolim quæ est supra [3] Mare Archipelagum. Sed profecto antequam hæc explicemus, docebimus longitudinem regionum quæ sunt ad oram Maris Mediterranei, a loco quo coalescit cum mari Oceano apud Fretum Gibeltar e regione Granatæ Hispaniæ; quomodo sc. continuatur illa ora maritima a Freto Gibeltar usque ad Italiæ extremitatem in Calabria per circuitum regni Neapolitani, & coalescit cum [4] Mari Adriatico quod pertingit usque ad Venetias & Istriam.

Primo itaque a Granata Hispaniæ terminus maris ascendit ad Andalusiam & Cordubam; & deinde ad Cataloniam & Valentiam de Aragon, Perpinyan, Aquasmortuas, Fluvium Rhodanum Galliæ, Provinciam, Marsiliam, Graciam, & Niciam, Genovam; Speciam, Pisam, Piombinum, & Ostiam quę est Portus Romę, postea ascendit ad Gaetam & Neapolim, & pertingit ad Pharum Messinę quę est in Insula Sicilię e regione Rio de Calabria regni Neapolitani. Et inde circuit ad Tarentum & finem Italię, & coalescit mare illud cum mari Adriatico, & ascendit usque ad Venetias & Istriam.

Et ista sunt Territoria maris Adriatici in Italia; l'Apuglia quę est Tiani, Barleti, Bari, & omnes Provincię ejus, l'Abruze, l'Anzano, la Marca de Ancona per terram & per mare, Romania, Pesaro, Arimini, Servia, Ravenna, Chiusa, usque ad Venetias: deinde circuitur per finem illius Maris [ad Golfum Istrianum: & descenditur retrorsum ad Dalmatiam seu Sclavoniam e regione la Marca; postea descenditur ad Macedoniam seu Albaniam, & urbes Epiri, la Valona, [5] Durazzo, usque ad regiones Gręcię quę e regione Insulę [6] Corfu qua itur ad Modon [7] & Coron quæ sunt ex Græcia. Et inde mare circuit ad Archipelagum, quod est mare rotundum Insulis multis tam magnis quam parvis refertum. Postea circuit ad Thessalonicam, donec tandem istud mare

quam

סאלוניקו על אשר יעלה הים הזה במיצר
קוסטאנטינופולי ויעלה דרך הצפון במיצר
אחר עד סוף ים אליספונטי ואיכזיניאוס עד
שיגיע לצפונו של עולם בים נהר לאטאנא
ים נקפה לפעמים ברוב הקור ושם ינוח
ושם תמשך היבשה למעלה בטארטריאה
עד העדר הישוב דרך הצפון מרוב הקור מאד
ושעירים ירקדו שם:

וראוי להודיע זה כי אורך האיטאליאה
מהרי סאלוצה אשר בפיימונטי עד ריו די
קאלאבריאה לפי דעת יחידים סביב לאלף
מילים ארכה ורחבה לא יעבור למאה
ועשר מילים והיא נמשכת ותלוים בין שני
ימים היינו בין הים האמצעי לים אדריאטיקו
מויניציאה אשר רחבו לא יעבור קכ̈ מילין
ולא יגיע להם ובתוכו איים רבים קטנים
נגד הדאלמציאה וצורים וסלעים לחצוב
אבנים לבנין בתוך ים איסטריאה:

ascendat ad Fretum Constantinopolitanum: & dein ascendit per viam Aquilonis ad aliud Fretum usque ad finem maris [8] Hellesponti & Euxini, [9] donec tandem perveniat ad Aquilonem Mundi, ad mare fluvii Tanais, mare inquam illud quod aliquando congelari solet propter multum frigus: & ibi desinit. Et inde protrahitur Continens supra Tartariam per viam Aquilonis usque ad privationem Habitationum propter nimium frigoris. Et satyri saltant ibi.

Convenit quoque docere, longitudinem Italiæ a montibus Saluciæ quæ in Piedmonto, ad Rio de Calabria [secundum quorundam opinionem] esse circiter mille milliaria: latitudinem non transire ad centum & decem milliaria: eamque esse protractam & suspensam inter duo maria, *viz*: inter mare Mediterraneum & mare Adriaticum a Venetiis, cujus latitudo non transit ad centum & viginti milliaria, nec quidem ad ea pervenit. Et in medio ejus sunt Insulæ plurimæ parvæ e regione Dalmatiæ. Et quoque in medio maris Istriani sunt petræ & rupes unde excidantur lapides ad ædificandum.

NOTÆ IN CAPUT SEPTIMUM.

[1] *Edom*] Hinc & ex fine Cap. VI. innotescit, quod Nomine *Edom* Judæi præcipuam partem Europæ intelligant. Et apud R. Benj. p. 10. *Roma* vocatur ראש מלכות אדום *Caput regni Edom*. Alias Roma aliquando vocari solet מגדיאל *Magdiel* seu מגדילא *Magdila*, id est, *Magnificans se*, שיתגדל על הלא *quia magnificat se supra omnia ista*, ut dicit Abarbanel. De hoc vide Doctissimi Vorstii Observationes ad *Dav. Ganz.* p. 306.

[2] *Togar*] Ex Cap. XI. constat, eo nomine intelligi Ἤπειρος *Epirus* regio seu provincia, quæ hodie dicitur Ἀλβανον seu Ἀλβανία sive Ἀρβανία, Turcis ارناوط *Arnaut*. In Ogilbii Atlantis Japonicæ pag. 1. *Togar* dicitur apud Judæos esse ex Titulis Imperatoris Turcarum. Mihi autem videtur potius apud eosdem *Turcam* in genere denotare, quo etiam nomine emphatice aliquando *ipse Turca*, nempe *Imperator* intelligitur. Sic apud R. Jos. fil. David Aben-Lebh in Quæstionibus & Responsionibus fol. 6. 1. in plurali תוגרמים *Togarmim* usurpatur pro *Turcis*, & in singulari תוגר *Togar* pro *Turca* in genere. Agit enim ibi de Testimonio, in Italia dato per Turcam, de morte alicujus mariti: an scil. Turcæ Testimonium Judæis sufficere debeat, ut relicta uxor rursus nubere possit. Et, si non ex professo, sed quasi negligenter dicit, tum eum credere fas est; quia ex professo loquentes, mendacia cudere solent.

[3] *Constantinopolis supra Mare Archipelagum*) Hodie *Archipelagus*, olim Αἰγαῖον πέλαγος & Αἰγαῖος πόντος dicebatur. Molino ادەلر دكزى *Insularum mare*, quia Insulis abundat Alias Turcis dicitur آق دكز i. q. Græcis modernis Ἄσπρὰ θάλασσα, i. e. *Album mare*; quod quidem nomen aliquando toti Mediterraneo tribuitur. Supra hoc Mare versus Septentrionem, est Προποντίς, ἡ πρὸ τοῦ πόντου τοῦ Εὐξείνου θάλασσα, ad quam sita est nobilissima Thraciæ urbs & Imperii Sedes, olim Βυζάντιον postea a Constantino Magno Κωνσταντινούπολις dicta; a cujus tempore propter translatum illuc Imperium, vocata est etiam *Nova Roma*. Hinc est quod ab eo tempore in Orientalium Libris, روم *Rum* est *Græcia* in genere, vel ipsius Caput *Constantinopolis*. At in plurali forma, اروام *Armam* sunt tantum tales Græci quibus lingua Turcica est vernacula, a pueritiis in ea educati, qui itaque omnes Turcici Alphabeti sonos recte formare notant, contra quam alii Græci qui aliquot Turcicarum literarum sonos exprimere non possunt. Et quidem Thracia (in qua Constantinopolis) peculiariter vocatur روم ايلي *Rum-tli*, id est, *Regio Rum*; vulgo *Romania* & *Romelia*, quo etiam nomine *Argia* in Peloponneso vocari solet. Molino Græcia & Macedonia vocantur *Irim-eli* & *Urum-eli*: apud eundem *Rumelia* est tota Europa, propter rationem supra allatam pag. 13. Propter eandem causam moderna lingua *Græca* hodie vocatur Ῥωμαΐκη, & *Græcus* Ῥωμιός seu Ῥωμαῖος, & *Græcia* Ῥωμαΐα, quæ olim Ἑλλὰς seu אלישה *Elisa*; in S. Bibliis *Insulæ Elisæ*, & quoque *Tarshish & Insulæ*, id est, *Cilicia & Archipelagus* insulis scatens. Alias quando veteris Græciæ aut veterum Græcorum fit mentio, ab Orientalibus adhibetur nomen يونان *Junan* (ab יון) *Ionia* seu *Jones*. Veterum Interpretum Latinorum in hac parte ignorantia, [dum sc. *Rum* pro *Græcia* usurpari non animadverterent,) aliquot errores in Medicorum Libros invexit: ex gr. apud Avicennam, *Absinthium Rumæum* seu *Græcum*, in Latinis Codicibus legitur *Absinthium* Romanum, &c.

Constantinopolis a Judæis fere semper scribitur קושטנטינה, & sic Arabes & Persæ قسطنطينه *Costantina*, omittendo *n*. Turcis autem tam incommodum ex sua longitudine nomen, magis abbreviate vocatur ستنبول *Stanbol*, seu استنبول *Istanbol*, q. d. *Sti-*

d. *Stinopol* a Græco nomine corruptum; vulgo *Stambol*, quia *n* ante *b* aut, *p*, semper sonat ut *m*. Sunt qui sic dictam volunt, ab euntibus εἰς τὴν πόλιν *is Tin polin*: sic enim pron. Sed cum hoc nomen Turcis peculiare sit, non item Græcis, id esset imaginari Turcas nimis accuratos iu lingua Græca, quam certe spernunt & ignorant. Hæc urbs est situ valde amœna: unde est quod Χαλκηδὼν *Chalcedon* Turcice vocetur كور كوي *Cæcorum villa*; quod a Plinio etiam agnoscitur, dicta *Urbs cæcorum*, *quod tam vicina Byzantio constructa fuerit*. Cum enim Byzantium sit locus plane amœnissimus, portu sinuque navium stationi commodissimus; non nisi cœcutientes situm urbis aut oppidi ubi est *Chalcedon* prius selegerint, sc. in multo pejori loco, & navigantibus minus accommodo. *Chalcedon* quoque alias vocatur قاضي كوي i. e. *Villa Judicis*, quia ibi est Judicis ordinarii residentia. Errat vero Lexici Geographici Author, qui ponit *Scutari* seu *Escudar* esse *Chalcedonem*, cum a seinvicem plane ac a Constantinopoli fere æquidistent.

Inter Byzantii Nomina apud quosdam venit *Rubrum Pomum*, quamvis alii alium locum eo nomine intelligant. Occurrit autem in antiqua quadam Prædictione tantum, & non alibi. Turcæ itaque (qui anilium Prophetiarum nimis creduli,) sæpe in ore habent antiquum quoddam Vaticinium suum de *Rubro Pomo* quod sequentibus verbis tradunt يادشاهمز

كلور كافرك مملكتي الور قزل المه

الور قبض ايلر يدي يله دك غور

قليجي خقمسه اون ايكي يله دك ابلرك

بيكلك ايدر اوي يير باغي دكر باغجه

بغلر اوغلي قزي الور اون ايكي

يلدن صكرة كافرك قليجي جقر

اول تركي كري سنه نوشره *Imperator noster veniet*, *Rubrum Pomum occupabit tenebitque*. *Quod si ad septimum usque annum Christianorum gladius non insurrexerit*, *usque ad duodecimum annum eis dominabitur*, *domos ædificabit*, *vineas plantabit*, *hortos sepibus-muniet*, *filios & filias procreabit*. *Et post duodecimum annum*, (nempe ex quo Rubrum Pomum in illius potestatem redactum fuerit,) *apparebit Christianorum gladius qui Turcam recidere faciet*. Viz. in locum unde ortus fuerat, recedere coget & fugabit. In quibusdam exemplaribus legitur, *Kizil-Alma ve Urum Papai*, id est, *Rubrum pomum & Græcorum Papam*; ex quibus verbis quidam intelligunt Constantinopolim & Græcorum ibi Patriarcham, vel translatum illuc Romanum Imperium: quamvis ea verba *Papam Romanum* denotare possint, si tempore conscribendi prophetiam *Rum* sumebatur pro *Roma veteri*, quod jam sumitur pro *Roma nova* seu Constantinopoli. Et quia nec post 7um neque 12um annum (a capto Imperio Constantinopolitano) Christianorum gladius cum effectu contra ipsos præliavit, at e contra jam multis annis Thracia & Imperium Orientale sub illorum ditione mansit, sunt qui augurantur aliam aliquam Imperii Sedem sub nomine *Rubri Pomi* significari. Sunt qui de Vienua aut Buda aut fortissima aliqua urbe Imperiali exponunt. Omnia autem) ut in reliquis Prophetiis) dubia, incerta, & obscura. Hæc (qualiscunque sit) Prophetia extat apud Georgievitzium, a quo accepi, & in proprios characteres restitui.

Aliam habent Prophetiam quæ videtur competere ubi *Bagdad*, quam possessuri erant 40. aut 60. & aliquot annos: & postea Turcarum una tertia pars esset gladio peritura, altera tertia in captivitatem ducenda, & reliqua tertia pars in patriam (i. e. in Turcestan unde primo venerant) reditura. Hæcque Turcici Imperii dissolutio & abolitio facienda est per بر يلدز كه قرة يلدزدن كلسه *aliquam stellam quæ a nigra stella veniat* seu venire contingat; i. e. per aliquem Principem qui a Septentrionali Mundi parte veniat: quod jam declinante Turcarum Imperio præcipue notandum. Alii ex Turcis Constantinopolitanis frequenter in ore habent tertiam prophetiam, viz. *Quod sicuti in uno quodam Mohammede fundatum fuit Turcarum Imperium*, *ita in alio Mohammede desinet & dissolvetur*; quod dici solet regnante Mohammede quarto, qui nuper submotus & depositus est, suffecto jam ejus loco fratre Soleimano. Sed harum Prophetiarum [si quid in se contineant,) certum & definitum tempus tandem intelligetur, cum ipsa res prædicta extiterit.

4 *Mari Adriatico*] Ἀδριατικὸν πέλαγος, apud Sheripho 'l Edrisi Arabice vocatur خليج البنادقي *Sinus Veneticus*: Turcis وندبك دكزي *Mare Veneticum* seu *Venetum*, & وندبك بوغازي *Fretum Veneticum*. Quibusdam dicitur *Mare superum*, ad distinctionem a *Mari infero* inter Siciliam & Corsicam & Sardiniam. Ea sc. est Ἀδρία in qua D. Paulum jactavit procellosus ventus dictus Εὐρακύλων, (in Vulgat. & Versione Italica *Euroaquilo*,) qui vulgo ut videtur Εὐροκλύδων pronuntiatione faciliori. Nam hæc vulgata Lectio recepta erat antiquitus, ut apparet ex consonantia Versionis Syriacæ cum Græco. Nec quis debet mirari, cum videamus plurima alia a vero detorta, ut Γόλγοθα pro ܓܓܘܠܬܐ *Gogultha*, Βοανέργες pro ܒܢܝ ܪܓܫ *Benai regesh*, &c.

5 *Durazzo*) *Dyrrhachium* est Ἐπίδαμνος urbs Illyricæ: & Δυῤῥαχία est ipsa *Illyrica*.

6 *Corfu*) Græce Κόρφος i. q. κόλπος, a Sinu (qui ibi est) Ionia seu Adriatico. Olim Κέρκυρα; Lat. per *o*, *Corcyra*. Alias Φαίαξ & Φαιακία: Homero Φαιάκων νῆσα. Antea olim Δρεπάνη, & Σχερία. Tot habuit nomina.

7 *Modon & Coron*) Olim Μεθώνη seu Μοθώνη & Κορώνη, duæ scil. Moreæ seu Peloponnesi urbes, quarum verus situs in D. Randolphi *Charta Moreæ* quæ anno 1686. prodiit, habetur. Ambæ simul a modernis Græcis hodie in plurali forma Μοθωκόρωνα vocantur.

8 *Hellespont*) Ἑλλήσποντος est angustum mare ab Ægæo in Propontidem ducens. Borealis ejus extremitas nostro Judæo *Fretum Callipolitanum*, Turcis كليبولي بوغازي id est, *Stretto di Gallipoli*, ut Itali vocant. Hoc sc. mare incipit a Tenedo quæ in Orientali extremitate Maris Ægæi sita, & deinde transit inter Castella quæ Σηστὸς & Ἄβυδος dicuntur, donec ad Καλλίπολιν initio Propontidis desinat. Hæcque Castella Italis nuncupantur *Dardanelli*, ut videtur a vicino Oppido *Dardano*. Turcis nominantur بوغاز حصار لري *Castella Freti* seu *Faucis*: nam tam Hellespontus quam quodvis Fretum, vocari solet *Bogaz*, quod proprie *Guttur* seu *faucis* notat. Turcæ enim ubicunque dominantur, (ut victores solent,) vel nova Nomina imponunt, vel alias vetera Nomina corrumpunt, aut aliquo modo mutant mutilantque, vel tandem in suam linguam interpretantur: quorum heic aliquot exempla dabo.

Ex. gr. Τένεδος Sporadum insula in Hellesponto, Turcis dicitur بوزجه اده *Cineritia insula*, quia præternavigantibus Cineritium colorem exhibet, præsertim alba ejus Rupes يلاو داغي *Pelav daghi* dicta, i. e. *Mons τῶς pelav*, quia apparet ad instar cumuli cibi dicti *Pelav* seu Oryzæ coctæ, quæ in patina aliquando altius cumulari solet. *Malvasia* Turcis est *Menekshi*. Urbs *Erythra* est جشمه *Fons*. Μῆλος (vulgo *Milo* seu *Mylos*) Molino est دكرمنلك *Deghirmanluc* seu دكرملي *Deghirmanli*, id est, *Molaria* insula; Bernardo da Parigi دكرمن اطهسي *Molarum insula*. Χῖος vulgo *Sio*, صاقز اطهسي

أدسي *Gummi* ſeu *Maſtiches inſula*. Σάμος eſt قوش سوسم أدسي *Seſami inſula*. Ἔφεσος eſt قوش أدسي *avium inſula*, & أيوصلف *ayuſluc*, forte Ἀγίοτης. Κυθῆρα vulgo *Cerigo*, dicitur جوقه أدسي *Pani inſulæ*. Κάρυστος eſt قزل حصار *Rubrum Caſtellum*. Ζεὰ ſeu Ζαιὰ, vulgo *Zia* ſeu *Cea*, vocatur كجك دكرمنلق أدسي *Inſula molaria minor* ſeu *parva* : & Bernardo da Parigi ea alias dicitur, مردار أدسي *Inſula fœtida* : & a Turcarum nautis (ut mihi dictum eſt) vocatur يمرده أدسي *Ovi inſula*, quia in forma ovali. Λάρισσα, vulgo *Larſa*, in Arabum Libris ſcribitur العريش *Alariſh*, Turcis vero dicitur يكي شهر *Nova urbs*, unde & Θετταλία vocatur ولايتى يكي شهر *Nova urbis regio*. Λίσσος, vulgo *Aleſſo*, hodie eſt أرناوط أسكندريه *Alexandria Albaniæ*. Ναύπακτος ſeu Ναύπακτον, ἀπὸ ναυπηγίας τῶν Ἡρακλειδῶν, vulgo *Lepantum*, hodie eſt أينه بختي *Einabacti*, corruptum a *Naupacto* nomen. Alias vero dicitur يكي باغجه *Novus hortus*. Ἀθῆναι, eſt أثينا *Aſina* ſeu *Atina* : his enim modis vulgo pronuntiatur. Κόρινθος videtur eſſe hodie *Giurdeſe*, Leunclavio *Gjereme*. Τῆνος eſt *Stindil*. Mons *Ida* in Mytilene, eſt قوز داغي *Juglandium mons*. *Troja* ſeu *Troas*, [hodie *Dravada*,] eſt أسكي أستنبول *Conſtantinopolis vetus*. Παλαιαὶ πάτραι (in oppoſitum νέων πατρῶν. Cinnami Interpreti Latino *Novorum Patrum*, male,) corrupte ſunt *Balja Batra*, ſeu ut Molinus *Balli Badra*, Bernardo da Parigi & in Diplomate Tureico باليه بادره *Balja Badra*. Λακεδαίμων eſt *Miſithra* ſeu *Miziſtra*. *Conſtantinopolis* eſt *Stanbol*. Ἀδριανούπολις Italis *Andrinopoli*, Turcis eſt أدرنه *Edrine* : & Θρακία eſt أدرنه ولايتي *Regio τῆς Edrine*. Ἀλεξάνδρεια Turcis & Arabibus eſt أسكندريه *Iſcanderia*. Θεσσαλονίκη eſt سلانيق *Selanic*, Italis *Salonica*. Θῆβαι (cujus nominis urbes plures, vulgo *Tiva*, *Stibes*, *Stives*, *Siton* ſeu أزديں *Izdin*. Ζάκυνθος, vulgo *Zante*, eſt أيزاكيسا *Izacliſa* ſeu *Izacliſe*. Μυτιλήνη eſt مدللو *Midillu* ſeu *Midilli*. Καππαδοκία eſt *Genik*. *Sclavonia* eſt *Boſna eli*. Ῥαγούσα eſt دوبره وندیک *Dobra Venedik* ſeu *Dobru Venetic*. Ταῦρος eſt قاف داغي *Mons Kaph*. *Tranſylvanus* eſt أردل *Erdel*, & *Tranſylvania* أردل ولايتي *Regio Erdel* : alias Molino eſt أردل مجاري *Erdel Magjari*, id eſt, *Erdel Hungariæ*, quæ Turcis dicitur مجار *Magjar*. *Vienna* Turcis eſt بج *Betch*. Germanus eſt نمجه *Nemgje* ſeu *Nemtche* : & *Germania* نمجه ولايتي *Regio Nemtche*. *Pontus* Provincia eſt ولايتى بوللي *Regio Boli*. *Pontus* & *Bithynia* ولايتى عثمانجق *Regio Oſmantchic*. *Balbura* urbs Lyciæ, eſt قره برون *Niger naſus* ſeu *nigrum Promontorium*. *Corycus* urbs Ciliciæ eſt قره حصار *Nigrum Caſtellum*, [ut videtur] Lexicographi *Ecteri* patria. Eodem nomine gaudet *Seleucia* urbs Piſidiæ, & alia loca. *Cydnus* fluvius Ciliciæ, ut & *Neſus* ſeu *Niſſus* fluvius Thraciæ, vocantur قره صو *Aqua nigra*. *Juliopolis* Bithyniæ, dicitur بيك بازار *Baronum forum*. *Oxolithum* inter Myſiam & Macedoniam, eſt سوري حصار *Acutum Caſtellum*.

Χελωνίτης, ſeu forte Χελώνη. hodie eſt *Caſtel-Torneſe*. Sed in Diplomate Turcico & Capitulationibus Turcicis ad Moream olim ſpectantibus, ſcribitur حلومج *Holumutch* & حلوميج *Holumitch*; quod contractius effertur *Holmutch*, ut in Chartis D. *Henrici Hyde* Equitis Aurati (qui diu ibi vixerat, & per Cromwellium pro cauſa Regia olim injuſte decollatus eſt,) ſcriptum extat. Alius ex noſtratibus, qui etiam ibi vixit, pronuntiat *Clomutoh*, quaſi didicerat a Turcis pronuntiantibus *Hlomutch* ſeu *Hlomitch*.

Εὔριπος Turcis eſt أغريبوز *Egriboz* ſeu أغره بوز *Igreboz*, quo nomine intelligitur Εὔβοια in Archipelago Inſula, cujus præcipua urbs eſt *Chalcis*. Et hinc (ut videtur) corruptum vulgo nomen *Negropont*, q. d. *Evripont* ſeu *Egripous*, quia *Euripus* (ſeu *Stretto di Negropont*) ponte jungitur Continenti Achaiæ. *Euripo* autem *Taurominitano* [in Siciliæ ora Orientali) ſæpius fluere & refluere perhibetur *Euripus Euboicus*, qui Plinio ſepties die & nocte ſe reciprocare dicitur. Sed frequens iſte fluxus & refluxus ab antiquis nimis temere creditus, corrigitur a Gillio, & modernis, qui aſſerunt fieri tantum ſingulis ſex horis, ſcilicet tota nycthemera bis fluere & toties refluere comperitur. Antiqui itaque vel magnalia de Euripo prædicare affectabant, vel alias falſi ſunt ex partiali aquarum reditu per Promontorii Chalcidis in mare projectionem effecto : illud enim Promontorium longius in mare porrectum, præterlabentes aliquantulum impedit aquas; quarum itaque pars in gyrum acta ad dictum Promontorium rediens, (Anglice *the Eddy* vocamus,) refluxum imperfecte quodammodo æmulari videtur.

Pyrene Turcis dicitur صوق صو, & Græcis modernis Κρυὸ νερὸ, utrumque *Frigidam aquam* notans, propter inſignem ejuſdem frigiditatem dum e fonte ſalit, quamvis diurno tempore lapides inſigniter caleant in litoribus ubi ejus aquæ in terram delapſæ fluunt. Iſte fons ex Acrocorinthi ſummitate Occidentali ſub ipſis Caſtelli fundamentis erumpit magno & rotundo fluxu, qui per 50. ſaltem orgyas deorſum præceps ruens in humile ſolum cadit. Hoc modo vides aliquid de more Turcico in locis nominandis. Infinitum eſſet hujuſmodi omnia enumerare.

9 *Euxini*) Quibuſdam *Diſabachi* dictum mare. Pro نيطس *Pontus*, in Arabum Libris ſemper perperam ſcribitur نيطش *Nitosh*, errando in Punctis diacriticis, ut in nominibus exoticis ſæpe apud eos fieri ſolet. Calcashendio dicitur بحر قرم *Mare Crim*. Turcis قره دكز idem quod Græcis Μαυροθάλασσα *Mare nigrum*, propter denſam & tenebroſam nebulam پوش *Push* vel طومن *Duman* vocant Turcæ] quæ totum illud mare occupat tegitque, & navigatur periculoſum reddit. Eademque obſcuritas pariter afficit vicinum populum *Cimbricum* eorumque urbem Κιμμέριον, quæ juxta ad Boſporum olim ſita. Aliud *Cimmerium* eſt *Cimbrica Cherſoneſus* Daniæ, unde forte dicti *Cimbri Taurici*, & noſtri *Cumbri* & *Cambri*; quos fortaſſis longa illa Gentium Vagina ex Suecia in Daniam olim transfuderit; præſertim ſi ſentiendum

sit cum D. Rudbeckio, qui *Cimmerium* in Septentrionali parte Sueciæ collocat in suo Atlante; in quo etiam pro patriæ honore, totius Historiæ antiquitatem & originem ad Sveciam suam (ut mihi videtur magis ingeniose quam vere) pertrahit.

Sunt etiam qui *Cimmerium* collocant inter Colchos & Iberos. Qui autem in Italia inter Bajas & Cumas id situm volunt, ipsi in tenebris vere Cimmeriis versari videntur. De dicto autem *Cimmerio* ad Bosporum, canit Homerus *Odyss.* 11. prope initium,

Ἔνθα δὲ Κιμμερείων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι. &c.

Et sic ad reliquam descriptionem pergit, ut consulentibus videre est.

CAPUT VIII.

פרק ח׳ בגבולים אשר אחורי כל גבול ים אפריקאנו מתחיל ממיצר גיבילטאר
ויעבור ביבשה על מצרים וגבול נילוס ומוצאו וים ומוצאו
עד ארץ ישראל ויפו ובארוט וציציליאה:

Caput octavum agit de limitibus qui sunt pone totum terminum maris Africani, incipiendo a Freto Gibeltar. Deinde transitur per Continentem ad Ægyptum & terminum Nili ejusque exitum, & ad mare Suph ejusque exitum, usque ad terram Israel, & Joppam, & Berytum, & Siciliam.

אחרי אשר בארנו במה שקדם זכרון המקומות אשר באורך שפת ים אפריקא הנקרא ים האמצעי להיותו באמצע הישוב או ים אריה ממיצר גיבילטאר עד בארוט שהוא חוף לדמשק נבאר ונודיע כי אחורי האפריקא אשר על שפת הים וכל הישובים ההם יש מלכיות וגלילות רבות אחוריהם מסתעפים והולכים על ההרים הרמים הנק׳ר אפריקא סופיריאור עד כי מההרים ההמה ולמעלה יעלה הגבול באורך ורוחב בגלילות זרותלא נודעו עד בּיבימים האלו אשר החשוב מלך פורטונאל הדריך באניותיו בים אוקיאנוס אחורי היבשה בצד הדרום ההוא התחתון נבגלילות ההם ונקרא הגליל ההוא אפריקא שפלה ומימי ההרים ההם המפסיקים בין הצד האפריקא שלנו יורדים בים ההוא הגדול הוא ים אוקיאנוס המקיף אשר נדבר ממנו בע״ה בכלל אורך הגלילות והאיים והישובים אשר שצאו בו:

אמנם נודיע בזה כי אחורי האפריקא הזאת אשר היא נגד רמון ספרד קאטאלונייא פרווינצה איטאליאה יש מלכיות גדולות לאחורו האפריקא היא בארבאריאה וכי ממלכות פיס ואחוריה וטונים יגיע באורך הקו למצרים ביבשה רחוק מאליכסנדריאה כמו ת״ר מילים רחוק מהים ואצל הגליל הזה יגיעו מימי נילוס היורדים מהרי הלבנה העליונים וירדו דרך מירואי שהוא איקלים

Postquam jam explicaverimus præcedentia, sc. mentionem locorum quæ sunt per longitudinem oræ Maris Africani dicti Mediterranei [eo quod sit in medio Orbis habitabilis,] aut [1] Maris Leonis, a Freto Gibeltar usque ad [2] Berytum quod est Portus pro Damasco; pergemus explicare & docere, quod pone Africam & omnes illas Habitationes quæ in litore maris, sint regna & regiones plurimæ diffusæ & procedentes per Montes excelsos, quæ dicuntur Africa superior; donec tandem a montibus illis & superius, ascendat terminus longitudine & latitudine per regiones peregrinas quæ non erant notæ, donec tandem in istis diebus præstantissimus Rex Portugalliæ navibus suis perveniret in Mare Oceanum ad posteriora Continentis per plagam illam Australem inferiorem & regiones illas. Et illa regio vocatur Africa inferior. Aquæ autem illorum montium qui inter nostrum latus Africæ dirimunt, descendunt in mare illud magnum quod vocatur Oceanus ambiens, de quo auxilio Divino sermonem facturi sumus in summa Longitudinis Regionum & Insularum & Habitationum quas in ea reperierunt.

Et profecto hoc notificabimus, pone illam Africam quæ est Barbaria (e regione Granatæ Hispaniæ & Cataloniæ & Provinciæ & Italiæ,) esse regna maxima; & per regnum Fess & posteriora ejus & Tunetum, pervenire lineam ad Ægyptum longitudine per medium Continentem procul ab Alexandria, ad distantiam circiter 400 milliarium a mari: & juxta hanc regionem pervenire aquas Nili descendentes e montibus Lunæ excelsis, & decurrentes per viam Meroes quæ in Climate primo, & quoque per Clima secundum, donec perveniant in Ægyptum. Et posthac aquas

ראשון וגם על האיקלים השני עד הגיעם
למצרים וירדו מימיו אחרי כן לסעיפים רבים
אצל גליל דאמיאטא עד חום הים האמצעי
הסמוך לאליכסאנדריאה ויעלו תוצאות
אותגליל מצרים ביבשה עד ימצא רוחב
ים סוף הנקרא ים אראביקוס היוצא
מקצות הים הגדול המקיף הוא נקרא ים
בארבאריקוס מאוקיינוס אשר שם יתחיל ים
הודו ויגיע הים סוף הזה בתוך היבשה
והמדברות אצל מדבר סיני ויעבור מעברות
היבשה סביבות פלשתים ואדום ומואב
הנקרא אראביאה פיליקש ויחבק הגבול הזה
כל ארץ ישראל אשר אחורי ים יפו ויסוב
סביבות הר הכרמל והלבנן צור וצידון עד
אחורי בארוט הוא חוף דמשק ויסוב אחורי
הים ההוא כל ארץ סוריאה וארם צובה
עד הגיעו לארם נהרים הנקרא מאסופוטניאה
ושם ירדו מימי נהר מרת סהרי סארמאציאה
ונהרות אחרות יורדים לים בכל אשר
בסינוס ים פרס אשר נבאר עגינו להבא כי
שם יתבאר מארץ כשדים ומדי ופרס אשר
הם מגלילות הסופי באסיאה מאורי ואולם
העולה מארבייאה פיליקש לעלות ולעבור
המדברות בצד הדרומי אחורי ארם ודמשק
וללכת דרך מעבר הקארובאני שהם נושאי
הבשמים מקדם מארצות לאמיקא וקאליקוט
סמוך לים הודו הגדול שם מצב היהורים
הרבים ושם מלכות הפריסטיגייאני ונהר
סמבטיון ביבשה ההיא וארץ עדן ומדבר
חבור וכל החדושים אשר נזכיר להבא.

נמצא בזה במשך הספור הזה על צד
האמת והתורה והסופרים שמצרים מערבית
דרומית לארץ ישראל ואדום ועמלק ומואב
דרומיים ממש ופרס מזרחית דרומית ממש
לה ודמשק גב׳ ובבל והודו וארם מזרחיים
צפוניים לארץ ישראל וחוף יפו וצור וצידון
מערביים לארץ:

ואספיק בזה כי לא אוכל להזכיר שיעור
המרחק ומספר המילין והפרסאות אשר בין
זה לזה ושיעור הנטיות במרחקים הצדדין
להם כי זאת מלאכה ארוכה היא מאד:

ejus pluribus ramis descendere ad regionem Damiatam per [3] æstuaria maris Mediterranei prope Alexandriam: & deinde ascendere exitus regni Ægypti per Continentem, donec inveniatur latitudo maris Suph (quod vocatur mare Arabicum,) egredientis ex extremitatibus maris magni ambientis (quod vocatur mare Barbaricum,) ex Oceano ubi incipit mare Indicum: & istud [4] mare Suph penetrare in medium Continentis & Desertorum, usque ad Montem Sinai: deinde (limitem) transire tramites Continentis per circuitum Philisthęorum, & per Edom & Moab, quę dicta sunt Arabia felix: & terminum istum complecti totam terram Israel quæ est pone mare Joppense, & circuire per circuitum Montis Carmel & Lebanon, & Tyrum, & Sidonem, ad posteriora Beryti quod est Portus Damasci: deinde circuire per posteriora illius Maris per totam terram Syrię & [5] Aram-Sobæ, donec perveniatur ad Aram-Naharaim dictam Mesopotamiam: ibique aquas fluvii Euphratis descendere e Montibus Sarmatiæ, aliosque fluvios iu Mare decurrere, cum omnibus qui (vehuntur) in Sinum Maris Persici, cujus res explicabuntur in sequentibus; ubi etiam agetur de Terra Casdim, & Madai, & Paras, quæ sunt ex regionibus Sophii in Asia majori. Et quidem ex Arabia felice ascendemus ad pertranseundum Deserta plagæ Australis pone Aram & Damascum, & ad eumdum per viam qua transit [6] Caravana portantium Aromata ex Oriente e terris Meccę & Calecut prope mare Indicum magnum, ubi est statio Judęorum multorum. Et ibi in Continente illo est Regnum Prestigiani, & Flumen Sabbaticum, & terra Edenis, & Desertum Chabor, & omnia nova quę in sequentibus commemoraturi sumus.

In hujus narrationis continuatione reperiemus juxta ipsam veritatem & Legem & Scriptores, Ægyptum esse Austro-Occidentalem terrę Israel; & Edom, Amalek, & Moab esse Australes certe (seu directe:) & Persidem esse ferme Austro-Orientalem, uti etiam Damascum: & Babel, & Indiam, & Aram esse Boro-Orientales terræ Israel: & Portum Joppam, & Tyrum & Sidonem esse Occidentales (dictę) terrę.

Et hic quidem desinam, propterea quod non possim commemorare ęstimationem (i. e. quantitatem) distantiarum & numerum milliarium & Parasangarum inter unum locum & alterum; neque ęstimationem [seu quantitatem] declinationum in distantiis lateralibus [i. e. obliquis;] hoc enim opus nimis prolixum foret.

NOTÆ IN CAPUT OCTAVUM.

[1] *Mare Leonis*) In Chartis impressis est *Mare Leontinum*. v. infra.

[2] *Berytum*] R. Benjamino Hebraice vocatur בארות *Beeroth*, i. e. *Putei*; quale quidem Nomen pluribus locis accommodari possit & solet, cuivis sc. loco ubi vel sunt vel fuerunt multi Putei, ut in Italia *Puteoli*, &c.

[3] *Æstuarium*) Pro חום *æstuarium*, Codex Venetus legit חוף *Portus*, sensu minus commodo. Nam cum in illo mari plures sint *Portus*, dixisse *ad portum*, nullum certum locum indicat. Heic autem intelligi videtur ea litoris pars ubi mare in Ægyptum circa Nili ostia æstuat, quæ proprie *Æstuarium* vocari possit.

[4] *Mare Suph*] i. e *Mare algæ* seu *algosum*. Cumque id sit Lingula ex mari Indico exerta, Cap.XXIII. vocatur לשון ים סוף *Lingua* seu *Sinus maris Suph*: sic enim quivis Sinus vocari solet. Hinc est quod *Isa.* XI. 15. לשון ים מצרים *Lingua* seu *Sinus maris Ægypti*, totum mare Mediterraneum, & præcipue partem Ægypto proximam, notet: plane enim cum ostiis Nili jungitur. Jesuita quidam Missionarius qui in Æthiopia (Abyssinorum regione) ad propagandum fidem aliquot annos vixerat, ibique Ecclesiam sibi peculiarem comparaverat, in *Tract. de Origine Nili* Anglice impresso scribit, Mare Rubrum sic vocari propter Algam in fundo Maris nascentem dictam Æthiopice *Supha*, cujus paulo infra aquæ superficiem in vadosis locis rubrum intuentibus apparet Semen, quo (sicut Rubia tinctorum) pannos rubro colore inficere solebant; & (ut ipsum de re sibi bene nota loqui constare posset,] eo ipso Semine Ecclesiæ suæ rubras Cortinas tinctas fuisse affirmat. Veram autem rationem cur illud Mare vocetur Rubrum, alibi in hisce Notis tradidimus.

[5] *Aram Sobæ*] Tam Syriæ quam Mesopotamiæ (vel utriusque simul) generale Nomen est *Aram*, quod itaque plerumque adjuncta habet alia Nomina distinguentia, quænam harum Regionum particulares partes intelligendæ sint indicantia. Syri statuunt *Sobam* esse نصيبين *Nisibin*. Hoc autem non potest esse, quia *Nisibin* est in *Aram-Naharaim* seu *Mesopotamia*, quæ *Psal.* LX. 2. plane distinguitur ab *Aram-Soba*, ut & apud nostrum Authorem fit. Præterea alibi in S. Bibliis dicitur Rex *Sobæ* petiisse copias in auxilium suum ex *Aram-Naharaim*, ab ultra Euphratem. Ergo is erat cis Euphratem. R. Benjamino p. 59. *Soba* est חלב *Haleb*, vulgo *Aleppo*. Et quidem noster Peritsol videtur indigitare Septentrionalia Syriæ juxta Halebum versus Euphratem. Et quamvis planum sit ex 1. *Chr.* XVIII. 9. quod *Hamath* & *Soba* distinctæ fuerint Urbes aliquando sub Regibus distinctis, ab illa tamen sæpius quam ab hac denominata videtur tota Provincia, quæ itaque dicitur *Hamath-Soba*, ea viz. τῆς *Hamath* pars ubi est *Soba*. Ideoque Spanhemius & Bochartus statuunt quod *Aram-Soba* sit idem quod *Hamath-Soba*, sc. versus Australiora Syriæ, ubi est *Tadmur* seu *Palmyrene*: idque præcipue colligunt ex 2. *Chr.* VIII. 3. 4. *Et Salomon profectus ad Hamath-Sobam, prævaluit contra eam: Et ædificavit Tadmur in Deserto, & reliquas Civitates annonarias quas ipse ædificavit in Hamath.* Et ut in singulis totius Orbis Regionibus, Provinciæ a majoribus suis urbibus denominari solent, (ut *Damascus* aliquando vocatur *Aram-Dammeshec*, &c.) sic possit bene consistere quod *Aram-Soba* sit in Provincia *Hamath*, cum *Aram* sit generale nomen totius Syriæ, & *Hamath* particularis Provinciæ, quæ tamen aliquando ab *Hamath* & aliquando a *Soba* denominata est, prout hæ urbes uni aut duobus Regibus subjici contigerint. Et sane circa dictum locum sita videretur *Soba*, ex 2. *Sam.* VIII. 3. & 1. *Chr.* XVIII. 3. *Et David percussit Hadadezer Regem Sobæ usque ad Hamath, cum iret* להשיב *ad vertendum* (al. להציב *ad statuendum*] *manum suam in flumen Euphratem*. Cum nempe David converteret se ad percutiendum accolas Euphratis ad Occidentalem ejus partem, inter reliquos simul percussit Hadadezer qui etiam illas partes incolebat. Versio Anglica vix satis bene quoad verba, *As he went to recover his border towards the River Euphrates*. Sensus tamen sat bene: nam *convertisse manum* contra illam regionem, erat ut hac ratione posset *limitem suum recuperare*.

[6] *Caravana portantium Aromata*) Tales erant Ismaelitarum seu Arabum Mercatores Ægyptum petentes, quibus olim venditus Josephus Patriarcha, qui tunc ab illis deportatus est. Vox Persica est كاروان *Carvan*, id est, *Negotiator*, vel collective *Negotiatores*; sc. tota eorum Cohors simul iter faciens, quæ Arabice قافلة *Cafila* vocatur. Hinc Mercatorum Hospitia publica quæ Arabibus audiunt خان *Can*, Persis كاروان سراي *Carvan serai* nominantur, i.e. *Caravanæ hospitium*. Nam *Serai* est quævis *Domus ampla*: unde in Constantinopoli, Imperatoris *Palatium fœminarum* Turcis dicitur nomine Persico *Serai*, Europæis minus bene *Serail*, & *Seraglio*.

CAPUT IX.

פרק ט׳ בגבולי פרס וים פרס וגלילות הודו כלם נקראו אנריאה סופידיאור
ואינפיריאור וגאנייס ואיסטרא ומדי ובבל והרי קאספיאו וים
קאספיאו המת והיהודים הסגורים לדעת הסופרים
ואי טאראפובאנא :

Caput nonum agit de limitibus Persiæ & Maris Persici, & de regionibus Indiæ omnibus quæ vocantur India superior & inferior, & intra Gangem & extra: & de Babel, & Media, & montibus Caspiis, & mari Caspio mortuo: & de Judæis inclusis, secundum opinionem Scriptorum: & de insula Taprobana.

ראוי שנשמור סדר הישובים והמדברות בפרק הזה בהיות כי בפרק הקודם לזה כתבנו הגלילות מאפריקא והמתגלות בין היבשה מקצות המערב מהאורך בכל

Convenit ut in isto Capite servemus ordinem Habitationum & Desertorum, cum in capite præcedente descripserimus regiones Africę, & discursitationem nostram huc illuc per Continentem a partibus Occidentis per longitudinem totius Afri-

האפריקא עד אשר באנו אל תוך אשיאה הגדולה והזכרנו מה שזכרנו מכל ארץ ישראל וסביבותיה וארם ודמשק וסוריאה וציליציאה גלילות עוץ וארמיניאה:

נזכיר עתה מגלילות פרס והודו אשר הם מהלאה לדמשק לצד המזרחי ונאמר כי מגלילות פרס ועל ים פרס יש ישובים גדולות ומלכיות גדולות ומדברות ארוכות עד הגיע אל סוף הישוב לפי טולומיאו וכתב באורך כל גלילות הודו עד ים הודו ביבשה הגלילות האלה שמותם ואלה קראמאניאה סמוך לים פרס אשר הוא ים עגול וכנס ביבשה מים הודו. ואחר זה אריאה וכל מלכות דראנגיאנם הגדול אראקוסיאה סמוך לנהרי גאנייס הגדולים ומדברות גדולות והרים ויערות בין כל אחד מאלה הגלילות:

אחרי אלה לרצועות המזרח הודו היא ארץ הודו בגאנייס ואינדיא איסטרא ומלכות סירקא הגדול והנפלא ארץ מדברות ויערים גדולים ובשמים וחיות ועופות זרות עם שני גלילות היורדים לצפון הנקראים סקיטאגיאה אוסטרא בתוך משך הרים ארוכים ויהודים רבים נסגרים שם לפי דעת הכותבים:

אמנם למטה בדרום בצד ים הודו נגד אינדיאה גאנייס יש אי אחת גדולה בים הודו תחת משוה היום נקראת טראפובנא הגדולה לא ישוער ערכה מרוב טובותה ועניניה אנשיה שחורים לבושי מוך לבן חצי גופם משתחוים לאלילים ולשמים ואיים רבים סביבותיה עד סינוס מאגיוס שהוא סוף מכתב מציאות מזרחית ימיי לטולומיאו ומה שנזכיר ביתר ישובי המזרח הצפוניים אשר להלאה לארמיניאה ועוץ וארם העליון ללכת בארצות מדי אין קצה למספר הגלילות ההם:

ומנהר טאנס והלאה התחלת האשיאה כגון גלילות סקיטאניא התחתונה והעליונה ואושיאנה היא שושן הבירת ממלכות הסופי ואירקאניאה וקאראמאניאה מלכות הכלב הגדול ובגלילות הלזו שהיא מיוחסת לגומר

Africę, donec tandem venerimus in medium Asię majoris, & commemoraverimus omnia quę dicta sunt de tota terra Israel, & circumadjacentibus ei, & de Aram, & Damasco, & Syria, & Cilicia, & regionibus Ausitide & Armenia.

Jam vero commemoraturi sumus regiones Persię & Indię, quę sunt ultra Damascum ad plagam Orientalem. Dicimus itaque, de regionibus Persię & supra Mare Persicum esse habitationes magnas & Regna maxima, & Deserta longa, usque dum pervenias ad extremum Orbis habitabilis secundum sententiam Ptolemęi, qui scripsit de Longitudine omnium regionum Indię juxta mare Indicum in Continente. Tales autem sunt regiones, & talia Nomina earum: *viz.* Carmania prope mare Persicum, quod est mare rotundum contingens Continentem ex mari Indico. Et post hanc est Aria, & totum regnum Drangianę maximum, & Arachosia prope magnum Fluvium Gangem; & Deserta magna, cum Montibus & Sylvis inter singulas hasce regiones.

Et post hęc ad lineas Orientis est Hodu, quę est India intra & extra Gangem, & Regnum [1] Sericę magnum & mirandum; terra inquam Desertorum & Sylvarum amplarum, & Aromatum, & Bestiarum & Volucrium peregrinarum; una cum duabus regionibus tendentibus versus Aquilonem dictis Scythania † exterior in medio tractus montium continuatorum longitudine: ibi inquam conclusi sunt plurimi Judæi, ex sententia Scriptorum.

Utique inferius versus Austrum ad latus maris Indici e regione Indiæ Gangeticæ, in mari Indico, sub Æquatore diei est Insula quædam magna dicta Taprobana, quæ tam magna est ut valor ejus æstimari non possit, propter multitudinem bonorum ejus & rerum ejus. Incolæ ejus sunt nigri, induti [2] gossipio albo per dimidium corporis sui, adorantes idola & cœlos. Et circa eam sunt insulæ multæ usque ad Sinum magnum, qui est finis descriptionis Orbis Orientalis maritimi secundum Ptolemæum. Et, si vellemus commemorare reliquas Habitationes Boreo-Orientales quæ ultra Armeniam & Ausitidem & Aram superiorem qua itur in terram Mediæ, infinitum esset illas regiones recensere.

A fluvio Tanai & ultra eam, est initium Asiæ, sicuti Regiones Scythanię inferioris & superioris, & [3] Susiana quæ est Shushan Palatium illud regni Sophii; & Hyrcania, & Carmania, & regnum Canis magni. Et in istis regionibus quæ pertinent ad Gomer & Magog, inter Deserta

ומגוג נמצא תוך מדברות היבשה ים גדול
ועצום עגול מוקף יבשה כלו ואין לו מבוא
בשום ים ולא יחס כלל באוקיינוס רק לבדו
נמצא ומוקף יבשה ומימיו מרים ונהרות
רבות ילכו בו מתמעט בעליית העבים
להשקות הישובים ויתמעט ג״כ דרך מבועי
המעינות הרבות אשר תמיד יביעו ויולדו ממנו
בגלילות ההם ונקרא ים מות מפי שהוא
מומות ועומד בעצמו מבלי שיתקשר בשום
ים וגם שלפעמים שהיא נקפה בקרח חזק
מפני הקור הגדול ואחר בזמן דקיץ בטבע
הזלת ומרוצת מי הנהרות יעמידוהו על
תלו ומוקף בישוב בהרבת מקומות ובו
איים רבים והוא נמצא בין הסרמאציאה
לאיסקיטאניאה והרי קאספיאו או ים
אירקאניא ומוקף הרים וגבעות מקרוב
ומרחוק וירדו ההרים האלו סביבות מדי
עד הגיעם למוצאות מי פרת וחדקל ויבא
בארץ בבל הגדולה : וכל המדברות ההם
הגדולים עד הגיעם סמוך לגלילות דמשק:

ta Continentis reperitur mare quoddam magnum & forte, rotundum, totum Continente circundatum, nec eſt ei introitus ad quodvis aliud mare, nec omnino pertinet ad Oceanum, ſed tantum ſolum reperitur Continente circundatum, ejuſque aquæ ſunt amaræ: & quamvis Flumina plurima in eam intrent, diminuitur per 4 aſcenſum nubium ad rigandum Habitationes: & diminuitur quoque per multas fontium Scaturigines, quæ perpetuo fluunt & ex eo naſcuntur in regionibus illis. Vocatur autem 5 Mare mortuum, quia mortuum eſt ſeorſim ſtans, non adjunctum alii cuipiam mari: & quoque quia aliquando ad inſtar gelu duriſſimi congelatur propter intenſum frigus. At poſtea tempore æſtivo per naturam (i. e. medium) defluxionis & decurſus aquarum fluviorum, illud rurſus fit ſubſiſtere ſuper 6 acervo ſuo. Multis locis circundatum eſt Habitationibus: & in eo ſunt Inſulæ multæ. Et quia ſitum eſt inter Sarmatiam & Scythaniam, & Montes Caſpios, & Hyrcanos, inde eſt quod vocetur mare Caſpium & mare Hyrcanum. Et quidem prope proculque circundatum eſt Montibus 7 & Collibus, qui per circuitum Mediæ deſcendunt, donec perveniant ad exitum aquarum Euphratis & Tigris: & deinde intrant in magnam regionem Babelis & Deſerta illa magna, donec perveniant prope regiones Damaſci.

NOTÆ IN CAPUT NONUM.

1 *Serica*] D. Bartoloccius in Bibliotheca Rabbinica, p. 121. hunc locum citans ex Peritſolii exemplari male lecto & pejus intellecto, pro *Serica*, perperam legit פריק *Perica*: & ibidem pro איסטרה *Eſtera*, i. e. *Extra*, legit אסירה *Aſira*, quod exponit *Aſſyria*, ſenſu plane nullo: nec quidem Aſſyriæ nomen ſic unquam ſcribitur.

† Sic uterque Codex MS. Videtur deeſſe *interior &c*.

2 *Goſſipio*] Hebr. מוך *molle*, eſt nempe mollis veſtis Goſſipina.

3 *Suſiana*] Sic uterque Codex MS. legit אושיאנה pro שושיאנה

4 *Aſcenſum*] viz. aqua ex eo aſcendens, vertitur in nubes. Verum qui illud mare nuperis annis ſulcavit *D. Struis*, in Itinerario ſuo aſſerit, in Sinu Ghilanenſi [*the Bay of Ghilan*] eſſe duos Vortices maximos qui hujus maris aquas exhauriunt & per æquæductus aliquos ſubterraneos evacuant: huncque locum adeo periculoſum eſſe, ut ſi aliqua navis ad hoſce Vortices nimis prope accederet, inevitabili exitio ſubmerſa eſſet, voraciſſima abyſſo abſorpta & deglutita. Geographus Nubienſis dicit hujuſmodi Vorticem naves rapientem, reperiri in Mari Perſico, & alium in Indiæ Inſula قمار *Comar*, & tertium in extremitate Sinarum. Talis Vortex Arabibus dicitur دردور *Derdur*, ſeu *Durdur*, Perſis كرداب *Ghirdab*, id eſt, *Vortex aquæ*.

5 *Mare mortuum*] Sic vocatur, quia eſt inſtar Lacus ſeu Stagni, ex quo nullus aquarum decurſus diſcernitur. Intelligit nempe illud Mare quod ſupra, Cap. III. vocatur *Mare Hyrcanum, quod eſt Mare Caſpium*. Hoc mare variis appellatur nominibus ſecundum loca vel valde vicina vel etiam aliquantulum diſſita, modo ſint celebriora; ut *Mare Gjorgjan & Deilom*, *Mare Ghilan*, *Mare Tabariſtan & Mazenderan*, pro quo Herbertus noſtras minus recte legit *Mozendram*. Alias dicitur *Mare Chozar* ſeu *Chozaræorum*, propter regionem خزر *Chozar* ad Boream hujus maris adjacentem, a qua denominatus eſt celeberrimæ illius diſputationis Author dictus כזרי *Cozari* ſeu *Cozaræus*, vulgo *Liber Cozri*, quem D. Buxtorfius Hebraice & Latine edidit. Quibuſdam Perſarum hoc mare perperam vocatur قلزم *Colzum*: iſte autem error corrigitur ab alio doctiore Perſa, qui hocce Nomen revera *Mare Rubrum & Clyſma* in eo Oppidum notare docet. Semel Scribæ Perſici vitio ſcriptum vidi قطرم *Cotrum* pro Mari Caſpio, pro قلزم *Clyſma*, quod ab Arabibus ſemper tribuitur *Mari Rubro*, quod vocant بحر قلزم *Bahar Colſum*; pro quo in Globis legitur *Bohar Corſun*, male: ſonat autem *Mare Clyſmatis*. Bernardo da Parigi vocat كلسون كزي *Mare Celſum* ſeu *Colſun* quid ſcribebat plane neſciens. Alias mare Caſpium dicitur in Globo *mare de Sala* vel *de Bacu*, & Ruthenis *Chualenski more*, &c.

Mare Hyrcanum ſic dicitur pro *Hyracanum*, quia hoc mare non ita procul diſſitum eſt a Perſidis Provincia dicta عراق *Hyrac* ſeu *Yrac*; vel diſtinctionis cauſa عراق عجم *Yrac Perſiæ* ſeu *Perſarum*, ut dignoſcatur ab عراق عرب *Yrac Arabiæ* ſeu *Arabum*, quæ in Chaldæa ſeu Babylonia Arabiæ proxima eſt.

Quin

Quin & *Yrac*, seu *Irac*, sive *Erac*, (vel ut apud Geographi Nubiensis interpretem, *Arac* seu *Aaracq*,) absolute positum, Babyloniam seu Chaldæam notat, quæ in terra *Shin'ar*, ut in Libro *Murshid*, العرق שנער *Shin'ar est Al Erac*: nempe levi literarum mutatione, est plane idem quod in Sacris Biblis ארך *Erec*. Ubinam vero sit Provincia *Yrac Persarum*, (unde *Mare Hyrcanum* denominatum est,) apparet in Sansonii Chartis, sub nominibus *Hyrach* & *Yerach*, ubi ea ferme ad ipsum mare Caspium extenditur.

Et quidem non possum heic silentio præterire insignem D. Golii lapsum in re Geographica in sua Alpharganii editione, ubi in situ *Iracæ Persarum* designando, multum a vero abest. Nempe primo, succincte dicit in Indice, *Iraca tractus late patens, eadem cum Babylonia, quæ & distinctius Iraca Persarum*. Oh portentum erroris, *Iracam Babyloniæ* cum *Iraca Persarum* confundens! Deinde male addit, *Iraca Arabum, id est, Assyria*, p. 130. cujus contrarium verum est. Nam Iraca Arabum (seu Chaldæa) multum distat ab Assyria. Et pag. 119. ubi D. Golius forte fortuna recte statuerat quod العراقين *Eracain* siti. q. العزاق *Erac*, i. e. *Babylonia*; mox male addit quod idem *Eracain* etiam *Assyriam & Mediam* designet. Et paulo superius in eodem libro, D. Golius adhuc magis confuse agit, *duas Iracas esse Cufam & Basram, illam nempe esse Irac-Arabum, hanc vero Irac Persarum* asserens.

Verum quidem est, quod Nabathæi has duas urbes vocent *Iracas duas*. Sed nec Nabathæi nec ulli unquam Orientalium dixerunt harum alteram esse *Irac Persarum*: cum revera ambæ illæ عراقان *Iracæ*, unicum *Irac Arabum* constituant designentque; & hæ duæ عراقان *Iracæ* simul, pro simplici عراق *Irac* seu *Babylonia* (ipso etiam Golio fatente supradicta pag. 119.) accipiantur, & semper sic accipi debeant. Pessime itaque fallitur D. Golius, hac sequente ratione seductus: cum nempe dentur *Iracæ* duæ, quæ sunt diversæ ac distinctæ Regiones seu Provinciæ sic dictæ, (quarum altera est in Perside, dicta عراقعجم *Irac-Agjam*, altera in Chaldæa seu Babyloniæ regno dicta عراقعرب *Irac-Arab*;) apud Arabes Nabathæos hæc posterior quamvis unica, rursus partitur & subdividitur in العراقين *Iracas duas*, quæ viz. sunt tantum duæ urbes *Cupha* & *Basra* cum territoriis suis; tum inquam D. Golius videns العراقين *Iracas duas* exponi de hisce duabus urbibus, (quæ certe in eadem provincia seu regione continentur,) ratus est illam esse *Irac-Arab*, (utpote quæ sit versus Arabiam sita,) hanc vero alteram esse *Irac-Agjam*, utpote quæ versus Persidem sita sit,) non satis animadvertens unicæ *Iracæ-Babylonicæ* subdivisionem in *duas Iracas*; quarum alteram ille (hoc modo falsus,) vocat *Iracam Arabiæ*, alteram vero *Iracam Persidis*; cum revera istæ ambæ simul, unicam *Iracam Arabum* notent, alteram illam *Persarum Iracam* excludendo.

Ne autem absque idonea authoritate sapere videamur, ubinam sitæ sint *Iracæ* duæ Provinciæ sic dictæ, monstrabimus ex *Megjdii* Historia Persica زينتي المجالس *Zineto'l Magjalis*, ubi τῆς *Irac-Arab limites ponit usque ad Desertum* نجد *Negjd & mare Persicum, & regionem Chuzistan & Diyar-becr: ejusque præcipuas urbes esse septem. Longitudinem ejus a* تكريت *Tecrit ad* عبادان *Abbadan, esse Parasangarum* 125. *latitudinem vero ab* عقبه حلوان *jugo* τῆς *Hulvan ad* قادسيه *Cadisia e regione Deserti Negjd, esse Parasangarum* 180. *Et quod particulares urbes sint Cupha*, قسوخ, *Bagdad*, *Anbar: Babel*, *Basra*, *Tecrit*, *Chulla*, *Samarra*, *Hulvan*, *Hira*, *Madain*, *Nahravan*, *Nomania*, *Wasit*. *Et quidem Irac-Agjam habere* 40. *& aliquot Urbes: ejus limites esse contiguos* ταῖς *Adarbayajan & Curdistan & Chuzistan & Phars, & Kum, &* جيلانات *Gjeilanat*. *Longitudinem ejus a Siphid-roud (seu albo fluvio) ad urbem Yezd, esse Parasangarum* 160. *latitudinem vero ejus a Gjeilanat ad Chuzistan, esse Parasangarum* 100. *Olim quatuor ejus celebriores urbes fuisse Ispahan & Kum & Rei & Hamadan*. Hactenus Magjdius Persa. Et eodem fere modo sub nomine *Arac*, Geographus Nubiensis describit *Arabum Iracam* pag. 203. عراق العرب وهو بغداد وبلادها وما يليها من ديار بكر وربيعة ومضر *Irac-Arab est Bagdad & regio ejus & quæ ei adjacent partes* τῆς *Diyar-becr & Diyar-rabiæ*, & *Diyar-modar*. Et apud eundem sub nomine الجبال *AlGjebal* seu *Parthia*, p. 205. præcedente ritu [ut apud Megdium] describitur عراق العجم *Irac-Agjam*. Et quia Parthia vocatur *Giebal*, i. e. *Montes* seu *Montana pars*, ideo apud Bernardum da Parigi, hæcce *Parthia* [ut Italice scribit] vocatur عراق جبلي *Irac montosa*; altera vero *Irac* nuncupatur عراق بابلي *Irac Babylonica*; quarum hæc in magno Globo Cæsiano, est *Arac* in Caldæa, altera vero *Arach* in medio Persidis. Huc usque digressus sum, ne aliquis D. Golii authoritate seduceretur.

Ut itaque ad rem redeam, *Mare Hyrcanum* Græcis sæpe vocatur Κασπία θάλαττα *Mare Caspium*, quod una cum vicinis montibus *Caspiis* sic denominatur a celeberrima Urbe & cognomine Provincia قزبين *Cazbin* dicta, unde forma Gentilis seu denominativa regulariter est قزبي *Cazbi* seu (ut vulgo,) *Cazpi*; eadem analogia qua a نصيبين *Nisibin* fit نصيبي *Nisibi*, [non autem *Nisibini*,) brevitatis studio loquentium & scribentium: & idem fieri solet in ejusmodi aliis. Adeo ut *Mare Caspium* nihil aliud sit quam Mare *Cazpi* seu *Cazbi*, id est *Cazbinense*, prope urbem & Provinciam *Cazbin*. Non autem nego quin Adjective aliquando dicatur etiam قزبيني *Cazbini* seu قزويني *Cazvini*, id est, Cazbinensis. Sed hoc rarius fit.

Persarum Scriptores tradunt, aliud hujus Maris Nomen vel saltem Epitheton esse اسكون *asghun*, id est, *Myrticolor*; & quoque alias ابسكون *abisghun* seu *abosghun*, quod proprie est nomen Insulæ in hoc mari ab urbe *Asterabad* (in Globo *Statabad*) tribus Parasangis dissitæ. Intelligitur nempe استراباد *Asterabad* versus Persidem: nam alibi est alia hujus nominis Urbs, quæ est Portus τῆς جرجان *Gjurgjan*, de qua consulatur Calcashendi Tom. 2. p. 124. Sed quoad dictum hujus maris nomen, cum ex Chorazmia veniens Fluvius dictus ابكون *abghun*, haud procul a dicta Insula se in istud mare exoneret, hoc ipsum male ideo vocatur *abosghun*, contracte pro اب اسكون *abi asghun*, seu *abghun* & *asghun*; quod scitu jucundum æque ac difficile. In magno

magno Globo Cæſiano legitur *Abeſcum*, in ejuſdem magna Mappa Mundi *Abeſum*, in Sanſoni Mappa *Abſcoen*, omnia male.

Geographus Nubienſis tradit hoc mare longum eſſe ab Auſtro in Septentrionem 1000. milliaribus; latum vero ab Occidente in Orientem tantum 650. milliaribus, contra quam in vulgatis Chartis pingi ſolet. Alibi idem Author (viz. Clim. V. parte 7.) accuratius dicit hujus maris longitudinem porrigi ab Occidente in Orientem cum aliquanto flexu ad Septentrionem, ſpatio 800. milliarium; latitudinem vero eſſe 600. milliarium. Et mox addit, cum proſperi fuerint venti, ejus longitudinem navigari poſſe 9. diebus, latitudinem vero 7 diebus. Curſus autem quantum navis uno die conficit, ſecundum ipſum habetur pro 100 milliaribus. Calcashendi Tom. 2. pag. 124. ex *Sheripho'l Edriſi*, dicit hocce mare eſſe مدور الشلل الي طول *figura rotunda oblonga*, additque وقيل مثلث الشلل كالقلع *Quidam dicunt* eſſe *figura trequetra ſicut velum-navis*: Orientales enim in navibus ſuis utuntur velis trequetris. Ibidem quoque peripheriam ejus deſcriptam videas. Ea informatio quam habuit Herbertus noſtras, fere quadratum facit. An vero ſit merum ſtagnum, vel alias alicubi aliquem habeat exitum, vide Notas noſtras ſuperiores, pag. 64.

6 *Acervo ſuo*] Heb. תלו *Tillo*. Authoris mens eſt, quod aquarum acervus in uſitata ſua mole ſubſiſtat abſque viſibili diminutione.

7 *Montibus*) Præcipue partibus Montis Tauri, qui Orientalibus dicitur, قاف باعي *Kaph*, & totum Mundum circumdare perhibetur. Græcis vocatur ταῦρος, quaſi a טור *Tur*, i. e. *Mons*. Sed rectius vocatur *Tavris*, ab urbe تبريز *Tavriz* quæ ei adjacet. Et eadem ratione in aliis locis per quæ tranſit, alia habet Nomina plurima, quæ omnia perſequi, prolixum eſſet.

CAPUT X.

פרק י׳ להודיע גבולי ארץ ישראל לבדה וסכיבותיה לד׳ רוחותיה ומעבר לאמיק ומדבר חבור אשר זה נודיע אמתתו ממקום אחר:

Caput decimum deſcribit limites terræ Iſrael ſolius, eique circumjacentia ad quatuor plagas ejus, & quoque tranſitum ad Meccam & Deſertum Chabor, cujus rei veritas ex alio loco innoteſcet.

גם כי הזכרנו מצב ארץ ישראל במשך ספורי קשר הגלילות באורך המערב למזרח בדרך כלל עם הגלילות האחרות אמרתי לכבוד הארץ ולהספיק רצון הקורים ליחד הפרק הזה לארץ ישראל לבדה ואחר כן מעבר לאמיק וחבור ואתחיל ממקום צאת ישראל ממצרים לבא על ים סוף ולהעמידה באופן גבוליה ותחומיה ושכניה עם ביאור רחב מה:

ונאמר כי התורה ממש נתנה גבול לכל תחומיה באמרת בפסוק ושתי את גבולך מים סוף וגומר וכן הוא כי ארץ ישראל תתחיל מנהר מצרים הוא נילוס במערב לארץ עד נהר פרת שהוא במזרחה: וכן הוא אומר עד הנהר הגדול נהר פרת אשר מימיו מהרי סארמאציאה והקו הזה צורק על ארץ ישראל מנהר מצרים מערבי דרומי עד נהר פרת מזרחי צפוני לה ואולם הצפוני לארץ ישראל לפי דברי התורה היא בבל ומדי ומקצת ארם וליציאה וציליציאה

Quamvis jam commemoraverimus ſitum terræ Iſraelis una cum regionibus aliis in continuatione hiſtoriæ connexionis Regionum per Longitudinem ab Occidente ad Orientem, tamen propter iſtius terræ honorem, & ut Lectorum voluntati ſatisfacerem, cogitavi mecum dedicare hoc Caput terræ Iſraelis ſolæ, & poſt modum (agetur) de tranſitu ad Meccam & Chabor. Et quidem incipiam ab eo loco quo egreſſi ſunt Iſraelitæ ex Ægypto, ut venirent ad mare Suph; ut conſtituam illam (terram) ſecundum (juſtum) modum terminorum & limitum ejuſdem, ut & loca ei vicina; una cum explicatione aliquo modo ampla.

Dicemus itaque, Legem omnino dediſſe terminum omnibus ejus limitibus in veritate, in illo Textu, *Et ponam terminum tuum a Mari Suph*, &c. Et quidem ita ſe res habet: nam terra Iſrael principium ſumit a flumine Ægypti ſc. Nilo in Occidentali parte Terræ, & [exporrigitur] uſque ad fluvium Euphratem, qui eſt in plaga Orientali. Sic nempe dicit [S. Scriptura,] *A fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum, fluvium Euphratem*, cujus aquę (ſcaturiunt) e montibus Sarmatiæ. Hæc inquam linea convenit cum terra Iſraelis, a fluvio Ægypti Auſtro occidentali, uſque ad fluvium Euphratem qui Boreo Orientalis. Verum id quod Occidentale eſt ad terram Iſraelis, ſecundum verba

והדרומי לה טמקום שסבבו ישראל ים
סוף לסבוב ארת ארץ אדום עמון ומואב
ועמלק סיחון ועוג וכל אלה המקומות
נקראים היום מלכי הערב וכן דעת יוסיפון
בספוריו כל זה יהיה דרומי לארץ ישראל
עד הגיעם אל עבר הירדן שהוא מזרחי
דרומי לה וזה היא אורך ורוחב ארץ
ישראל כלה ואף כי לא זכינו עדין לכל
אלה ולא לעשר העמים עד ירחיב הגבול
כי פלשתים וארם ודמשק לנו הוא באמרו
ודמשק מנוחתו אולם המקומות האלה
סבבו ישראל מ״ שנה במדבר הגדול והנורא
אשר אחורי אראביאה פיליקש עד בואם
אל הירדן וארץ נושבת כל הישובים
והמקומות האלה מאדום ומואב וכו׳ הנ״ל
הדרומיים הם נקראים אראביאה פיליקש
ומשם במדברות האלה הוא המעבר הגדול
לעבור מדברות חול כליביאה ולהגיע דרך
ללכת לאמיקא עד מוצא הים הגדול
ים אוקיינוס אשר בין המדברות האלה
בו מדבר חבור ליהודים השובנים כמו
באהלים ובתי עצים ותוצאותיו יגיעו למדברות
ערב וישמעאלים אשר שם יהודים רבים
ומלכים עד אין מספר ומוצאם ירדו עד הים
הגדול אוקיינוס ים הודו וים לאמיק וקאליקוט
במשך שפת הים ההוא ויצדק עליהם
לעתיד על היהודים שישתמשו מספינותיהם
הקלות להויצם ולבא ולהתקרב אצל ים
סוף לבא לארץ ישראל וזה אמרו השולח
בים צירים וכלי גומא על פני מים לכו
מלאכים קלים אל גוי ממושך ומורט:

ba Legis, est Babylonia, & Media, & pars Syriç, & Lysia, & Cilicia. Et quod Australe est, ab eo est loco quem circumiverunt Israelitæ; *viz.* Mare Suph, circumeundo terram Edom, Ammon, Moab, Amalek, Sichon, & Og: & omnia hæc loca hodie vocantur [1] Reges Arabiæ, quæ est opinio Josephi in Historiis suis. Totum hoc est Australe ad terram Israelis, usque dum perventum sit ad alteram partem Jordanis, quæ est Austro-Orientalis. Hæc inquam est Longitudo & Latitudo totius terræ Israelis. Et quamvis non jam meruerimus (i. e. obtinuerimus) omnia ista, nec terras decem populorum, usque dum [2] dilatet Deus terminum; (nam Palęsthinam, Aram, & Damascus nostra sunt, uti dicitur, *Et Damascus quies ejus;*) certe tamen Israelitæ circumiverunt hæc loca quadraginta annis, per Desertum magnum & tremendum quod est pone Arabiam felicem, usque dum venirent ad Jordanem & terram habitatam. Omnes inquam Habitationes & loca ista Australia supra commemorata, ut Edom, Moab, &c. vocantur Arabia felix. Et deinde per Deserta ista est transitus maximus ad transeundum Deserta Arenæ [3] ad instar Libiæ, & ad pertingendum viam quæ tendit ad Meccam, usque ad exitum Maris magni, Maris inquam Oceani, quod est inter Deserta ista. Inibi est [4] Desertum Chabor pro Judæis habitantibus tanquam in tentoriis & domibus ligneis; cujus exitus perveniunt ad Deserta Arabiæ & Ismaelitarum: ibi inquam sunt Judæi plurimi una cum Regibus, innumeri: & exitus eorum descendunt ad mare magnum Oceanum, mare inquam Indicum, & mare de la Mecca & Calecut, per tractum oræ illius maritimæ. Et certum est de illis (nempe de Judæis) quod in futurum usuri sint navibus suis levibus ad transportandum seipsos, & ad perveniendum & appropinquandum ad mare Suph, ut veniant in terram Israelis. Et hoc est quod dixerunt [Prophetæ,] *Qui mittit per mare [5] Legatos, & vasa juncea super facies aquarum: Ite nuntii leves ad gentem tractam & expilatam.*

NOTÆ IN CAPUT DECIMUM.

[1] *Reges Arabiæ*] Est nempe *Reges Arabiæ* phrasis Biblica, per quam itaque Author noster affectat exprimere *Regnu Arabiæ*.

[2] *Dilatet*) Optio est.

[3] *Ad instar Libyæ*) Pro וליביאה ut in MSS. legendum est כליביאה. Consule Cap. XV.

[4] *Desertum Chabor*) Tale Desertum nullibi Gentium reperitur, sed est mera Judæorum fabula & figmentum; ut & illud de Judæis inclusis in tot locis, quorum sæpe meminit noster; quod suos Reges habeant. Magis ingenuus est Kimchius ad *Hos.* III. 4. ad hæc verba, *multi dies* אין מלך *sine Rege*; ubi ille, *Isti sunt dies exilii in quo sumus hodie: nam non est nobis Rex nec Princeps ex Israele, sed ad placitum* (vel *per licentiam*) *Gentium & Regum ac Principum eorum sumus*. De Judæis in angulo Orientis inclusis, talis ac apud nostrum historia ex relatione Judæi Mercatoris apud Cadamustum legitur Cap. IX. p. 62. viz. de Judæis 10. Tribuum & eorum Rege in India 150. leucis ultra Calecut, in aliqua insula haud procul a continente. Ibi omnia Aromata, &c. Sed credat Judæus apella, non ego. De 10. Tribubus videas *Meor Enaim* Cap. 13. fol. 69.

[5] *Legatos*) Iste Judæus noster perperam applicat

ſuis popularibus, ea quæ dicuntur de Gente alia propter Solis ardorem umbrellifera; de Gente inquam ultra flumina Æthiopiæ, quæ ad Judæos miſſura erat Legatos, tranſmittendo Mare Rubrum in vaſis ex Junco ſeu Papyro arundine qua dicta Flumina abundant, & ex qua [dicentibus Authoribus] Naviculæ conſtrui ſolebant. Conſulatur Theophraſtus de Papyro.

Legatus quidem hodie dicitur *Ambaſciator*, ex infima Latinitate: nam veteres Authores Claſſici formam compoſitam non agnoſcunt, bene autem ſimplicem. Eſtque *Ambaſciator*, ſi vocis originem ſpectes, talis cujus Legatio eſt *Baiſe-main* [ut loquitur Cotgravius & Galli,] *ad baſiandum manum* ejus ad quem mittitur, quod nomine mittentis faciendum. Sic etiam Gallis & aliis Europæis Gentibus vocatur amicorum Salutatio. Hæc autem conſuetudo non in Europa nata eſt, ſed ex Oriente ad nos venit. Illis quidem eſt سلام *Salutatio* ſive ſcripta ſive ore tradita, qua amicis vel præſentibus vel abſentibus Salutem impertiunt: nam ſcripta Epiſtola quæ nil niſi Complementa continet, vulgo vocatur *un Salam*, Anglice *a Salam*. Sæpius autem [ut in eorum Epiſtolis vidi) ad abſentes mittitur تقبيل الايادي *baſiatio manuum* ad τὸν δεῖνα: quæ quidem forma, quamvis duas quis tantum habeat manus, eſt Pluralis multitudinis. Nam etſi Arabes habeant Numerum Dualem, & quoque Pluralem paucitatis, his tamen hoc caſu non utuntur, ſed fere ſemper Plurali multitudinis: q. d. ſi plurimas haberet manus, eas baſiaret omnes. Subinde etiam in Epiſtolis dicunt in futuri forma, quæ tamen (ut ſæpe apud Hebræos) Præſentis ſignificationem habet, من عبدكم - يقريلم السلام ويقبل اياديكم *A ſervo veſtro tali, qui impertit vobis ſalutem & manus veſtras deoſculatur.* Aliquando tamen *manus* legitur in ſingulari numero, تقبيل اليد والقدم من عند أقل العبيد والخدم الى فلان *Baſiatio manus & pedis a minimo ſervorum & famulorum, ad τὸν δεῖνα*: ubi *manus* eſt in forma ſingulari, ut ſyntaxi conveniat cum القدم quod facit Paronomaſiam cum الخدم.

CAPUT XI.

פרק י״א לבאר גבולות הים והשובנים למעלה מהים ללכת מויניציאה לסאלוניקי ולקוסטאנטינופולי ואיליספנוטו והאיים הרבים אשר בארציפילינו וללכת ביפו או בארוט ואליכסאנדריאה של מצרים:

Caput undecimum explicat limites maris & eorum qui habitant ſupra mare, qua itur a Venetiis ad Theſſalonicam, & Conſtantinopolim, & Helleſpontum, & inſulas plurimas in Archipelago, et qua itur ad Joppam aut Berytum, et ad Alexandriam Ægypti.

המהלך הזה מיניציאה לים קוסטאנטינופולי מנהגם ללכת ערת שפת הסקייאבוניאה ואלבניאה הנק דלמאציאה ומצידוניאה בדרך פולא או פרינצא וילכו באורך הים אדריאנו עד יעברו כל אורך האלבאניאה אשר היא מצידוניאה למקדון בדרך ראגוזה ודרך לאוילונא מהתוגר אשר כנגד אוטרונטו בסוף לאפוליא ממלכות נאפולי ויכנסו בים יון חוץ לים אדריאטיקוס וימצאו אי קורפו ולאמורי אה ומודון וקורון ויגעו לתוך ים קאנדיאה הנקראת קריטא ויניחו אי רודי כנגדם לים ימין אשר סמוך ליבשה לאחורית בארץ ציליציאה מארץ עוץ סמוך לגלילות ארמיניאה וכל זה יניחו לימינם ביבשה ויכנסו בים ארציפילינו הגדול מלא איים רבים אשר סאלוניקי מצוי שם ויעברו מיצר גליפולה וימצאו קוסטאנטינופולי בצד שמאל ויעברו דרך מעלה לצד הצפון ללכת לאנדרינופולי וללכת לים איוזיניאוס ועד ים

Hocce iter eſt a Venetiis ad mare Conſtantinopolitanum. Solent autem ire per oram [1] Sclavoniæ & Albaniæ, quę dicitur Dalmatia in Macedonia, per viam Polę aut Parenzę; unde pergunt per longitudinem maris Adriatici, uſque dum tranſeant totam longitudinem Albanię (quę eſt Macedonia a Macedone ſic dicta,) per viam [2] Raguſę, & viam [3] Valonę quę eſt ex Togar e regione [4] Hydruntis quę in extremitate Apulię quę eſt de Regno Neapolitano. Et quando extra Adriaticum vecti intrant mare Gręcum, reperiunt inſulam Corfu, & [5] Moream, & Modon, & Coron; & deinde pervenientes in medium maris Candię (quę dicitur Creta,) e regione ſui ad mare dextrum, relinquunt inſulam Rhodum quę eſt prope poſteriora continentis in terra Gilicię, quę eſt de terra [6] Uz prope regiones Armenię. Hoc inquam totum relinquentes per Continentem ad dextram ſuam, intrant in mare Archipelagum maximum inſulis multis refertum, ubi reperitur Theſſalonica. Dein tranſeuntes per Fretum Galipolitanum, inveniunt Conſtantinopolim ad [maris] latus ſiniſtrum. Nam [ex Mari Ægęo] tranſeunt per viam qua aſcenditur verſus plagam Septentrionalem, (tam ad ſini-

נהר לאטאנס שהוא סוף גבול האירופא ושם למעלה בצפון תכלית ים קוסטאנטינופולי המגיע לגבול רוסיאה ואפילוניאה ואחר טרטאריאה ועמים רבים וישובים נוראים סביבות כל הימים האלה מכל צד ומכל פנה :

אמנם מויניציאה ללכת אל ארץ ישראל או למצרים ר״ל כנן לבארוט או לצור או ליפו או לאליכסנדריאה מנהג המלחים בעברם בקורפו להגיע בקנדיאה ומקנדיא לרודי ולציפריאה בעיר פאמאגוסטא ומשם בפאמאגוסטא יוכלו לסבוב ציליציאה מארץ עוץ וארם ולפנות ללכת כאשר ירצו אם בבארוט הסמוך לציפריאה שהיא מול יפו או לסבוב לצור או ליפו או לסבוב עוד הים הזה מים פלשתים עד שפת ים אלכסנדריא דרך המערב ולהגיע בדמיאטה כפי רצון וצורך הסוחרים להביא סחורותיהם כאשר מנהגם וצרכם שם שמה יגיעו וילכו :

אמנם הערוגה אשר הזכרנו מויניציאה עד ים יון למעלה בגבולות העליונים עד הים הם אלו מויניציאה ביבשה למעלה מחוז איסטריאה ואיסטריאנו ופריאול וכל הסקייאבוניאה והאונגריא הנקראת פאנוניאה אשר למעלה ממנה וכל ארץ מקדון היא אלבאניאה ולמעלה מזה היא בוסינא קורבאקיאה ואלקיאה ומדינות רבות רבו מספר וגלילות יון כלם מהתוגר הם וכל המעברות הימיות הנם כתובים בקלף המלחים לאות ולזכרון ליודעם וגם אין ראוי שיעלם כי מן הצד השני לים אדריאטיקוס אשר רחבו קרוב לק׳ מילין בקרוב נמצא מויניציאה דרך יבשת עד סוף האיטאליאה וברינדיסי הישובים האלה בכלל היינו מויניציא לקאיוזא ראוינא רימיני פיסארו פאנו סיניגאליאה אנקונא חוף פירמי טרונטו יוליאה נובה וכל לאברוצ׳ לאנצאנו בארי בירליטא טראני וכל לאפוליא עד סוף מלכות נאפולי׳ כי שם בברינדיצי ישלים ים אדריאטיקוס ויכנס

finiſtram) qua itur ad Adrianopolim [quam ad detram] qua itur ad mare Euxinum, & uſque ad mare fluvii Tanais, qui eſt finis termini Europæ. Et ſupra (Byzantium) in Septentrione, eſt finis maris Conſtantinopolitani pervenientis ad limites Ruſſiæ & Poloniæ, & poſtea ad Tartariam. Et in omnium iſtorum Marium circuitu, ſunt populi multi & habitationes tremendæ ab omni latere omnique angulo.

Verum ad eundum a Venetiis ad terram Iſraelis vel ad Ægyptum, (volo dicere quaſi, ad Berytum, ad Tyrum, vel ad Joppam, vel ad Alexandriam,) ſolent nautæ tranſeuntes per Corſu pertingere ad Candiam, & a Candia ad Rhodum & ad Cyprum, per urbem Famaguſtam: & inde per Famaguſtam poterunt circuire Ciliciam quæ eſt ex Auſitide, & Syriam, & inde proſpicere ad eundum quocunque voluerint; ſive ſit ad Berytum quod prope Cyprum e regione Joppæ, ſive ad circumeundum per Tyrum aut per Joppam, ſive ad ulterius circumeundum iſtud mare a mari Philishtim uſque ad oram maris Alexandrini per viam Occidentis, & ad pertingendum ad [7] Damiatam, pro lubitu & neceſſitate Mercatorum; ut ſc. illuc perveniant redeantque, ibique importent merces ſuas prout ſoliti ſunt & eorum neceſſitas requiſiverit.

Verum area illa cujus fecimus mentionem, (ſc. a Venetiis uſque ad mare Græcum ſupra in terminis ſuperioribus, & ab his ad ipſum mare, iſtiuſmodi eſt: nempe a Venetiis [eundum eſt] per Continentem ſupra territorium Iſtriæ & Iſtriani, & Friuli, & per totam Sclavoniam, & Hungariam dictam Pannoniam quæ ſupra ipſas eſt, & per totam terram Macedoniæ quæ eſt Albania; vel ſupra hanc per Boſenam, & [8] Corbachiam, & Valachiam, aliaſque Provincias multas quæ ſuperant numerum & omnes regiones Græciæ quæ ſunt de Togar. Et quidem omnes tranſitus maritimi, ecce ſcripti ſunt in Chartis nautarum, in ſignum & memoriale pro cupientibus ſcire illos. Præterea non debet ignorari, quod a latere ſecundo maris Adriatici, (cujus latitudo eſt circiter 100 milliarium,) reperiemus a Venetiis per viam Continentis uſque ad finem Italiæ, & Brunduſium, dari hæc loca habitata in genere: nempe a Venetiis [eundum eſt] ad Chiuſam: deinde occurrunt Ravenna, Rimini, Peſaro, Fano, [9] Signigallia, Ancona, Portus Fermo, Tarento, Julia nova, & tota l'Abruza, l'Anſano, Bari, Berleta, Trani, & tota l'Apulia, uſque ad finem regni Neapolitani. nam ibi apud Brunduſium terminatur ma-

בסבוב בים טאראנטינוס וקאלבריאה לסבוב האיטאליאה בצד השני הדרומי לה בדרך ים האמצעי מארי ליאוני מידיטיראניאו אשר קרוב לאי ציצילי אה ומסינא נגד ריאי דקאלאבריאה כאשר נדבר בע״ה במעברות הים ללכת פלאנדריאה לבא מויניציאה ונספיק בזה:

re Adriaticum, quod per circuitum ingreditur mare [10] Tarentini & Calabriæ, ut circumeat totam Italiam per latus secundum Meridionale illi, per viam maris Medii, maris inquam [11] Leonis Mediterranei quod est prope insulam Siciliam & Messinam e regione τῆς Rio de Calabria; sicut (auxiliante Deo) dicturi sumus in Transitibus maris per quos itur in Flandriam quando venitur a Venetiis. Interim hoc nobis sufficiet.

NOTÆ IN CAPU UNDECIMUM.

[1] *Sclavonia*] Author noster ut Itali vulgo, scribit *Schiavonia*, i. e. *Illyricum*: Turcis بوسنهايلي *Bosnia*, seu *Dalmatia* ut supra. Alias dicitur قروات ولايتى *Croatiu*, incolis *Hruach*, (ut videtur, pro *Ghruach*,) prout colligere potui ex Missali Illyrico quod vocatur *Missal Hruachi*.

[2] *Ragusa*] Dalmatiæ urbs, hodie Ῥαῦσα, olim Ἐπίδαυρος, non (ut quidam volunt) Ἐπίδαμνος quæ est *Dyrrhachium*.

[3] *Valonæ*) Vulgo *la Valona*, & Αὐλωνία: veteribus ὁ Αὐλὼν τῆς Ἠπείρου. Arabes scribunt لبلونه *la Valona*, Italiæ vulgum imitantes.

[4] *Hydruntum*) Vulgo *Otranto*, olim Ὑδροῦς, ῦντος.

[5] *Moream*] Ea est veterum Πελοπόννησος, inter quam & Atticam ab Austro ad Septentrionem per 5 aut 6 milliaria extensus est Isthmus, ideo Ἑξαμίλιον dictus. Vulgo *la Morea*, Græcis hodiernis dicitur ἡ Μαῦρα, i. e. *Nigra* peninsula, (Turcæ pronuntiant موره *Mura*,) propter Mauros qui [ut dicitur] eam inhabitabant: nam in Mediterranei litore ex adverso Maurorum, nec valde procul ab eis, sita est, illorum olim incursionibus valde obnoxia.

[6] *Uz*) Nostri Authoris, *Uz* seu *Ausitis*, est Cilicia & partes circa eam inter Syriam & Armeniam: his enim circumscribitur. Sed patet hancce Ausitidem non esse Jobi patriam, quæ certe ab hisce partibus longe distabat; ut facile est colligere ex ipsius vicinis malum ei inferentibus, qui erant שבא *Shoba*, i. e. سبا *Sabæi* in Arabia, & כשדים *Casdæi* seu *Caldæi* ex Erac-Arabum seu Babylonia, qui eum infestabant & pecora abigebant: ut & ex amicis eum visitantibus & consolantibus, de quibus infra dicetur.

Si autem ulterius disquisiverimus ubinam terrarum revera fuerit *Terra Uz*, præmittendum est, quod Abraham, Isaac, & Jaacob cum Cananæis confœderati vixerunt in Canaan, in antecessum & arrham promissionis quam tandem possiderunt posteri eorum. Jacobi autem frater Esau, & filius Ismael secesserunt in Arabiam instinctu Divino deducti, ut Jacob solus relinqueretur in terra promissionis. Esau enim [*Gen.* XXXVI. 7.] propter gregum suorum multitudinem, ex terra Canaan sponte discessit in *Montem Seir*, & pacifice ibi vixit cum Horitis, qui [*Gen.* XXXVI. 20. *Deut.* II. 12.) erant *Habitatores terræ* & antiqui incolæ *Montis Seir.* Horitas tameu postea expulerunt filii Esau. Ille quidem Mons est in termino terræ Edom, qui antea a possessore eum occupante dictus est *Mons Hor*; & is [*Num* XXXIII. 37.] in margine terræ Edom, in quo (*Num.* XX. 23. &c.) sepultus est *Aharon*: incolæ inde dicti *Horitæ*; ex quibus vir quidam insignissimus nomine *Seir*, fecit ut postea diceretur *Mons Seir*, & ארץ שעיר *terra Seir*. Nam [*Gen.* XXXVI. 20.] per Appositionem dicitur החרי בני שעיר *Horitæ filii Seir*: nempe qui antea *Horitæ*, tunc dicti sunt *filii Seir*. Et ab *Uz* filio *Disar*, qui ex nepotibus *Seir Horitæ*, hæc terra etiam dicta est *Terra Uz*; quæ, quia illuc postea concesserat *Esau* per improperium dictus *Edom*, [propter *rubrum* jusculum pro quo Primogenituram vendiderat) postea denominata est *Terra Edom*. Tot nominum propter varios diversis temporibus incolas & possessores, illa Terra subivit. Quodque hæc sit *Terra Uz*, plane legitur [*Thren.* IV. 21.) שישי ושמחי בת אדום יושבת בארץ עוץ *Lætare & gaude o filia Edom quæ habitas in Terra Uz.*

Heic quidem vixit & regnavit *Job*, alias dictus *Jobab*: de quo ad calcem Versionis Græcæ Libri Job, scriptum relinquitur, Οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς Βίβλου, ἐν μὲν γῇ κατοικῶν ἐν Αὐσίτιδι ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας καὶ Ἀραβίας. Προϋπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ. Λαβὼν δὲ γυναῖκα Ἀράβισσαν, γεννᾷ υἱὸν ᾧ ὄνομα Ἐννών· ἦν δὲ αὐτὸς πατρὸς μὲν Ζαρὲ ἐκ τῶν Ησαῦ υἱῶν υἱός, μητρὸς δὲ Βοσόρρας, ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ. Καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῖς βασιλεύοντες ἐν Ἐδώμ, ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξε χώρας. πρῶτος Βαλὰκ ὁ τοῦ Βεώρ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Δενναβά. Μετὰ δὲ Βαλάκ, Ἰωβὰβ ὁ καλούμενος Ἰώβ. Μετὰ δὲ τοῦτον, Ἀσὼμ ὁ ὑπάρχων ἐκ τῆς Θαιμανίτιδος χώρας. Μετὰ δὲ τοῦτον, Ἀδὰδ υἱὸς Βαράδ, ὁ ἐκκόψας Μαδιὰμ ἐν τῷ πεδίῳ Μωάβ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Γεθαίμ. Οἱ δὲ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν φίλοι, Ἐλιφὰζ τῶν Ἡσαῦ υἱῶν, Θαιμανῶν βασιλεύς. Βαλδὰδ ὁ Σαυχαίων τύραννος. Σωφὰρ ὁ Μιναίων βασιλεύς. In eundem sensum Interpres Abrabs, &c. أيوب كان ساكنا *Job vero habitabat in Terra Uz, inter terminos Edom & Arabiæ: & antea vocabatur Jobab. Hic duxit uxorem alienigenam, ipsique natus est filius dictus Anun. Job vero erat filius Zaræ filii filiorum Esau; & mater ejus erat de Basra: & ipse erat sextus ab Abrahamo. Ex regibus vero qui regnarunt in Edom, regnavit super illam terram Balac filius Beor. Et post hunc Jobab, iste qui vocatur Job.* &c. *Et fuit ætas 240. annorum.*

Nempe ante *Jobum*, heic in urbe Dinhaba residens regnavit *Balaam*; quem [cum esset egregius Incantator,) conduxit vicinus Balac Rex Moab ab Israelitarum multitudine metuens, ut eis malediceret. Is vero, multis tentatis, retulit, *Non esse incantationem contra Israelem*, &c. Nomen ejus (*Gen.* XXXVI. 32.) scribitur בלע בן בעור *Bela filius Beor*, abbreviate pro בלעם *Bileam*, seu *Balaam* [*Num.* XXXI. 8. *Mica* VI. 5. 2. *Pet.* XI. 15.) eodem modo quo indifferenter dicitur מולך *Molech*, seu מלכם *Milcom*. Sed profecto בלע omnino notari debuit superscripto Apice, propter cujus defectum intercidit ultima litera *Mem*: & quidem alicubi periere & intercidere aliquot literæ ex aliis quibusdam vocibus S. Scripturæ. In superioribus Græcis & exinde factis Arabicis, perperam legitur Βαλακ pro Βαλαμ.

Supradictum *Balaamum* postea (a Deo maledictum propter Diabolicum vitæ institutum, & propter conatum contra populum ejus,) (*Jos.* XIII. 22.) interfecerunt Israelitæ. Ei mortuo, paulo ante ingressum Israelitarum in Canaan, successit *Job*, (*Gen.* XXXVI. 33.) dictus יובב בן זרח מבצרה *Jobab filius Zerach de Bosra*; de qua urbe dicitur (*Isa.* LXIII. 1.] *Quis iste veniens ab Edom, in vestibus rubro tinctis a Bosra!* Et (*Isa.* XXXIV. 5. 7.) *Gladius meus descendet in Edom. -nam est mihi Sacrificium in Bosra, & magna cædes in terra Edom.* Hinc, & ex (*Jer.* XLIX. 22.) constat *Bosram* esse in regno

Edom

Edom, ſuper quod *Job* ex magnatibus ejuſdem loci, in Regem promotus eſt. Hæcque urbs ſæpius in S. Bibliis memoratur. Et quidem *Job* ſeu *Jobab* diu regnavit: nam poſt afflictionem ſuam, vixit 140 annos; in toto, 240 Deo compenſationem faciente pro eis quæ antea paſſus fuerat. Eique ſucceſſit חשם *Chuſham* ex terra *Tomani*, i. e. *Auſtrali*. Huic in urbe *Avith* reſidens ſucceſſit *Hadad* filius *Bedad*, qui graviſſima clade affecerat Midianitas in Agro Moab. Eo mortuo, regnavit *Samla* ex urbe *Maſreka*. Et deinde *Shaul de Rechoboth fluminis*, quæ ad Euphratem ſita: hodie vocatur رحبة الملك, *Rebabat Regis*. Iſto mortuo, regnavit *Baal-chanan* filius עכבור *Achor*; a quo alia urbs paulo inferius ad Euphratem itidem ſita, uſque hodie dicta eſt علبر *Acbor*. Huic ſucceſſit *Hadar* ex urbe *Pau*. Hactenus S. Biblia.

Jobi amicus *Eliphaz* filius Σωφάν ex nepotibus Eſau, erat *Temanita*, ſc. ex regione תימן *Teman*, i. e. *Auſtrali*, quæ ad Auſtrum in vicina adjacebat regioni *Edom* in qua fuit *Boſra*: unde dicitur (*Amos* I. 12.) *Immittam ignem in Teman, qui devorabit Palatia Boſræ*. Et quidem ea nominata eſt *Teman* vel a dicto ſitu, vel ex poſt facto a Θαιμὰν ὑιῷ Ἐλιφὰζ. De iſta regione Judæis dicta *Teman*, (quæ inter *Elam* & *Sinam* & *Terram Edom*) dicitur quoque (*Habac.* III. 3.] *Deus venit a Teman, & Sanctus a Monte Paran.* Et [*Deut.* XXXIII. 2.) *Deus venit a Sinai, & ſplendunt a Seir, & illuxit a monte Paran*; qui Mons eſt pars Montis Sinai, qui ſec. Ptol. incipiens a mari Rubro, extenditur verſus Terram Sanctam & Edom: unde igitur Deus apparuit, & Iſraelitis illuxit in tranſitu maris. *Eliphaz* itaque videtur fuiſſe Rex يمامة *Temamæ* ſeu Arabiæ Petrææ [ab urbe حجر *Petra* ſic dictæ) cui adjacet Edom, quæ nempe Ptolemæo eſt in Arabiæ Petrææ Boreali margine; & urbs Βόσρα eſt in ejuſdem margine Orientali, Arabiæ Deſertæ contigua, Long. ξη δ: al. 69. 45. Lat. λα ς: al. 31. 30.

Alter amicus fuit *Bildad* השוחי *Shuchita*, ex regione שוח *Shuach* ſeu *Sua*, i. e. *humili & depreſſa*. Eſtque سوخ *Sauch*, *mollities terræ*, talis quæ calcantis pedem in ſe recipit, uti eſt Arabia Deſerta, in qua a Ptolemæo collocatur Σαυὴ *Sava* ad Long. 73. Lat. 33. Ea enim Arabiæ pars eſt, quæ hodie dicitur تهامة *Tihama* (in Globo *Theama*,) quia *æſtuoſior*; & غور *Gaur*, quia *depreſſior* reliqua Arabia. Eſtque ad Septentrionem contermina τῇ حجاز *Higjazæ*, ubi incipit Regio Meccana & *Taman* ſeu Arabia felix; in qua Auſtralius olim a Sabæis Yamanenſibus aliquando extructus eſt سد *Sud* ſeu *Agger* dictus العرم *Al Arim*, quo aquas ex *Tihama* in *Tamam* labentes excipiendo, ingentem ſibi parabant Lacum, ut ex aquæ copia lætiores viverent. Agger autem ex terra arenoſa non ſatis firmus, aquarum ponderi ceſſit, & ruptus eſt; unde facta eſt سيل العرم *Innundatio Al Arim* in omnibus Arabum Hiſtoriis infamis, quæ Sabæis Aggeris extructoribus multum intulit damnum. Sed ut ad penſum redeam, ſupradicta Arabiæ pars *Tihama*, videtur eſſe ea quam deſcribit Agatharchides *Lat. pag.* 59. *Gr. pag.* 51. *Ultra Sinum Læanitidem* (l Ælanitidem) *quem Arabes circumcolunt, eſt* Βοσσεινῶν *terra copioſa, campeſtris, tota irrigua, & diffuſa; ſed præter Gramen & Medicam, & Lotum viridem ſtaturam æquantem, nihil producit. Multæ in ea efferæ Camelæ, multæ cervarum & damarum cohortes, multi ovium greges, ineffabilis mulorum boumque numerus: item Leones, Lupi*, &c. Sic ille: unde quale ſit Arabiæ Deſertæ Solum, ſc. Bildadi Regnum, innoteſcit. *Bildad* itaque fuit Arabiæ Deſertæ Rex Σαυχαῖος, qui *Jobum* vicinum *Edomi* Regem viſitatum venit. MS. Alex pro Βαλδάδ, minus bene legit Βαλδὰς ὑιὸς Ἀμνὼν τοῦ Χοβὰρ τοῦ Αὐχίτου τυράννου, pro Σαυχίτου.

Tertius Amicus *Sophar Naamathita*, videtur veniſſe ex Arabia felice. Cum enim Arabiam Petræam tribuerimus *Eliphazo Temanitæ*: & Arabiam Deſertam *Bildado Shuchitæ*: reſtat tantum Arabiæ tertia pars, quæ ex vi vocis נעמה *Naama*, debet eſſe *Felix, commoda, amœna*, qualis eſt يمن *Taman*, ſic dicta ἀπό τῆς Jumn *virore* & *felicitate* qua plus quam aliæ Arabiæ partes gaudet. Hujus regionis populus Ptolemæo audiunt Μιναῖοι, μέγα ἔθνος, collocatque in Mediterraneo Arabiæ felicis circa Long. 75. Lat. 19. paulo Borealius quam *Saba*. Stephanus collocat ad littus Maris Rubri: nec mirum ſi illuc extendatur. Agatharchides in Maris Rubri *Periplo* pag. ſupra citat. habet, *Supra Phœniconem eſt Neſſa*, --*ubi Gerræi, Minæi, & omnes vicini Arabes*. Ibi vide plura. Eſt quidem مني *Mina* [al. *Muna*) nomen peramplæ Vallis prope Meccam, ubi tam hodie quam a tempore Iſlamiſmi, in ſolenni Peregrinatione Meccana, Sacrificia mactare & Lapillos in Diabolum projicere ſolet totus Mohammedanorum peregrinantium exercitus. D. Pinedo in Notis ad Stephanum de urbibus, ex Strabone legit, *Quatuor maximas Gentes habitare* ultimam *dictam* regionem, *quarum Minæi ſunt in parte ad Erythræum mare, quorum maxima urbs* Κάρνα ſeu Κάρανα *ſeu hiſque finitimos eſſe Sabæos*. In S. Bibliorum Verſione Græca ad 2. *Paral.* XXVI. 7. Μιναῖοι reſpondet Hebraico מעונים *Meunim*. Apud dictum Stephanum, per duplex *Ny*, ſcribitur Μινναῖοι, quod forte melius legendum Μιννάιοι, i. e. *Meunim*. Ibi *Uzzias* dicitur cum ſucceſſu pugnaſſe contra *Arabes Gur-baal & Meunæos*: *qui itaque* מעונים *Meunæi attulerunt Dona Uzziæ*. Non autem עמונים *Ammonitæ*, quod Scribarum lapſu ita ibi legitur: nam nulla antea ibi Ammonitarum mentio.

Sic Scribarum hallucinatione 2. *Sam.* VIII. 12. pro אדום *Edom* legitur ארם *Aram*, *Syri*, uti conſtat tam ex ſeq. verſu 14. quam ex collatione cum 1. *Chr.* XVIII. 11. 13. Hoc modo videmus *Jobum* fuiſſe Regem Edom ſeu Idumææ in Arabia: & tres vicinos Reges eum viſitaſſe, qui ſc. erant *Eliphaz* Rex *Teman* ſeu Arabiæ Petrææ quæ ad auſtrum Idumææ, & *Bildad* Rex Arabiæ Deſertæ, & *Sophar* Rex Arabiæ Felicis; qui omnes afflictæ ejus conditionis miſerti, ad eum confluxerunt, amica conſilia ſubminiſtrarunt, confortio recrearunt, & cum eo de Divina providentia & miſeria humana confabulando ſubinde diſceptarunt. Job autem orthodoxus recta de Deo dixit, contra quam fecerunt Reges illi, qui quamvis Dei vindices eſſe viderentur, tamen juſſi ſunt tandem pro ſingulis expiatoria Sacrificia offerre Deo, ut minus recta de eo dicentibus ignoſceret. Qualitate enim Reges fuiſſe oportet, utpote qui aliquoties Jobum mendaciorum incuſarunt, ſeque ei in omnibus æquipararunt.

7 *Damiata*] R. Benjamino כפתור *Caphtor*, quæ *Jer.* XLVII. 4. vocatur *Inſula Caphtor*.

8 *Corbacbia* [Vulgo *Corbavia*, i. e. *Croatia*.

9 *Sinigaglia*] Seu *Senigaglia*, ea eſt *Sena Gallica* ſeu *Senogallia*.

10 *Mare Tarentini*] Vulgo *Golfo de Taranto*.

11 *Mare Leonis*] Eſt ſc. ea Maris Mediterranei pars quæ alluit Leontinum in Orientali parte Siciliæ.

CAPUT

CAPUT XII.

פרק יֿב לבאר המקומות העקריות והראשיות בדרך ים מויניציאה לפלאנדריס
ללכת במיצר גיבילטירא ופורטוגאל ואנגליאה אשר
היא סמוך ליבשת פלאנדריס:

Caput duodecimum declarat loca præcipua & principalia in itinere maritimo a Venetiis in Flandriam, eundo per Fretum Gibeltar & Portugalliam, & Angliæ partem quæ est prope Continentem Flandriæ.

אמרו הרכבים והרצים כי מויניציא לפלאנדריס
וברוגייש וגאנס ללכת דרך יבשה הוא
מהלך בקירוב לארבעים יום וזה לעבור
בקוטב האיטאליא מפאדואה לוירונא ולעיר
שלשים או כדומה לזה בקוטב אשכנז
ושנויציר וכל הגלילות ההמה עם קוטב
הבורגונייא והפלאנדריאה אשר על שפת
ים אוקיינוס נגד איי אנגליאה סקוציאה
ואיבירניאה במהלך ארבעים יום הם בקירוב
והאמנם ללכת מויניציאה לפלאנדריס
בדוגיאות הים עם סחורותיהם ראיתי ושמעתי
כי יתמהמהו ויתאחרו לפעמים רבים בטרם
ישובו לביתם יֿח חרש ויותר משנתים לפעמים
אולם המהלך בטבע ההליכה היומית בנשיבת
הרוחות הטבעיים והנהוגים להתחלף ולהתחדש
לא ילכו בשמונה חרשים כי המהלך הזה
הוא יותר משלשת אלפים מילין וקרוב
לארבעת אלפים מילין וזה עקר המהלך
הראוי והטבעי לפי מציאות המקומות אשר
הם נמצאים בחיוב ואם אפשר שיגיעו
במקומות אחרים למען סחורותיהם או בסבת
השתנות הרוחות אשר יבריחום ללכת ולהגיע
הנה והנה מֿמ זה הדרך ילכו בו כי כן
ינזרהו טבע חיוב המקומות המיוסדים
ביבשה כאשר המה לעבור עליהם בים
והארת היא מויניציאה ירימו נס אל הרוחות
נגד המזרח דרך דאלמאציאה ומאצידוניאה
היא סקייאווניאה ואלבאניאה עד צארת
מים אדריאטיקוס הוא ים וניציאה ויפנו
ברוח אחרת לצד ימינם באוטרונטו והים
טראנטינו ולסבוב את האיטאליאה ויכנסו בים
האמצעי באורך הקלאבריאה ויניחו ליצי
ומונטאלטו ביבשה לימינם תמיד ופניהם
אל המערב עתה ויכנסו במיצר מיסינא

POstæ & [1] Cursores ajunt a Venetiis ad Flandriam & Bruges & Gandavum, (eundo per viam Continentis) esse iter pene 40 dierum [2]. Nempe transeundo per Polum Italiæ a Padua ad Veronam, & ad civitatem [3] Trentam aut talem aliquam, per Polum Germaniæ & [4] Helvetiæ, & per omnes istas regiones, per Polum Burgundiæ & Flandriæ quæ est ad oram [5] Maris Oceani e regione Insularum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, est iter circiter quadraginta dierum. Verum qua eunt a Venetiis in Flandriam per Galeras maris cum mercedibus suis, vidi & audivi eos antequam revertantur ad domum suam, sæpe detineri & retardari per 18 menses, [6] & aliquando ultra duos annos; iter hoc est plus quam tria millia milliarium, imo prope quatuor millia milliarium. Sed revera per naturam cursus diurni cum [prospero] flatu ventorum naturalium qui mutari & innovari solent, eundo non [detinerentur] ne quidem per 8 menses [7]. Et hoc quidem est fundamentum itineris convenientis & naturalis secundum inventionem locorum qui ibi necessario inveniendi (i. e. adeundi) sunt. Et, quamvis possibile sit ut attingant alia loca propter merces suas, aut propter causam mutationis ventorum qui aliquando cogant eos huc illuc ire & vagari, [8] nihilominus hæc esset via per quam incedere deberent: ita enim decrevit natura necessitate locorum in Continente sitorum, prout illi necesse habent per ea transire per mare. Hoc est, a Venetiis elevant vela ad ventos versus Orientem, per viam Dalmatiæ & Macedoniæ, (quæ est Sclavonia & Albania,) donec egredientes e mari Adriatico (quod est mare Venetum,) tendant per alium ventum ad latus dextrum suum per Otrantum & mare Tarentinum, & circumeundo Italiam intrent in mare Mediterraneum per longitudinem Calabriæ, & relinquant [9] Lecci & Montalto per Continentem ad dextram suam semper, dum eorum facies nunc sint ad Occidentem; & tandem ingrediantur per Fretum Messinæ [quæ est in insula Sicilia, inter Messinam & Rio de Calabria, ferme per 8 milliaria. Hocce Fretum est ad Con-

אשר היאבאי שיציליאה בין מיסונא לרייו
דקאלאבריאה קרוב לשמנה מילין המיצר
ביבשה היא באיטליא במלכות נאפולי וילכו
בערוגה הזאת בים האמצעי תמיד קרוב
לאלפים מילין ויותר היינו מריגיאו הנ״ל
לסאלרנו נאפולי גאיטא אוסטיא החוף רומי
פיומבינו וחוף סיינא ליגורנו חוף פיסא ואי
קורסיקא בשמאלם בים רחוק מהיבשה
סארזאנא גינובא סאוונא מונינו ניצא
דפרווינצא ואי סארדינייא בשמאלם הים
רחוק מהיבשה מארסיליאה ונהר רודאנוס
היורד מליאון ואוינייון מים מתים כל ארצות
ארגון פירפינייאן ואלנצא בארצלונא ואיי
מאיוריקא ומינוריקא בשמאלם בים רחוקים
מהיבשה עד הגיעם לאנדאלוסיאה ומלכות
גראנאטא מאליקא היא רמון ספרד אשר
שם מיצר גיבילטאר וכנגדו באפריקא ביבשה
בצד שמאל מאבריטאניאה ציסארי הפונה
במלכיות ההם מכל צד טאנגייר ארזילא
פיס אורן אולם בהיות הדונגיאות במיצר
גיבילטאר הזה הנ״ז וללכת פלאנדריס צריך
שיפנו לצד ימינם בדרך הצפון ובדרך היבשה
ולסבוב אותה בים כל מלכות פורטוגאל
ליסבונא ויסבבו כל מלכות הביסקאי עד
הגיעם בין אי אנגליאה ליבשת פלאנדריס
במיצר צר וכל הגלילות ההמה ויש שם
מיצר ים צר מאוד בין אי אנגליאה ליבשת
פלאנדריס לממשלת מלך צרפת בקצת
מקומות האי הזאת כמעט קרוב ליבשה
לעשרת מילין ומעט מזה וסמוך לאי אנגליאה
הזאת נדבק כמעט אתה אי סקוציאה רק
שיש סעיף מים מפסיק ביניהם ואי איבירניאה
למעלה בים בצפון סמוכה להם וזהו שיעור
המיעור המהלך הנז׳ באמרת לפי מציאות
הישוב במקומות האלי כאשר המה אולם
נשיבת הרוחות בחלופם לפעמים שלא
בסדרן עם רצון הסוחרים וושבי הספינות
והדוניאות או מבריחת הלסטים השובים
בים יכריחו בעלי הספינות לשנות סדור
המהלך הזה ולבחור להגיע במקומות אחרים
אמנם כלם יחוייבו לעבור במשך הסדור הזה

Continentem in Italia in regno Neapolitano: & per hanc aream iri poſſit per mare Mediterraneum continuo, circiter 2000 milliaria, & ultra: hoc eſt, a Rhegio [10] ſupra memorato ad Salernum, Neapolim, Gaetam, Oſtiam Portum Romæ, Piombino, & Portum Sienæ, Ligornum Portum Piſæ, & inſulam Corſicam ad ſiniſtram ſuam procul a Continente, & Sarzanam, Genovam, Savonam, Monacum, Niceam de Provincia, & inſulam Sardiniam ad ſiniſtram ſuam per mare procul a Continente, Marſiliam, fluvium [11] Rhodanum decurrentem a Lugduno & Avenione, [12] Aquas mortuas, totam terram Aragoniæ, Perpynian, Valentiam, Barcelonam, inſulam Majorcam & Minorcam ad ſiniſtram ſuam per mare procul a Continente; donec tandem perveniant in [13] Andaluſiam, & regnum Granatæ & Malagam: ea eſt Granata Hiſpaniæ quæ ibi eſt ad Fretum Gibeltar. Et e regione illius in Africa in Continente ad latus ſiniſtrum, eſt Mauritania Cæſarea, quæ tendit ad illa regna ex omni latere, viz. Tanger, Arzilla, Fes, Oran, &c. Veruntamen cum Galeræ ſint in dicto Freto Gibeltar, ad eundum in Flandriam, neceſſe eſt ut tendant ad dextram ſuam per viam Septentrionis & per viam Continentis quem per mare circumire debent, viz. totum regnum Portugalliæ, & Lisbonam: circumeundum quoque eſt totum regnum Biſcaiæ, uſque dum perveniatur inter inſulam Angliam & Continentem Flandriæ per Fretum anguſtum, & per omnes regiones iſtas. Eſt enim ibi [14] Fretum maris valde anguſtum inter Inſulam Angliam & Continentem Flandriæ, ſub dominio regis Galliæ. In quibuſdam locis iſta Inſula eſt prope Continentem intra 10 milliaria aut paulo plus. Et prope iſtam Inſulam Angliam, cohæret quaſi cum ea Inſula Scotia, niſi quod parvus maris ramus diſcriminet inter eas. Et Inſula Hibernia eſt ſupra mare [15] verſus Septentrionem prope illas. Et hæc quidem eſt æſtimatio (i. e. deſcriptio) itineris prædicti revera prout inveniuntur habitationes in iſtis locis ubi ſunt. Sed aliquando vel propter flatus ventorum per mutationem ſuam extraordinariam, vel propter voluntatem Mercatorum in [16] navibus aut Galeris ſedentium, vel tandem propter fugam Pyratarum qui per mare captivos ducere ſolent, navium Magiſtri neceſſe habent hujus itineris ordinem mutare, & eligere ut per alia loca (ad metam ſuam) perveniant. Verum omnes illi per hujus ordinis prædicti tractum, vel prope ad illum, tranſire debent, prout loca prædicta occurrunt; & non errabunt. Si vero non, tum poterunt tranſire per alte-

הנז״ וקרוב אליו במציאות המקומות חנז״ל
ולא יחטאו אם לא יעברו מעבר הים לעבור
דרך יבשת אפריקא במלכות טוניס אשר היא
אחורי שיציליאה בדרומו וכל שפת ים
הברבאריא ההיא עד הגיעם נ״ב במיצר
גיבילטאר הנז׳ כי שם מעבר כל סובב יבשת
ללכת לים אוקיאנוס ואין אחר זולתו כמו
שנראה ומבואר ליודעי ספר מהלכי עולם
ומלחים ומשם יסובבו בלכתם לצד צפון
למצוא אי אנגליאה ופלאנדריס ביבשה
כאמור לעיל:

alteram partem maris per viam Continentis Africæ, per regnum Tunetum quod est pone Siciliam ad austrum ipsius, & per totam illius maris Barbarici oram, donec hoc modo perveniant ad prædictum Fretum Gibeltar. Nam ibi est Trajectus pro omnibus per Continentem circumeuntibus, ut eant ad mare Oceanum; nec est alius præter eum, uti perspectum & perspicuum est illis qui Mundum perambulantium & nautarum Libros sciunt. Et inde in itinere suo circumire poterunt versus Septentrionem ad inveniendum Insulam Angliam, & Flandriam per Continentem, uti dictum est supra.

NOTÆ IN CAPUT DUODECIMUM.

[1] *Equitatores & Cursores*] i. e. Postæ equitantes & Tabellarii pedestres.

[2] 40. *dierum*] Hodie inventa est brevior via per Galliam, Sabaudiam, & Milanum.

[3] *Trenta*] Ut *Granatam* solet vocare *Rimmon* interpretando Nomen; sic *Trenta* notans *Triginta*, heic vocatur שלשים 30.

[4] *Helvetia*] Eam Author vernacule vocat *Switzer*.

[5] *Maris Oceani*] Heic intelligit *Oceanum Britannicum*: alias apud eum *Oceanus* est *Mare Atlanticum*.

[6] 18. *menses*] Hodie celeriter navigando, hoc iter potest confici 22. diebus, ut experti dicunt.

[7] 8. *menses*] i. e. prospero vento vix detinentur 8. menses in eo itinere. Pro seqq. Hebr. Latina præcedunt.

[8] *Nihilominus*] Abbreviare ממ pro מכל מקום *præ omni loco*.

[9] *Lecci*] Sic vulgo dicitur *Aletium*.

[10] *Suprememorato*) *Supradicto*, Hebraice exprimitur per Abbreviaturam נל, i. e. נאמר למעלה vel נזכר למעלה.

[11] *Rhodanum*) Vernacule Gallis *le Rosne*, Italis *il Rodano*.

[12] *Aquas mortuas*) Vernacule *Aigues mortes*, urbs maritima *Occitaniæ* seu *Langue d' Occ.*

[13] *Andalusia*) Arabibus Mauris أندلس *Andalus*, i. e. Hispania Bœtica, q. d. *Vandalus*, quippe quam aliquando occuparunt Vandali.

[14] *Fretum angustum*) Anglice *the narrow Seas*, inter Angliam & Flandriam sub dominio Regis Galliæ, ut ipse videtur de suo tempore affirmare; quod tamen verius dixisset de Rege Hispaniæ Flandriæ domino.

[15] *Versus Septentrionem*) Debuerat potius dixisse *versus Occasum*.

[16] *Navibus aut Galeris*) Nempe *Naves* sunt Onerariæ mercatoriæ, *Galeræ* autem sunt Bellicæ. Videtur דוגיא *Dughia*, nomine tenus, idem esse cum דוגית *Dughith*; quamvis aliqui ponant differentiam. Hoc, nempe posterius, exponitur *Navicula piscatoria*, & *Scapha* ad majorem navem pertinens. Hebræorum enim Jurisperiti dicunt, *Qui emit navim, emit simul* דוגית *Scapham, & omnia alia pertinentia*. At R. Benj. p. 9. plane pro *Galera* accipit, plurali forma adhibens, דוגיות הנקראות גליראש *Dughioth quæ vocantur Galeræ*. Et sic דוגיא *Dughia*, (cujus plur. *Cap.* XIV. דוגיאות *Galeræ*,) ut exponit R. Elias in suo *Tishbi*, *est navis magna multis remis in utroque latere instructa*: est nempe talis quæ olim *Triremis*, hodie *Galea* seu *Galera* dicitur; quæ structura ac usu tam ab aliis navibus bellicis quam a ونجبر كميلر *navibus onerariis* distinguitur. Heicque præmittam, quod de Galeris Anglicanis, si ita vocari possunt, non loquor nec locuturus sum; uti nec de antiquorum *Triremibus*, de quibus Tractatum edidit Is. Vossius.

Galera autem Turcica & Veneta [non item Anglica (acutum & longe protensum habet Rostrum ligneum: velis utitur triquetris; & non, nisi procella exorta, quadratis: margines sunt lati decliviuscule promissi, in quibus erecti stant Pali ferrei a quibus dependent Scalmi cum Remis: & supra margines utrinque sunt 4. aut 5. صفّلر *Suffæ* seu *Tabulata* parva sex pedes quadra, pro stationibus militum pugnantium. Proram & Carinam [ad velocius sulcandum mare) habet acutiorem, ideoque etiam ventrem angustiorem: Mala duo, Catastroma unicum. E contra vero, navis oneraria Rostrum habet obtusum, superne aduncum; ventrem ad recipiendas merces capaciorem; Mala & Catastromata plura; Vela quadrata. Reliquas differentias persequi supervacaneum esset. *Galera* (quæ ex dicta structura est Navis multo velocior,] ab Arabibus tam Asiaticis quam Africanis vocatur غراب *Ghorab*, i. e. *Corvus*, quasi picea nigredine, rostro extenso, & Velis Remisque sicut Alis volans *Galera*: unde & Ulacho Græce dicitur Μέλαινα. Ornatus vero causa, Pici aliquando superinduci solet ruber aut viridis color, ab ornatum quærentibus. Turcis *Galera* audit قدرغه *Kadirgha*, unde linguæ Græcæ modernæ adscitum Κάτεργο eadem significatione. Alias a Turcis nominari solet *Ciectirme*, seu چكدرمه لمى *Tchecdurme ghemi*, id est, *Tractoria navis*, seu *Actuaria navis*, quæ Remis trahitur agiturve; Turcis quidem de sola navi bellica dictum, sed eadem significatione qua ὁλκὰς seu ὁλκάδιον Græcis erat, Cymbis tracta navis oneraria. Apud Dom. Germanum, Arabicum شختور *Shectur* videtur corruptum ex چكدر *tchectur*, cum Arabes literam چ sonare non possint. Sed apud eum vocis usus aliquantulum diversus; cum ipse exponat سختور *Barcha* seu *Burchio*; quæ tamen Remis agitur. Imperatoris Turcici *Galeræ* accommodato peculiari nomine vocantur جقالر *Jacal*, quo alias *Hylax* notissimum animal vulpi simile primario notatur. Alias, *Galeæ* in genere Turcice dicuntur چراقلي لميلر *Armatæ* seu *instructæ naves*: & talium Classis, est طونمنمه *Dunanma*, id est, *Armata*, seu دكز طونمنمسى *Maris Armata*.

Quod

Quod autem ad *trahendi* notionem attinet, *Remos agere* apud Turcas dici solet كورك چكمك *Remos trahere*; & transitive چكدرمك est *facere ut trahat* seu *ut trahatur*, quod a toto Remigio seu Remigum طايفه *Caterva* fit cum اهماله *Celeusmate* انشاء برابر *Si vult Deus æqualiter agamus*; una cum horrida catenarum concussione auditu ingrata: quæ Turcica recito, quia Veneti etiam Turcas, ut Turcæ Christianos, ad Remos cogunt & catenis onerant. Remigum Dux seu anterior, qui Venetis *Spalliero*, Turcis باش حملجي *πρωτοκρέτης* seu *Impetitor primus*, est Puppi proximus, qui novo quovis repetito Remorum impetu, reliquos omnes dicto Celeusmate præit, ducit, excitatque. A *trahendi* itaque significatione, Galeræ impositum nomen *Ciectirme*, quod ex Grammaticali significatione posset omnibus Galearum generibus competere, utpote quæ Remis trahantur: id quod tamen recepto usu communi & generaliori, solas *Galeras Triremiges* notare solet.

Mauri Galeras proprie dictas non habent, exceptis parvis *Brigantinis*, quas propter remigium & structuram, Galerarum generi adnumero. Utcunque tamen apud alias gentes videntes Galeras; earum nomen agnoscunt, sua lingua vocantes طريدة *Tarida* seu *Tareda*, id est, *acta compulsa*, & *propulsata* navis, sc. *Galea*; quo etiam nomine Arabico absolute posito, *Galeazza* aliquando vocari solet. Maurorum autem Naves bellicæ in genere, plerumque lingua Franca vocantur قورصادي *Corsani*, sc. *Corsali*, *les Corsairs*.

Navium vero Bellicarum (quæ solæ remis aguntur,) genera, ex Remigum singulis Remis incumbentium numero distinguenda esse videntur. Nam ut ordine incipiam a minoribus, *Bergantina* (vulgo *Brigantina*) talis est ubi singulis Remis unus tantum homo allaborat. Hæc Turcice vocatur Italico nomine Turcicis literis scripto فرغاطه *Firgata* seu فرغته *Furgata*, sive فرقته *Fircata*, quæ omnia sunt *Fregata*, seu *Barca armata*, quæ alias quoque dicitur فوسته *Fusta*. In MS. Lex. Ital. Turc. in Arch. Seld. *Brigantina* minus recte vocatur *Kara Mursal*, id est, *Nigra emissaria*, seu قره مرسل سفينه سي *Kara Mursel sephina si*, id est, *Nigra emissaria navis*. Sed revera *Kara Mursel* non est ex Galerarum speciebus, nec Remis agitur, sed solis velis promovetur: estque Navis cujus Prora ac Puppis sunt elevatiora quam media pars, contra quam fit in *Galeris*. Est autem *Brigantina*, (Galeræ species minima,) ea quæ Mauris dicitur جفن *Gjefen*, & ثليثي *Salisi*; vel ثلثي *Sulsi*; quæ quidem Nomina a Pedro de Alcala Hispanice exponuntur *Galeota pequenna*, & *Frigata*. Anglis dicitur *Galey foist*, & *Pinnace*, seu *Frigat*: quorum ultimum est generale, uti nomen *Galera*, pluribus speciebus competens.

Quando vero intelligitur *Galeræ* species aliquanto major quam *Brigantina*, tum ea talis est ubi duo homines unicuique Remo assignantur. Hæc Mauris dicitur طريدة من جنسين *Tarida min ginsein*, id est, *Galea de dos ordines*, ut exponit Pedro de Alcala. Et, vel huic vel sequenti speciei accensendus est Persicus زودي *Phaselus*, a *Yacht*.

Si autem sit species adhuc major, tum nuncupatur *Ciectirme* seu *Galea* absolute & simpliciter dicta, nempe *Triremex*, ubi tres homines singulis Remis incumbunt. Hæc Mauris طريده من ثلاثه اجناس *Tarida min sala a ginas*, id est, *Galea de tres ordines*, ut habet supra dictus Pedro de Alcala. Nempe ad singulos Remos bini, trini, aut quadrini homines, faciunt duplices, triplices, aut quadruplices ordines; non quidem situ inferiores aut superiores, sed coæquales in eodem Scamno eodemque navis latere sedentes: nam Remorum ordo, simplex; Remigum vero (pro Galeræ magnitudine & Navarchæ lubitu] duplex, triplex, aut quadruplex esset possit.

Si sit earum quæ Remis aguntur *Galera* maxima, tum vocatur *Galeazza* seu *Galea grossa*, ubi sunt 5 aut 6. homines uni Remo; nempe quintuplex aut sextuplex hominum ordo, semper vero remorum ordo simplex. Hæc Turcice vocatur ماعون *Maun*, seu ماعنه *Maune*, Mauris طريدة *Tarida* seu *Treda* simpliciter. Et quamvis *Galeazza* sit bellica, est tamen forma navis onerariæ. Galeazzis vero peculiare est, in summis marginibus habere چتالر *Furcas*, sc. compagines ligneas furciformes, in quibus suos *Petrieros* (seu Bombardas mortarias ad jacienda saxa & Bombas] collocant. Et in Galeazzarum prora, est una quædam magna machina seu Compages lignea versatilis, Italis dicta *Carreto* seu *Carreta*, quæ unico subdito Pedamento sive Trabe versatili, circumvolvi & quaquaversus dirigi & versari queat; quæ merito appelletur طوب دندرجي عربه *Bombardi-versorium Carretum*, vel si volumus Anglice loqui, *a turn-gun carriage*. Hæc autem lignea Compages talis est, quæ duas Bombardas oblique [divaricato ad modum furcæ situ) capere possit, hoc modo: viz. in eadem Compagine seu Carreta duæ collocantur Bombardæ ad furcæ ritum a seinvicem deductis rostris, eo sc. obliquo dextrorsum & sinistrorsum situ, ut unius ad metam directæ explosio, alteram (resiliendo) ab obliquiore situ mox in rectum vindicet retrahatque, & pariter in directum educat, ut in hostes explodatur; ipsa vero explosa prius Bombarda seipsam proprio resultu (*recoil* vocamus] intra Galeazzæ marginem retrudat reducatque, ut hac ratione a nautis commodius tractari & rursus onerari possit. Et deinde vicissim alterius dicta ratione in rectum deductæ explosio, dictam illam Bombardam priorem eodem modo in directum contra hostes educit. Et sic viceversa in perpetuum.

Habemus in Bibliotheca publica Oxoniensi in Libro de Habitu Turcarum, *Galeam* septiremem Constantinopoli affabre depictam, (perperam ibi dictam *Kattiga*, pro *Katirga* seu *Kadirga*,) quæ quondam ad *Ochily Basha* pertinebat. Huic in utroque latere sunt 36. Remi; & qui est simplex Remorum, sed septuplex Remigum ordo visitur, viz. singulis Remis affiguntur 7. homines laxiuscule catenis alligati: & horum utrumque, sc. tam Remorum quam Remigum numerus, extraordinarium est rarius visum. Sed in quavis Galea, Remigum numerus pro libitu augeri potest, si modo Galeæ capacitas id permittat, & Remis affigantur plures Ansæ Laqueive quas teneant trahantque homines plures. Adeo ut hac ratione, ex eadem Galea *Triremigi*, fiat *Quadriremex*, *Quinqueremex*, aut quævis alia.

Galearum autem constructio & constructarum securitas (summissis Malis) esse solet in ترسخانه *Tersichana*, vel contractius & minus orthographice, ترسانه *Tersana* seu *Tarsana*, quæ ex pluribus Arcubus lapideis aut latericiis constat, & Venetiis vulgo audit *l'Arsenal*, quod videtur factum ex præcedente nomine Turcico addendo *l* fini, uti pro سراي *Serai*, Itali dicunt *Serail* & *Seraglio*. Ea autem quæ visitur Constantinopoli, [ne fallantur aliqui,) in Australi Galatæ extremitate versus Urbem sita est; & omnino differt a طوب خانه *Top-chana* seu *Casa dell'Artiglieria*, ubi ex metallo funduntur Bombardæ, fere in Septentrionali Galatæ extremitate versus يكي حصارلر

Nova Castella & Mare nigrum sita. Sed *l' Arsenal* alias vocatur زرن خانه & جبخانه *loricarum domus*, (synecdochice pro omni Armorum genere,) a جبه *Gjebe*, & زرد *Zered*, quorum utrumque significat *Loricam* ex Annulis ferreis contextam, quod ejusmodi *Loricæ* ibi serventur, de quibus agit Calcashendi tom. 2. pag. 231. & 266. Ille enim locus, est tam *Navale* quam *Armamentarium*: unde etiam alias vocatur سلاح خانه *Silah-chana*, id est, *Armorum seu Armaturæ domus*, & خزانة السلاح *Repositorium armorum*; cum omnis generis Bombardæ, Sclopi, Tela & Arma bellica ibi servari & reponi soleant. Magis autem commune & usitatum nomen est *Ters-chana* seu contractius *Tersana*, quo significatur *Domus terroris*, talis scil. terroris quem tanta Navium bellicarum Classis tantusque Armorum Apparatus, (quæ ibi servantur,) omnibus merito incutere possit.

Sed in nominis *Arsenal* deductione a *Tarsana*, scrupulum mihi injicit Arsenalis Venetæ antiquitas: dicitur enim esse ex antiquioribus Venetiarum ædificiis, forte ante 600 aut plures annos extructa; nempe longe antequam Turcæ vicinas illi urbi partes occuparent, aut nominis occasionem darent. Adeo ut, si eodem semper gaudebat nomine, tum id necessario ante Turcarum in Europam adventum impositum fuerit; atque ita id non a Turcico nomine factum, sed potius hoc ex illo. Cum autem dictum nomen Turcicum sit significativum, & Venetum non item, impossibile est ut illud ex hoc ortum & depravatum fuerit; cujus autem contrarium potius sit verum, nempe Venetum ex Turcico potius derivatum esse. Videtur itaque apud eos ab initio non semper habuisse idem nomen, sed Venetos potius *Arsenalem* olim vocasse prius *Navale*; & deinde postea *l'Arsenal*, mutuato a Turcis nomine, nuncuparunt. Et hoc satis probabile, cum Venetorum *Dogana* [*the Custom-house*] pariter antiqua, seposito vetere nomine Italico, vocetur دكان *Docan*, accepto nomine a Turcis, quibus etiam alias dicitur كمرك دكاني *Ghiumruk Docani* id est, *Vectigalium officina*.

Superius dictum est de Navibus Bellicis, (Heb. משוטים *Mashotim* seu אניות שיט *Oniyath Shait*,) quæ *Remis aguntur* omnes; contra quam fit in Onerariis, excepta لوندرة *Londra*, quæ Remis agitur, quamvis oneraria longa aliquam magnam *Galeam* mole æquans. Jam autem relictis Bellicis exteris, priusquam manum de tabula tollam, leviter tangam naves Onerarias exteras; quarum itaque maxima est Navis Hispanica dicta *Galeona*, Arabice بيوني *Bayoni*, an a loco ubi primo constructa, vel a بيون *Bayon*, id est, *ampla*, non determino. Ex reliquis Navibus Turcicis, est سيك *Saic*, quæ Mercatoria lata & aliquando magna, forte 300 aut 400 Tonnarum, hominibus transvehendis apta. Deinde tale quid est ماوصه quæ est (ut Italice describitur) *Barça grande da portar mercantie*; & بورطون *Bortun*, quæ est navis subrotunda & lata. Minores Naviculæ sunt الشاهقة, & البضعة, & الصلعة, & الشختور seu لشخطور de qua supra. Et deinde *Cymba*, sunt صندل *Sandal*, & صندلخغ *Sandaljuc*, & قايق *Kaic*, & بارجه *Bartche*, & پرمه *Pereme*, & جرمه *Gjerme*, & جنبر *Tchembir*, & جنبلي *Tchembeki*, & زورق *Zavrak*, & سنبوق *Sumbuk*, & جرنيك *Tchernik* seu μονόξυλον, & كجيمرك كمي *Portatoria* seu *transitoria navicula*, quæ ad Porthmum stare solet, Arabice dicta مريلبى *Moreikab*. Scapha vero quæ majori navi inservit, Arabice est قارب *Karib*, q. d. *propinqua*, quæ semper in promptu, alias dicta فرشة الفلك *Barca τῆς navis*. Lingua autem Græca vulgari Καράβι est *Navis* in genere, ut Arab. فلك *Fulk*, & مركب *Merkab*, سفينة *Sephina*, & Pers. كشتي *Keshti*, & Turc. كمي *Ghemi*. In Libro *Pherh. Gihanghiri*, زبري *Zemberi* exponitur كشتي بزرك *navis magna*.

C A P U T XIII.

פרק י״ג נזכיר בו מהלך אופירה מדברי הנביאים לאחור היבשה
דרך ים סוף לאחורי כוש הנקראת אפריקא
השפלה הצריך לאגרת הזאת:

Capite decimotertio ex verbis prophetarum commemorabimus iter versus Ophir per posteriorem partem Continentis, per viam Maris Suph ad posteriora Cush quæ dicitur Africa inferior; quod necessarium erat exponere in Tractatu isto.

ליודעים חן וכבוד בתורת האלהים לדעת
לעות את יעף דבר במה שיתמהו היום
האנשים השומעים שמע הגלילות החדשות
האלה אשר נמצאו ונראה להם שהוא
כמיפלא ומופת נתחדש ביבשה ובפרט
כי טולומיאו החוקר הגדול לא דבר מאומה

SCientibus gratiam & glorjam in Lege Dei, ut sciant [1] tempestive annuntiare verbum desiderio defatigatis, de eo quod mirantur hodie homines audientes rumorem de Regionibus istis noviter repertis, & videtur eis acsi sit res miranda & portentum quod de novo inventum est in Continente, præsertim quia Ptolemæus rerum scrutator maximus nihil locu-

מאלה ונסתמו מעיניו ויהי כמחריש כאשר
כבר דברתי·

והאמרת זה הוא כי אין כל חרש תחת
השמש כי מאז מקדם כאשר החלו בני האדם
לרוב כבר נתפשטו ונתרבו לשבת ולהתישב
בין בתוך השבעה האיקלימים המפורסמים
אצלינו ובין למטה מהם בגלילות דרום וגם
להלאה ממשוה היום באיים הגדולים
אשר בתוך ים הודו אי זאנזיבאר יאווא מאיור
יאווא מינור פיאוטם טקורא אנגמא
מאדאנאזקר שהיא נגד בארבאריקו שהם
רחוקים מהיבשה מאד וגם שה שמצאי
היבשה הגדולה והנוראה בקצה הדרומו
המערבי סובבת והולכת בדרומו של אוקיאנוס
לא נודע ענינו לעולם כמעט גרולה מן הישוב
ה׳ז איקלימים לנו וכלם מלאים צאן אדם
נשים וטף שחורים גם ארומים ובהמה רבה
ודברים משונים וגדולים ונוראים ובזה
יתמהו השומעים ישימו יד על פה מי
שמע כזאת והיודע וחוקר דרכי התורה
ימצא מזה מה שכבר נתפשטו האומות
מבני קדם להלאה מהגלילות הנעלמות
היום להמונים עם מה שהזכירה מבני עדן
והפסוק יורה עליהם באמרו בסנחריב בני
עדן אשר בתלסר שהוא תחת הודו העליונה
וגם מה שהזכירו ספרי הנביאים כי בצד
השני מארץ כוש התהתונה אמר וישמע על
תרהקה מלך כוש ועל כל אלה הנה שלמה
בן דוד מלכנו מצא דרך לכל המהלכים
האלה בחכמתו ובמעלתו לחרש אוניות הולכות
אופירה לזהב בחוף עציון גבר בים סוף
בגבול ארץ אדום אשר המקום הזה עודנו
היום בים סוף קרוב להר סיני ומשם המבוא
הגדול ללכת בארכו של ים סוף נגד פני
דרומו של עולם עד דרך מלכות בארבאריקו
מקום ראש התחלת ים סוף מים הודו
באמצע היבשה שמוך מצרים הבא באמצע
היבשה עד סמוך למצרים והר סיני ויש שם
מקום ודרך לפנות בסופו על ימין ועל
שמאל לרצון רוכבי הים על דבר הבשמים
אם על ימין להציע עד בארבאריקו ולסבוב

cutus est de istis: occludebantur enim ab oculis ejus, & fuit tanquam is qui silet, uti jam monui.

Sed verum est quod nihil sit novum sub Sole: nam olim ab antiquo cum filii hominum inciperent multiplicari, jam copiosiores facti diffundebant se ad habitandum & sedem sibi quærendum tam in medio 7 Climatum quæ hic describuntur, quam infra ea in regionibus Australibus, & quoque ultra Æquatorem diei, viz. in Insulis majoribus quæ sunt in medio maris Indici, quales sunt in insula [2] Zanzibar, Java major, Java minor, [3] Piotam, Tacora, Angama, & Madagascar, quæ e regione (litoris) Barbarici: & hæc valde multum distant a Continente. Et quoque quod in [Mundi] extremitate Austro-occidentali invenerunt Continentem magnum & tremendum, qui circuit & pergit per Austrum Oceani; cujus negotium non erat notum Mundo, sed fere tantum quantum est Habitatio septem Climatum: & tamen omnes istæ regiones plenæ sunt Ovium, Virorum, Fœminarum, & Parvulorum, qui tam nigri quam rufi; præter multas bestias, & alias res diversas magnas & tremendas. De his mirantur Auditores, ponuntque manum super os dicendo, Qui audivit huic simile? Verum is qui cognoscit & scrutatur vias Legis, de hoc reperiet, quod jam olim diffusæ fuerint nationes a filiis Orientis usque ultra regiones hodie vulgo ignotas, una cum eo quod (Scriptura) meminit de filiis Eden: nam Textus de eis indicat, ubi de Sancheribo dicit, *Filii Eden qui sunt in Tellasar*, quæ est sub India superiori; præter illud quod Libri Prophetarum de éo commemorarunt. De secundo latere terræ Cush dicitur, *Et audivit de Tirhaca rege Cush*, Et quoad hæc omnia, ecce Salomon filius Davidis regis nostri per sapientiam & excellentiam suam invenit viam ad omnia ista itinera, ut ad eundum Ophiram pro auro instauraret naves in portu Esiongeber in mari rubro in termino terræ Edom, qui locus usque hodie est in mari Suph prope Montem Sinai: nam inde est introitus magnus ut per longitudinem maris rubri iret adversus Mundi plagam Australem, usque ad viam regni Barbarici, viz. ad locum [4] Capitis ubi est initium Maris Rubri e Mari Indico per medium Continentis usque prope Ægyptum; nam per viam Continentis intrat prope Ægyptum & Montem Sinai. Et ibi (juxta dictum Caput) est locus & via in cujus fine tendant vel ad dextram vel ad finistram pro lubitu navigantium per mare propter negotium Aromatum. Si ad dextram, tum pertingendum est ad (Si-

לקאוו די בונא ספיראנצא לסבוב את כל ארץ כוש התחתונה כלה בים אוקיאנוס ואם על שמאל לפנות בדרך ים לאמיקא וים קאליקוט וכל ארצות הודו ואיי הודו בים הודו מוצא הפשוטים והבשמים כלם והדרך הזה נתפרסם בתורה והלכו בה מלכי ישראל וגם בימי יהושפט גם כי נשברו האוניות בעציון גבר מ״מ נודע עגינו מהמהלך הזה בתורתנו ואחת לשלש שנים היו שבות הספינות נושאות כל טוב ובכל הגלילות האלה נתגלה הדבר למלך פורטוגאל ומלך ספרד לסבוב שמה בכל אלה ולעביר האיים הפורטנאטי ולהניחם בדרומי מערבי ולשוט בדרך היבשה קאוו קאנטין וקאוו ביאנקו וקאוו וירדי ונהרי סיניגא והפרומונטוריאי הגדול ההוא הנזכר אשר נתגלה ונתפרסם היום בסוף היבשה הדרומית מערבית לפנות באורך כוש בים וללכת דרך המזרח בדרומם של יבשה דרך קאוו די בונא ספיראנצה הנז׳:

אמנם ממוצר אשר בניבילטאר בין רמון ספרד למאבריטניא בסוף כוש אשר בסוף האפריקא הוא איטיאופי דרומית המיצר הימיי הזה הוא המבוא הגדול לצאת מים האמצעי המיידיטיראניאו וללכת בכל המהלכים האלה כי קשר כל הימים אשר בכל הגלילות שמה יתחברו ויתקשרו יחדיו עם האוקיאנוס דרך מיצר ניבילטאר כאשר אמרתי פעמים רבות ואין מקום אחר זולתו מעבר שהכל תלוי בו.

וירעת לך כי אופירה הזה הכתוב בתורה ובנביאים מצאוהו והלכו באיים ההם עם פורטוגאל ומצאו בו זהב לרוב ונרוירים גדולים זהב לאין הקר ובנו שם חזקה מגדול ועדין נקרא שמו אופירה וכן תמצאה כתוב בספר עולם הדש ספר רביעי קאפיטולו צ״ו מתחיל הקאפיטולו לו ארמיראנטי פריסי והוה הגליל בסמיכות האיים : האמנם אופירה הכתוב בתורה היא ביבשה בארץ כוש התחתונה וזו נמצאת בין איי קאנאריאה לקאניבאלי ושם כתבו מה שמצאו שם

num) Barbaricum, & deinde circumeundum est per Capo de bona speranza, ad ambiendum totam terram Cush inferioris per mare Oceanum. Si autem ad sinistram, tum tendendum est per viam [5] Meccæ, & deinde maris Calecut, & omnes terras Indiæ, & insulas Indiæ in mari Indico, ubi est productio Simplicium & Aromatum omnium. Dicta via nota facta est in Lege, quippe per quam iverunt reges Israelis, ut etiam in diebus Jehosphaphat; quamvis fractæ fuerint naves in Esion-geber. Nihilominus tamen notum erat negotium hujus itineris in Lege nostra, & semel in tribus annis fuerunt reditus navium portantium omne bonum. In omnibus istis regionibus res discooperta fuit regi Portugalliæ & regi Hispaniæ, ut illac circuirent per ista omnia, & transirent per Insulas Fortunatas relinquendo eas ad Austro-Occidentem, & ut navigarent per viam Continentis Capo Cantin, & Capo Bianco, & Capo Verde, & Fluvios Senegæ, & prædictum illud Promontorium magnum quod discoopertum & descriptum est hodie in extremitate Continentis Austro-Occidentalis, & ad tendendum per longitudinem Cush per mare, & ad eundum per viam Orientalem ad Austrum Continentis per viam Capitis bonæ spei prædicti.

Verum quoad Fretum quod est apud Gibeltar inter Granatam Hispaniæ & Mauritaniam in extremitate Cush (i. e. in extremitate Africæ seu Æthiopiæ Australis,) Fretum inquam hocce maritimum est aditus magnus ad exeundum ex mari Medio seu Mediterraneo, & ad eundum per omnia ista itinera: nam quoad connexionem omnium marium quæ in singulis regionibus, ibi inquam conjunguntur & connectuntur simul cum Oceano per viam Freti Gibeltar, prout multoties dixi, nec est ullus alius locus præter ipsum, qui sit Transitus a quo omnia pendent.

Scias autem tibi, quod quoad Ophiram istam in Lege scriptam & in Prophetis, populus Portugallensis invenerunt eam eundo per istas insulas: & in ea invenerunt aurum multum & margaritas magnas: aurum autem infinitum. Ibique extruxerunt Fortalitium & Turrim: & adhuc vocatur ejus nomen Ophira. Et sic reperies scriptum in Libro de [6] Mundo novo, libro quarto, cap. 96. Caput incipit, *Lo admirante prese*, &c. Et ista regio est confinis Insulis. Verum Ophira illa quæ in Lege scribitur, est in Continente [7] Cush inferioris: hæc autem reperitur inter Insulas [8] Canariæ & Canibales. Et ibi (in dicto Libro) scripserunt id quod repererunt; sc. fossiones (seu foveas) maximas

החפירות הגדולות הקדומות המיוחסות לשלמה מלכנו ומשם נתעשר :

mas antiquissimas quæ Salomoni regi nostro attribuuntur, qui inde dives evasit.

NOTÆ IN CAPUT DECIMUMTERTIUM.

[1] *Laborem verbi desatigati*) Vel *rei desatigatæ* ; intelligitur nempe id in quo laborarunt & desudarunt multi, seu res de qua defatigati sunt disquirendo; ut hoc modo ei qui quærendo defatigatus est; satis fiat. Hæc enim est Quæstio jam diu a multis solicitata & vexata, sc. ubinam terrarum sit Regio Ophir.

[2] *Zanzibar*) Est insula prope littus Africanum seu Barbaricum.

[3] *Piotam*) An legendum sit *Piotam*, vel *Fiotam*, vel *Fiutam*, videant alii: nam in aliis quos vidi Libris, ejus mentio non fit.

[4] *Capitis ubi initium Maris Rubri*) Nempe Mare Rubrum est Sinus Maris Indici, ideoque hujus Sinus initium est ex Mari Indico [apud *Babo'l Mandel*. Dictum autem Caput terræ seu Promontorium, est prope Insulam *Socutram*, ubi optima *Aloes* nascitur, quæ ideo vocatur *Socutrina*. Dicitur autem سقوطرة *Socutra* seu [ut pronuntiant] *Scutre* sive *Scodire*, familiari apud vulgum Metathesi pro *Scoride*, mutilato & contracto nomine. Ptolemæo enim dicitur ἡ νῆσος Διοσκυρίδους, in qua etiam Διοσκυρίδου ἡ πόλις, quia ille forte ad Simplicia Medicamenta indagandum ibi aliquando vixerit. Is vero fuit origine Cilix, natus in عين زربة *Ain-zarbe*, unde dictus est (ut in meo Dioscoride Arabico) العنزربي *Al Anzarbi*, unde Græce Ἀναζαρβεύς. Est autem *Ainzarbe* hodie Ἄξαρα apud Historicos Byzantinos, idque (inquit Leunclavius] pro أق سراي *ac-sarai*, id est, *Album palatium*. Rectius Molino dicitur *Axsar*, id est, *ak-se-ehir*, ut ille suo modo legit, pro أق شهر *ak-shahr*, id est, *Alba urbs*, quæ itaque veteribus Græcis dicta Λευκόπολις, modernis Ἀσπρόπολις, eodem significatu. In Lexico Geographico male legitur *Axar* & *Aeschecher* male, pro *ac-Shehr* seu *ac-Shahr*.

[5] *Maris Meccæ*) Mare Meccanum, est Mare Rubrum, cujus pars Ægypto proxima, Turcice vocatur قلزم دكزي *Mare Clysmatis*, & سويس دكزي *Mare Suesanum* seu de *Sues*, sive *Sueis*. *Mecca* autem Scriptoribus Italis dicitur *la Mecha*, Gallis *la Meque*; unde R. Benjamino למיקה, & nostro למיקא & למיק. Heic nempe intelligi debet *Mecca* de qua agens R. Benj. p. 65. meminit τῶν התועים חבאים מארץ מרחוק ללכת למיקה בארץ אלימן *Erronum venientium a terra longinqua ad eundem ad Meccam in terra Al Jaman*; non *Aliman* ut vertit D. l' Empereur. Est nempe in Arabia felici ea Mecca quæ e regione mediæ partis Maris Rubri sita est inter *Yaman* & *Higjaz*, [ita ut ad utram harum pertineat dubitetur,] ad quam quotannis instituuntur Mohammedanorum Peregrinationes Religiosæ. Noster vero Peritsolius fœde errat in situ ubis Meccæ, eam collocans ad littus maris Indici, ut *Cap.* XXIII. & XXIV. & *Cap.* XXVI. plane dicit eam esse in Regno *Aden*, quod est juxta باب المندب *Babo'l Mandab*, id est, *Porta exitii*, propter frequentiora ibi naufragia; vulgo dicta *Babelmandel*. Turcis dicitur باب دوغاري *Fretum* τῆς *Bab* seu *Portæ*. Est enim Maris Rubri Fretum angustum, viam ex Mari Indico in Rubrum aperiens, Græcis olim dictum Δείρη *cervix*, angusta & oblonga: unde Insulæ ei adjacentes στεναὶ Δεῖραι: & *Berenices* tertia juxta condita, dicitur Δεῖραι & Ἐπιδείρης, ad Æthiopicum latus ut dicit Stephanus. Sed quoad situm *Meccæ*, eandem puto apud nostrum Authorem extitisse erroris causam, quæ etiam Globi maximi Editori Cæsio errandi in hac parte ansam dedit: nam in dicto Globo Cæsiano ponitur duplex *Mecca*, altera quidem rectissime inter *Yaman* & *Higjaz*, altera vero perperam sita est in regno *Aden* prædicto. Et sane verisimillimum est Relatorem aliquem Europæum tam Cæsium quam nostrum Authorem fefellisse, adeoque ambos ex eodem fonte suum errorem hausisse. Namque (quod observatu utile) Globorum & Chartarum Editoribus familiare est eandem urbem locumve vario & diverso situ exhibere, propter diversitatem Relationum quas in re chorographica secuti sunt ejusmodi Editores; qui Relationum diversitate distracti, & nescientes utra earum sit verior, locorum situm secundum utramque exhibent, judicium penes Lectorem relinquentes. Adeo ut quicunque hujus dictæ cautionis ignari, Globos & Chartas consuluerint, in graves aliquando errores ruant necesse est. Exemplum esto *Arzerum* & *Erzerom*, (M. P. Veneto *Darzerim*, pro quo melius esset *d' Arzerim*,) quæ sunt أرزن الروم *Arzerrum*, unum eundemque locum denotans, circa superiores Armeniæ partes ubi Euphrates oritur. Est nempe *Arzen Græcorum*, seu sub Græcorum ditione olim; ad distinctionem ab altera *Arzen*: & dicta ista differentia specificata, prohibet ne hoc nomen isto modo distinctum, ad duo diversa loca indistincte pertinere possit. Et pari errore (ad rem ulterius illustrandam] in eisdem partibus situm sæpius in Globi & Chartis occurrit *Bingiul*, Sansonio male *Bigul*, de cujus [ut videtur] vero situ ignarus fuit Globi Editor: is itaque veri nescius, uni eidemque loco varium situm pro Relationum diversitate tribuere satius duxit, quam rem dubiam & sibi ignotam determinare. Eo autem nomine proprie intelligitur tam ille locus ex quo Euphrates, tam alter longe distans ex quo Tigris scaturit: nam id nominis cuivis loco lacustri convenire possit, cum Turcice بيك كول *Bin-giul* significet *mille lacus* aut *mille stagna*, quasi talem locum Χιλιολίμνιον diceres. Vulgus dicit & scribit مي كول *min-giul*. Et in dicto Globo magno, plura hujusmodi exempla videas in Arabia & alibi. Nec quidem Ptolemæus a supradicto vitio liber est: ipse enim ex variis Authoribus sua corradens, & secundum variorum Relationes scribens, [ut & Geographi omnes, cum eorum nullus omnia propriis oculis lustraverit,] *Mariabam* & *Sabam* in Arabia, facit diversas urbes; cum ex Abulpheda eis nominibus una eademque urbs notari constet. Et cum his, eadem esse videtur tertia apud eum urbs dicta Σαυῆ βασίλειον.

De *Mecca* (quæ a *Medina* distat 270 milliaribus p. m.) videri possint Doctissimi Pocockii Notæ ad Specimen Historiæ Arabum, & L. de Barthema.

[6] *Mundo novo*) Plures sunt Libri istum præferentes Titulum: sed iste [quicunque sit] scriptus est ante ducentos annos.

[7] *Continentes Cush*] Intelligitur *Sophala*.

[8] *Inter insulas Canariæ & Canibales*] Intelligitur *Peru*, Heb. פרוים Gr. Φαρυΐμ.

CAPUT

CAPUT XIV.

פרק יד׳ על דבר היהודי מעשרת שבטים ועניננו ומהלכו אשר בא ממדבר
חבור לפי המגידים ואשר במדברות אשיאה וארביאה פיליצי
והגיע למצרים בשנת לפג׳ לפק ובא ברומי :

Caput decimum quartum agit de re Judæorum ex 10 *Tribubus ; & de negotio ejus & itinere ejus qui venit a Deserto Chabor , secundum sententiam Historicorum ; ipsius nempe qui fuit in Deserto Asiæ & Arabiæ felicis , & ad Ægyptum pervenit anno* 283 *sec. comp. min. & tandem venit ad Romam.*

לתועלת האגרת הזאת אשר חברתיה אני אברהם פריצול לגלות לבלתי יודעים ארחות עולם בחרתי לכתוב הפרק הזה יסובב קוטבו על מהלכי היהודי מהשבטים או שיהיה מיהודה נק שמו דוד בן שלמה שר צבא ישראל אשר בא וראינוהו בגלילנו זה גליל איטאליאה איך בא ממדבר חבור לפי דבריו ועניננו ימצאו הקוראים בו מרגוע לנפשותם פה ינוחו יגיעי חפץ כי לא אחטא בסיפור דברי כפי מה שידעתי מפי חשובים וראיתי במכתב אנשי אמת והיודע האמתי כי הוא לבדו אמת אף כי מקטני אמנה בהבלים אני :

זאת היא בשנת רפג׳ באלף הששי שמועה שמענו מארץ הצבי דרך הדוגיאות מויניציאה במכתב עברי לאמור איך הגיע שמה יהודי אחד מהשבטים מגיד חדשות בקרב הארץ אין צורך בהגדות ההמה עד אשר עבר הים בשנת רפד׳ והגיע בויניציאה ועלה ברומי ומשם נתאמת ליודעים מהלכו ועניננו וזה כי היהודי הזה מכת שני השבטים הוא לפי הנשמע מדבריו שאמר שהוא מן העומדים מיושבים במדברות ההם כבני הרכבים באהלים ומצבו במדבר חבור אשר באשיאה מאיורי ולמטה מהם ולהלאה תשלום עשרת השבטים והם סמוך למדברות ללכת לאמיקא וגודא אשר על ים סוף ולהם ולכלם יש מלכים ושרים ועמים רבים כחול אשר על שפת הים ומוצא הבשמים והפלפל והסמים הפשוטים וכל טוב הנמצאת בידם כאשר נכתוב עוד במקומו האמנם בין

In majorem utilitatem hujus Tractatus quem ego [1] Abraham Peritsol composui, ut aliquid manifestarem iis qui non norunt itinera Mundi, [2] elegi scribere hoc Caput, cujus Polus versatur circa Itinera Judæi e 10 Tribubus, [3] aut qui fuerit ex Juda, [4] cujus nomen vocatum est David ben Shelomo, Princeps exercitus Israelis, qui venit, eumque in nostra regione vidimus, viz. in hac regione Italiæ; nempe quomodo venit a Deserto Chabor, juxta verba ejus & negotium ejus. Legentes in eo invenient requiem animabus suis, & huic quiscent desatigati desiderio: non enim errabo in narrationibus verborum meorum, secundum id quod scivi ex ore præstantissimorum, & vidi in scriptura virorum veritatis. Et, est qui novit veracitatem meam; nam ipse solus est veritas; quamvis & ego sim ex eis qui parum credant vanitatibus.

Hæc est [narratio] ipsa. Anno 283 millenarii sexti, rumorem audivimus e [5] Terra Decoris per viam Galerarum a Venetiis scriptura Hebraica, dicendo; Quomodo illuc appulisset ex decem Tribubus aliquis Judæus qui [6] annuntiavit nova in medio terræ. Non erat necesse ea proferre, donec anno 284 mare transierat, Venetias appulerat, & ad Romam ascenderat, & exinde esset verificatus (seu justificatus) apud eos qui iter ejus & negotium ejus sciebant. Et hoc est, illum Judæum esse ex cœtu duarum Tribuum, prout auditum est ex verbis ejus. Dixit enim seipsum esse ex stantibus inter eos qui in illis Desertis habitant ad instar filiorum Rechab in tentoriis, suamque stationem esse in Deserto Chabor quod est in Asia majori: & [7] infra eos & ulterius, esse completionem Decem Tribuum, quæ sunt prope Deserta quibus itur ad [8] Meccam & Gjuddam quæ ad Mare rubrum. Illisque omnibus esse Reges & Principes & populos multos ad instar arenæ quæ in litore Maris; & productionem Aromatum & Piperis & Medicinarum Simplicium, omniaque alia bona quæ in manu eorum reperiun-

שתי הכתות מהיהודים האלה יש ביניהם מן הישמעאלים אומה חזקה ותקיפה ועם מלכים רבים להם יזיקו לכת מהיהודים האלה לא יניחום לעבור ולהתקרב זה אל זה לפי שכבר ימים רבים ושנים שהיו מתרחבים ובאים להתקרב זה אל זה ולא עלה בידם וכאשר נתגלה שמה בגלילות ההם זה ימים רבים ושנים ביאת הדוגיאות הנצריות החזקות והתקפות והרגישו ושמעו וראו את כלי הקרב אשר בידי הנוצרים מהמתכות החלולות לזרוק אבנים בכח האש ולהשחית כל ישוב ומצורם בחרו היהודים אשר במדבר חבור לפי דברו לשלוח היהודי הזה למלך כל הנוצרים הגדול עם סימנים מה בידו להאמין בדבריו אשר נתאמת ונתקיימו ממלך פורטוגאל הרוכב על הגלילות ההמה ההודיים היינו אינדיאני דרך אניה בלב ים ויודע מציאות מלכות יהודים שמה וכתב אל האפיפיור ירום הודו שהיהודי הזה הנ״ז נאמן הוא ודבריו נאמנים ומ״מ ויהי מה שיהיו דבריו נאמנים או לא די לנו היום בגלותנו זה ובגלילותינו אשר נתאמת למלכים ושרים וברבים וחוצות רומא אשר עדין יש מציאות לשבטי ישראל הרבים מאוד ומלכים רבים להם והיהודי אשר בא יהיה מה שיהיה:

ובהיות אמת מציאות היהודים ומלכיהם יתכן לומר שבא היהודי הזה בדרך הזה באופן הזה ממדבר חבור דרך מעבר הקאראבאני כי כן המנהג וכן נכתב ונשמע עליו מפיו ועבר בקוטב אראביאה פיליצי והגיע לים סוף וירד מצרימה ויעל אחר זה בארץ הצבי והמתין שם הדוגיאות מויניציאה לעבור באיטאליא ויבא עד רומא וישב שם ברומא כשמנה חדשים עד בוא תשובת מלך פירטוגאל על אמיתות דבריו ועניינו:

ואמרו המגידים וגם יהודים חשובים אשר דברו אתו כי באמת שהיהודי שאל עזר מהאפיפיור מלך הגויים שינתנו לו כלי קרב ממתכות לזרוק אבנים ואומנים טובים

riuntur, uti ſcripturi ſumus in loco ſuo. Verum inter duas iſtas Judæorum Societates ſunt quidam ex Iſmaelitis, gente, ſc. forti & robuſta: & cum Regibus multis qui ſunt ipſis, iſtorum Judæorum Societati nocent, nec ipſis permittunt tranſire ut accedant hi ad illos: nam jam multis hiſce diebus & annis expatiati ſunt tentantes venire ut appropinquarent hi ad illos, ſed non [9] aſcendit in manum (ſeu poteſtatem) eorum. Quando autem in iſtis regionibus innoteſceret de adventu navium Chriſtianorum fortium & robuſtarum, & perciperent & audirent viderentque Inſtrumenta belli quæ in manibus Chriſtianorum ex [10] metallis cavis ad projiciendum lapides per vim ignis, & ad perdendum quamvis Habitationem & Munimentum; Judæi qui in Deſerto Chabor elegerunt [ſeu decreverunt] ([11] ſecundum verba ejus) iſtum Judæum ad Chriſtianorum Regem omnium maximum mittere cum Signis (ſeu Credentialibus) quæ in manu ejus, ut fidem adhiberet verbis ipſius: quæ etiam verificata & confirmata fuerunt a Rege Portugalliæ qui navigavit ad iſtas regiones Hodiim ſeu Indicas per naves in corde maris, & inventionem regni Judæorum ibidem novit. Scripſitque ad [12] Papam [cujus exaltetur gloria,] quod prædictus iſte Judæus eſſet fidelis, & verba ejus vera. Nihilominus ſint verba ejus vera ſive non, hodie in hac noſtra Captivitate & [13] Regionibus noſtris ſufficit nobis, verificatum fuiſſe apud Reges & Principes & coram multis in plateis Romæ, quod adhuc ſit inventio (ſeu exiſtentia) Tribuum Iſraelis, & quod ſint valde numeroſi, habeantque Reges multos. Et quoad iſtum Judæum qui venit, ſit quiſquis ſit.

Cumque jam vera ſit inventio Judæorum & Regum eorum, poſſumus dicere, quod iſte Judæus venerit per hanc viam & hoc modo, viz. e Deſerto Chabor per viam tranſitus Caravanæ: nam ita mos eſt. Et ſic ſcriptum & auditum eſt de ipſo ex ore ipſius: quod nempe tranſit per Polum Arabiæ felicis, & pervenit ad mare rubrum, & ſic deſcendit in Ægyptum, & poſtmodum aſcendit ad Terram Decoris, ibique expectavit naves a Venetiis ut tranſirent in Italiam, & ſic venit ad Romam: ibique in Roma habitavit circiter octo menſes uſque dum veniret reſponſum Regis Portugalliæ de verificatione (ſc. ad juſtificationem) verborum ejus & negotii ejus.

Hiſtorici & melioris notæ Judæi qui cum ipſo locuti ſunt, affirmant iſtum Judæum revera auxilium petiiſſe a Papa Rege Gentilium, ut Inſtrumenta bellica ex metallo ipſi darentur ad projiciendum lapi-

להביאם אתו בארביארה פיליצי להשחית
שונאיהם הנ״ז ושיתן הוא ביד האפיפיור
מעלתו תועלות אחרות לתועלת האפיפיור
יר״ה ודרך למשול בקצת מקומות שמה
בעלי אסופות ובשמים וסמים פשוטים וזה
למען יתקבצו ויתאחדו היהודים ההמה
יחדיו לבא לעבור לנחול ולכבוש את ארץ
הצבי כי ירושת עולם היא לישראל ואת
כל אלה ראו עיני בכתבי אמת ושמעו אזני
מהאנשים חשובים אנשי אמת וה״ה אלהים
הוא האמת הגמור אשר לא ישקר ולא
יכזב ולא יבושו כל החוסים בו והאמת
מאליו יצמח ויעשה דרכו:

והיום הזה במרחשון ר״פ״ה שמענו אומרים
איך האפיפיור קלימינטו הזה מלך הגויים
דבר והסכים לפטרו ולשלחו בכבוד ובספינה
רבה מלאה כלי קרב ואומנים יהודים
ונוצרים דרך פורטוגאל ולסדר עליו אל
המלך למלאת עוד ברצונו ולצוות לכל אומה
נוצרית באשר יעבור לכבדו ולעזרו ולמלאות
חפצו בדרוש הנ״ז וכל אלה כאשר יהיה
כן יקום:

רק אמרתי לכתוב הדרך אשר יוכל ללכת
בה בטוח לדעתו יותר מדרך אחרת אם
יצדקו המגידים להוליכו לפורטוגאל ומשם
פורטוגאל ירד בים אוקיינוס דרך סבוב יבשת
פיס ויניח בים בימינם על דרך אינסולי
פורטונאטי הנקראים היום ספאניאולי וימשך
דרך קאפי וירדי ביבשה ויסוב האפריקא
דרך היבשה בשמאל ללכת אל המזרח
עד פרומונטוריו הגדול הנקרא קאוו די בונא
ספיראנצא ויעבור הגולפו בארבאריקו למצוא
מיצר ים סוף וירד ביבשה למצוא מדבר
חבור באשר יהיה וילך למקומו כמו שנבאר
כל אלה המוצאות החדשות להבא:

צורת היהודי הזה ומעשיו לפי
הנשמע הוא קצר הקומה דל בשר אמיץ

pides, (& quoque boni Artifices,) ut illa in Arabiam felicem portarent ad perdendum inimicos suos prædictos; ipsumque vicissim daturum in manum Papæ ejusque [14] promotionem alias utilitates in usum dicti Papæ, (cujus exaltetur gloria,) & [aperturum] viam ad dominandum in partem locorum ubi sunt [15] Authores Collectionum [sc. divitiarum,] & Aromata, & Medicamenta simplicia. Et hoc totum factum est ut Judæi illi congregarentur & simul adunarentur, ut possent venire & pertransire ad possidendum & subjugandum Terram Decoris; quia ipsa est æterna possessio Israelitis. Omnia hæc viderunt oculi mei in Scriptis veritatis, & aures meæ audiverunt ab hominibus præstantibus viris veritatis. Verum Dominus Deus ipse est perfecta veritas, qui non falso agit nec mentitur: & non pudore afficientur omnes illi qui sperant in eum. Nam veritas ab ipso germinabit, facietque viam ejus.

Et hodie in mense Marcheshvan 285, audivimus dicentes, Quomodo Papa (nempe hicce Papa Clemens qui Rex Gentilium) locutus est & decrevit dimittere ipsum, eumque honorifice mittere in maxima navi instrumentis bellicis plena, & quoque artifices Judæos & Christianos per viam Portugalliæ; & de eo apud Regem Portugalliæ ordinare, ut ipse ulterius impleret desiderium ipsius; & cuivis nationi Christianæ per quam transire deberet, jubere illum honore afficere eique auxilium dare, & in requisitis prædictis voluntatem ejus implere. Et hæc omnia prout sunt, ita stabunt seu confirmabuntur.

Solummodo mecum decrevi describere viam qua secundum opinionem meam poterit transire magis secure quam alia via, si recte ajunt Historici eum in Portugalliam deducentes. Inde enim ex Portugallia posset descendere per Mare Oceanum via circuitus Continentis Fess, & totam viam Insularum Fortunatarum (quæ hodie vocantur Hispaniolæ,) in mari ad dextram suam relinquere, & deinde viam per Capo Verde juxta Continentem continuare, & circumire Africam per Continentem [uti dictum est] sinistrorsum, eundo versus Orientem usque ad magnum illud Promontorium quod vocatur Capo de Bona speranza; & postea posset pergere ad Golfum Barbaricum ad inveniendum Fretum angustum Maris rubri, & per Continentem descendere ad inveniendum Desertum Chabor, ubi posset esse, & sic ire ad locum suum; sicuti omnes istos exitus novos in sequentibus explicaturi sumus.

Quoad istius Judæi formam ejusque actiones, juxta id quod auditur, statura erat bre-

לבב מתפלל גדול שחרחור מסגף נפשו בתעניות וכבר עמד ששה ימים רצפים אשר התענה לילה ויום לפי דברי הכותבים עקר לשונו בלשון קדש כמעט בלתי מובן בעלג לפעמים באו אנשים חשובים והשמנים ברומא לבקרו בביתו ודחפם ולא קבלם ועל פרדה רכב ברומה לראות בחדושי הארץ ונכנס על פרדתו בבמה הגדולה מ״ פיירו ועד המזבח הגדול ולא אבה לרדת מהפרדה ואתו כעשר יהודים רצים לפניו ויותר ממאתים נוצרים ה׳ ידבר טוב על ישראל :

brevis, carne tenuis, corde fortis, orator maximus, ſubniger, macerans [ſeu affligens] ſeipſum jejuniis : & quidem jam perſtitit 6 dies continuos in quibus diem & noctem jejunavit, juxta verba Scriptorum. Lingua ejus præcipua erat Lingua Sancta, quæ tamen tanquam [16] balbuties vix erat intelligibilis. Viri præſtantiores & Cardinales in Roma ſepius venerunt ad viſitandum eum in domo ejus, is vero eos repulit, nec admiſit [ſeu excepit] illos. Et ibi in Roma ſuper mula equitavit, ut videret nova terræ: & ſuper dicta mula ſua ingreſſus eſt in [17] Excelſum maximum D. Petri uſque ad Altare magnum: nec voluit a mula deſcendere. Et cum eo erant circa decem Judæi currentes ante illum, & plures quam ducenti Chriſtiani. Deus loquatur bonum de Iſraele !

NOTÆ IN CAPUT DECIMUMQUARTUM.

[1] *Abr. Peritſol*) Codex Venetus legit *Abr. ben Peritſol.*

[2] *Elegi*) i. e. propoſui, conſtitui.

[3] *De Tribubus*) Viz. de 10 Tribubus. D. Bartoloccius in citationibus ſuis ex hoc loco deſumtis, pro שבטים *Shevatum* in plurali legit *Shevataim* in duali, vertitque *Duas Tribus*, male. Nam שבטים abſolute poſitum, ſemper τὰς 10 *Tribus* notat.

[4] *Aut qui fuerit ex Juda*) Hæc additur conjectura; quaſi forte illapſus ſit inter 10 Tribus, cum originaliter ex Juda fuerit: nam mox dicitur fuiſſe מכת שני שבטים *e cœtu duarum Tribuum*. Rabbi Ghedalia in Libro *Shalſheleth*, [ut mox dicitur,] ſcribit eum Rubenitam ſeu de Tribu Ruben. Tantum in fabuloſa hiſtoria diſſident nugatores.

[5] *Terra Decoris*) Vel *Terra Capreæ*; eodem enim nomine dicitur *Caprea*, quod ſit *decorum* animal. Hoc autem Epitheto *Terra Sancta* intelligitur, quaſi dicas, omnium terrarum maxime decora.

[6] *Annuntiavit nova*) Iſtam ſequentem fabulam de Judæo quodam anno 1534 ex Arabia ad Summum Pontificem Clementem VII. miſſo, acriter & quidem merito perſtringit D. Bartoloccius Bibl. Rabb. pag. 42 43 ubi tamen hocce putidiſſimum mendacium ex alia quadam vera hiſtoria ortum agnoſcit, his verbis: Cæterum ad veritatem hiſtoriæ quod attinet, verum eſt quod Clemens VII. A. D. 1533 Literas David Regis Æthiopiæ receperit, quibus Papæ obedientiam ſpoponderat, & quos Fr. Alvarez Joannis Portugalliæ Regis Orator Romam attulerat, cum aliis ejuſdem Regis Credentialibus Literis Sertuual datis Maii 1532 Summoque Pontifici conſignaverat, ut videre eſt apud Rob. Momachum & alios: ſed nihil de Hebræo Oratore in illis, neque alibi mentio reperitur. De hac Legatione, de Regno, hominibus, atque moribus Æthiopiæ populi, [qui Troglodītæ hodie eſſe putantur, [confer eundem Momachum; ubi hujuſcemodi Literæ ex Æthiopica in Luſitanam, indeque in Latinam Linguam traductæ fuerunt a P. Jovio pag. 123 & eædem Lat. lingua leguntur pag. 236 Baſileenſis editionis. Verſæ etiam in Italicam, & excuſæ fuerunt Bononiæ per Jac. Keymolen 1533 in 4to, cum hac Inſcriptione, *L'Ambaſciaria di David Re dell'* Etiopia, *&c.* Hæc audientes Hebræi, ---crediderunt David eſſe nomen Oratoris miſſi a Rege Æthiopiæ, ſeu a Regibus quibuſdam Iſraeliticis regnantibus in Indiæ partibus. Sic deceptus R. Ghedalia Aben Jachia qui tunc temporis vivebat, id ipſum credidit, & in Libro ſuo *Shalſheleth hakabbala* literis conſignavit, *fol.* 45. *b.* his verbis, וכי בשנת אלפים וכו Et ita in anno 5295 a Creatione Mundi (*hoc eſt a. D.* 1534) qui fuit annus a vaſtatione Ædis ſecundæ 1466 e remotiſſima regione vir Judæus cui nomen erat Rabbi David Rubenita, Romam venit, locutus eſt cum Clemente Papa, & invenit gratiam in oculis ejus. Aſſerebat ſe eſſe Principem exercitus Regis Iſraelis. Brevis ſtaturæ ac niger, ut Æthiops erat. Quadraginta quinque annorum ætatem præferebat habere. Ivit itaque ad Regem Portugalliæ, ſecum Interpretes adducens; quia loqui neſciebat niſi tantum Hebraica lingua & Arabica. Dixitque Regi, quomodo Reges Iſraelitici qui habitant ultra Chalach & Chabor & fluvium Gozan, miſerant illum, ut ei diceret an vellet jungere ſe cum illis contra inimicos eorum, atque eis Arietes cornupetentes, quos ad manum haberent, ſubminiſtrare, ad ſubjugandum illos. Reſponditque Rex, quod ita eſſet facturus. Iſte autem R. David ſtetit ibi diebus plurimis. Hactenus R. Gedalia.

[7] *Infra eos--eſſe completionem*) Nempe iſtæ Tribus inferiores, una cum duabus prædictis, faciunt Decem. D. Bartoloccius in Bibliothecæ Rabbinicæ p. 122 hanc adducens Periocham, eandem negligenter vertit, male fido (ut videtur) Codice ſeductus: legit enim השלום *pax*, pro תשלום *completio*.

[8] *Meccam & Gjuddam*] Heic eſt unicus tantum hujus Libri locus quo noſter rectum ſitum tribuit *Meccæ* quam ſolenniter viſitant religioſi Peregrinantes Mohammedani: Alias enim eam perperam collocat in regno *Aden* prope Mare Indicum, ut ſupra notatum. Heic autem recte eam ponit juxta locum dictum جدة *Gjudda*, (vulgo *Gjidda*, & aliquando Nautis Europæis *Ziten* ſeu *Ziden*,) quæ eſt Urbs & Territorium maritimum prope Meccam, viz. ad oram Maris Meccani ſeu Rubri, quod in hoc loco Breviis & Scopulis frequens. Heic colligitur vectigal a religioſis Peregrinatoribus iſtac tranſeuntibus ex terris Occidentalioribus; qui hoc loco cum vento proſpero ſolent mare trajicere curſu navali 24 horarum: Et quidem *Gjudda* circa 60 milliaribus a *Mecca* diſtare dicitur. Circa hunc locum eſt Portus ad quem appellunt noſtræ naves Mercatoriæ, qui vocatur *Mucha*, unde ad nos adferuntur Calculi albi ejuſdem nominis in formam Palarum cæſi, quibus innaſcuntur herbarum figuræ.

[9] *Non aſcendit*) i. e. non bene ſuccedebat, vel non venit in poteſtatem manus eorum.

[10] *Cavis metallis* En deſcriptionem Bombardarum & Scloporum.

[11] *Sec. verba ejus*) i. e. prout ille nobis dedit tradiditque.

[12] *Papa*) Papa Judæis vocatur *Apipior* ſeu *Epipior*, ex rudiori & corrupta pronuntiatione nata voce;

ce; sc. cum א prosthetico, & (ut videtur) ר paragogico abbr. pro רימא *Roma*.

[13] *Regionibus nostris*) scil. in quibus nos præcipue habitamus.

[14] *Promotionem*) i. e. Profectus ejus & in altiorem dignitatem promotio.

[15] *Authores Collectionum*) i. e. Collectores, Coacervatores, sc. qui collegerunt divitias & merces copiosas omnisque generis res bonas. Sic nempe noster hac phrasi translate (ut solent) utitur, quæ tamen longe aliter *Eccles.* XII. 11. significat *Clavos ferreos* majores longos quibus communiri solent Rotarum Canthi, & quibus geminati asseres constringuntur & combinantur, crassiores Urbes aut majoris Domus Portas seu Duplices Fores fabrificiendo. Ibi enim in dicto S. Ser. loco, Rex sapientissimus desiderat invenire Verba veritatis firma quibus tuto fidere posset, quæ sint sicut *Clavi infixi constrictores* seu *authores collectionum* seu *constrictionum*; qui nempe colligunt, i. e. constringunt & colligant duplices asseres, qui alias facile deciderent & disjungerentur. In Anglicis Bibliis legitur, *As nailes fastened by Masters of Assembiles*, sensu plane nullo: quinam enim sint *Cœtuum Magistri*, difficile est divinare; & quod sicut Fabri ferrarii aut lignarii, illorum fuerit Clavos ferreos adigere & malleo infigere, creditu difficilius. Si meum esset, ego verterem *As nails fixed, which are Binders*, viz. *great binding nails* in margine addito.

[16] *Balbuties*) i. e. propter barbarum quendam sonum & insusitatam pronuntiationem.

[17] *Excelsum maximum D. Petri*) Intelligit Divi Petri Templum in Vaticano colle, qui quidem est locus excelsior. Sed invidus iste Judæus meliori nomine non dignatur Christianorum Templum, quam illud vocare *Excelsum*, eodem sc. nomine quo in veteri Testamento Excelsa loca Idololatrica intelliguntur. Sic etiam *Cap.* XXV. Religiosorum Christianorum *Conventus*, huic Authori vocatur *Excelsum*, quamvis in humili loco situs, per invidiam & contemtum sic dictus. Et post talem de Templo Christiano fictum Triumphum,) quod scil. dictus Judæus mulæ insidens ad supremum Altare ingressus fuerit, illudque eo modo polluerit,) iste verpa suum addit Epiphonema, *Deus*, &c.

Quia forte Venetiis Judæi non ausint Christianismum male tractare, hoc loco Codex MS. Venetus legit בארמוז ס פיירו *In Basilica Sant Piero*, i. e. *Sancti Petri*. Sed in MS. Bodlejano plane legitur מ פיירו, quasi intelligeretur, *Divus Petrus*. Quid autem ille per Abbreviaturam מ privatim sibi voluerit aut in animo clanculum habuerit, forte non sit in promtu divinare. Meliori sensu possumus legere מר *Mar*, id est, *Divus* seu *Dominus*. Sed cum noster Hebraice scribat, obstat quod *Mar* nunquam usurpetur nisi in Dialecto Chaldaica, qua noster nullibi utitur, sed ab ea plane abstinet. Obstat quoque, quod Judæus Christianum tam bono Titulo honorare certe noluerit, vocando eum *Divum* & *Dominum suum*. Alias מ potest esse Abbreviatio pro מקדש *Mekuddash*, id est, *Divus* seu *Sanctus*, aut מאשר *Meushar*, id est, *Beatus*. Sed cum מ *Mem* possit formare Participium a quovis Verbo sive bonæ sive malæ significationis, & Judæi non soleant Christianos tam bonis Titulis cohonestare, potius dnbitandum est eum hac Abbreviatura voluisse מארר *Meorar*, aut מקבב *Mekubbab*, i. e. *Maledictus*; aut præ omnibus מומר *Mumar*, i. e. *Apostata*, aut מין *Min*, seu מינאי *Minai*, i. e. *Hæreticus*, cum D. Petrus ex Judæo factus fuerit Christianus, & veterem Religionem relinquens, novæ adhæserit. Nam hisce Epithetis Christianos semper intelligunt. Et forte noster (ad instar astuti nebulonis) ita dubie rem expressit, ut fere in medio relinquere videretur, & cuique suo modo legere liberum esse possit. R. Benjamin Tudelensis plane nullum Titulum Sanctorum Christianorum nominibus præmittit, & sui Itinerarii pag. 11. Templi Vaticani mentionem faciens, dicit חבמה הגדול שקוריץ לה של ביטרא די רומא *Excelsum illud magnum quod vocant Petri de Roma*. Et sic de aliis Sanctis, quos nullo Titulo ornare dignatur. Sed e contra, Sanctorum Judæorum nominibus semper præmittit Titulum, ut שנט אליה *Sant Eliah*, שנט אברהם *Sant Abraham*, &c.

CAPUT XV.

פרק פו̈ על מלחות מלך פורטוגאל בים אוקיינוס כאשר ראה כראשונה
ללכת דרך ארץ כוש השפלה בדרום היא איטיאופיאה למצוא
קאוו די בונא ספיראנצא וכל המקומות אשר
מצאו והיהודים ומדבר חבור:

De Regis Portugalliæ navigatione in mari Oceano, quando primo ei videbatur iter facere ad meridiem per viam terræ Cush inferioris, (ipsa est Æthiopia,) ad inveniendum Capo de bona speranza: & de omnibus locis quæ invenerant, & de Judæis, & de Deserto Chabor.

כבר הודעתי נאמנה כי מעבר גיבילטאר היוצא מים האמצעי הוא ים מידיטיראניאו ברמוז ספרד אל חוץ ים אוקיינוס הגדול הוא המעבר הגדול לסבוב כל הארץ אם לפנות בימין היבשה ללכת אל הצפון באיי אנגליאה סקוציאה ואיבירניאה ויבשת פלאנדרוס והולאנדיאה ואם לפנות בשמאל דרך מלכות פיס אשר הוא חוץ למיצר גיבילטאר וללכת בצלע היבשת ההיא השמאלית

JAm fideliter notum feci transitum Gibeltar (qui exit de mari Medio seu Mediterraneo per Granatam Hispaniæ ad extra in mare magnum Oceanum,) esse Transitum magnum (seu celebre) ad circumeundum totam terram, sive sit ad tendendum per dextram Continentis eundo ad Septentrionem per Insulas Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, & Continentem Flandriæ, & Hollandiam; sive ad tendendum ad sinistram per viam regni Fess extra Fretum Gibeltar, & eundo juxta costam Continentis illius sinistri per viam Insularum Fortunatarum ad inveniendum Habi-

דרך אינסולי פורטונאטי למצוא ישוב הדרומי ארץ כושית ושחורים ולסבוב היבשה ההיא בכל ארץ כוש היא איטיאופיאה והשפלה הנמשכת ממערב למזרח ולמצוא הקאוו די בונא ספירנאנצא הוא ראש תקוה טובה אשר מצאוה מחדש ובכל אלה החכם טולומיאו לא דבר מאומה מזה וקרא המקומות האלה ארץ בלתי נודעת ר״ל טירא אינקוניטא והטעם שקראה כן כי הים אוקיינוס ההוא נראה כיורד והארץ מכסה לספנים הבטת הטראמונטאנא או שיהיה שלא נסו המלחים ללכת שם רק עד פרומונטוריאה גדול אחד עולה תוך הים נקרא ראש לא ר״ל קאוו נון : ופירושו מי שיעבור שיעור הראש הזה לא ישוב לעולם לביתו וכן כתב החוקר בעל ספר עולם חדש :

וביורת מלך פורטוגאל שונא את הישמעאלים ואמונתם צוה וסדר שלוש שנים רצופות ללכת במהלך הזה עם נתינת הבטחות והטבות רבות לראשי המלחים והחובלים ולהעשירם ולהעלותם שישלימו רצונו ללכת ולנסות ולחפש את אשר יוכלו למצוא כי בכל התועלות יקחו חלקם ושלשה פעמים הלכו בשלש שנים פעם אחת בכל שנה ולא מלאה רוחם לעבור הנטייה אשר כבר הגיעו בה כי מיראת המעברות הימיות ומהעדר מציאות יבשה משום צד ע״כ היו שבים אחורנית אמנם להפיק רצון המלך ולהזיק לישמעאלים ולבקש תועלתם הלכו בשלישית בכח גדול וביד רמה והגיעו אל המקום ההוא אשר כבר ראוהו מארץ חול לבנה ויקראו שמו קאוו ביאנקו היינו ראש לבן ליובש המקום ויתחזקו עוד ויעברו בשלש מאות מיליך עוד להלאה מן הראש הנקרא קאוו נון ר״ל ראש לא לפי השמות אשר קראו להם והתחילו למצא ביבשה הזאת השמאלית לים ישובים רבים מהאנשים שחורים מעט כמו בריטיני הולכים ערומים נקראים אצלם אזאניני ואלה הם המקומות אשר מצאו בטרם הגיעם בסוף הערונה ההיא הדרומית הנקראת קאוו ויררי

Habitabile Auſtrale, terram Æthiopum & Nigritarum, & ad circumeundum Continentem illum per totum terram Cush, ſeu Æthiopiam inferiorem, quæ ab Occidente in Orientem protrahitur; & ad inveniendum [1] Capo de bona ſperanza, id eſt, Caput Bonæ ſpei, quod de novo repererunt. Et de iſtis omnibus nihil locutus eſt Ptolemæus Sapiens, ſed tantum Terram iſtam vocat, Terram non notam ſeu Terram incognitam. Ratio autem cur eam ſic vocavit, erat quia Mare Oceanus videbatur ac ſi deſcenderet, & Terra occultabat a nautis proſpectum [2] Tramontanæ. Vel poteſt eſſe, quia nautæ non tentarunt eo ire, ſed tantum ad Promontorium aliquod magnum in medium Maris aſcendens, dictum Rosh Lo, hoc eſt dicere Caput non: cujus expoſitio ſic eſt, quod ſcil. quicumque hocce Caput ſemel emenſus eſſet, in æternum ad domum ſuam non reverteretur. Ita enim ſcribit [3] Scrutator (ſeu Philoſophus) ille qui eſt Author Libri de Mundo novo.

Cum autem Rex Portugalliæ odio proſequeretur [4] Iſmaelitas & Religionem eorum, (noluit ut per Terram iretur,) ſed juſſit & ordinavit ut tribus annis continuis irent per hoc iter, cum promiſſorum & bonorum multorum datione præcipuis Nautarum & Naucleris, & quod eos ditaturus eſſet. Et ut adduceret illos ad perficiendum ipſius voluntatem, eundo & tentando & inveſtigando quantum reperire poſſent, [promiſit] in omnibus emolumentis eos ſuam partem accepturos. Tribus itaque vicibus iverunt tribus annis, viz. una vice quovis anno. Non autem ſatis plenus erat ſpiritus eorum ad pertranſeundum declinationem ad quam pervenerant; ſed præ metu tranſituum maritimorum, & præ privatione (ſeu defectu) inventionis Continentis ab ulla parte, retro reverſi ſunt. Verum ut Regis Voluntati ſatisfacerent, & Iſmaelitis nocerent, ſuamque utilitatem quærerent, tertio iverunt cum virtute magna, & manu excelſa, & pervenerunt ad eundum ad locum quem antea viderant de terra arenæ albæ, cujus itaque nomen vocarunt [5] Cavo bianco, hoc eſt, Caput album, propter loci ariditatem. Deinde ſe animantes tranſiverunt fere trecenta milliaria ultra illum locum dictum Cavo Non, ſeu Caput Non, ſecundum nomina quibus ea loca vocaverunt. Et tum in iſto Continente qui ad ſiniſtram ſuam, inceperunt invenire Habitationes magnas, ubi viri aliquantulum nigri ſicut [6] Bretini, nudi incedentes, qui apud eos vocantur Azanegi. Et hæc ſunt loca [mox memoranda] quæ repererunt antequam pervenirent ad finem

ר״ל ראש ירוק כי מצאוהו ירוק מאילנות
רבות ונקראים המקומות האלה ראש וראשים
וקאוו על שם שהיבשה הגבוהה נמשכת
ונכנסת בים ועושה ראש וקאוו ופרומונטוריאו
בין הים הנראה למרחוק לרוכבי הים ועל
כן נקראים שמם קאוו ר״ל ראש :

ובטרם נגיד החרושים וה מקומות
שנמצאו בכל סבוב האיטיאופיאה הכושיית
השפלה הזאת אמרתי לצייר בדבורי זה איך
נמשכות הערוגות מהמקומות ההמה ואיך
יסובו בלכתם ואיך יהפכו ביבשה למען יודע
למשכילים משך הליכותיהם ואנה יהפכו
לעלות או לרדת :

ולהתחיל ממקום צאת הספינות ממיצר
גיבילטאר או בנסעם מפורטוגאל ומליסבונא
לבא לסבוב היבשה הזאת הכושיית הנ״ז
אשר פני יושבי הספינות בנסעם יסעו פניהם
אל הדרומי ושמאלם תמיד אל היבשה
זאת ימינם אל רוחב הים הגדול והנורא
ואל האיים הרבים אשר נמצאו כאן בכל
צד ובכל פנה קרוב ורחוק מהיבשה וכפי
השמות אשר נקראו אז בצורת המהלכים
ואלה הם בראשונה ימשך פניהם לדרום כמו
אלף ות״ק מילין וימצאו את אלה ודרך
שמאלם תמיד אחרי צלע מלכות פיס אחריו
קאוו די ק״א שהוא במאבריטאניאה ציסארי
קאוו די לוגאדור קאוו די לוס קבלול קאוו
ביאנקו הנ״ז על שם החול קאוו וירדי על
שמצאוהו ירוק ורענן מאילנות גדולות ירוקים
מרחוק אשר במיצר הנ״ז עד קאוו וירדי
הירוק הזה כמו אלף ות״ק מילין הנזכרים
מלבד האיים הרבה מלאים כל טוב אשר
מצאו בתוך הים בימינא רחוקים מהיבשה
אשר נזכיר ענינם להבא ומה שמצאו בהם
כגון וירזים לרוב בעצי יער צוקארו שרף
דם תניך קאסיאה בילזואי וע״א ומלבד
כי מצאו איים רבים מלאים יונים גדולים
הגוף ומלאות שפנים ונחשים גדולים וחיות
זרות ואחרי היותם בפירמאנטוריאו הזה
הנקרא ראש ירוק הוא קאוו וירדי צריך

finem illius Areæ australis quæ dicitur Capo verde, hoc est dicere, Caput viride, quia ipsum repererunt viride propter arbores multas. Ista autem loca vocantur Caput, & Capita, & Cavo, propterea quod Continens altior protrahitur & in mare ingreditur, facitque Caput seu Cavo, sive Promontorium intra mare, quod a longinquo navigantibus per mare apparet. Idcirco inquam eorum nomen vocatur Cavo, i. e. Caput.

Priusquam vero declaremus res novas & loca quæ reperiuntur per totum circuitum Æthiopiæ hujus Cushiticæ inferioris, decrevi mecum isto meo discursu formare [seu repręsentare] quomodo Areę ab istis locis protrahantur, & quomodo circuire debeant cum incedunt, & quomodo per Continentem invertant se; ut ita intelligentibus nota sit suorum itinerum continuatio, & quo se debent vertere sive ad ascendendum sive ad descendendum.

Ut itaque incipiamus a loco quo egrediuntur naves a Freto Gibeltar, [aut in profectione sua a Portugallia vel Lisbona ut veniant & circumeant prædictum hunc Continentem Æthiopicum qui est coram facie sedentium in navibus in profectione sua,] debent facies suas convertere ad Austrum, dum sinistra eorum perpetuo sit versus Continentem, dextra vero sit versus latitudinem Maris magni & tremendi, & versus insulas multas quæ in omni latere omnique angulo propinquius aut longinquius a Continente reperiuntur, juxta nomina quibus vocabantur olim in Mappa Itinerantium [seu navigantium.] Et quidem ista sunt; Nempe initio facies suas versus Austrum protrahere debent fere mille & quingentis milliaribus, ubi hæc invenient: dein via est ad sinistram eorum perpetuo per costam Regni Fes; post quod est Capo de Ca, quod est in Mauritania Cęsarea; Capo de Lugador; Capo de los Cablol; Capo bianco prædictum, propter arenam; Capo verde, quia illud repererunt viride & florescens propter arbores magnas a longinquo virentes: nam a prędicto Freto usque ad hocce Caput Verde seu viride, sunt circiter mille & quingenta milliaria prædicta; præter Insulas multas omni bono repletas, quas in medio Maris ad dextram suam repererunt a Continente distantes, quarum negotium in sequentibus commemorabimus, ut & id quod invenerunt in eis, uti 7 Verzin magna-copia sicuti ligna sylvæ, Saccharum, Gummi, Sanguis Draconis, Cassia, Belzuin, & 8 præterea alia. Et præterquam quod repererunt Insulas magnas refertas columbis corpore magnis, & refertas 8 Cuniculis, & serpentibus magnis, & animalibus

להפוך הספינה ופני יושבים נגד המזרח כמו
אלף מיל ושם ביבשה הזאת השמאלית
להם מוצאות גדולות וישובים רבים אלו
שמותם כשמורת הראשונים קאסטיל די
לאמינא פורטן די לאגו קאוו די לגאלו ובכלם
יש הרים וגבעות ומעינות ונהרות וגב הנה
יש איים רבים בתוך הים הגדול בימינם
ואחרי זאת הופכים הספינה ופני יושבים
אל הדרום יותר מאלף ות״ר מילין וימצאו
למטה מן האיטיאופיאה הכושיית השפלה
הזאת מלכות אזינאבא אשר שם פילין
לבנים רבים וחזקים והרים גדולים ונהרות
נוראים יורדים בים ההוא ואחריו קאוו די
לארקאל ולמטה בסוף הירידה הזאת
מהיבשה בתוך הים תמצא הפרימונטוריאו
הגדול הידוע הנקרא ראש טובה תקוה
היורר בים יותר מכל היבשה הדרומית הוא
הנקרא בלשונם קאפו די בונא ספיראנצא
אשר בודאי לדעת התרים והחוקרים הוא
להלאה ממשוה היום ביבשה ההיא בתוך
הים אוקיאנוס יותר מאלף ות״ק מילין וחשבתי
לפי הנודע והמצוייר כי הוא באמצע כל
ארץ כוש התחתונה ושם הים מתהפך להכנס
ביבשה מאד בשמאל המלחים ויושבי הספינות
אמנם הראש הזה ממנו בסופו בתוך הים
הוא להלאה בדרום ורחוק ממשוה היום
באלפים מילין לפי ציור הקו כאמור למעלה:

גם ראוי לדעת כי במקום הזה מארץ
כוש היא האיטיאופיאה השפלה יש איים
רבים בתוך הים על ימינם עד אין מספר
כאמור ומהנה ללכת לפי משך היבשה
וצלע הארץ ההיא צריך להפוך פני יושבי
הספינה נגד הצפון ולעלות על פי אופן צלע
היבשה קרוב לארבעת אלפים מילין וימצא
ישובים גדולים ועצומים מריגיאו בארבאריקו
ולמעלה ביבשה הרבה ורחוק ריגיאו אוזאגיאה
וכל אלו יתקרבו ללכת למצוא בנולפו
ולשון פה הים המתחיל להכנס בים סוף
הוא ים אראביקוס העולה בין היבשה ודרך

libus peregrinis. Et poſtquam fuerint in iſto Promontorio vocato Caput viride opus eſt navem & facies ſedentium invertere verſus Orientem per circiter mille milliaria. Ibique in hoc continente ſiniſtro, ſunt productiones maximæ & habitationes plurimæ: & hæc ſunt nomina (quorundam) eorum, prout ea nominarunt antiqui; Caſtel de la Mena, Porto de Lago, Capo de la Galo. Et in iſtis omnibus ſunt montes & colles, & fontes & fluvii. Sunt quoque hic multæ Inſulæ in medio Maris magni ad dextram eorum. Et poſtea navem faciemque ſedentium in ea debent invertere verſus Auſtrum per plus quam mille & ſexcenta milliaria, & tum infra Æthiopiam iſtam Cushiticam inferiorem invenient regnum Zinaba, ubi ſunt Elephantes albi multi & robuſti, & Montes magni, Fluviique [9] terribiles qui in illud Mare deſcendunt. Et poſt illud eſt Capo de l'Arcal. Et infra in fine hujus deſcenſus a Continente in medium Maris, reperies magnum quoddam notiſſimum Promontorium vocatum Caput bonæ ſpei, quod in mare deſcendit magis quam reliquus Continens Auſtralis, & [10] lingua eorum vocatur Capo de bona ſperanza; quod certe ſecundum opinionem [11] exploratium & Scrutantium, eſt ultra Æquatorem diei juxta illum Continentem in medio Maris Oceani plus quam mille & quingentis milliaribus: & ſecundum id quod notum eſt & (Chartis) delineatum, exiſtimo hoc eſſe in medio totius terræ Cush inferioris. Et Mare ibi invertitur ut intret valde multum [12] per Continentem ad ſiniſtram nautarum & ſedentium in navibus. Verum hocce Caput quod ex eo eſt, (*viz.* in ipſius extremitate in medio Maris,) ulterius eſt in meridiem diſtans ab Æquatore diei bis mille milliaribus, ſecundum lineæ alicujus delineationem, uti dictum eſt ſuperior.

Convenit etiam ſcire quod in iſto loco qui ex terra Cush (quæ eſt Æthiopia inferior,) ſint multæ inſulæ in medio Maris ad dextram eorum, quæ ſunt abſque numero, uti dictum eſt. Et ab iſtis eundo juxta protractionem Continentis & coſtam terræ illius, neceſſe eſt ſedentibus in navi facies ſuas invertere verſus Aquilonem, & deinde aſcendere eo modo quo ſe habet coſta Continentis ferme quater mille milliaribus; (quo facto) ibi invenient Habitationes magnas & fortes de regionibus Barbaricis: & ſuperius in Continente [13] multum & diſtans, eſt regio Ozania. Et quidem omnia iſta ſunt prope locum per quem itur ad inveniendum Sinum ſeu Linguam ubi Mare (Oceanus) incipit intrare in Mare Rubrum, quod eſt

Mare

המדברות עד הר סיני נגד לגלילות מצרים ומעבר ההתחלה הזאת מלתוך פה ראשית ים סוף הזה ולהגיע אל היבשה הנגדיית מהבולפו הזה בהכנסו ביבשה הזאת היא מחלקי אסיאה והודו ושם גלילות לאמיקא ולמעלה ממנה אחורי לאמיקא בתוך היבשה שם ימצאו המדברות הגדולות מלביאה אשר באלה יגיעו למדבר חבור מקום אשר היהודים הרבים ומלכותם מצויים שם וקרוב לזה הוא מקום מעבר הקארובני מהגמלים אורחות נושאי הבשמים למצרים או לדמשק וכל זה גליל אראביאה פיליקש המה הגלילות אשר עברו בני ישראל ארבעים שנה במדבר אחורי אדום והר שעיר ומואב ומדין וסיחון ועוג וארץ ישראל למעלת מכל אלה היא והולכת ועולה בצפון לכל אלה עד סמוך ים פלשתים נקרא ים צירניאו ומידיטיראניאו ודי בזה וברוך אשר הגיעני הלום במכתב ישר :

ונשוב לדברינו בפירמונטוריאו אשר נגד גליל לאמיקא וללכת דרך ים הודו למצוא קאליקוט אשר הוא רחוק מזה בפירמונטוריאו אשר הוא סמוך לתחלת הכנסת ים פרס בתוך היבשה אמרו המלחים הכותבים כי יש מהלך שלש וארבעים יום מלאמיק לקאליקוט ושם בקליקוט הוא מוצא כנוס הבשמים הבאים מרחוק ממקומות אחרות ומאיי הים אשר סביב בים הגדול ההוא אשר לפי הנמצא כתוב בספרי המלחים ההם יש יותר מאלף ותק׳ איים ויש שם ג״ב יהודים רבים באיים ההמה בקצתם :

אמנם מיתר המקומות אשר ביבשת הודו ואינדיאה אסטרא עד סוף הישוב ועד סוף סינוס מאניוס אין צורך להאריך עתה בזה כי כבר הזכרתי ענינו במה שקדם וגם נזכיר בו מעט קט רק נשוב לדברינו ממיצר ניבאלטר עד שמצאו מקום הזינאגי הבריטינו והשחורים אשר הזכרתי ונכתוב מה שמצאו ברוב המקומות אשר כתבתי עד תשלום כל המקומות אשר הלכו שם בים בימינם

Mare Arabicum ascendens inter Continentem & viam Desertorum usque ad Montem Sinai adversus regiones Ægypti. Et quidem transitus per istud initium [quod est de Sinu ubi est dicti Maris rubri principium,] qua pervenitur ad Continentem huic Sinui oppositum ubi (Mare) in dictum Continentem ingreditur, is inquam est de partibus Asiæ & Indiæ, & ibi sunt regiones Meccæ. Et superius ab illa per posteriora Meccæ in medio Continentis, ibi inveniunt Deserta Libicis majora, per quæ veniunt ad Desertum Chabor, locum sc. ubi sunt Judæi plurimi, & eorum regna ibi reperiuntur. Et prope huc est locus transitus Caravanæ camelorum itinerantium qui portant Aromata ad Ægyptum & Damascum. Et tota hæcce regio est Arabia felix: nam istæ sunt regiones per quas transierunt filii Israel quadraginta annis in Deserto per posteriora Edom & Montis Seir, & per Moab & Midian, & Sichon, & Og. Terra autem Israel supra omnes istas est, pergens & ascendens ad Boream istorum omnium donec appropinquet Mare Philishtæorum vocatum Mare Cyrenaicum & Mediterraneum. Et quidem hoc jam sufficit: benedictus sit ille qui me huc perduxit in scriptura recta.

Nunc revertemur ad verba nostra de Promontorio quod est e regione Meccæ, qua itur per viam Maris Indici ad inveniendum Calecut, quæ longe hinc distat per aliud Promontorium prope initium introitus Maris Persici in medium Continentis. Ajunt Nautæ qui scriptores sunt, quod a Mecca ad Calecut sit iter 30 aut 40 dierum: ibique in Calecut esse productiones Collectionis Aromatum (i. e. universorum Aromatum) quæ a longinquo veniunt tam ab aliis locis quam ab insulis Maris quæ sunt circa Mare illud magnum; quæ secundum id quod invenitur scriptum in Libris illorum Nautarum, sunt plures quam † 1500 insulæ. Et in quibusdam harum insularum reperiuntur Judęi multi.

Verum quoad reliqua loca quæ sunt in Continenti Hodu, & Indiæ exterioris usque ad finem Orbis habitabilis & usque ad finem Sinus magni, non opus est nunc prolixe agere de istis: jam enim hujus rei mentionem feci in pręcedentibus, & adhuc aliquantulum ejus mentionem [in sequentibus] facturi sumus. Solummodo itaque revertemur ad discursum nostrum de Freto Gibeltar, usque dum repererunt locum Senegæ, & Bretini, & Nigritarum quorum (supra) mentionem feci: & scribemus id quod repererunt in multis locis de quibus scripsi, usque ad completionem omnium locorum per quæ iverunt per Mare ad dextram suam, & per Continentem

ad

וביבשה בשמאלם לפי דרך יושבי הספינות והכל דרומי לנו ולעולם ולפי הנשמע אצלי כמעט סבבו כל היבשה המזרחית וכן נמצא כתוב ונראה עניינו בעין הראות בצורת העולם היינו מאפא מונדו החדש העשוי בחכמה מחכמי המלאכה הזאה בזמן הזה אשר באו מאשכנז ומויניציא ומפריניצי׃

ad ſiniſtram ſuam, juxta iter ſedentium in navibus [i. e. navigantium:] totumque hoc Auſtrale eſt, tam nobis quam [univerſo] Mundo. Et ſecundum id quod apud me auditum eſt, dicti nautæ circumiverunt fere totum Continentem Orientalem. Et quidem ſic reperitur ſcriptum, ejuſque negotium apparet [14] oculorum viſui in Figura Mundi ſeu Mappa Mundi nova quę hoc tempore ſapienter facta eſt ab hujus Artis peritis qui venerunt ex Germania, & a Venetiis, & Florentia.

NOTÆ IN CAPUT DECIMUMQUINTUM.

[1] *Capo de bona ſperanza*] Primis illuc navigantibus olim dicta eſt *Capo tormentoſo* ſeu *procelloſo*: poſtquam vero melius intelligentes qua ratione tutius per illud mare luctandum eſſet, & comperto quod iſto loco perículoſo prætergreſſo, tum bona eſſet ſpes feliciter adpellendi oram Indicam, vocarunt illud Promontorium *Caput bonæ ſpei*.

[2] *Tramontanæ*] i. e. Regionum ultra Montes, ſc. verſus Mundi partem Septentrionalem, quæ Italis dicitur *Tramontana*. Et deinde in genere ubique terrarum eo nomine *Septentrio* notari ſolet.

[3] *Scrutator*) Seu Philoſophus.

[4] *Iſmaelitas*] Noluit nempe iter fieri per terram inter Arabes Mauros quos vocat Iſmaelitas, ſed potius per mare, propter odium dictorum Iſmaelitarum.

[5] *Capo bianco*) Author noſter Hebræis literis ſemper ſcribit קאוו *Cavo*, quod vulgo pronuntiatur *Cao* ſeu *Cawo*, ſc. Caput ſeu Promontorium album.

[6] *Bretini*) Seu *Bertini*, Italis tales ſunt quibus color ſubfuſcus. Tales alias vocantur *Melatti*, & *Criolii* ſeu *Criolani*; ſunt nempe mixti fœtus ex nigro patre & alba matre, vel viceverſa, geniti; quorum itaque color inter utroſque parentes medius. Talis homo Arabibus خلاسي *Chilaſi* dicitur. Iſtius autem regionis populus ortus eſt ex Tribus صنهاج *Sanhagi*, cum Articulo الصنهاج *Aſſanhagj*, quæ inter Tribus Africanas non eſt incelebris. De Familia ſeu Tribu صنهاج *Sanhagj* & لمط *Lamt*, & de regionibus quæ ab eis denominantur, conſule Geographum Nubienſem pag. 73. Hi populi corrupta pronuntiatione vulgo vocantur *Azanegi*, & regio eorum *Azanhaga*, ſeu *Zanhaga* ſive *Zanaga* in Globo Cæſiano, ubi ad Latit. 20. ſcribitur *Azanagi inter nigrum & ſubcineritium colorem dubii: os veluti pudendum cooperiunt, nec detegunt niſi cibi ſumendi gratia*. Et ab hiſce Accolis, fluvius *Niger* qui paulo auſtralior ad Caput Viride, dicitur *Rio de Senega* ſeu *Zenega*.

[7] *Verzin*) *Verzino* eſt Lignum Braſilianum rubrum, quo utuntur Tinctores. Ex eo ſtillat *Sanguis Draconis* Medicis & Pharmacopolis notiſſimus, de quo infra in Notis ad *Cap.* XVI. ubi etiam de *Belzuin*.

[8] *Et præterea alia*] Abbreviate ועא pro ועוד אחרים. Inter alia Medicinalia quæ heic ſubintelligenda relinquit, nullus dubito quin veniat *Amomum*; de quo tot Viri Docti toties fruſtra deſudarunt. De hoc autem non prolixe, alios refutando, ſed breviter; cum cujuſvis rei veritas paucis dici poſſit.

Amomum itaque in meo Dioſcoride Arabico dicitur حماما *Hamama*, ubi *a* circumflexum pronuntiatur craſſe fere ut ο. Hinc Græcis ἄμωμον, quod rectius legendum eſſet ἅμωμον ſpiritu aſpero. Aliquot Viri Docti fruſtra de hac Planta diſputarunt, quaſi non eſſet hodie notum veterum *Amomum*. Inepte prorſus a Scriptoribus Botanicis pro eo ſubſtituitur *Solanum arboreſcens*, qui quidem error fundatus eſt in Plinii & Dioſcoridis Latini verbis male intellectis. In illorum enim *Amomi* deſcriptione, adhibetur vox *Uva* pro *Botry* ſeu *Racemo* integro, quo ſenſu apud Claſſicos Authores ſæpe occurrit. Scriptores autem Europæi hoc non ſatis animadvertentes, *Uvam* pro ſimplici *Bacca* ſemper accipiunt: ideoque dictas Deſcriptiones perperam intelligentes, *Amomi Uvam in ſe convolutam* putabant dici de *Solano arboreſcente*, quia illud habet Baccas quarum Semina aliquantulum incurva ſunt, ut & reliquæ Solani ſpecies omnes. Proh ſubtilis inventio! Sed tamen non ſunt in ſe convoluta.

Dicam itaque, ab حمام *Hamam*, *Columba*, fit quidem nomen *Hamama*, ἄμωμον: quod tamen non non obſtante vi nominis, non eſt Dioſcoridis περιστερεὼν *Verbena*; ut nec *Geranium*, quod quibuſdam *Pes Columbinus* vocatur, abſque ratione idonea. Περιστερεὼν quidem, [quod in mei Dioſcoridis Arabici margine ſcribitur vocari Arabice رعي الحمام *Paſtus columbinus*, Perſice قلمبارش *Calambariſh*,) ſic dicitur quod a Columbis ſeu Palumbibus adametur, dicente Dioſcoride; non quod Pedi columbino ſit ſimilis, uti nec eſt *Geranium* quod apud Gerardum *Pes Columbinus* dicitur. Ideoque, quamvis *Hamama* verbo tenus ſit περιστερεὼν, eſt tamen Planta toto cœlo diverſa ab ea quæ apud Dioſcoridem & alios ſub illo nomine deſcribitur. Eſt autem حمام *Hamam* ex Turgjeman Arabico-Perſico كبوتر كوهي *Columba montana* ſeu *ſylveſtris*, ſcil. *Palumbes*, eaque مطوق *torquata*, dicente Damirio. Gjeuharius toti ذوات الاطواق *torquato generi* columbarum hoc nomen tribuit. *Columba* autem *domeſtica* Arabice vocatur يمام *Yamam*.

Verum *Amomum* recte deſcripſerunt Dioſcorides & Plinius, & ex his Gorræus in Definitionibus Medicis. Recte quoque deſcripſit Garcias Medicus Regis Decan in India, dicti نظام شاه *Nizam-ſhah*, ſeu quod idem نظام ملك *Nizam-melic*. Recte etiam deſcripſerunt Arabes omnes, quorum verba heic authoritatis cauſa adjiciam. Imprimis itaque in Libro تقويم الادوية ſic definitur, حماما شجرة كعنقود من خشب مشتبك له زهرة ذهبية طيبة الرايحة ثلثة اصناف اجودة الذهبي الطري

الطرى حار يابس في الثانية Hamama eſt
Frutex ſicut Botrys ligneus complicatus, cui eſt Flos aureolus boni odoris. Ejus ſunt tres ſpecies, quarum optima eſt aureola humida ſeu recens, calida & ſicca ſecundo gradu. Proxime audiatur Chadr Ibn Ali, apud quem legitur حماما هو شي كانه عنقود

خشبي مشتبك بعضه ببعض وله زهر
يشبه زهر الخيري واجوده ما كان من
ارمينية ولونه يشبه بلون الذهب ولون
خشبه كلون الياقوت طيب الرايحة
جدا والصنف الاخضر منه ردي Hamama eſt

res quaſi eſſet Botrys ligneus in ſe complicatus. Florem habet flori Violæ ſimilem. Optima ejus ſpecies eſt ex Armenia, cujus color eſt ſicut color auri: ejuſque ligni color eſt fulveſcens, optimi odoris. Species ejus viridis, ſequior eſt; ſc. Medica ſeu ex Media. Avicenna etiam & Beitharides Arabice ex Dioſcoride bene deſcribunt. Optime autem deſcribitur in Libro *Nuzhato 'l Nuphus* حماما ويقال له

بخور الاكراد ورجل الحمامة نبت كانه
عنقود مشتبك بعضه في بعض وله زهر
كزهر الفودنج الجبلي ينبت في صخور
واماكن رطبة ظليلة واكثر ببلاد الثغر
من الشام واجوده ما كان من ارمينية
خشبه كالشظايا وظاهره الي لون الفوة
وباطنه ابيض طيب الرايحة قريب من
رايحة السذاب وفي روس قضبانه ورق
كالكنافش فيه بزر حريف يلدغ اللسان

Hamama [quæ etiam dicitur Suffitus Curdorum & Pes Palumbis ſeu Columbæ.] eſt Planta ſicut Botrys in ſe complicatus. Habetque florem ſicut eſt flos Pulegii Montani. Naſcitur in Scopulis & locis humidis umbroſis, præſertim in regionibus limitaneis Syriæ: melior autem ejus ſpecies eſt ex Armenia. Lignum ejus eſt ſicut ſchidia, exterius inclinans ad colorem Rubiæ, interius album, boni odoris prope odorem Rutæ. Et in virgultorum ejus ſummitatibus ſunt folia ſicut res denſæ ſeu confertæ, inque eo eſt ſemen linguam mordens. Cum ſuperioribus etiam ſentit *Ibno'l Cutbi* in Libro *Malayeſa*, حماما اسم

نبطي وهو شجرة كعنقود خشبي ملبد
بعضه ببعض وله زهر صغار مثل زهر الخيري
الاحمر ويسمي باليوناني لوقاين وورقه شبيه
لورق الفاشرا وهي الكرمة البيضا - واجود
الحماما ما كان من نواحي ارمينية
وكان ذهبي اللون ياقوتي الخشب وهو
طيب رايحة جدا والماهي اضعف ولونه الي
الخضرة لين المجسة وخشبه متشظي وفية
رايحة سذابية ولا ينبغي ان يوخذ الا
بعد استكمال بزره ويكون فيه حرافة ولدغ
عند مذاق Hamama eſt nomen Nabathæum. Eſt

nomen Nabathæum. Eſt autem Frutex ſicut Botrys ligneus in ſe compactus, habetque flores parvos ſicut flores Violæ rubræ [melius *albæ*] Græce λευκοῖς: folia vero ſimilia foliis Brioniæ ſeu Vitis albæ. Melior ejus ſpecies eſt ex partibus Armeniæ: eſtque colore aureolus, ligno flaveſcens, odoris optimi. Eſt autem Medicum debilius, colore vireſcens, tactu molle, ligno ſciſſum, odoris Rutacei: & oportet ut non legatur niſi Semine perfecto. Eſtque in eo acredo guſtu mordax. Poſt hos omnes audiatur etiam David Antiochenus inſignis Medicus, حماما - وهذا

النبات خشبي مشتبك كالعناقيد ياقوتي
ذهبي حريف حاد طيب الرايحة من
اصل واحد يتفرع صلب المكسر جيد
العطرية ينبت بارمينية وطرسوس والكاين
منها بالشام خضر دقيق ومنه ابيض مشرب
بصفرة سريع التفتت وكلاهما ردي وينبت
بنيسان له زهر الي الحمرة كزهر الخيري
والساذج وورق كالفاشرا وكلما اشتدت
خلصت حمرته ويوخذ باب بعد كامل
بزره فان اخذ قبل ذلك فسد ويعرف
صحيحه بشبه الياقوت لونا وقوة العطرية
والصلابة وقوة هذا النبات تبقي الي سبع
سنين Hamama eſt Planta lignea complicata ſicut

Botrys, fulveſcens aureolus, acris, acuta, boni odoris, ab una radice ramificata, fractu dura, bene aromatica, quæ naſcitur in Armenia & Cilicia. Ea quæ eſt in Syria, eſt viridis & tenuis; eſtque ex ea ſpecies inclinans ad flavedinem, cito fragilis: & utræque hæ ſpecies ſunt pravæ. Naſcitur in Niſan, & flos rubeſcit ut flos Violæ & Folii Indi. Folium eſt ſicut Brioniæ. Et quamvis ſiccum, ſalva tamen manet ejuſdem rubedo. Legitur in Ab poſtquam completum eſt ſemen ejus: ſi enim citius legatur, corrumpitur. Quod autem ſincerum eſt, cognoſcitur, ex colore ſimili Hyacintho flavo, virtute aromatica & duritie. Hujus autem plantæ virtus ſeptennium durat. Hoc modo vides quid de eo differunt Orientales. Proxime videbitur aliorum in præcipuis conſenſus & cum ſuperioribus collatio.

Garcias Cap. XXXI., ait nomen *Hamama*, pedem columbinum ſignificare; ſeque in India donatum fuiſſe Amomi Ramulo, quem contulit cum Dioſcoridis deſcriptione, ad quam venuſtiſſime quadrabat, & licet tum ſiccus, pedem tamen columbinum referebat. Eſt nempe Columbæ ſpecies plumipes, cujus hirſutum pedem quodammodo æmulatur hæc planta conſtans virgultis ſeu ramulis inſe complicatis, cum floribus & frequentioribus foliis: cujus iconem videre licet a Cluſio ibi additam, qui dicit hujus Amomi Fragmentum unum ab Ormuz & alterum a Conſtantinopoli acceptum fuiſſe. Sed ibidem Cluſius Dioſcoridem & Plinium non ſatis intelligens, perperam dicit illa fragmenta non convenire cum Dioſcoridis & Plinii Amomo; ſuam in hac parte ignorantiam prodens. Dioſcoridis vero Deſcriptio talis eſt, quæ cum ſupra allegatis Arabibus convenit: viz. lib. I. 14. Amomum eſt θαμνίσκος οἱονεὶ βότρυς ἐκ ξύλου ἀντεμπεπλεγμένος ἑαυτῷ, &c. puſillus frutex, in uvæ modum ſuopte ligno in ſeipſum convolutus. Florem habet parvum ceu violæ albæ: folia vero Vitis albæ ſimilia. Præſtantiſſimum cenſetur Armeniacum, colore aureolum, ligno fulveſcente, valde odoratum. Medicum, quoniam in planis aquoſiſque locis provenit, infirmius exiſtit. Eſt autem magnum & ſubviride, tactu molle, virgultis ligneis venoſis, odore Origani. Ponticum fulveſcit, nec longum nec ægre fragile: eſt vero βοτρυῶδες racemoſum, fructu plenum, & odore nares feriens. Deligito recens, & Candidum aut ſubrubrum: non compactum aut cohærens, ſeu complicatum (quia muceſcit,) ſed laxum atque diffuſum, ſemine refertum, ſimile βοτρυδίοις, [عناقيد صغار *Beith.*) ponderoſum, valde odoratum, minime mucidum ſituve obſitum, acre linguamque mordicans, ſimplici minimeque vario colore. *Plinii lectio quæ mendoſa & imperfecta videtur, talis eſt*: Amomi uva in uſu eſt, Indica vite Labruſca: ut alii exiſtima-

ſtimavere, frutice myrtuoſo, palmi altitudine: carpitur cum radice, manipulatim leniter componitur, protinus fragile. Laudatur quam maxime Punici mali foliis ſimile. Nec rugoſis, colore ruffo. Secunda bonitas pallido. Herbaceum pejus: peſſimumque Candidum, quod & vetuſtate evenit. Pretium uvæ in libras LXX. friato vero Amomo XLVIII. Naſcitur in Armeniæ parte quæ vocatur Otene, & in Media, & in Ponto. Adulteratur foliis Punicis & gummi liquido, ut cohæreat convolvatque ſe in uvæ modum. Eſt & quæ vocatur Amomis, minus venoſa, atque durior, ac minus odorata: quo apparet aut aliud eſſe, aut colligi immaturum. Hoc modo vides quomodo comparetur Uvæ in ſe convolutæ, quam quidem comparationem non intelligentes plerique de Amomo Scriptores, miſerrimum ſibi pararunt confugium, per uvam intelligentes *baccam* aliquam ſimplicem: cumque bacca ſimplex ægre inſe convolvi diceretur, ulterius excogitarunt Solani arboreſcentis baccas in ſe habere acinas incurvas ut ferrum equinum, quod imaginati ſunt eſſe *in ſe convolvi*. Si autem iſti Botanici meminiſſent quod apud Claſſicos Scriptores *Uva* plerumque ſit *Botrys* ſeu *Racemus*, tum Plinii & Dioſcoridis Definitiones melius intellexiſſent.

Ut itaque rem, abſolvam, *Amomum* eſt *Pes Columbinus*, figura & magnitudine & radicis ſimplicitate *Roſæ Hiericuntinæ* haud diſſimile. Eſt nempe in Oriente columbarum ſpecies quædam cujus Pedes plumis hirſutæ ſunt: & hæc eſt Plumipes columba, a cejus Pede dicta planta denominatur *Amomum*; cujus Iconem videas apud Cluſium ad Notas in Garciam, & apud Parkinſonium ſub nomine *Amomi ſpurii*, p. 1567. quod tamen certe eſt *Amomum* verum.

De *Amomi* natura & qualitatibus heic diſſerere, prolixum eſſet; ideoque abſtinebo. Aliquid vero breviter colligi poteſt ex ſuccedaneis, de quibus *Ibno'l Cutbi* in Libro *Malayeſa*, يضر المعدة ويصلحه بزر الكرفس وبدله وزنها اسارون اووج او عود القرنفل وقيل وزنها وج ومثله كمون ابيض Nocet ſtomacho: corrigitur autem ſemine Petroſelini. Succedaneum ejus eſt ejuſdem ponderis Aſarum, aut Acorum, aut Lignum arb. Caryophylli. Alii dicunt ejuſdem ponderis Acorum, aut Cominum album. His conſonanter ſcribit Galenus, Amomi facultates eſſe ſicut Acori, niſi quod hoc ſit ſiccius, illud vero concoquendi facultate magis præditum.

[8] *Cuniculis*] Noſter videtur nomine *Shaphan* intelligere *Cuniculos*, communi hujus vocis acceptione. Ego autem omnino in hac parte ſentio cum D. Bocharto, qui ponit *Shaphan* eſſe magnum aliquem murem ſylveſtrem ferme magnitudine Cuniculi, qui in Oriente frequens, eodem modo ſub terram cuniculos agens. Sed dictus Vir Doctus nimis deſtitutus eſt commodo vocabulo Latino quo hoc nomen vertat. Apud eum enim legitur Ἀρκτόμυς. *Mus Septentrionalis*, quod quidem nomen non bene competit animali Auſtrino ſeu Muri terræ Iſraelis; & multo minus oræ Africanæ de qua jam loquimur, quæ adhuc Auſtralior eſt. Cum itaque hoc animal Arabibus vocetur يربوع *Yarbua*, ex vi vocis multo aptius dici poſſit *Mus quadriſorius*, propter 4. fores quas in Antro habet ad 4. cœli plagas; nam *nec mus ſe uni credidit antro*. De eo prolixe agit D. Bochartus. Addo, hoc murium genus Perſis dici موش دشتي *Mus campeſtris*, Turcis عرب طوشني *Lepus Arabicus* ſeu *Arabum*, cum inter Arabes frequentiores ſint quam Lepores.

[9] *Terribiles*) Heb. נוראים. M.S. Venetus legit גדולים *magnos*, eodem ſenſu.

[10] *Lingua eorum*) i. e. Chriſtianorum.

[11] *Explorantium & ſcrutantium*) ſc. Exploratorum & Scrutatorum: quorum illud, nempe תרים *Exploratores* ſeu *Speculatores*, dici poteſt tam de Mercatoribus quam de Nautis & Pilotis; hoc, ſc. *Scrutatores*, de Phyſicis & Philoſophis, qui de terra & mari, &c. diſquirere ſolent & naturæ abdita ſcrutari.

[12] *Per Continentem*) viz. in illum Continentem.

[13] *Multum & diſtans*) i. e. multum diſtans.

† 1500. *inſula*) Naldivas intelligit.

[14] *Oculorum viſui* (ſc. per ocularem demonſtrationem.

CAPUT XVI.

פרק יו׳ בביאור קצת המקומות החדשות בכוש היא באיטיאופיאה אשר מצאו הפורטוגישי מן הקודם אל המתאחר והשמות החדשים אשר הושמו עליהם החרושים הטובות אשר בהם:

Capite decimo ſexto continetur deſcriptio aliquot locorum novorum in Cush ſeu Æthiopia quæ repererunt Portugallenſes a primo qui illuc ivit uſque ad ultimum illuc profectum; una cum nominibus novis quæ eis impoſuerunt, noviſque rebus bonis quæ in illis.

ידוע יהיה לקוראים בזה כי הספינות ממלך פורטוגאל הן היו לבדם אשר הלכו ומסרו עצמם בסכנה ללכת בראשונה במהלכים האלה מקום אשר לא שערום קדמוניהם ובסבת השתנות האויר לטבעם והמזגים בלתי מסכימים לגלילות ההנה היו המלחים ויושבי הספינות מתמעטים ומתים מהם רבים עד שהרגילו לדעת הזמנים הטובים ללכת ולשוב בזמנים המתיחסים ולמדו משפט

LEctoribus notum ſit Regis Portugalliæ naves ipſas ſolas fuiſſe quæ perrexerunt & ſeſe periculo expoſuerunt ut primo irent per iſta itinera ad loca de quibus ne quidem [1] putarunt anteceſſores eorum. Et propter cauſam mutationis aeris, & naturam eorum & temperamenta eorum hiſce regionibus minime congruentia, nautæ & navigantes diminuti ſunt, & mortui ſunt ex illis multi; donec tandem aptiorum temporum cognitione experti ſunt, ut irent, & redirent temporibus accomodis. Et ſic illorum itinerum con-

המהלכים ההמה ולא היו נזוקים כאשר בתחלה באופן כי נתברר להם לאנשי פורטוגאל דרך לעכור גאולים לסבוב את היבשה הזאת הכושיית כלה בים אוקיאנוס בנקלה כמו שנתבאר בהרגל אל הויניציאני וגינוויסי מעברות ים מידיטיראניאי ואדריאטיקי.

והנה בראשונה בנסוע הפורטוגיסי מארצם ללכת באיטיאו פיאה חשפלה הנזכרת נתרחקו מן היבשה השמאלית להם ונטו דרך המערבי דרומי ומצאו בראשונה אינסולה אחת אשר קראוהו פורטו סאנטו חוף קדוש אשר לא נתישבה מעולם ומלך פורטוגאל מלא אותה נעדים ונערות וצאן ובקר וגה אנשים ונשים שמעתי שהיו אנוסים בזמן בני הגרוש ומצאו בה חזירים יעריים ושפנים רבים ויונים עד אין מספר והיונים לא היה בטבעם טבע ודמיון לברות מבני אדם גם מצאו בה דבש ושעוה לרוב אמרו התרים כי לא נראה כדבש ההוא מעולם עוד מצאו בה אילנות רבות לעשות דם תניך משרף הניטף מהם ועושין אותו בזה האופן וזה כי האנשים העושים המלאכה עושים חתיבות גדולות בתוך עץ האילן הנטוע בארץ בהכאת התיכת גרזן סביביו בזמן ידוע אצלם ולשנה הבאה בזמן ידוע ג״ב באין ומלקטין ולוקחים השרף הנוטף מן החתיכות הנזכרים ורותחים אותו ומסירים הזוהמא ממנו ועושין עגלים מזה לסחורה וזה הנקרא דם תניך סאנגוינים דראגונים ואמרו כי האילן הזה בחדש מארצו עושה פרי טוב ויפה כצורת גודגדניות ירקות טוב טעמם מאד וסביבות האו הזאת מפורטו סאנטו חוף קדוש יש מקומות מורת לדייגים על שפת האי ללכוד ולצוד דגים טובים וטעם יקר טוב מאד להם מה שלא ישוער ערכם והאי הזאת קטנה וסובבת כמו כ״ה מילין ויש בה הרים ונהרות קטנים:

conditionem didicerunt, ut non essent damnum passuri: uti primo: eo modo ut tandem illis Portugallensibus perspicua esset via ut immunes transirent ad circumeundum totum hunc Continentem Æthiopicum per mare Oceanum facillime, uti explicabitur, eadem assuefactione qua Veneti & Genovenses (assueti sunt) transitibus Maris Mediterranei & Adriatici.

Et ecce cum primo Portugallense a terra sua proficiscerentur ut irent ad Æthiopiam inferiorem supradictam, a Continenti illo longius recesserunt, & declinarunt per viam Austro-Occidentalem, & primo invenerunt insulam unam quam vocarunt Portum sanctum, quæ a [2] seculo habitata non fuerat. Et rex Portugalliæ eam implevit pueris & puellis, & ovibus & bobus, & quoque viris & fœminis. Audivi ipsos fuisse coactos tempore [3] filiorum exilii. Ibique invenerunt Porcos sylvestres multos, & Cuniculos multos, & columbas innumeras, in quarum natura non erat ulla similitudo [aut propensitas] ut a filiis hominum aufugerent. Ibi quoque invenerunt copiam mellis & ceræ: ipsi qui rem explorati sunt, dicunt nunquam visum fuisse tale mel. Præterea invenerunt arbores multas ad conficiendum [4] Sanguinem Draconis ex Gummi quod ex illis stillabat. Hoc autem isto modo faciebant: nempe homines hoc opus facturi, (tempore illis noto) in medio ligni hujus arboris in terra plantatæ incisiones magnas faciebant percussione scissionis securis circumcirca ipsam (arborem.) Et similiter anno sequenti noto etiam tempore venientes colligebant & accipiebant Gummi ab istis dictis Scissionibus fluens, illudque ebullire facientes removebant ab illo (omnes) fçces, & ex eo conficiebant Globulos pro mercatura. Et hoc illud est quod vocatur Dam Tannin, i. e. Sanguis Draconis. Ajunt hanc arborem mense Martio producere fructum bonum & pulchrum, figura Cerasorum viridem, saporis optimi. Et circumcirca hanc insulam Portus Sancti, sunt loca pro piscatoribus ad oram insulæ, ad capiendum & venandum pisces bonos qui præstantissimum habent saporem, quorum valor æstimari non potest. Hæc insula est parva, ambitu circa 25 milliarium. Et in ea sunt Montes & fluvii parvi.

NOTÆ

NOTÆ IN CAPUT DECIMUMSEXTUM.

[1] *Putarunt*) Vel, ne quidem conjectando æſtimarunt qualia eſſent.

[2] *A ſeculo*] Seu, ab æterno, i. e. nunquam.

[3] *Tempore filiorum exilii*] i. e. Judæorum ex Portugallia exulantium; quos nempe partim revera expellebat & partim expellere prætendebat Emanuel Portugalliæ Rex qui Iſabellam Caſtiliæ filiam duxit, obiitque 1492. Quemcunque autem ex Judæis non plane expellebat, cogebat Judaiſmum relinquere, & Chriſtianiſmum amplecti. Tales ſunt quos Judæi vocant אנוסים *Coactos*, *compulſos*; Portugallenſes vero eos nuncupant *Chriſtianos novos*: quorum tamen Converſio non eſt vera, ſed ficta tantum. Nam quamvis Sacerdotio Chriſtiano fungantur, corde tamen adhuc Judæi ſunt. De hoc vide *Cap.* XVIII.

[4] *Sanguis Draconis*] Arabice دم التنين & دم الثعبان *Sanguis Draconis*, quo quidem nomine gaudet tam propter rubrum colorem, quam propter ejus arboris fructum admirandum: nam detracta ea qua is fructus tegitur pelle, illico Dracunculus apparet tanto artificio a natura fabricatus, ut a peritiſſimo aliquo artifice e marmore ſculptus videatur; collo oblongo, ore hiante, ſpina aculeis horrida, cauda oblonga, & pedibus conſpicuis. Hicce Fructus (ut in Cadamuſto legimus) externa figura eſt inſtar Ceraſi, guſtu eximius, coloris Veneti.

Eſt autem *Sanguis Draconis* Succus ruber manans ex eadem arbore ex qua eſt Tinctorum noſtrorum Lignum Braſilianum, & affertur ab Inſula Portus Sancti Canariarum una. Hinc eſt quod D. Plempius in Notis ad Avicennam, putet dictum Sanguinem eſſe ex rebus nuper a Novo Orbe delatis, ideoque Avicennæ tempore non fuiſſe notum nec ei cognitum. Fallitur autem maxime, cum in Socutra & aliis locis veteris Orbis copioſe reperiatur, ut in Æthiopia Syria, India, &c. De hac re audiatur Ibn Beithar & quoque Ibn'ol Cutbi, qui *de Sanguine Draconis* verba facientes, dicunt eum هو صمغ احمر يؤتي به من سقوطرة جزيرة الصبر السقوطري *eſſe Gummi rubrum delatam a Socutra inſula Aloes Socutrinæ*. Et ſane in omnibus Medicorum Orientalium Libris, eſt res notiſſima.

Arabibus vocatur etiam alio nomine دم الاخوين *Sanguis duorum fratrum*, per alluſionem quandam. Sic Perſis dicitur خون سياوشان quod *Sanguis* ut videtur *fratrum* denotat veteri lingua, ut & Turcicum hujus Gummi nomen اكي قرداش قاني *Duorum fratrum ſanguis*. Vocatur item Turcice ار قاني *Er Cani*, id eſt, *Hominis ſanguis*; aut minus recte ارقان *En-Can*, ut habent Scriptores Arabes, tam alii quam ii quos ſecutus eſt D. Golius, qui ab eis ſeductus in ſuo Lexico cum vocali i legit ارقان *Ircan* una voce, quam nec illi nec ipſe perceperunt eſſe Turcicam. Eſt autem ſignificatione idem quod hujus Gummi aliud nomen Arabicum دم آدم *Dam Adam*, ſeu contractius دودم *Dawadam*, i. e. *Sanguis hominis*, ut legitur in Libro *Nuzbato'l Nuphus*. Ea autem quæ iſtud Gummi producit Arbor, alia plura præterea apud Arabes habet nomina; qualia ſunt عندم *Andam*, & شيان *Shiyan*, & سمر *Samur*, & ايدع *Aida*, & بقم *Bacam*. Italis dicitur *Verzino*, Anglis & aliis *Lignum Braſilianum*, cum præcipue ex Braſilia ad nos afferatur; quamvis reperiatur etiam in plurimis aliis regionibus, a quibus æque denominari poſſit.

Hanc arborem apud Gerardum depictam videas in Herbario, p. 1339. Nec multum abludit quod habet Geographus Nubienſis ſub finem Climatis 8. ubi ait Arborem البقم *AlBacam* eſſe ſimilem τῷ الدفلي *Oleandro*: ut & quod habet *Camuſi Author* & *Chadr Ibn Ali*, qui affirmant folium ejus eſſe ſicut folium اللوز *Amygdali*, ſc. longum & anguſtum. In Libro *Nuzhato'l Nuphus* folium ejus dicitur eſſe ſimile ei quod in *Ramo palmæ*, *acuminata Extremitate*. Et *Ali Birgjendi* Perſa dicit درخت ان چون درخت انارست وبرك ان چون عناب *Arborem ejus eſſe ſimilem Malo-punicæ, & folium ejus eſſe ſimile folio τῆς unnab*: ubi per *Unnab* non videtur intelligere *Zizypham*, cujus folium fere rotundum; ſed Arborem اراك *Arac*, quæ malo-punicæ ſimilis. Nam *Unnab* pro vario uſu utraſque has Arbores notat. Ex quibus omnibus ſummatim colligimus, folium ejus eſſe longum & anguſtum. Sed accuratior videtur Gerardi deſcriptio, ubi folia ſemper virentia ſunt ancipitum inſtar Gladiorum longitudinis bipedalis, ad inſtar Gladiolorum Iridem florem producentium.

Laudati Authores, hujus arboris ſpecies numerant tres, quarum optima eſt كلمي *Caulemienſis* ſeu كوكمي *Cuukemienſis* [nam utroque modo legitur) in India Orientali. Altera eſt *Chinenſis*: & tertia لامري *Lamerienſis*. Hæc Inſula *Lameri*, Paulo Veneto *Lib.* 3. *Cap.* 18. dicitur *Lambri*, in qua Incolarum aliqui caudati ſunt, caudis unius palmi longitudine, ut canes: quod idem alius Author refert de Incolis inſulæ Formoſæ.

Eſt autem & alius *Draconis Sanguis* a præcedenti longe diverſus, ſubtilior & pretioſior, duplo carior, qui Mercatoribus noſtris Indiam Orientalem petentibus dicitur Anglice *Dragons bloud in drops*, quæ quidem ſpecies naſcitur ex quadam Arundine farcta, quæ ideo vocatur *Dragons-bloud cane*: ex quo genere poſſideo Bacillum uno conſtans internodio quatuor pedum longitudine, ex Dono amici ſingularis Ampliſſimi Viri D. *Johannis Tyrrill* Navis bellicæ pro Rege Angliæ Præfecti ad Indos. Ex dictæ Arundinis nodis (una cum foliis) emergit Fructus ad inſtar Nucularum, quarum duas ſpecies penes me habeo a D. *Joh. Engliſh* Mercatore Anglo olim acceptas; minorem, figura rotundam, magnitudine Avellanæ minimæ; majorem, figura oblonga, magnitudine Avellanæ majoris: utraque autem ſpecies externe multos habet gibbulos ad inſtar baccæ Mori. Fracto putamine duriuſculo, intus apparet nucleus talis qui in Ceraſis. Quod autem res eſt, dictus fructus externe tegitur materia aliqua rubra facile friabili, ita ut eam quis digito abſterere poſſit; quæ tactu chartam aut manum rubedine afficit. Et hæcce rubra materia ea eſt *Sanguinis Draconis* ſpecies ex qua fit Vernix qua Ciſtæ & Pyxides Chinenſes obduci ſolent. Modus autem rubram materiam colligendi, eſt dictum fructum in aqua calida macerare, donec materia illa rubra in fundo vaſis ſubſidat: unde aqua aut evaporata aut effuſa, dictus *Sanguis Draconis* Guttis ſeu Fruſtulis concretis ex fundo vaſis colligitur.

CAPUT XVII.

פרק יז׳ על אי מאדירא וטעם שמה וטוב ענינה:

De insula Madera, & ratio Nominis ejus, & bonum ejus negotium.

מן האי הנזכרת פורטו סאנטו הוף קדוש נסעו והלכו עוד רחוק מזה בתוך הים על ימינם דרך דרומי מערבי ומצאו אי אחרת רחוקה מזו כמו ארבעים מילין וקראו שם האי הזאת אי מאדירה ש״ל אי העצים ר״ל שהיתה אי גדולה כמו מ״ה מילין כלה מלאה עצים באופן כי לא היה בה אמה או חצי אמה קרקע שלא היה בה אילן גדול ולא היו יכולין ליהנות ממנה עד שהסכימו המלחים יושבי הספינות לשרוף האיסולה כלה או רובה וכן עשו וישימו אש לשרוף האילנות ויגדל האש עד לב השמים עד כי הוצרכו המלחים לברוח בתוך מי הים עד צוארם ב׳ ימים וב׳ לילות ויצו המלך מפורטוגאל להושיבה ג״כ צאן אדם להיותה חשובה ונאותה בהרים ומעיינות ונהרות קטנים ונטעו בה עץ פרי וקני לדבש לעשות צוקארו ויזרעו בה חטים ושעורים וגנות וסרדסים וכרמים מגפני קאנדיאה וצפריאה העושים שם אשכלות ארוכות יותר מארבעה זרתות המתבשלות בימי הפסח ומראית צהוב לענבים לא ישוער טובם וערכם ויינם ואחרי כן נשארו בה בקצת מקומות פאוני מדבריים לבנים וגם יונים גדולים לרוב ואינם מתפחדים מבני אדם עם אילנות גדולות מעצי גופר ועצי אתרוגים ליהנות מעציהם לעשות מהם לוחות וטבלאות יפות ותיבות עם מלאכת המשור החותך העצים בכח מרוצת שמונת הנהרות הקטנים אשר יחתכו העצים בתנועת המשור ומהטבלאות והלוחות והקרשים ההם יעשו תיבות וכלים נאים אשר מהם יובאו בדרך סחורה לשרת רוב ערי מלכות פורטוגאל ובפרט בליסבונה הדברים הטובים אשר באי מאדירא הוא זה צוקארו לרוב חטים יונים בלי פחד אדם חיות רבות אחרות וצאן

EX prædicta insula Portu Sancto profecti sunt & iverunt adhuc longius hinc per medium Maris ad dextram suam per viam Austro-Occidentalem, & invenerunt aliam insulam ab hac distantem circa quadraginta milliaria: hujus insulæ nomen vocarunt Insulam [1] Maderæ, hoc est dicere, Insulam lignorum: volumus nempe insinuare eam esse insulam magnam circa 45 milliarium, totamque eo modo arboribus plenam ut non fuerit Solum unius cubiti aut dimidii in quo non sit arbor aliqua magna. Adeo ut non potuerint ex illa utilitatem percipere, nisi nautæ in navi commorantes vellent totam insulam comburere, vel saltem majorem ejus partem: quod itaque fecerunt, & apposuerunt ignem ad comburendum arbores, qui quidem ignis crevit usque ad cor cœlorum, donec tandem nautæ necesse habuerint fugere in medium aquarum maris usque ad collum suum duabus diebus & duabus noctibus. Jussitque rex Portugalliæ ut pecudibus & hominibus incoleretur, eo quod esset præstans & conveniens propter montes, & fontes, & fluvios parvos. Et in ea plantarunt arbores omnis generis fructuum, & [2] cannas pro melle ad faciendum Saccharum. In ea insuper seminarunt Tritica & Hordea: & [plantarunt] hortos, & pomaria, & vineas ex vitibus Candiæ & Cypri, quæ ibi producunt racemos ultra 4 spithamos longos, qui maturi sunt diebus Paschatis: istis uvis aspectus est fulvus, nec potest satis æstimari bonitas earum, & pretium earum, & vinum earum. Postmodum in quibusdam locis relicti erant in ea Pavones agrestes albi, & quoque columbæ maximæ quæ a filiis hominum non metuebant; una cum arboribus magnis de lignis Gopher & lignis Citrorum, ut ex eorum lignis uterentur ad conficiendum asseres & tabulas pulcherrimas, & cistas artificio serræ quæ ligna secat per vires cursus octo fluviorum minorum, quæ inquam ligna secant motu serræ: & ex istis tabulis & asseribus & plancis conficiunt cistas & vasa pulchra, quæ per viam mercaturæ advehuntur ad serviendum majori parti civitatum regni Portugalliæ, & particulariter Lisbonæ. Res itaque meliores quæ sunt in insula Madera, sunt Saccharum multum, Triticum, columbæ quæ non metuunt homines, & alia animalia multa, & oves, & boves, & ca-

ובקר ובשר אין קץ עם מעינות ותהומות בלי חוף בים ומקום צידת דגים לא יתכן ולא ישוער ערכם וסובבת כמו מה מיליך:

& caro infinita, cum fontibus & abyssis; tamen absque ullo [3] Portu ad mare, [unde sit securitas a navibus hostium majoribus.] Est quoque locus venationis piscium, quorum pretium perpendi & æstimari non potest. Et (tota insula) est ambitu circa 45. milliarium.

NOTÆ IN CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

[1] *Maderæ*) Nomen factum est a Lat. *Materia*, qua tam in Vulgata Bibliorum Versione quam alibi significatur idem quod Anglice *Timber*, quia tali materia abundabat ista insula.

[2] *Cannas pro melle*) Expressus Cannarum succus qui in Saccharum (inspersa calce viva) percoqui solet, heic vocatur *Mel*, propter aliquam cum eo (tam consistentia quam dulcedine) similitudinem. Et sic *Zahravi* Arabs per דבש חקנים *mel cannarum* intelligit Saccharum, nempe expressum Cannarum liquorem dulcem, qui postea coquendo in Saccharum vertitur.

[3] *Portu*) Ubi scil. sit securitas a navibus hostium majoribus.

CAPUT XVIII.

פרק י״ח שנסעו מאי מאדירא ומצאו שבעה איי קאנארי ומקאנארי לאיי קאניבאלי אוכלי בשר אדם ומוצא הזהב לרוב ואי קאנארי רחוקים מן היבשה נגד ראש לבן קאוו בייאנקו:

Docetur, quomodo euntes ab insula Madera invenerunt 7. insulas Canarias: & a Canariis (iverunt) ad insulas Canibalium qui edunt carnes humanas; Item, de productione auri magna copia, & insulas Canarias esse procul a Continente e regione τῶ Capo bianco.

אחרי מציאות האי הזאת אי מאדירא הנ״ז נטו המהלך עוד באמצע הים מערבי דרומי על ימינם כמו מאתים ועשרים מיל עד שנתגלו להם איקאנריי וזה תארם וענינם בתוך הים כי שבעה המה קטנות יושבות בעגול ובהקבלת העין זו לזו רחוקות כמו מ׳ או חמשים מילין זו מזו ולשונם נבדל זו מזו ארבע מהן מיושבות מעם נוצרים אשר כבש אותם מלך פורטוגאל בחזקה ושם נוצרים בתוכם ושלשה מהם עובדי לשמים שמש ירח וכוכבים מקומם של אלו תקיף וחזק מהרים רמים והזקים ויש אי אחד מאלה סובבת כמו תשעים מילין וכמו ח׳ אלפים נפשות לא יופלו הנוצרים הפורטוגיסי להורישם:

Post inventionem istius insulæ, (sc. insulæ Maderæ prædictæ,) inclinarunt iter adhuc per medium Maris Austro-Occidentalis ad dextram suam, circa 220 milliaribus, usque dum detectæ iis essent insulæ [1] Canariæ. Et hæc est earum forma & negotium earum in medio Maris: sunt nempe 7 insulæ parvæ quæ cedunt in rotundum, & [2] receptione oculi distant una ab altera 40 aut 50 milliaribus: earumque Lingua diversa est una ab altera. Quatuor earum inhabitatæ sunt a [3] populis Christianis quos vi subegit rex Portugalliæ, qui posuit quoque (alios) Christianos in medio eorum. Harum tres colunt Cœlum, Solem, Lunam, & Stellas: & istorum locus fortior est & validior, propter Montes excelsos & fortes. Est quoque istis alia insula ambiens circiter 90 milliaria, [continens] circiter 8000 animas: Christiani Portugallenses non potuerunt ipsos expellere.

הנמצאות אשר שם ומלבושם ומאכלם יש דברים רבים למלאכת הצביעה והגוונים והציירים בהמות הרבה וקרדובאני עבים וטובים בלא חטה וייז ולחמם שעורים וקצירם בחדש מרצו שתיתם חלב עזים ובשרים הרבה יאכלו כלם מציאות חמורים

Ea quæ ibi inveniuntur, & vestitus eorum & cibus eorum, sunt res multæ ad artificium tincturæ & coloratorum & pictorum; bestiæ multæ, & Cordovanæ crassæ & bonæ: [4] absque tritico & vino. Panis eorum est hordeaceus: messis eorum est in mense Martio: potus eorum est lac caprarum: & carnibus multis vescuntur omnes: ibi inveniuntur asini sylvestres: incedunt

יעריים והולכים ערומים והנשים ערומות
והפקר רק שהמלך בועל אותם ומושחים
גופם בחלב עזים עם מיץ עשב מה לחזק
עור בשרם:

האמנם אחר הנחת האיים האלה מקאנאריי
לצד ימין בין בים המערבי דרומי שמו אל
נגד היבשה פניהם לצד שמאל לשוב דרך
קאוו ביאנקו הוא ראש לבן ארץ חול לבנה
יבשה ומלחה ועברו בקוטב הים אוקיינוס
הזה כמו מאתים וצ׳ מילין ומצאו שלשה
איים אחרות והים ביניהם והיבשה רחוקה
מאד בשמאלם ויש לים ההוא במקום הזה
מרוצה מסוכנת לאשר לא ידע ערכו כי
שם נראה הים כאילו רץ ויורד בסבוב
האיים וההרים הנכנסים בו והספינות והמלחים
יסתכנו בו ואלו האיים הם בהקבלת פנים
בים נגד ראש קאנטין אשר ביבשה גם הוא
מקביל נגד קאוו בייאנקו הנ׳ז ויש באיים
האלו מציאות דברים רבים כמו באיים
האחרות ואחת מהלא קראוהו הנוצרים
גאנזין על שם העופות הרבים הימיים
אשר מצאו שם והעופות צדים ואוכלים
דגים רבים במקום מעוטי המים ההם וכל
מה שזכרנו מכל האיים האלה מפורטוגאל
עד הנה כלם הם בתוך הים המערבי הדרומי
רחוק מאד מהיבשה כמעט לפעמים קרוב
לשלוש מאות מילין:

עוד ראוי לדעת כי מאיי קאנאריאי הנז׳כ
נמצאו איים רחוקים מאד מהם והוא מהלך
כמו חמשה ועשרים יום לנטות מעט מעט
לאיי קאנארי במערבי צפוני ההוא אשר
נקראו איי ספאניולי וזה האיש אשר מצא
אותם על יד כריס׳טופאלו קולומבו גינוביסי
ושם מוצא זהב לרוב מאד בחול היורד
בנהרות האיים ההמה ואלו האיים הם
נוטים מעט בצד צפוני לאיי קאנארי כאמור
ושם אנשים משונים וזרים מאד ושם תרו
הנוצרים מאד ומצאו הזהב לרוב היורד כמורד
החול מהנהרות היורדים מן ההרים הרמים
וזאת המציאה היתה ע״י אשה אחת
אשר לבדו אותה מאחרת מאיי ספאניולי
האלה אשר הטיבו לה והאכילוה בספינותיהם
והלבישוה ונתנו לה מותנות הכלים מטפחת
וסעיף ומכסה בגד פשתן של הבל ואחר

dunt nudi: fœminæ quoque nudæ & communes, tantum rex [5] eas maritat primo. Et corpus suum inungunt adipe caprarum cum succo (seu pressura) alicujus herbæ ad corroborandum cutem carnis suæ.

Certe post relictas insulas istas Canarias ad partem dextram per Mare Austro-Occidentale, posuerunt facies suas versus Continentem ad latus sinistrum, ut sic reverterentur per viam Capo bianco, quod est Caput album, terra arenæ albæ & aridæ & salsæ: & tum transiverunt per Polum Maris Oceani hujus circiter ducentis & nonaginta milliaribus, & invenerunt tres insulas alias, & Mare inter ipsas, & Continens valde distat ad sinistram eorum. Et huic Mari in hoc loco est cursus periculosus ei qui non novit [6] æstimationem ejus: nam ibi apparet Mare acsi decurreret & descenderet per circuitum Insularum & Montium qui ingrediuntur in ipsum: atque naves & nautæ periclitantur in eo. Et istæ insulæ sunt in [7] acceptione faciei adversus Caput Cantin quod est in Continente: etiam oppositæ sunt τῷ Capo bianco prædicto. Et est in istis insulis inventio rerum multarum uti in aliis insulis: & unam ex istis vocarunt Christiani [8] Ganzin, secundum nomen volucrium multorum marinorum quos ibi invenerunt: & isti volucres venantur & comedunt plurimos pisces in locis illis aqua minutis. Et totum quod commemoravimus de omnibus istis insulis a Portugallia huc usque, omnes sunt in medio Maris Austro-Occidentalis valde distantes a Continente [9] fere aliquando prope trecenta milliaria.

Præterea decet scire quod de insulis Canariis commemoratis, reperiuntur insulæ multum distantes ab illis: & iter fere viginti quinque dierum ad declinandum paulatim ad insulas Canarias per plagam Septentrio-Occidentalem, quæ vocantur Insulæ Spaniolæ: & hicce vir qui eas invenit,) id fecit (per manum Christophori Columbi Genovensis. Ibi est productio auri magna copia valde in arena quæ descendit per flumina insularum istarum. Et istæ insulæ declinant aliquantulum ad latus Septentrionale insularum Canariæ, sicut dictum est. Ibi sunt homines deformes & peregrini valde. Et ibi explorarunt Christiani multum, & invenerunt aurum multum quod descendebat uti descendit arena, a fluviis descendentibus a montibus altis. Et hoc inventum fuit per manum fœminæ alicujus nigræ quam prehenderunt in una ex insulis Spaniolis istis, cui benefecerunt, & eam cibarunt in navibus suis, & induerunt ipsam, eique dederunt dona [10] vasorum, mantile, & peplum, & tegumentum panni lini nullius valoris; & postmodum

החזירוה בת חורין ביבשה והיא היתה
גרמא למה שהשינו הנוצרים לתור במקום
ההוא למצוא זהב לרוב ועם טורח ופחד
מחיות רעות ושמעתי שהנוצרים בפשרה
הניחו שמה נוצרים רבים לעמוד וללמוד
וללמד מוצא תועלת המקומות האלה
ובחצי תקופת שמש מתו כלם וראיתי בכתב
אחד שאנשי המקום ההוא הרגום לגמרי:

אחרי כן נעתקו מן האי ספאניולא הזאת
והלכו ושטו עוד בשערבי דרומי ברוח אוסטרו
מהלך שלשים יום עד שמצאו איים רבים
אחרים כמו ארציפילינו היוני ושם מצאו
האנשים הרעים השחורים הנקראים קאניבאלי
אשר בספינותיהם העשויות ויות מאילנות
גדולים חלולים וחקוקים בחוזק אבני סלע
וצור ומעץ אחת יעשו ספינה אחת ובהם
ילכו למרחוק באיים אחרות ויחטפו משם
אנשים ונשים לאכלם ופעמים רבות יסרסו
האנשים ויקשרום ויפטמו אותו וישמינוהו
ויהרגום אחרי זאת וימלחוהו כאשר יעשו
הנוצרים מן החזירים ושם באיים האלו איים
נפרדות מאד אחרות מלאות נשים לבדנה
לא ישב אדם בם עד בא יום זיוגם כבהמות
פעם אחת בשנה ליחמנה עם אנשיהם
וכאשר תהרינה ותלדנה זכר יגדלוהו וישלחוהו
לאביהם ותנקבות תחזקנה תמיד אצלן בכאן
מוצא ענינים גדולים ואבנים טובות באיים
האלה אם היה יכולת להשיגם אמנם
יושבי הספינות הרגישו מרחוק כמו שני
מילין אור צהוב כאבנים קטנות מצהובות
ולא היו יכולין ללכת שמה כיהיו הספינות
מתפחרות ממיעוט המים הנראה על רוב
סביבות האיים ההם ואינם יכולים להתעכב
וללכת ביבשה שמה כי יושבי האיים ההם
הרבים וחרעים הקאניבאלי אוכלי בשר כל
אדם שונאים כל איש ואשה שימצאו וגם
לפעמים הם בעצמם האיש החזק בעת כעס
ושנאה יבוף את הרפה וזה לפי הנשמע
מארבע נשים לקחו ומצאו הנוצרים ביבשה
אסורות וקשורות בחזקה והובאו במרוצה

dum reſtituerunt illam liberam in terram. Et ipſa fuit in cauſa ut obtinerent Chriſtiani ſcrutari in illo loco & invenire aurum multum, ſed cum labore & metu ab animalibus noxiis. Et audivi quod Chriſtiani per aſſenſum (ſeu compactum) reliquerunt ibi aliquot Chriſtianos ad commorandum & diſcendum, & ad docendum productionem utilitatis locorum iſtorum: & dimidia revolutione Solis, mortui ſunt: ſed in alio Scripto vidi quod homines illius loci interſecerint eos abſolute.

Poſtmodum translati ſunt ab inſula Hiſpaniola, & iverunt & exſpatiati ſunt adhuc per plagam Auſtro-Occidentalem cum vento auſtrali iter triginta dierum, uſque dum repererunt multas inſulas alias ad inſtar Archepelagi Græci; & ibi invenerunt homines peſſimos nigros dictos Canibales, qui erant in navibus ſuis factis ex arboribus magnis concavis & excavatis per vim lapidum petræ & rupis: ex una nempe arbore faciunt navem unam, & in talibus eunt in longinquum ad inſulas alias, & inde rapiunt viros & fœminas ad comedendum eos: & multoties caſtrantes ipſos viros, ligant eos ſaginantes & pingueſacientes eos; & poſtea interficientes illos, eoſdem ſale condiunt ſicut Chriſtiani faciunt porcis. Et ibi inter inſulas iſtas ſunt inſulæ aliæ omnino diſtinctæ, [11] plenæ mulierum tantum, nullus vir habitat in eis uſque dum veniat dies copulationis eorum ſicut beſtiæ ſemel in anno, ad congrediendum cum viris ſuis. Et cum concipiunt & pariunt maſculum, educent ipſum & mittunt ad patrem ſuum: ſed fœmellam ſemper retinent apud ſe. Hic eſt etiam productio rerum magnarum, & lapidum pretioſorum in inſulis iſtis, ſi poſſibile eſſet attingere illas. Certe ſedentes in navibus a longinquo perceperunt ſuper facie aquarum ad diſtantiam circiter duorum milliarium aut minus quam hoc, lucem flavam ſicut parvorum lapidum flaventium: ſed non potuerunt illuc ire, quia [12] naves metuebant ab aquarum paucitate quæ multoties viſitur circa inſulas illas. Nec poſſunt moram facere aut ire ad terram ibi, quia illarum inſularum incolæ plurimi ſunt & peſſimi Canibales, comedentes carnem cujuſvis hominis, & odio habentes quemvis virum & fœminam quem inveniunt: imo aliquando inter illos ipſos, vir robuſtior tempore indignationis & odii cogit debiliorem. Et hoc eſt ſecundum id quod auditum eſt a quatuor fœminis quas repererunt & prehenderunt Chriſtiani in terra ligatas & fortiter conſtrictas, quæ adductæ ſunt [13] curſu maximo ad navem, & inde in Portugalliam, ubi didicerunt linguam urbis (Lisbonæ), & nuntia-

רבה בספינה ובפורטוגאל ולמדו לשון העיר והגירו כל מה שהגידו בכלל ובפרט:

אולם האי אספניאולא אשר תרו אותה ומצאו הזהב בה כאבנים ובעד סונאליו אחת אשר זרק איש אחד מהנוצרים אל אחד מיושבי האי הזאת מרחוק נתנו אליו כל כך משקל זהב לי״ב דראמי וכן לכוס זכוכית וקערה אנקיא ויותר מזהב ובאלה המקומות לא היה יכול להתקיים איש מגלילותינו שמה בעד השתנות האויר והיו נפסדים ומתים כאמור ולא ידעתי אם מלחי הספינות המציאו תקון ותרופה על זה להבא:

tiarunt totum quod narrarunt in genere & in particulari.

Sed quod ad insulam Hispaniolam, [14] perscrutantes ipsam invenerunt in ea aurum ad instar lapidum; & pro [15] tintinnabulo quod aliquis Christianus projecit ad unum ex incolis istius insulæ a longinquo, dederunt ei tantumdem ponderis auri, ad 12 drachmas: & sic pro poculo vitreo & cochleari, unciam & ultra auri. In istis autem locis non potuit subsistere aliquis ex nostris regionibus, propter mutationem aeris: nam corrumpebantur & moriebantur, uti dictum est. Et non novi an nautæ navium repererint ullam correctionem aut remedium pro hoc in futurum.

NOTÆ IN CAPUT DECIMUMNONUM.

[1] *Canariæ*) Insulæ sic dictæ, quia primi illuc advenientes plurimos ibi Canes repererunt: & Incolæ vel inde dicti *Canibales*, vel quia ad instar Canum carnes crudas vorant. *Acores* sunt *Accipitrum* Insulæ, itidem ex vi nominis. Et horum veritas ab Historicis confirmata est.

[2] *Receptione oculi*) i. e. perceptione oculi prout oculus speciem recipit primo intuitu, vel quantum oculis quis percipere possit.

[3] *Populis Christianis*) Nempe Christianis novis, (de quibus vide supra,) inter quos etiam collocavit alios Christianos veteres.

[4] *Absque Tritico & Vino*] Postea vero huc transplantatæ sunt Vites Rhenenses, a quibus (per mutationem Soli) provenit pingue illud Canariense Vinum quod hodie in Anglia bibitur.

[5] *Eas maritat primo*) i. e. Primo cum eis congreditur, prima nocte rem habens cum illis.

[6] *Æstimationem ejus*] sc. quomodo judicandum sit de eo.

[7] *Acceptionem faciei*) i. e. prout aspicit quis recta coram facie sua, seu sicut facies ejus directe accipit objectum visendum.

[8] *Ganpin*) *Ganpa* Hispanice est Anseris marini species, quam *Cormorant* vel *Sea-gull* vocamus.

[9] *Fere aliquando*] Vox *fere* redundat in Hebraico.

[10] *Vasorum*] i. e. Ornamentorum, inter quæ est מטפחת *Mantile*, Angl. *a Towell*, seu *Sudarium* magnum quod ad instar Ventralis lintei a zona dependebat: cujus usus præcipue ad detergendum sudorem aut humorem quemvis. Aliquando erat loco *Zonæ*, ut *Shash* qua Orientales hodie medium cingunt aut ut capitis Involucrum complicant: Est enim Linteum plures ulnas longum. Et *Ruth* III. 3. tam amplum erat, ut 6. mensuras Hordei continere posset. Alterum heic nomen סעיף, potius scribendum esset צעיף, ut in Bibliis. Estque *Velum* amplum quod totum corpus involvebat: *a long Veil or Mantle*, ut Anglice vocamus.

[11] *Plenæ mulierum tantum*] Hujus Insulæ dictæ جزيرة النسا *Insulafœminarum*, mentionem faciunt omnes Historici Orientales. In ea nempe fœminarum mos est, ut quamprimum pepererint, infans si mas sit, statim ablegatur; si fœmella, apud matrem retinetur. Hæcque Insula est in mari Indico, in quo etiam est alia dicta *Insula masculina*, sc. *marium* seu *masculorum*, quos semel quotannis visitant alterius Insulæ mulieres: quæ quamprimum conceperint, ad suam mulierum insulam redeunt, ibique manent donec conceptum partum pepererint. v. Paulum Venetum.

[12] *Naves*) i. e. Nautæ seu Homines navium.

[13] *Cursu maximo*) i. e. celeriter, propter metum ab incolis.

[14] *Perscrutantes*) i. e. Fodientes.

[15] *Tintinnabulum*] Author utitur vocabulo vernaculo *Sonaglio*, quod est Tintinnabulum parvum rotundum, qualia equorum pectori aut accipitrum pedi alligare solemus.

CAPUT XIX.

פרק י״ט ביאור רחב עוד על מוצא דרך יבשת דרומית לצארת מפורטוגאל
עד נגד קאוו קאנטין וקאוו ביאנקו וקאוו וירדי וביאור גלילות רבות
בין אמצע היבשה ובתוך ההרים הענין חלוף גליל מילי
לקנות משקל מלה בזהב ודברים רבים אחרים:

Explicatio adhuc amplior de productione (seu inventione) viæ Continentis Australis; exeundo e Portugallia usque e regione Capo Cantin & Capo Bianco & Capo Verde. Item descriptio multarum regionum per medium Continentis & infima montium. Et de negotio permutationis regionis Meli, ubi emunt æquipondium Salis pro auro: & de rebus aliis multis.

ידוע במה שקדם כי בשעבר הזה לבא באפריק הארץ השפלה ולסבוב היבשה הדרומית אשר כלה על שפת ים אוקיאנוס ענינו ומהלכו להדריך הספינה בים ובצלע

NOtum est ex eo quod præcessit, quod in hoc transitu eundi ad Africam istam inferiorem, & circumeundi Continentem Australem, qui totus est per oram Maris Oceani, negotium ejus & iter ejus est ad

היבשה משמאל יושבי הספינה ופניהם
אל הדרומית וזה לעבור מלכות פיס כאמור
ולמצוא ביבשה ההיא כל הראשים היינו
הקאווים הנז״ב האלה אחר עבור מלכות
פיס וכל המבריטאניאה ציסארי קאוו די
קא קאוו די לוגאדור קאוו די קאנטין קאוו
ביאנקו חוליי על שם יובש היבשה והחול
לבן ואחריו ונגדו ביבשה קאוו וירדי על
שם המצב ההוא המעוטר באילנות רעננים
וטובים ואלה הקאוי והראשי׳ מתראים ונראים
בים נגד כל איים אשר הזכרנו וראוי שנבאר
בפרק הזה מה שנודע ונתחזק באמת
לסוחרים רוכבי הים ההיא מציאות המקום
מקאוו קאנטין אשר הוה ביבשת קודם קאוו
ביאנקו וצורתו ועניינו היותו גבוה מאוד ונכנס
בים והרים גדולים ועצומים ימשכו ממנו
דבוקים זה לזה וילכו קשורים ביבשה
ובמדברות אשר ההרים האלה יאריכו בריחם
כל אורך ארץ כוש האמצעית המדברית והם
אשר יחלקו האיטיאופיאה שלנו אשר על
פני ים מידיטיראניו אשר לפני טוניס ואוראן
לאיטיאופיאה השפלה הדרומית על ים
אוקיאנוס וכן המימות והנהרות מן ההרים
אשר באמצע יבשת כושית חציים ילכו אל
ים מדיטיראניאו וחציים ילכו אל ים
אוקיאנוס ומקום קאוו קאנטון הזה יש בו
ישוב גדול מעם שחורים ובריטיני ושם
הסטיפולי מכל הסחורות המתיחסים להעלות
ביבשה לישובי השחורים והעמים ההם
הנמצאים בהרו ובמדברות אשר הם תחת
הערוגה הזאת והמקום הזה חם ויבש
מאד מעט מים חסר בהמות ודגן ותירוש
ויצהר אין בו ומקומות הרבה חסרי מלח
אשר המלח עקר גדול להם ומרפא מכל
מחלה ונגף כי אין להם מלח כלל:
וזאת צורת המהלך אשר בקאוו קאנטין
הזה הוא מקום מוצא הסחורות ואחר
מזה המקום יעלו הקארובאני תוך היבשה
למדברות הגדולות למקום ישוב אחר גדול
נקרא אודין ומאודין ימצאו טיגאזא ומטיגאזא
לטאנבוט ומטאנבוט למלכות מילי הגדול
חסרי המלח אשר הזכרתי שיש מהלך יותר

ad deducendum navem in mari per coſtam Continentis ad ſiniſtram navigantium, dum facies eorum ſunt verſus Auſtrum. Et hoc eſt, ad transeundum regnum Feſs uti dictum eſt, & ad inveniendum in Continente illo omnia iſta Capa i. e. Capita jam commemorata. Poſtquam tranſitur regnum Feſs & tota Mauritania Cæſarea, & [1] Capo de Ca, Capo de Lugador, Capo de Cantin, & Capo bianco arenoſum ſecundum nomen ſiccitatis Continentis & arenæ albæ; poſt illud & adverſus illud in Continente eſt Capo Verde, juxta nomen illius ſtationis circumcinctæ arboribus frondentibus & bonis. Iſta Capita viſuntur & apparent per Mare e regione omnium inſularum quas commemoravimus. Et convenit ut explicemus in hoc Capite id quod notum eſt & tenetur in veritate apud mercatores navigantes per Mare illud, viz. inventionem loci τῦ Capo Cantin quod eſt in Continente ante Capo bianco, figuram ejus & negotium ejus, quod ſit altum valde, & intret in mare. Et montes magni & fortes [i. e. numeroſi] protrahuntur ex illo adhærentes unus alteri, & pergunt conjuncti per Continentem & per Deſerta: nam montes iſti prolongant ramos ſuos per totam longitudinem terræ Cush medianæ deſertæ. Et hi ſunt qui dividunt Æthiopiam noſtram quæ eſt verſus mare Mediterraneum ante Tunis & Oran, ab Æthiopia inferiore auſtrali ſuper mare Oceanum: & ſic aquarum & fluviorum ex montibus qui ſunt in medio Continentis Æthiopici, dimidia pars tendit ad mare Mediterraneum, & altera dimidia pars tendit ad mare Oceanum. Et in hoc loco Capo Cantin eſt maxima habitatio populorum nigrorum & Bretini: & ibi eſt [2] Stapole pro omnibus mercibus quæ deſtinantur tranſportari per Continentem ad habitationes nigrorum & populorum illorum qui reperiuntur in montibus & deſertis, qui ſunt ſub area iſta. Et hic locus eſt valde calidus & ſiccus, paucitate aquæ, penuria beſtiarum; & frumentum & muſtum & oleum non ſunt in eo. Et multa loca deſtituuntur ſale, quod quidem ſal eſt fundamentale magnum apud eos, & medela in omnem morbum & plagam: ſed nullum omnino ſal eſt eis.

Hæc autem eſt forma itineris, quod eſt per Capo Cantin iſtud, quod eſt locus productionis mercium: & poſtea ab hoc loco aſcendunt Caravanæ per medium Continentis per Deſerta magna ad locum alium magnæ habitationis dictæ Hoden: & ab Hoden reperiunt [3] Tegazzam, & a Tegazza eunt ad [4] Tanbut, & a Tanbut ad regnum magnum Mele, ſale deſtituta: atque commemoravi quod ſit iter pluſquam

משבעים יום להגיעו שמה דרך גמלים
עד ההרים הגבוהים ואחר יוליכוהו על ראש
אנשים ביגיעה רבה אשר יקנוה במחיר
חליפין בכל כך מדת זהב במדת מלח כי
הוא צריך למרפא חוליים והם חסרים לכל
דגן תירוש ויצהר ואין להם קור כלל פלם
הולכים ערומים וברוב מאכלם מובא להם
מטאנבוט והם אוכלים תמרים לרוב לחמם
לחם שעורים ולמילי ויביאו סחורותיהם
ויחליפו בחליפין זהב וכסף מליאטי וענינים
אחרים ויוליכו הסוחרים ממילי מה שעשו
חליפין החלק יובא לטונים וברבאריאה
והוא מהלך כשלוש חדשים מקום אריות
ונמרים ובנות יענה לאין מספר וביצותיהם
טובים לאכול ובמקום אודין הנ״ז המוכן
גם הוא למציאות כל הסחורות האלו ועושין
שם חליפין וסחורות ומכר מהאנשים שחורים
אשר במחיר יובאו וכל אלה המקומות מדבר
יבש מוצאם וקאוו קאנטין הזה אשר על
צלע שפת ים יבשת דרומית לים אוקיינוס
הוא ראשית המעברות לכל המקומות
והסחורות האלה ומקום מלון כל סוחרי
ערב העולים לטיגאזא ר״ל בלשונם ארץ
עמוסת הזהב ומשם לטאנאבוט או למלכות
מילי הגדול חסרי המלח הנ״ז למעלה והוא
מקום זהב וכסף לרוב כאבנים והוירזין בקוצי
היערים בין מעונות אריות והררי נמרים
נחשים ותניני יבשת ומיני ארבה וגזם וילק
לאין מספר רחוקים מטונים מהלך כשלוש
חדשים וכל הגלילות האלו בלא בנינים
ובלא בתים ואין להם חומות אבן דלתים
ובריח רק שוכנים בקבוצי כפרים האנשים
והנשים ערומים ושאופי זמה ושם מנהג
מגונה בנשים להאריך השדים שלהם
ומכריחים למשוך אותם בחבלים ולחלקם
לשנים בכח משיכת חבל וזה יפיים לפי
מנהגם :

ſeptuaginta dierum ut perveniant illuc via camelorum uſque ad montes altiſſimos. Et poſtmodum transferunt illud (Sal) per capita virorum magno labore; tum emunt illud pretio commutationum, tanta ejuſmodi menſura auri pro eadem menſura ſalis: nam eſt neceſſarium ad medendum morbos. Et illi deſtituuntur omni frumento, muſto, & oleo: & non omnino eſt illis frigus, ideo omnes incedunt nudi. Et ut plurimum cibus eorum apportatur eis a Tanbut: illi vero plerumque [5] comedunt dactylos. Panis eorum eſt Panis hordaceus. Et ad Mele portantes merces ſuas mutant pto permutationibus auri & argenti Meleatenſis & rebus aliis: & tum defertur a Meli illarum quas ibi commutaverunt mercium, pars ad Tunis & Barbariam, quod eſt iter trium menſium, locus leonum, pardorum, & quoque infinitorum [6] Struthiocamelorum, quorum ova bona ſunt ad comedendum. Et locus Oden commemoratus, eſt quoque aptus pro inventione omnium iſtarum mercium: & ibi faciunt permutationes & negotiationes, & venditionem virorum nigrorum qui pro pretio importantur. Et omnium iſtorum locorum exitus eſt Deſertum aridum. Et Capo Cantin hoc quod ad coſtam oræ Continentis auſtralis ad mare Oceanum, eſt principium tranſituum ad omnia loca & negotiationes haſce, & locus pernoctatorius omnium mercatorum Arabiæ qui aſcendunt ad Tegazzam, quod in lingua eorum eſt Terra onuſta auro. Et inde (itur) ad Tanbot aut ad magnum regnum [7] Mele, deſtituta ſale, ut ſupra memoratum eſt: at eſt locus auri & argenti magna copia inſtar Lapidum, & Verzini inſtar Spinarum ſylveſtrium, inter habitationes leonum & montes pardorum, & ſerpentes & dracones terræ, & ſpecies locuſtarum (uti [8] Sectores & Linctores) innumeræ: & diſtant a Tunis itinere trium menſium. Et omnes iſtæ regiones ſunt ſine ædificiis, ſine domibus, nec ſunt eis muri lapidei, portæ, aut vectes; verum habitant in congregationibus villularum viri & fœminæ nudi, inundati luxuria. Et ibi eſt turpiſſima conſuetudo fœminarum deducendo [9] in longitudinem mammas ſuas, & cogunt protrahere eas funibus & in duas partes dividere per vim tractionis funis. Et hæc eſt pulchritudo eorum ſecundum modum ſuum.

NOTÆ

NOTÆ IN CAPUT DECIMUM NONUM.

[1] *Capo de Ca*) i. e. Capo ab hac parte. *Cantin* est Angulus. *Lugador* forte sit pro *Bogador* aut *Mogador*, quæ in hisce partibus reperiuntur.

[2] *Stapole*] sc. Emporium seu stabilis locus mercaturæ. Et qui ad talem locum pertinet ibique mercaturam exercet, Italis vocatur *Stapulario*. Anglis etiam firma & durabilis mercatura, vocatur *the Staple of the Kingdom*, seu *a staple commodity*. Item fili aut filiorum in panno durabilitas & firmitas, vocatur *the staple of the thread*.

[3] *Tegazza*) Æthiopice ተከዚ *Tacazi* est *Flumen*, *Amnis* in genere; speciatim vero est Nomen proprium Fluminis quod in Nilum exoneratur, dicente D. Ludolpho; qui per Nilum videtur intelligere نيل غانه *Nilum Ghanæ* seu *Ghineæ*, viz. *Nigrum* fluvium, qui æque ac alter Ægyptum secans fluvius, vocari solet *Nilus*. Adeo ut *Tegazza* regio a dicto flumine sic denominata videatur, ad Longit. 11. Lat. 24. Graduum. Est autem in impressis Chartis alius etiam *Tagazi* fluvius in regno Algerino, unde in mare Mediterraneum effunditur. Hic autem (quamvis eodem gaudent nomine) non potest esse locus de quo agit Noster, præsertim quia mox inferius addit, *Tegazzam* significare *terram onustam auro* lingua Numidica, quæ in regno Algerino non obtinet. Est & in Globo magno *Tagazza* fluvius ad austrum Meroæ insulæ, qui in Ægypti Nilum exoneratur.

[4] *Tanbut*) In Globis *Tanbotu*, ubi destituuntur Sale, ut & in regione *Meli* seu *Melli*. Ibi enim Sal pro æquali pondere Auri venditur: est enim præcipua eorum medicina contra stomachi cruditatem & indigestionem, & corruptionem inde provenientem. Sic etiam aliquando in Anglia, Vomitiones quotidianæ ex stomachi corruptela natæ, Posca immodice salita & per 30. dies continuos epota, curari solet.

[5] *Comedunt Dactylos*) In Globo Cæsiano notatur, *Hæ regiones sunt valde infrugiferæ, & gens infrequens, sed palma arbor ibi frequens*. Hinc est quod tam in Globis & Chartis quam apud Leonem Africanum, hæ regiones vocentur *Biledulgerid*, quod rescribendum بلد الجريد i. e. *Regio nuda* [eadem forma & constructione qua apud Ulug-Begum dicitur قفر, الخصيب) nempe omnium rerum nuda. Est enim جريد *Gjerid* Arabice *nudus* in genere, specialiter *Nudus palmæ truncus aut ramus*, foliis & cortice denudatus: unde & pro *Lancea* usurpatur, quippe quæ videatur esse ramus denudatus. Marmolius dicit *Beledulgerid* significare *regionem dactylorum*. Sed Lex. Geographicum ex eo male legit *Beled Geneva*.

[6] *Struthiocamelorum*) Struthionum multitudo & frequentia in Desertis Africanis, rem facilitavit Regi Maroccano, ut anno 1682. una cum suo Legato plures quam 30. Struthiones pro Munusculo ad Regem Angliæ mitteret: quod tamen, ne nullius pretii Munus esse videretur, in suis Literis Credentialibus (quas tunc pro Rege nostro Anglice vertebam,) alicujus momenti esse insinuavit, significando se a populis Desertorum incolis illud redemisse, relaxando eis illo anno 1000. Realium Tributum, quod alias solvisse debuerant. Regis Maroccani verba sunt, ويصلك منا شيا من النعام تاتينا به من الصحراء قبيلة مخروجة اليه مطلبها كل سنة الالف ريال *a nobis ad te veniet aliquid Struthionum*, (i. e. pauci struthiones,) *quos ex Deserto ad nos attulit Gens ad hoc taxata-tributo; cujus summa quotannis postulata, est 1000. Reales*.

[7] *Ad-Meli*] In Codd. MSS. pro ממילי, legendum למילי, eodem modo quo exhibemus.

[8] *Sectores & Linctores*) A جزم גזם *secuit, amputavit*, eæ Locustæ vocantur *Sectores*, quæ rodendo secant amputantque teneras arborum frondes. Namque non tantum Herbas, sed & Arbores, ut Ficus, Oleas, &c. perdere dicitur גזם *Amos* IV. 9. quamvis *Gezem* non sit Volator, sed tantum Reptor, ut proprie ibidem notat Chaldaicum זחלא, & Syriacum *Mosluto*. Sic Lex.MS. optimum, ܡܫܘܛܐ ܬܘܠܥܬܐ ܐܘܟܡܬܐ ܘܣܘܡܩܬ ܪܫܐ *Moshuto est Vermis niger rubro capite*. Et Mox Arabice addit quod Moshuto sit الجراد الدباب الذي لم ينبت له جناح *Locusta reptor cui non nascuntur alæ*. Et in eundem sensum Isa Ibn Ali primo Syriace exponit ܡܫܘܛܐ ܩܡܨܐ ܕܠܐ ܓܦܐ ܕܦܪܚ ܗܘ ܕܡܚܒܠ ܠܗ ܠܙܪܥܐ *Locusta impennis seu cui non sunt alæ, quæ sata perdere solet*. Deinde Arabice ulterius explicat, الجراد الذي ليس له اجنحة ويسمى الجندب والدباب *Moshuto est Locusta cui non sunt Alæ, quæ vocatur AlGjundub & AlDebbab seu Reptor*.

Quoad alteram Locustarum speciem, quæ est ילק Yelek *Linctor*, sic dicitur a לקק *linxit*, quia lingendo & sugendo res virentes & teneras consumit. Sed heic notandum est, quod quodlibet reptans animalculum, sive sit revera vermis sive musca seu tale quidvis, phrasi Orientali vocetur vermis.

[9] *In longitudinem mammas suas*) Vide Herberti Itinerarium de Fœminis ad Caput bonæ spei, ubi talis fœminæ infantem lactentis Icon exhibetur.

C A O U T XX.

פרק כ׳ בגבולי קאוו ביאנקו התחלת עם זינאגי והנהר הגדול המפסיק בין
קאוו ביאנקו לקאוו וירוי בה תחלת השחורים האמתיים:

De limitibus Capo bianco ubi est initium populi Zenagi : & de flumine magno discriminante inter Capo bianco & Capo verde , ubi est initium Nigritarum genuinorum.

אחרי אשר ביארנו בפרקים הקודמים מציאות
האיים הנזברים אשר מצאו המלחים מימינם
בתוך הים אוקיינוס הגדול בנסעם מפורטוגאל
וללכת בדרומי מערב להם נשוב לדרך
המהלך האמתי כמה שדברנו לסבוב דרך
שמאל את היבשה הכושית הזאת בדרך
קאוו לבן שהיא ארץ חול ולבנה ומציאות
אנשיה דלי בשר ובריטיני והוא הנקרא
גבול הזינאגי הבריטיני הנ״ז והוא מהלך ש״פ
מילין באורך היבשה מראש לבן לראש
קאפו וירדי ושם בראש קאפו וירדי מוצא
נהר סניגא והוא נהר גדול יורד מהרי
תולדת נילוס הם הרי הלבנה אשר תולדות
מימי נילוס יוצאים משם והנהר הגדול
סיניגא עושה סעיפים רבים ונגרים בים
אוקיינוס הזה והוא המפריד בין הזינאגי
בריטיני לגלילות סינאגא אנשים שחורים
וחזקים והנה בסוף הנהר הזה בהכנסו בים
אוקיינוס מתרחב מאד כמעט כל אחד מסעיפיו
רחב מיל אחד ויש להם תחום הגון לעבור
בו בספינות והים הזה בפיות הנהר הזה
ורד ועולה בכל יום בכל ששה שעות ביום
ולמעלה בנהר הזה הבא מנילוס כאמור
שתולדתו מהרי הלבנה יגיעו ההרים ההם
במדבר הגדול הנ״ז והם המפרידים האיטיאופיא
השפלה אשר על ים אוקיינוס מן האיטיאופיא
העליונה אשר על ים מריטיראניאו הוא ים
טוניס ובודאי יש מהלך בקוטב המדברות
וההרים האלו ללכת ביבשה מים אוקיינוס
השפל הזה עד ים פלשתים וטוניס קרוב
למהלך ששה חדשים ואלה הם מן המקומות
שלא דבר בהם טולומיאו כלל:

מצאתי כתוב בטוב הנהר הזה סיניגא
אשר הוא מהרי נילוס ומסעיפיו אשר הוא
מטיב לכל הגלילות האלו ועושה ומגדיל

Postquam in præcedentibus Capitibus explicaverimus inventionem insularum commemoratarum , quas repererunt nautæ ad dextram suam in medio Maris Oceani magni, cum proficiscerentur ex Portugullia & incederent ad Austro-Occidentem sibi, revertemur ad viam itineris veri, uti commemoravimus, ad circumeundum per viam sinistram per Continentem hunc Æthiopicum per viam Capo albo, (quod est terra arenosa & alba,) & inventionem virorum ejus qui sunt tenues (seu macri) carne & Bretini: & ibi est finis termini Zenagæorum subfuscorum prædictorum. Estque iter trecentorum & octoginta milliarium per longitudinem Continentis a Capite albo ad initium Capo verde: & ibi in initio Capo verde est exitus fluvii Senegæ; qui est fluvius magnus descendens a montibus originis Nili, qui sunt montes lunæ: nam origines aquarum Nili inde egrediuntur. Et iste magnus fluvius Senega facit multos ramos qui defluunt in Mare istud Oceanum: & is dividit [1] inter Senegæos Britinos & regiones Senegæorum virorum nigrorum & robustorum. Et heic in fine hujus fluvii ubi intrat in Mare Oceanum, dilatat se valde, ita ut singuli ejus rami sint latitudinis unius milliaris: & est illis Portus conveniens ad transeundum per ipsum cum navibus. Hocque Mare in ostiis hujus fluvii [2] descendit & ascendit singulis diebus, singulis sex horis diei. Et supra hunc fluvium qui venit a Nilo sicut dictum est, (cujus origo est ex montibus lunæ,) perveniunt isti montes ad Desertum magnum prædictum: & isti dividunt Æthiopiam inferiorem quæ est super Mare Oceanum, ab Æthiopia superiore quæ est super Mare Mediterraneum quod est Mare Tunis. Et pro certo datur iter per polum Desertorum & montium istorum, ad eundum per Continentem a Mari Oceano inferiore hoc ad Mare Philistæorum & Tunis circiter itinere sex mensium. Et hæc sunt loca de quibus Ptolemæus nihil omnino dixit.

Inveni scriptum de præstantia hujus fluvii Senegæ qui ex montibus Nili, & de ramis ejus, quod ille beneficus sit omnibus regionibus istis, quod producat & grandes

פרות רבות אחרות ועושה פיות רבות להכנס
בים אוקיינוס גדולות ורחבות מכל אלו יען
נמצאו אחרי אלו בארץ כוש האיטיאופיאה
השפלה הזאת נהרות מזה המכוון אשר
ירחבו בסמוך להכנס בים שיהוו רחבים חמשה
וששה מילין האחד ויותר ועם איי יבשה
רבים באמצע הנהרות וכל הגלילות אשר
מהנהר סיניגא עד ללכת בכל ארצות
הדרום עד המזרח בצלע שפת הים אוקיינוס
כלם רטובים ורעננים בסבת ירידות רבוי
הנהרות מההרים האמצעיים ביבשה ובהפך
הצד השני כלו אשר לאחור גליל ראש לבן
הוא קאוו בייאנקו יותר מש״ מילין יבש הוא
נקודים:

המלכות הזה הנקרא מלכות סיניגא
הוא ראשית מלכות השחורים ועמים רבים
וישובים גדולים וארוכים ורחבים בתוך
הגלילות הלזו ובפרט על צלעי שפת סעיפי
רבוי הנהרות הגדולים וידעת לך כי מנהר
סיניגא הלזה היורד בית אוקיינוס ובמשך
צלע היבשה הזאת דרך אורך הים הזה
כלה ארץ רעננה וירוקה ורטובה ביותר
מתשע מאות מילין והיא בלא הרים
בכל סמוך לים רק כי ההרים יראו היותם
רחוקים מן הים מאד בין האיטיאופיאה
המדברית ומן המעינות והנהרות הרבים
אשר יתהוו שם הם ומימיהם ירדו וירטיבו
כל האיטיאופיאה השפלה הזאת וכן ירטיבו
היערות הגדולות אשר באמצע ומים לשתות
לכל חיתו יער וטורפי טרף:

des efficiat fructus alios plurimos. Præterea facit multa (alia) ostia ad intrandum in Mare Oceanum majora & latiora omnibus istis: namque inveniuntur post ista in terra Cush seu Æthiopia hac inferiore, fluvii præter istum qui [3] innuitur (seu intenditur,) qui ubi prope sunt ad intrandum in Oceanum, ita se dilatant ut sint unusquisque latitudinis quinque aut sex milliarium aut ultra: una cum multis insulis Continentis in medio istorum fluviorum. Et omnes regiones quæ sunt ab hac parte Senegæ usque dum eatur per omnes terras australes usque ad Orientem per costam oræ Maris Oceani, sunt humidæ & virentes propter causam descensus multitudinis fluviorum a montibus medianis in Continente: & e contrario, alterum latus totum quod est post regionem Capo bianco seu Capitis albi, per plus quam trecenta milliaria, est siccum [4] punctualiter.

Regnum hoc quod vocatur Regnum Senegæ, est principium regni Nigritarum: & populi multi & habitationes magnæ longæ ac latæ sunt in medio regionum istarum; & particulariter ad costas orarum ramorum est multitudo fluviorum magnorum. Et scias tibi, quod ab isto fluvio Senega qui descendit in Mare Oceanum, & per continuationem costæ Continentis istius per viam longitudinis hujus Maris, tota terra est frondens & viridis & humida per plus quam nongenta milliaria. Estque omnino absque montibus prope mare: nam montes illi videntur valde procul a mari in Æthiopia deserta. Et a fontibus & fluviis multis qui ibi se exhibent, tam illi quam aquæ eorum descendunt & humectant totam hanc Æthiopiam inferiorem. Sic etiam humectant sylvas magnas quæ sunt in medio, cum aqua ad bibendum pro omnibus animalibus sylvæ & rapientibus prædam.

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM.

[1] *Inter Senegæos Britinos &c.*) i. e. inter Senegæos subfuscos seu subcineritios, & Senegæos nigritas veros qui vehementer & valde nigri sunt.

[2] *Descendit & ascendit*] i. e. decrescit & crescit, seu fluit & refluit.

[3] *Qui innuitur*) Heb. *Mecavven* active est *Intendens*, ut *Mecuvvan* passive est *qui intenditur*.

[4] *Punctualiter*) i. e. prorsus, seu ad minima quævis puncta sive minimas minutias.

CAPUT

CAPUT XXI.

פרק כ״א יודיע בו מנהגי גלילות קאפו וירדי הוא ראש ירוק וסיניגא וגאמבארא ובונדומיל׃

Docet mores regionum Capo verde seu Capitis viridis & [1] Senegæ, & Gambaræ, & Bondomel.

ראוי להודיע מנהגי הגלילות והעמים האלה ידיעה מספקת כללית גם פרטית מעט לספיק חשק הקוראים ונאמר כי לפי מכתב החוקרים יאמרו כי הגלילות וכל גליל משועבד לשרים רבים והשרים הרבים האלה יקימו ויקבלו עליהם מלך אחד לרצונם על כלם ומעלים ויתנו מס למלכם מסוסים ומחיה ומיני קטנית ואין להם אבנים ר״ל ללבון לבנים ולא יודעים לעשות סיד כי אין אבני שיש בכל אלה ולפעמים יהיו למלך אחד שלושים וארבעים נשים מפוזרות בכפרים הנה והנה כי כן מנהג ישוב הגליל ואלה הנשים הנותנות שם סדר להחיות המלך וסיעתו אשר יסוב המלכות היום הנה ולמחר שמה או שבוע הנה ושבוע שמה ולנשים האלה עבדים רבים גם שפחות לצורך העבודות ולשרת הנשים והמלך בהגיעו אצלם והמלך נקרא אצלנו עני ורש ממלבושים ומזונות כי יחיה כמנהגם ממתנות ודורונות הנתונים לו ואם כי רבים מהם יהיו להם קצת אבנים טובות אשר אלה לא יחיו גופו וכאשר תהרין נשי המלך ירחיקם המלך מאצלו ואלה כלם הם מקומיטאני ומוך הרבה להם והם שחורים מאד והולכים ערומים רוב הגוף כי מעט מגופם יכסוהו בבגד מוך מושלך עליהם ובגלילות האלה אין להם קור וסתו לעולם רק מעט מזער קרירות כמו קרירות חדש אפרילי ליושבי איטאליאה וגם המטר היורד שמה על הרוב הגשמים חמים ופושרים והם נקיים בגופם מאד מאד לפי שסדר מנהגם לטבול תמיד בכל יום ארבעה וחמשה פעמים ובטרם אכלם עכ״פ אפשר כי על כמו אלה אמר הנביא המתקדשים והמטהרים אל הגנות והם בעלי רברים וקולנים וזה מעט הוא שהתחילו

Convenit notas facere consuetudines regionum & populorum istorum, cognitione sufficiente tam generali quam particulari, ad satisfaciendum desiderio Lectorum. Dicemus itaque secundum scripturam Scrutatorum, qui aiunt regiones (in genere) & singulas regiones, subjectas esse Principibus multis: & isti Principes multi constituunt & recipiunt super se Regem unum pro lubitu (i. e. consensu) suo supra omnes: & [2] suscitant tributum idque dant regi suo de equis & de animalibus, & de speciebus leguminum. Et non sunt eis lapides, nempe ad conficiendum lateres, nec sciunt parare calcem: nam non sunt lapides qui sint in istis (locis) omnibus. Aliquando Regi uni sunt triginta aut quadraginta uxores dispersæ per villas huc & illuc: [sic enim est mos habitationis istius regionis:] & istæ fœminæ sunt quæ ibi dant ordinem (i. e. mandatum) ad cibandum regem & comitatum ejus, quando circuit per regionem hodie hic, cras ibi; aut septimana hic, & septimana ibi. Et istis mulieribus sunt multi servi & quoque ancillæ pro necessitate servitiorum & ad ministrandum uxoribus & regi quando venit ad ipsas. Et Rex vocaretur apud nos Afflictus & Pauper tam vestimentis quam alimentis: vivit enim secundum consuetudinem eorum ex Donis & muneribus eis datis. Nam quamvis multi ex eis habent aliquos lapides pretiosos, hi tamen ejus corpus (i. e. vitam) sustinere nequeunt. Et quando uxores regis concipiunt, rex eas a se procul removet. Isti omnes sunt Mahometani: habentque Gossipium valde multum. Et isti sunt valde nigri, incedentes nudi majore parte corporis, nisi quod parvam aliquam partem corporis sui tegant veste gossipina projecta super se. In istis regionibus non habent frigus nec hyemem in æternum, sed tantum parum admodum frigoris instar frigoris mensis Aprilis habitantibus in Italia: & quoque pluvia quæ ibi cadit, plerumque consistit in imbribus calidis & tepidis. Isti sunt valde nitidi corpore suo, cum ex eorum consuetudine ordinetur lavare semper quatuor aut quinque vicibus singulis diebus, & [3] præcipue ante cibum. Fortassis de eis qui similes erant istis, dixerit Propheta, *Qui consecrant & purificant se in hortis*. Sunt-

לעשות ספינות לצרכיהם מיום אשר ראו ספינות ודוגיאות הנוצרים וטוב ציורם ותיקונם אמנם הם בקיאים מאד לשוט על פני כל מים מכל בני אדם:

ובין היבשה הזאת סמוך לשפת נהר סינינא הנז״כ יש מקום גדול אחד נקרא מלכות בונדומיל נפלא מאד וגדול וארוך ושם יש מוצא תמרים לאין חקר והיא עקר מחייתם ונקראו תמרי בונדומיל לי פלמי די בונדומיל לפי השמות אשר קראום תרי הארץ ומרגליה המלך וכל הגליל שטופי זמה ואלו הם קנאים בנשותיהם ומבקשים להרבות תשמיש ברפואותיהם וגם כן להגדיל ולנפח עובי אבר האמה ולהרבות עביו במשיחת מיצי עשבים או עקיצות איזה בעל חי ידוע אצלם כי הנשים האלה בהביטן אל איש לא תתרצנה באנשים עניי האבר וקטני ראש תגויה וכמנהג הזה נמצא במקומות רבות בארצות המזרח כאשר נזכיר:

הגליל הלז חסר מזונות מאד וממקומות אחרות יותר רטובים יובא אליהם מזון רק כי יש שם מיני קטנית יפים בתכלית וטובים אשר יצמחו בארצותם עם פירות רבים וטובים ועושין יין של תמרים וחלב שדי הבהמות כמו מים להם אמנם היום זה מעט שהתחילו והשיגו לזרוע כל זרע זרוע חטה ושעורה ומתגדל מאד בתולדתו וגם כי התחילו להתדמות לנו בעשיית כלים רבים ומלאכות רבות יש בעליית המקומות האלו לעלות הרבה אצל המדברות מציאות נחשים ושרפים בקורות באופן כי בברה אחרת יאכלו צאן או עז אחת רק כי יושבי הגלילות כלם אנשיהם ונשותיהם מכשפים ומכשפות וחוברי חבר ויש להם דרכים רבים להבריח בלטיהם ולגדור גדר להנצל מהטורפים כמה שיוכלו כי שם הכשוף האמתי והחברים החכמים במלאכה להבריח הנחשים וכל המזיקים להם לשלח אותם לעזאזל מדברה:

Suntque verbosi & strepери. Et breve est ex quo inceperunt conficere naves in usus suos, scil. a die quo viderunt naves & galeras Christianorum, & bonam earum figuram & dispositionem [seu apparatum.] Attamen exercitatissimi sunt ad natadum super faciem cujusvis aquæ, magis quam omnes alii homines.

Et in isto Continente prope ripam fluvii Senegæ prædicti, est alius locus magnus dictus Regnum Bondomel mirabile valde magnum & longum: & ibi est productio palmarum in infinitum. Hæ sunt præcipua sustentatio eorum, & vocantur li Palmi de Bondomel, i. e. Palmæ Bondomelenses, secundum nomen quo vocarunt eos Scrutatores terræ & exploratores ejus. Rex & tota regio inundati sunt luxuria: & isti sunt zelotypi in uxores suas: & procurant multiplicare concubitum per medicinas; & sic etiam magnum reddere & ad crassitiem inflare membrum [4] Virile, & multiplicare crassitiem ejus per unctionem succorum herbarum, vel per [5] punctionem alicujus animalis apud eos noti: nam fœminæ cum aspiciunt ad viros, non sunt contentæ viris qui sunt pauperes Membro & parvi capitali parte corporis. Et talis consuetudo reperitur in multis locis terrarum Orientis, sicut commemoraturi sumus.

Hæc regio valde destituitur cibis: & ab aliis locis magis humidis importatur illis cibus. Solummodo sunt ibi Leguminum species pulcherrimæ ad perfectionem usque & optimæ, quæ nascuntur ex terris eorum, cum fructibus multis & bonis: & [6] vinum faciunt ex palmis: & lac uberum bestiarum est instar aquæ illis, (sc. copiosa est ad instar aquæ.) Verum hodie breve est ex quo inceperunt & attigerunt serere quodvis semen quod satur, ut triticum & hordeum; & valde crescit in productione sua: namque jam inceperunt esse similes nobis in confectione vasorum multorum & operationum multarum. Est autem in ascensu ad ista loca, [necesse] ut ascendatur multum per Deserta ubi est inventio serpentum & presterum magnitudine trabium, eo modo ut una vice comedant ovem aut capram integram. Verum cum habitatores istarum regionum omnes tam viri quam uxores eorum sint venefici & veneficæ & incantatores incantationum, habent multas vias ad fugandum incantationibus suis, & ad sepiendum sepimentum ut liberentur a rapacibus animalibus quantum possunt. Nam ibi est veneficium verum & incantatores peritissimi in arte fugandi serpentes & omnia quæ nocent, ut mittant ea ad Azazalem in Deserto.

במקום האלה יש מנהג לשרוף בעצי בושם
האנשים החשובים כאשר ימותו ואם הוא
נשוא אשה או נשים תלך אשתו בתופים
ובמחולות אחרי מות בעלה להשליך גופן
במדורת אש גדולה ועליהן ישליכו הקרובים
קדרות מלאות חלב ושומן ושמן וגפרית
למהר מיתתן וכל המנהגים האלה הם
בגלילות סיניגא וגאמברא ובונדומיל ועוד
ראוי לדעת כי גליל בונדומיל הזה אשר
הוא בין היבשה הכושית ורחוקה מים
אוקיינוס יש מעט צאן ובקר ומציאות פילין
מדבריים ההורגים את האנשים להיותם
כפראים ויש הרבה מהפילין האלה שחורים
ומפולאים לבנים ואדומים וגם יש מוצא
הגיראפי אשר כבר ראינו אותו בזמנינו בעיר
פירינצי בשנת ר״מ״ה לפ״ק הסוסין מעטים
ויקרים ובמחיר יבואו מנהג הנשים בשמחתן
והלהוטות באהבה לרקד ולכרכר לאור
הלבנה בנגוני קול תופים גדולים וכנורות
זרות והכאות כלים אחרים אשר בידם
והניאוף גדול מצוי שם ואין כלימה כי מצוה
חשובה היא להם:

עוד ראוי לדעת כי בגלילות האלה ביבשה
יש גליל אחד אשר הזכרנו ענינו הנקרא
גאמברא למעלה ממלכות סיניגא וחשבתי
לפי מה שבינותי שהוא בודאי מגליל אפיר
אשר בתורה ואשר כבר זכרתי אותו אשר
שמה שלח שלמה מלכנו אוניותיו בדרך
ים סוף אשר סבבו היבשה עד הנה
ואמרו הולכות אופירה לזהב כי במקום הזה
מוצא לזהב לאין חקר וכל אלה אשר זכרנו
בפרק הזה מציאותם מראש וירדי עד הנה
כלם תחת מלכות סיניגא הם ונכללים
יחד והם ביבשה משמאל הים להולך
מזרח והנה בצלע היבשה הזאת הנמשכת
מקאוו וירדי עד הנה באורך יש נהרות
רבות וגדולות וטובות מעוטרות בשפתי
הנהרות מכל מיני אילנות וישוב ומציאות
ספינות קטנות עשויות מאילנות חלולות:

In istis locis est mos comburere lignis aromaticis viros honoratiores quando moriuntur: &, si sit maritatus uxori aut uxoribus, ibunt uxores ejus cum tympanis & choreis post mortem mariti sui ut se projiciant in rogum ignis magni: & consanguinei super eas projiciunt ollas plenas adipis & pinguedinis & olei & sulphuris ad accelerandum mortem earum. Et omnes istæ consuetudines sunt in Regionibus Senegæ, & Gambaræ, & Bondomel. Et præterea convenit scire quod in hac regione Bondomel quæ est in Continente Æthiopiæ procul a mari Oceano, est paucitas ovium & boum: sed reperiuntur Elephantes agrestes qui interficiunt homines, 7 cum sint villani. Et sunt multi ex istis Elephantibus qui nigri, & maculati albo & rufo. Ibi etiam est productio Camelopardalis quam jam vidimus nostris temporibus in civitate Florentiæ anno ducentesimo quadragesimo quinto secundum supputationem minorem. Equi pauci sunt & pretiosi, & caro pretio veniunt. Consuetudo fœminarum est in lætitia sua cum inflammantur amore, saltare & tripudiare ad lucem lunæ cum musica sonorum tympanorum magnorum & Cytherarum peregrinarum, & sonatione aliorum instrumentorum quæ in manibus earum. Et scortatio magna ibi reperitur: non est in scortatione ignominia, sed est præceptum apud eos æstimabile.

Præterea convenit scire, quod in istis regionibus in Continente, sit alia regio cujus negotium commemoravimus, quæ vocatur Gambara, supra regnum Senegæ: & aliquando existimavi secundum id quod intellexi, quod certe hæc sit ex regione Ophir quæ in Lege, cujus jam mentionem feci, & ad quam misit Salamon rex noster per viam maris rubri naves suas quæ per Continentem circumiverunt hucusque, cum dicatur, *Euntes ad Ophir pro auro*: nam in hoc loco est productio auri infiniti. Et omnia hæc quorum inventionis mentionem fecimus in hoc capite, a Capo verde usque huc, sunt omnia sub regno Senegæ, & simul comprehenduntur, suntque in Continente ad sinistram maris euntibus in Orientem. Et ecce in costa hujus Continentis qui protrahitur a Capo verde huc usque in longitudine, sunt fluvii multi, magni & boni, qui in ripis suis circumdati sunt omnibus speciebus arborum & habitationum: & ibi inveniuntur naviculæ factæ ex arboribus excavatis.

NOTÆ

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

[1] *Senegæ & Gambaræ & Bondemel*] In Globis *Zanbaga & Budumel & Cambia*, male.

[2] *Ascendere faciunt*) i. e. suscitant imponuntque Tributum solvendum, Angl. *raise a Tax.*

[3] *Præcipue*) Heb. abbrevitate עכפ pro על כל פנים *per omnes facies* aut *modos*, Angl. *by all meanes.*

[4] *Virile*) a. v. Heb. est *Cubitus*, *Ulna*, modestius loquendo, ut & nos solemus dicere *the Yard.*

[5] *Punctionem*) sc. pungendo herbas vel plantas, extrahunt earum venenosum succum qui tumescere facit carnem quæ eo inungitur.

[6] *Vinum ex palmis*) Angl. *Palm-wine*, (quod in Oriente dicitur *Toddi*,) procuratur per incisionem trunci palmæ, unde destillat liquor palato gratissimus: qui tamen diu servari non potest, quia ex regionis calore post paucas horas acescit. Est autem ex peculiari Palmarum specie, in cujus summitate nascitur Pulpa quædam edilis, fere ad gustum Brassicæ capitatæ. Hæcque Pulpa vocatur ἐγκέφαλος φοίνικος *Cerebrum palmæ* apud Plutarchum: Versionis autem Latinæ (ut & Anglicæ) Author, rerum Orientalium rudis, inepte vertit *Cerebrum Phœnicis*, *braines of a Phenix.*

[7] *Cum sint Villani*] i. e. incolæ parvarum villarum, ubi pauci sint homines qui irruentibus bestiis resistant.

CAPUT XXII.

פרק כב על משך צלעי היבשה אשר על שפת ים אוקיינוס אחר עבור המקומות
הנזכרים אשר המה אלו קאפו וירדי ונהרותיו וסינינא ונהרותיו
וגאמברא ונהרותיו הגדולים וכל מלכות בונדמיל
ללכת לקאפו רושו הוא ראש אדום :

De protractione costarum Continentis qui ad oram maris Oceani postquam aliquis pertransiverit loca prædicta, quæ sunt Capo verde cum fluviis suis, Senega cum fluviis suis, & Gambara cum fluviis suis magnis, & totum regnum Bondomel qua itur ad Capo rosso, quod est Caput rubrum.

כתבו המדברים בעלי המהלכים כי אחרי עבור מלכות בונדומיל אשר ביבשה וראשי הפרומונטוריאו ההם אשר בים הזה כלם ימשכו וימצא עוד פרומונטוריאו גדול אחר הנקרא קאפו רושו ר״ל ראש אדמוני וזה להיות הגליל ההוא נראה מרחוק כמראה אדמוני ויש בו גלילות רבות וישובים גדולים הן על שפת הים ובפרט על שפתי הנהרות הגדולים הנמצאים היורדים שמה מהרי איטיאופיאה אשר באמצע היבשה כאמור וההרים ההמה כבר אמרנו שהם המפרידים בין שתי האיטיאופיאי וכתבו החוקרים והתרים ההמה שיש נהר ונהרות כאלה גדולים ועצומים לרוחב יותר מעשרים מילין אשר בראשונת מרחוק כבר חשבו המלחים ויושב הספינות התרים הנזכרים שיהיה סעיף ולשון ים אחד מיכנס ביבשה בטבע הים ולאשר רצו כחקרו מצאוהו היותו נהר גדול ומימיו מתוקים וטובים רצים ונגרים בים אוקיינוס ונקראו כל הנהרות האלה דרך כלל עם האחרים נהרי קאסאמאסא וכלם קרובים לראש אדמוני הנל והנוצרים אשר באו לשמה קראו להם שמות כשמות הימים ימי חגי

SCripserunt Historici authores itinerariorum, quod postquam transitur Regnum Bondomel quod in Continente, & Capita Promontoriorum illorum omnium quæ sunt in isto mari, continuant donec inveniant aliud Promontorium dictum Capo rosso, hoc est dicere Caput rubrum: & hoc est, quod illa regio a longinquo visa sit tanquam aspectus ruber. Suntque in ea regiones plurimæ & habitationes magnæ, quæ sunt ad oram maris, & particulariter ad ripas fluviorum magnorum qui ibi reperiuntur descendentes e montibus Æthiopiæ qui sunt in medio Continentis, sicut dictum est. Et isti sunt montes de quibus jam diximus quod dividant inter duas Æthiopias. Et scripserunt Scrutatores & exploratores illi quod sit ibi fluvius, & fluvii magni & fortes, latitudine ultra decem milliaria. Hoc primo a longinquo nautæ & navigantes exploratores prædicti putarunt esse ramum aut sinum alicujus maris qui in Continentem ingrederetur secundum naturam maris: sed quando currerent ad examinandum ipsum, repererunt esse fluvium magnum, & aquas ejus esse dulces & bonas, currentes & fluentes in mare Oceanum. Et omnes isti fluvii cum aliis per viam generalem vocantur fluvii Cassamassæ: & isti omnes proximi sunt ad Caput rubrum memoratum. Christiani autem qui illuc pervenerunt, vocarunt eos nominibus secundum nomina dierum Festorum Sanctorum suorum eo die

קדושיהם ביום הגיעם שמה כגון ס׳ אנא ס׳
יאקומו ודומיהם :

וראוי לדעת כי על שפתי הנהרות האלה
לעלות תוך היבשה בשמאל יושבי הספינה
יש בו ג״כ ישובים גדולים מאנשים שחורים
ומאכלם כשאר השחורים אשר זכרנו רק כי
אחרי הרבות הנוצרים לעבור דרך הארצות
האלה ועם תורגמן אשר נשאו ונתנו יחדיו
התחילו ללמוד דברים רבים מדרכי הנוצרים
בעבודות האדמה ובזריעת מיני תבואות
חטה ושעורים שקנו בחליפין ובקצת מלבושי
ובבנינים בקצת מקומות ובכלים להשתמש
בהן ובספינות לעבור בים במקומות שלא
הורגלו ולעשות הוילונים והחבלים קרוב
למנהגינו וכן בדברים רבים אמנם בשטוף
הזמה לא יתבוששו יתנהגו בה תמיד
והנשים תשכבנה כמעט בפרהסיא כזונות
ההפקר לנו ויתר גם כי הנשים תחקורנה
ותכסופנה באנשים שהיו מסורבלים בבשר
אבר האמה וישתדלו להגדילו במשיחות או
בעקיצות כאמור והנשים הערומות תלכנה
מצויירות בגווני סמים ומכסין מעט שתותיהן
וערותן בחלק קטן בבגד מוך צר וארוך ויחקקו
שריטות בבשרן ויש מי שתשרוט בשוקים
ויש מי שתשרוט בחזה ומי בזרוע והחקיקות
והשריטות האלה עומדות לנצח כי כתובת
קעקע הוא ולא יוסר לעולם ולא ידעתי
אם זה לשם מעשה עבודת ע״ז הוא להם
או מנהג יופים רק פני אשה לא ישנוהו :

במקום הזה אשר אנחנו בו סביבות
נהרי קאסאמאסה חשבתי לפי מה שבינותי
במלאכה הזאת כי כל הנהרות האלה
הנגרים ביבשה הזאת מהאוטיאופיאה הם
נגרים מקשר ההרים האמצעיים אשר
ביבשת כמו שיעשו מימי נילוס מקשר הרי
הלבנה והכינם החכמה האלהית בתקון
הטבע להרטיב כל חלקי שני החלקים
האלה שמתי האיטיאופיאה הנ״ז ועל כן
נאמר למבינים כי הגליל הלז התחתונה
לפי אמיתות ציורו וכל הנזכרים אצלו שהם

quo illuc ad eos appellerent, sicut S. Anna, S. Jacomo, &c.

Convenit etiam scire quod ad istorum fluviorum ripas qua ascenditur in medium Continentis ad sinistram navigantium, sint etiam habitationes magnæ hominum nigrorum, quorum cibus est ut aliorum nigrorum quos commemoravimus. Verum postquam Christiani frequenter per viam terrarum istarum transirent, & per interpretem acceptionem simul & dationem [i.e. commercium] instituerent, inceperunt addiscere multas vias de viis Christianorum in agricultura & satione specierum frumenti, viz. tritici & hordei quæ emerant permutationibus; & in quibusdam vestimentis, & in ædificiis in aliquibus locis, & in vasis quibus utebantur, & in navibus ad transeundum per mare ad loca quæ nondum explorata erant, & ad faciendum vela & funes prope nostro modo: & sic in multis aliis rebus. Verum in inundatione luxuriæ non inter se erubescunt: in ea enim assuefaciunt se perpetuo. Et fœminæ ad concubitum admittunt fere tam publice ac meretrices apud nos, & magis; quamvis fœminæ inquirant & desiderent in viros qui sunt bene vestiti carne in membro virili, & qui procurant magnificare illud per unctiones aut punctiones, sicut dictum est. Et fœminæ incedunt nudæ, pictæ coloribus ex medicamentis, & tegunt parum nates & pudenda sua gossipini panni parva particula angusta & longa: & in carne sua faciunt scissiones, & sunt quæ scissionem faciunt in cruribus, sunt quæ scissiones faciunt in pectore, & sunt quæ in brachio: & istæ sculptiones & incisiones manent in æternum: est enim scriptura stigmatis quæ non removebitur in æternum. Et non novi an hoc fiat eis propter aliquod opus cultus idololatrici, vel an ex consuetudine pulchritudinis. Verum fœminæ facies suas nunquam immutant.

In hoc loco quo jam sumus circa fluvios Cassamassæ, existimavi aliquando secundum id quod intellexi in hoc negotio, quod omnes isti fluvii fluentes per Continentem Æthiopiæ, fluant ex connexione montium medianorum qui sunt in Continente, ita uti faciunt aquæ Nili ex connexione montium lunæ: & ita aptavit illos sapientia Divina secundum dispositionem naturalem, ut humectarent omnes partes duarum istarum partionum, sc. duarum Æthiopiarum prædictarum. Propterea dicemus intelligentibus, quod hæc regio inferior secundum veram ejus descriptionem & omnia cum eo commemorata, sint ad ripam maris Oceani inventa: & eorum opposita sunt in polo Continentis supe-

על שפת ים אוקיינוס מציאותם ומקביליהם
הם בקוטב היבשה העליונה בארע כוש
ואיטיאופיאה סופיריאור לזאת נגד פלישטינא
איגיצטו צירינים טונים ואורן שהם כלם
למעלה על שפת ים מידיטיראניו האמצעי
אשר מן האיטיאופיאה השפלה הזאת
לעבור נגד קוטב העליונה בשווי הוא מהלך
ביותר משש לעבור בטוח והי וגלילות
היבשה וההרים האלו האמצעיים נקראים
בתורה כושים פוטים ולובים והמקומות
האלה אשר בשפתי ים אוקיינוס הזה ובכל
הערוגות האלו יש להם ישובים רבים וגדולים
וארוכים לאין מספר כאמור ויש להם שמות
חדשות אשר קראו להם הנוצרים מלבד
השמות אשר קראו להם יושביהם בלשונם
אשר אין דעתי להאריך בזכרונם כי יצטרך
לספר גדול וגבוה להזכיר פרטי כל גליל
וגליל וכל מחוז ומחוז רק אסתפק בהכרחי
ובמה שיכשר הידיעה ממנו העקר ואת
הטפל אניחנו לאורך הפרטים אל האנשים
המעיינים במלאכה ומה שנאמר בזה באלה
המקומות אשר בשפתי ים אוקיינוס יש בו
דברים רבים מועילים ואילנות גדולות מה
שלא ישוער עביים וגודלם יען נמצאו אילנות
שצריכים עשרים איש לחבק אחד מהם בין
שיהיו אילני סרק או עושי פרי וזה לרוב
רטיבות הנהרות הנגרות וטוב האיקלים
במבט טוב אמרו המלחים כי הים במקום
הזה בסביבות שפתי ענולי היבשה הזאת
שהים רץ ויורד במרוצה רבה מה שלא
ישוער כחו וצריך למלחים לחתרחב בים
ולהתרחק ממרוצתו ויש בגלילות האלה
אלמאדיא ד״ל ספינות רבות אשר גם הם
יתרחקו מן המרוצה הזאת׃

עוד ראוי לדעת כי בתוך הים הכושי
הזה נגד כל המקומות והפרומונטוריאי
האלה יש איים רבים נפרדים זה מזה
ויש מהם איים יעמדו בשלוש משולש גדולות
וקטנות מיושבות רחוקות מהיבשה גם
קרובות וגם בלתי מיושבות אשר נמצאו שם
רבוי יערות הוירזין וע״א ונחשים גדולים
ויונים רבים לאין מספר גדולים טובים ושמנים
ואין פחד אדם עליהם כי לא הורגלו גם
הם בראיית אדם כמו שהזכרתי באיי הים
האחרים והנה עד כאן תכלית ערוגת

ſuperioris, in terra Cush ſeu Æthiopia quæ ſuperior eſt huic, e regione Palæſtinæ, Ægypti, Cyrenes, Tunis, & Oran', quæ omnia ſunt ſuperius ad oram maris Medii ſeu Mediterranei. Nam ab Æthiopia hac inferiore ad tranſeundum verſus polum ſuperiorem æqualiter, eſt iter pluſquam ſex menſium, ſi ſit poſſibile homini ut tranſeat ſecurus & vivus. Et regiones Continentis & montes iſti mediani vocantur in Lege Cushim, Putim, & Lubim. Et loca iſta quæ ſunt in ripa maris Oceani & in omnibus areis iſtis, habent habitationes multas & magnas & longas in infinitum, ut dictum eſt. Et ſunt eis nova Nomina quæ ipſis impoſuerunt Chriſtiani, quibus non eſt numerus, præter nomina quibus ea vocarunt incolæ eorum lingua ſua: nec eſt mens mea prolixe agere de commemoratione eorum; nam neceſſe eſſet habere Librum magnum & altum ad commemorandum particularia cujuſvis regionis & provinciæ. Sed contentus ero neceſſariis, eoque quod convenit ſcire tanquam principale: & quoad acceſſorium, relinquam illud cum prolixitate particularium viris hanc Artem conſiderantibus. Quoad id quod de hoc dicturi ſumus, ſunt in iſtis locis quæ ad ripas Oceani, res multæ perutiles, & arbores magnæ quarum craſſities & magnitudo non poteſt imaginari: reperiuntur enim arbores quæ requirunt viginti homines ad amplectendum unam ex eis; eæque ſunt tam arbores ſteriles quam fructiferæ: hocque ex copioſa humectatione fluminum difluentium, & ex bonitate climatis cum (Cœli) aſpectu bono. Dicunt nautæ, mare in hoc loco eſſe in circuitu riparum rotundarum Continentis hujus, idque eſſe mare currens & deſcendens tam forti curſu ut vires ejus æſtimari (ſeu exprimi) nequeant: debent itaque nautæ latius expatiari in re & longius ab ejus curſu recedere. Suntque in iſtis regionibus multæ [1] Almadiæ, i. e. naviculæ quæ etiam procul ſe continent ab hoc curſu.

Præterea ſciendum eſt, quod in medio Maris hujus Æthiopici adverſus omnia loca & Promontoria iſta, ſunt inſulæ multæ ſeparatæ una ab altera: & ſunt ex eis quæ ſtant ſicut [2] trinitas triangulata, tam magnæ quam parvæ, habitatæ, procul a Continente & quoque prope illum, & etiam non habitatæ, in quibus reperitur multitudo ſylvarum Verzini, & aliæ res; & ſerpentes magni, & columbæ infinitæ magnæ & bonæ & pingues, quæ non timent ab hominibus, quia non ſunt aſſuetę viſui hominum, uti mentionem feci in aliis inſulis Maris. Et en huc uſque eſt complementum areæ litoris Maris Æthiopici &

שפרת ים הכושי וקאוו רושו ראש ארמוני ונהרי קאסאמאסא:

Capo rosso seu Capitis rubri, & fluviorum Cassamassæ.

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

[1] *Almadiæ*) i. e. parvæ incolarum Cymbæ quæ ex uno cortice grandiore constant. Est nempe Betulæ cortex, ex quo tam Cymbas quam alia vasa parare solent.
[2] *Trinitas triangulata*) i. e. in forma triangulari.

C A P U T XXIII.

פרק כ״ג יודיע עוד מה שנשאר בדרך משך היבשה הזאת הכושית וכל הנמצא בים אוקיינוס הזה והנהרות הגדולות עד דרך מבוא תחלת הכנסת לשון ים סוף ביבשת ארביאה:

Docet id quod reliquum est per viam continuationis Continentis hujus Æthiopici, & totum quod invenitur in Mari isto Oceano; & fluvii majores usque ad viam introitus in initium ubi intrat lingua (i. e. Sinus) *Maris Suph in Continentem Arabiæ.*

למען נשמור סדר המהלך הזה האמתי ודרך ישובו הסובב את כל ארץ החוילה אשר שם הזהב בארץ כוש השפלה נודיע בזה מה שנמצא בצלע שפת הים הזה וללכת לסבוב היבשה אשר מראש ארמוני ומלכות נהרי קאסאמאסא יש שני איים בים על ימינם בלתי מיושבות מלאות אילני וירזין ואילני קאסיאה פיסטולא ואחרי המלכות הנזכר קאסאמאסא יש מקומות רבות מיושבות לאין חקר ונהרות גדולים לאין מספר ופרומונטוריאי גדולים ורבים ואמרו המלחים במקום הזה שיש נהרות רחבים יותר מארבעים מילין והנהרות נקראים ביסיגיי ואחר נמצא פרומונטוריאו גדול בים נקרא קאוו די וירגא ראש וירגא ומזה מאה וארבעים מילין לקאוו סאגריס אשר אין כמוהו ביבשת צלעי הים לגבהותו וכל הראשים האלה מעוטרים ומביסים מכל טוב וירוקים סביבותיהם באילנות רבות גדולות והישובים גדולים למטה קרוב לשפת הים ויותר מיושבים לשפתי הנהרות היורדים בין היבשה ישובים ארוכים לאין קץ הנה והנה מפה ומפה והם רעננים ורטובים ממימי הנהרות רק כי למעלה בין היבשה החום גדול מאוד לטבענו ובמוצא מורד הנהרות מן ההרים שם הזהב והכסף ואבני הבדולח וגם אבנים טובות רבות והנה במקום הזה קאוו סאגריס ר״ל ראש קדוש בנה עליו השר הנוצרי דון אנריק מפורטוגאל בנין

Ut servemus ordinem itineris hujus veri (seu realis), & viam habitationis ejus quæ circumit totam terram Havilæ ubi est aurum in terra Cush inferioris, hic notificabimus id quod reperitur in costa oræ hujus Maris, eundo per circuitum Continentis qui est a Capite rubro & regno fluviorum Cassamassæ. Sunt ibi duæ insulæ in Mari ad dextram eorum non habitatæ, plenæ arborum Verzin & Cassiæ fistulæ. Et post prædictum regnum Cassamassa, sunt multa loca habitata in infinitum, & fluvii magni innumeri, & Promontoria magna & multa: & dicunt nautæ quod in hoc loco sint fluvii ultra quadraginta milliaria lati, qui fluvii vocantur Bessegevi. Et postea reperitur Promontorium magnum in Mari, vocatum Caput Verga. Et hinc sunt centum & quadraginta milliaria ad Capo Sagres, cui non est simile in Continente laterum Maris præ altitudine sua, Et omnia hæc Capita circundata sunt & tecta omni bono, & viridia sunt circa ea, cum arboribus magnis & magnæ habitationes sunt inferius ad oras Maris, sed plures habitationes sunt ad ripas fluviorum descendentium inter Continentem, habitationes inquam longæ in infinitum hinc & illinc, huc & illuc: suntque virentes & humectatæ aquis fluviorum. Verum superius inter Continentem, est nimis magnus calor pro natura nostra: & in exitu descensus fluviorum ex montibus, ibi est aurum & argentum & Lapides Bdolach, & quoque [2] lapides pretiosi multi. Et en in loco isto est Capo sagres, quod est dicere, Caput sanctum, super quod Princeps Christianus Don Henricus de Portugal ædificavit structuram magnam & fortem. Et in omnibus istis regionibus colunt idola quæ sunt opus artificum: omnia illa sunt idola lignea & lapidea. Suntque nigri-

גדול וחזק וכל אלו הגלילות עוברי אלילים
המה מעשי חרשים כלם אלילי עץ ואבן
והם שחורים וחתומי פנים בשריטות אש
כמו שעושים הבריטיני והולכים ערומים
ומכנסים להם מקליפות אילן ובלא כלי זין
להם רק קשתות לזרוק חצים ואבני קלע
מאכלם הרך הרוב לחם אורז ורוחן וכל
מיני קטניות יפים להם מאד ודבש לרוב עד
אין חקר עם פירות אחרות ובשר פרים
ועזים:

ונגד הראש הקדוש סגריס הזה יש בים
נגדו שתי איים קטנים מלאים כל טוב בלא
ישוב ושם עצי וירזיך ומחצבים ועופות
גדולות ופאוני ויונים לרוב ונחשים ורמשים
זרים ורחוקות האיים כמו ששה מילין זו
מזו והישוב הזה מראש קדוש הוא סאגריס
אנשיהם העשירים נושאים נזמי זהב עם
אבנים טובות באזניהם ובאפם ובשפתותיהם
אשר בעת האוכל יסירו אותם בנקלה כי כן
דרכם להסירם וגם כי הנקבים אשר בבשר
האנשים בעד מהנזמים ומהאבנים הנזכרים
הם נקובים ברוחב:

ואחר קאוו סאגריס הזה ארבעים מיל
נמצא נהר ס׳ ויצינצו רחבו מ׳ מילין בראייה
ונסיון ואצלו הר גדול מכוסה אילנות
גדולות וירוקים ואחריו בצלע היבשה הזאת
נהר ירוק וירדי והוא רחב מן האחר בכל
טוב וכנגדו בתוך הים שמונה איים במקום
הזה נגד היבשה מלאים דברים הגונים
לסחורה ומלאים פראים רבים ואלה השמנה
איים הם מגיעים להיות נגד היבשה למקום
אחר גבוה הנקרא קאוו אליגרו ר״ל ראש
שמח יען כי כל הסיבוב הזה רטוב יפה
ושמח ואחר זה בצלע שפתי הים ביבשה
מראש שמח יש הר גבוה ותלול נקרא הר
אריה ליאון והיא ארץ שפלה חוליית ונהר
גדול אצלו נקרא נהר רושו אדמוני לפי
שתחתית הנהר החול ממנו אדום וכן הקאו
והראש אשר הנה נקרא אדמוני וכן יש
אי אחר בים נגד זה הראש קראוהו הנוצרים
אי אדמונית אינסולא רושא ואחר הקאוו
רושו הזה הוא ראש אדמוני ימצאו נהרות
רבות וראשי הרים רבים נמשכים בים הרבה
מאד ואצל סביבותיהם יש מרוצת מים בתוך
הים רבה מאד בסבבת הפוך סבובי הראשים

gritiæ, faciebus suis signatis striis igneis, uti faciunt Bretini: & incedunt nudi, nisi quod habeant fœmoralia ex corticibus arborum. Suntque absque instrumentis armaturæ: sunt autem illius tantum arcus ad ejaculandum sagittas, & lapides fundæ. Cibus eorum [3] ut plurimum est ex Oryza & Milio & omni genere Leguminum quæ sunt eis pulcherrima, & mel infinita copia, cum fructibus aliis, & carne juvencorum & caprarum.

Adversus istud Caput Sagres seu Sanctum, sunt in Mari e regione ejus, duæ insulę parvę refertę omni bono, sive habitatione: ibi sunt arbores Verzin, &[4] mineralia, volucres magnę, & pavones, & columbę plurimę, & serpentes, & reptilia peregrina: & hę insulę a seinvicem distant circiter sex milliaribus. Et in habitatione hac de Capite Sagres seu Sancto, homines eorum sunt divites portantes monilia aurea cum lapidibus pretiosis in auribus suis & in naso & in labiis suis, quę tempore cibi removent facillime: sic enim est via eorum removere illa: nam foramina illa quę in hominum carne sunt propter monilia & lapides prędictos, sunt foramina lata.

Post Capo Sagres hoc quadraginta milliaribus, reperitur *Fluvius S. Vincentii*, cujus latitudo est quadraginta milliarium per demonstrationem & experientiam: & prope eum est mons magnus opertus arboribus magnis & virentibus. Et post illum in costa Continentis istius est Fluvius verde seu viridis, qui est altero latior. Et hic etiam est mons magnus & pulcher & omni bono circumcinctus. Et fere adversus illum in medio Maris sunt octo insulę in loco isto e regione Continentis, quę sunt plenę rebus idoneis ad mercaturam, & plenę onagris multis. Istę octo insulę perveniunt donec sint e regione alterius loci alti in continente dicti Capo allegro, quod est dicere, Caput alacre, quia totus iste circuitus est humidus pulcher & lętus. Et postea in costa oræ maritimæ in Continente Capitis alacris, est Mons altus & tumefactus, dictus Mons Leon seu Leonis: hæc autem terra est depressa arenosa: & juxta eam est fluvius magnus dictus Fiume rosso seu Fluvius ruber, quia in inferiore parte (i. e. fundo) fluvii, arena ejus est rubra. Et sic est Capo seu Caput quod hic vocatur Rubrum. Et sic est insula alia in Mari e regione hujus Capitis, quæ a Christianis vocatur Insula rossa seu Insula rubra. Post Caput istud rubrum inveniuntur fluvii magni & Capita montium multorum quæ valde multum protrahuntur in Mare: & apud circuitus eorum est valde magnus aquarum

cur-

הנזכרים ורבוי מי הנהרות הנגרים וכן יש
איים רבים נגדם בתוך הים וכל אלה יקראו
מגבול ים אוקיינוס מכוש השפלה עד שיגיע
הצלע ושפת היבשה הזאת למצוא פה
התחלת ים סוף אשר זכרנו פעמים רבות
ואשר מהר נמצא מקומו והוא כי אחר ראש
ארמוני הזה הנזכר והנהרות הנזכרים נמצא
בשפתי הים הזה כל הראשים האלה והיער
הגדול הנפלא בשפולי תחתית מלכות
בארבאריקו ואלה קצת שמות הנהרות
והראשים נהר פלמי מרוב תמרים אין חקר
ועוד שתי נהרות במשך הים אורך שבעים
מיליך קאוו די מונטי ראש הר קאוו קורטיס
והיער הגדול הנזכר מלא חיות קטנות
עם גדולות בסוף מלכות הנקרא ריגיאו
בארבאריקו לטולומיאו מיושב מאנשים זרים
לא נשמע לשונם לתורגמן הנוצרי מוצא
רבוי האליקורניאי ואיים רבים בים נגד
המקום הזה והים רחב מאד עם מוצא
תניני ים נוראים אשר פעמים רבות יפחידו
רוכבי הים באניות ויפסידום בהצף עין
ובמקום הזה ביבשה נמצא עיר גדולה
בנויה אלא מוריסקא ושמה מיליפדי וכן
שם העם נקרא גוי מילינדי מקום מוצא
כל טוב זהב וכסף ומחצבים ופשוטים ועצי
וירזיך ואלמוגים:

ועתה במקום הזה ראוי להודיע כי כל
מה שזכרנו מפורטוגאל עד הנה שהוא
התחלת ים מלכות ברבריקו בכאן הוא תכלית
וסוף יבשת כוש השפלה הנק׳ איטיאופיאה
באשא ובכאן בשפת הים בעליית מלכות
בארבאריקו הזה ולעלות למעלה הוא
בתחלת הגולפו הגדול הזה אשר ממנו
יתחיל לעשות לשון ים סוף העולה ביבשת
ומיושב רובו מפה ומפה עד אצל הר סיני
בשלשה אלפי מיליך בארך ישר אמנם למטה
בגולפו הזה הגדול צריך לעבור כל רחבו
כמו תש׳ פרסאות ולמצוא יבשת הודו וסינוס
פירסיקוס ושם עיר לאמיקא וקאליקוט אשר
נבאר ענינם בפרק הבא ואחר מעבר הגולפו

cursus in medium Maris, propter gyrationem circuituum prędictorum Capitum & multitudinem aquarum fluviorum decurrentium. Et sic quoque sunt insulæ aliæ multæ e regione earum in medio Maris. Et hæc omnia sic vocantur a termino Maris Oceani Cush inferioris usque dum perveniat quis ad costam & oram istius Continentis ad inveniendum ubi sit initium Maris rubri (cujus mentionem fecimus multoties,) quorum loca facile inveniuntur: quia nempe post Caput istud rubrum prædictum & fluvios prædictos, omnia hæc Capita hic in ora maritima reperiuntur; ut & Sylva maxima & miranda in infimis inferioris partis regni Barbarici. Hæc autem sunt quædam ex nominibus fluviorum & capitum: Fluvius Palmæ, propter infinitam multitudinem Palmarum. Suntque præterea duo alii fluvii post protractionem Maris per longitudinem septuaginta milliaria. Capo de monte seu Caput montis: Capo Cortes: & prædicta sylva magna quæ plena est animalibus tam parvis quam magnis in fine regni quod Ptolemæo dicitur Regio Barbarica, habitata ab hominibus peregrinis quorum lingua non intelligitur ab ullo interprete Christiano. Ibi est productio multitudinis [5] Unicornium. Et insulæ multæ sunt in Mari e regione istius loci, ubi Mare est valde latum, cum productione Draconum marinorum & piscium terribilium qui sæpissime terrefaciunt eos qui per Mare in navibus vehuntur, eosque perdunt in nictu oculi. Et in isto loco in Continente invenitur urbs magna ædificata alia Morisca, cujus nomen est Melinde: & sic est nomen populi qui dicitur Gens Melindensis: ibi est productio omnium bonorum, auri, argenti, mineralium, simplicium, & lignorum Verzin & Almugim.

Et nunc in hoc loco convenit docere quod totum id cujus mentionem fecimus a Portugallia huc usque ubi est initium regni Barbarici, est complementum & finis Cush inferioris quæ vulgo dicitur Æthiopia bassa. Et hic in ora maritima superioris partis regni hujus Barbarici & qua superius ascenditur, ipsum est initium Golfi magni qui exinde incipit facere linguam Maris Suph [quæ ascendit in Continentem & maxima ex parte hinc illinc inhabitatur usque ad montem Sinai] sunt circa triginta milliaria longitudine directa. Verum infra hunc magnum Golfum necesse est transire per totam ejus latitudinem per septingentas Parasangas ut invenias Continentem Indiæ & Sinum Persicum. Et ibi est urbs la Mecca, & Calecut, quarum negotium explicabimus Capite sequente. Et post transitum Golfi istius magni, tota pars illa terrestris dicitur

tur

הגדול הזה נקרא כל החלק הארציי הזאת
מן האסיאה הגדולה והשפלה ותמשך לפרס
והודו כאשר נבאר:

tur esse de Asia majore & inferiore, & continuatur ad Persiam & Indiam, ut explicaturi sumus.

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

[1] *Cassamassa*) Europæis Navigatoribus dicitur *Casamansa*.

[2] *Lapides pretiosi*) Falli videtur noster Author, cum Æthiopia (testante D. Ludolpho & nostratibus qui ibi vixerunt,) nullas Gemmas gignat: eas enim, si quas habent oram maritimam incolentes, aliunde per mercaturam accipiunt.

[3] *Ut plurimum*] Heb. *per viam latitudinis*, q. d. ut cum aliqua latitudine loquar, viz. non nimis stricte, scrupulose, & accurate loquendo.

[4] *Mineralis*) Sic in More Nevochim--- *Mineralia* notat: alias vero sæpe quasvis *Lapicidinas* significat.

[5] *Unicornium*) Author heic utitur Italica voce *Alicorni*. Ea quidem bestia quæ Unicornem vulgo pictam maxime æmulatur, est *Onager* seu Asinus Indicus. Qualis autem sit Unicornis Biblica, bene docuit Doctiss. Bochartus in Hierozoico.

CAPUT XXIV.

פרק כ״ד יבאר משך סוף גבול בארבאריקו הנ״ז וים סוף ושפתיו ומעבר להלאה בגולפו בארבאריקו ואת כל אשר בו כי כן קראו טולומיאו ועד כאן פירש בספריו ולא יותר ומעבר לגולפו היא מציאות לאמיקא וקאליקוט ואחר אלה גלילות הודו ומציאות היהודים ונהר סבטיון וכל אלה בחלק האסיאה:

Exponit tractum finis termini [Regni] Barbarici prædicti: & Mare rubrum ejusque oras: & transitum ulterius ad Golfum Barbaricum & totum quod in illo: sic enim vocavit eum Ptolemæus, & huc usque explicavit in Libris suis, & non ultra. Et quoque de transitu ad Golfum, ubi est inventio la Meccæ & Calecut. Et post ista, de regionibus Indiæ, & inventione Judæorum, & flumine Sabbatico. Et hæc omnia sunt in parte quæ est Asia.

להודיע מציאות המוצאות האלה כפי מה
שכתבו המלחים החכמים במלאכה הזאת
נאמר כי בגולפו הגדול הזה הנזכר למעלה
אחרי סוף למלכות בארבאריקו ביבשה הוא
התחלת לשון ים סוף אשר יכנס היבשה
המדברית עד הר סיני במהלך אלפים מילין
ובו בים סוף הזה איים רבים הנה והנה
רובם איי קאלאמיטא הם אשר הספינות
שיהיה בם ברזל לא ילכו בם בסמוך להם
וגם הים סוף הזה מימיו אינם עמוקים ורוב
החול אשר בשפתי הים הוא ארמוני וגם
כי באמצע ארכו יגיעו לתחום מדברי החול
אשר לפעמים ברוח קדים חרישית יחרוש
הרוח את היבשה ההיא והחול יעלה
באויר וישאהו הרוח ויגביההו ויכסה בחול
אנשים רבים וימותו ובזה תמצא המומיא
לעוברי מדברות אולם על שפתי צלעי ים
סוף הזה מפה ומפה יש ישובים ועירות
גדולות ביבשה לסיבת מוצא מי נהרות
מתוקים ירדו מההרים אשר בתוך היבשה
מזה ומזה וירטיבו רוב המקומות כלם

AD declarandum inventionem istorum exituum secundum id quod scripserunt nautæ hujus artis periti, dicemus, quod in magno hoc Golfo supra commemorato, post finem regni Barbarici in Continente, ipsum est initium linguæ Maris rubri, quod intrat in medium Continentis desertalis usque ad montem Sinai, itinere circa ducentorum milliarium. In isto Mari rubro sunt insulæ multæ hinc & illinc: multæ ex eis sunt insulæ Calamitæ [seu Magnetis:] adeo ut naves in quibus est ferrum, non audeant ire prope illas. Maris istius rubri aquæ non sunt profundæ, sed [1] arenę maxima pars quę in maris litoribus, est rubra. Et in medio longitudinis ejus pervenitur ad terminum deserti arenosi, quod aliquando est sub vento orientali [2] aratorio, ubi ventus ita exarat Continentem illum, ut arena ascendat in aerem: ventus enim rapit illam elevatque, ita ut arena tegat multos homines & moriantur. Et hic est quod inveniatur Mumia ab iis qui transeunt per Deserta. Verum ad oras costarum istius Maris rubri hinc illinc sunt habitationes & magnæ urbes in Continente, propter egressionem aquarum fluvialium dulcium qui descendunt ex montibus qui in medio Continentis hinc inde, & humectant maximam partem locorum illorum omnium. Et deinde omnes torrentes in Mare eunt.

nam

ואחרי כן כל הנחלים הולכים אל הים והנחלים והנהרות טובים ליושבי הארץ :

ועתה נניח עסק ים סוף ונשוב למטה בגולפו הגדול אשר בסוף מלכות בארבאריקו האמור שהוא סוף ארץ כוש השפלה ללכת לאמיקא או לקאליקוט אשר אלה הם בגלילות יבשת האיטיאופיאה התחתונה בצלעי ים הודו אוקיינוס ונאמר כי צריך לעבור הגולפו הגדול הזה אשר רחבו יותר מת״ש פרסאות ושמה יגיע לבא למצוא שפתי צלעות ים לאמיקא ואחריו מהלך כמו מ׳ ימים ארץ קאליקוט אשר דרך היבשה ההיא ימשכו ללכת לים פרס הוא סינוס פירסיקוס ואחריה ברצועה ההיא בים הודו וים גאנייש עד סוף רצועת הים המזרחי ושם סינוס מאניוס :

אמנם לבאר פרטות המקומות הראשיות אשר על שפת ים הודו ואוקיינוס הזה ואשר למעלה מהם ביבשת היא אינדיאה העליונה נצטרך לחזור בראשונה בסדר הזה ונאמר כי אחר מעבר הגולפו הנ״ז ילכו ויגיעו ליבשת מחוז גליל לאמיקא אשר קרוב לים הודו ואם ירצו לעלות בגליל הזה העליון אשר ביבשה הזאת שם ימצאו מדברות גדולות וגם ישובים מהיהודים היושבים על נהרי גאנייס כאשר כבר כתבתי על זה וכמו שנתבאר לנוצרים וכן כתוב בספרים החדשים כי בגלילות האלה אשר למעלה מגבולות לאמיק וכן למעלה ממדברות קאליקוט נמצאו יהודים רבים לאין מספר ומלכות מלכים רבים יש להם ונבדלים ורחקים אלו מאלו היינו בין היהודים אשר למעלה מלאמיק ובין היהודים אשר למעלה על קאליקוט כי יש מהלך רב ביניהם אולם בין האיים אשר בתוך ים הודו אין קצה למספרם ולהם בים וביבשה עושר זהב ובשמים ואם יאמרו מכתבי הנוצרים האלה במכתביהם כי אם יש מקומות רבים מאלו היהודים שהישמעאלים והשחורים ההם צערו אותם ויבזום וירדפום מ״מ די לומר שיש ליהודים מציאות להם בוודאי בעושר וכבוד ובמלוכה ובמציאות דברים ובשמים יקרים וחשובים בידם וכן כתב החכם החוקר הנוצרי

nam torrentes & fluvii boni sunt pro habitatoribus terræ.

Et jam relinquemus negotium Maris rubri, & revertemur inferius ad Golfum magnum qui est in extremitate dicti regni Barbarici, ubi est finis terræ Cush inferioris, ut eamus ad Meccam aut Calecut quæ sunt in regionibus Continentis Asiæ inferioris ad costas Maris Indici Oceani. Dicemus itaque, quod necessarium sit transire Golfum istum magnum qui latitudine excedit septingentas parasangas: & ibi pertingat aliquis ut veniat ad inveniendum oras costarum Maris la Meccę: & postea est iter circa quadraginta dierum ad terram Calecut, ubi per viam illius Deserti continuant ire ad Mare Persicum, quod est Sinus Persicus, & postea per eandem lineam ad Mare Indicum & Mare Gangis, usque ad [3] finem lineæ Maris Orientalis: & ibi est Sinus magnus.

Verum ad explicandum particularitates locorum principalium quæ ad oram Maris Indici & Oceani istius, & eorum quæ sunt supra ista in Continente seu India superiore, necesse est ut revertamur primo ad [4] hunc ordinem, & dicamus quod post transitum Golfi prędicti, procedent & pervenient ad Continentem territorii regionis la Meccę quæ prope Mare Indicum. Et, si voluerint ascendere per regionem istam superiorem quę est in isto Continente, ibi invenient Deserta magna, & quoque habitationes Judęorum qui ibi habitant ad [5] fluvios Gangis, uti jam scripsi de hoc, & sicut explicatur a Christianis: & sic scribitur in Libris recentioribus, quod in istis regionibus quę sunt supra terminos la Meccę, [& sic supra Deserta Calecut,] reperiantur ibi Judęi plurimi donec non sit numerus, & regnum multorum Regum est illis. Sunt autem separati & longinqui isti ab illis, hoc est, inter Judęos qui supra la Meccam & inter Judęos qui supra Calecut: nam est iter maximum inter eos. Verum inter insulas quę sunt in medio Maris Indici, infinitus est numerus eorum: & ipsis tam in Mari quam in Continente sunt divitię, aurum & aromata. Si vero dixerint Scriptores Christiani isti in Scriptis suis, quod quamvis sint multa loca horum Judęorum, tamen Ismaelitę & Nigritę isti molestent ipsos eosque contemnant & prosequantur; nihilominus sufficiens est dixisse quod sit Judęis ipsis pro certo existentia in divitiis & honore & regno; & existentia rerum & aromatum pretiosorum & pręstantium. Et sic scripsit Doctor ille Philosophus Christianus in Libro de Mundo novo impresso ante multos dies Venetiis. Et quamvis Christiani occultent hæc omnia, tamen sic inquam scripsit in

Libro

בספר עולם חדש נדפס זה ימים רבים
בויניציאה ואם כי הנוצרים יעלימו כל אלה
וכן כתב בספרו עולם חדש בספר שני קפיטולו
ששים אמר שם שנתגלה להם מציאות יהודים
רבים ומלכים גדולים עליהם ומציאות בשמים
רבים ורוב הפלפל בידה ומתחיל הקפיטולו
בלשונם צירקא לי קוסי דילא אינדיאה ר״ל
סביבות עניני האינדיאה:

וכן נבאר מוצאי נהר סמבטיון בגלילות
האינדיאה הזאת העליונה בין נהרי גאנייס
אשר בלשוננו גוזן כאמרו ויגלם קירה וכו׳
בחלח וחבור והרי גוזן וערי מדי והמקומות
האלה הם למעלה ביבש הער לאמיק ועל
קאליקוט ונהר סמבטיון למעלה מקאליקוט
מוצאו ומפסיק בין האינדיאני ההם לקצרת
מלכות היהודים ושם תמצאם בוודאי ומי
שיכפור בזה ויסכל ענינו ויהתל בדברי אשר
נאמר עליו נמי שיכפור בדברי התלמוד לר״ל
תנא שאל קיסר ל׳ר מה יום מימים אמר
ליה מאן גבר מגוברין ואחר המשא והויכות
השיבו ואמר לו נהר סמבטיון יוכיח ואיש
שלא יתרצה באלה אומר אליו בני אתה
אם לא תתרצה במכתבי קדש עלה נא
וראה מה שכתוב בספריהם ובדפוסיהם
ליוסף בן גוריון הגדול להם נקרא אצלם
בילו יודאיקו ר״ל מלחמות היהודים ושם
בחלק שני בספר אחרון קפיטולו ל׳ה בשוב
טיטוס מפרס ומדי אמר שהלך ומצא את
היהודים האלה מעבר לנהר סבטיון השובת
אחד מימי השבוע והמתין שביתתו ועבר
מעבר לנהר והיהודים ההם קבלוהו וכבדוהו
בכבוד וקרא שם הנהר סבאטינו וזה מה
שארצה לדבר עתה בדרוש הלז מהיהודים
ההם ומלכיהם ועושר הבשמים והזהב וכספם
וגם מנהר סבטיון אשר הוא והם בגלילות
הודו ר״ל קצתם מהם על תוך יבשת קאליקוט
למעלה מזה כאשר בארתי היטב בספרי
אשר חברתי לויכוח קראתי שמו מגן אברהם
כשמי ודברי ר״ל הם אמת ודבריהם אמת
וכבר כתב חכם נוצרי הנ״ז כי מצא יהודים
רבים סוחרים בקאליקוט מכל מיני בושם
ודברים אחרים והם מן השבטים אשר למעלה
מקאליקוט בין הרי גוזן ונהריו ושם למעלה
מהן מהר סמבטיון הנ״ז המבדיל בין האינדיאני

Libro de Mundo novo, libro ſecundo, capite ſexageſimo, ubi dicit quod detecta fuit ipſis exiſtentia [ſeu inventio] Judęorum multorum & Regum maximorum ſuper eos; & quod ſit exiſtentia aromatum multorum & copia piperis in manu eorum. Incipit vero Caput illud in lingua eorum *Circa le coſe del India* i. e. circa res Indiæ.

Et ſic explicabimus egreſſionem fluvii [6] Sambarion in regionibus Indiæ iſtius ſuperioris inter fluvios Gangis, quæ lingua noſtra eſt Gozan, ſicut dixerunt, [7] *Et tranſportavit eam ad Kir*, &c. *ad Chalach & Chabor & montes Gozan & urbes Mediæ*. Iſta autem loca ſunt ſuperius in Continente ſupra la Meccam, & ſupra Calecut. Fluvii quidem Sambationis ſcaturigo eſt ſupra Calecut, & diſcriminat inter Indos illos & partem regni Judęorum: & ibi illum reperies pro certo. Quicunque negat hoc & ſtultum putat negotium ejus, & ludificat in verba quæ dicuntur de illo, is negat verba Talmudis Doctorum noſtrorum b. m. [8] Traditur, *Rogavit Cæſar Rabbinum* (*Sanctum*,) *Quia eſt dies* (*unus*) *præ aliis diebus? Reſpondit ei, Quid eſt vir præ aliis viris? Et poſt tranſactionem & diſputationem, regeſſit ei dixitque, Fluvius Sambation arguit aliquid.* Et quicunque non eſt contentus iſtis, dicam illi, O Fili mi tu, ſi non acquieſcis in Scriptis ſacris, [9] aſcende nunc & vide id quod ſcriptum eſt in Libris eorum & Impreſſionibus [10] eorum Joſephi filii Gorionis qui magnus apud eos, (libro) ipſis vocato De bello Judaico. Ibi enim parte ſecunda, libro ultimo, cap. 35., cum [11] Titus reverteretur ex Perſia & Media, dicit, quod iverit & invenit Judęos iſtos ab altera parte fluvii Sabbation, qui ceſſat uno dierum ſeptimanæ, & quod expectaverat quietem ejuſdem & tranſivit ad alteram partem fluvii; ubi Judęi honore ipſum affecerunt & exceperunt illum honorifice: & vocavit nomen iſtius fluvii, Sabbatinum. Et hoc eſt quod volui nunc dicere in hac Diſquiſitione de Judęis illis & regibus eorum, & divitiis Aromatum & auro eorum & argento eorum, & quoque de fluvio Sabbation; quod ſc. ille & illi ſint in regionibus Indicis: hoc eſt dicere, quidam illorum ſunt in medio Continentis Calecut, illo ſuperius, ſicut bene expoſui in Libro meo quem pro Diſputatione compoſui, & vocavi Nomen ejus [12] Clypeum Abrahami ſecundum Nomen meum. Et verba Doctorum noſtrorum b. m. vera ſunt, & eorum res veræ. Et jam [ut vidiſti] ſcripſit Doctor Chriſtianus prædictus, [13] ſe inveniſſe in Calecut Judęos mercatores omnium generum Aromatum & aliarum rerum, & illos eſſe ex illis tribubus quæ ſupra Calecut inter mon-

ועל יבשת גליל לאמיק שם מרבר חבור מן
הצד האחר היותר קרוב לנו ובין שתי הכתות
האלה מן היהודים אשר מצבם בין הרי
גוזן ונהריו ובין היהודים בחבור מתחת
אראביאה פיליצי כי יש ישובים וגלילות
רבות מפוזרות מכת ישמעאלים אשר יזיקו
וימנעו היהודים האלה להדבק יחדיו כאשר
בארתי למעלה ולכן אפשר לומר ולפי הנשמע
מרומא כי משם בא היהודי מהשבטים
באיטאליאה מחבור דרך ארביאה פיליצי
שהיא למעלה מלאמיק ומלאמיק הזאת
אשר היא למטה קרוב לים הדרומי האוקיינוס
אשר הזכרנו וללכת דרך המזרח בקאליקוט
דרך ים פרס להודו והוא קאליקוט העיר
הגדולה מוצא מקום כנוס כל בשמים
והסחורות וכל הענינים יקרים המובאים
שמה ממקומות קרובות ורחוקות ושמעתי
מספריהם כי מלאמיק לקאליקוט מהלך מ׳
ימים לפי דברי החוקרים והתרים אשר
לדעתי יש הרבה מזה ועתה נדבר על
קאליקוט וקצת הצריך אליו:

montes Gozan & fluvios ejus, & fupra illos effe fluvium Sambation prædictum qui difcriminat inter (Judęos) & Indos. Et ibi in Continente regionis la Meccæ effe Defertum Chabor, eo fcil. [Continentis] latere quod eft nobis magis propinquum. Et inter duas iftas Judęorum focietates quarum ftatio eft inter montes Gozan & fluvios ejus, & inter Judęos qui in Chabor infra Arabiam felicem, effe habitationes & regiones magnas confperfas focietatibus Ifmaelitarum qui nocent & impediunt Judęos iftos ne coalefcant fimul, ficut fupra expofui. Ideoque poffibile effe dicere fecundum id quod a Roma auditum eft, quod Judęus ifte a Tribubus inde [14] venerit ad Italiam a Chabor per viam Arabiæ felicis quę eft fupra la Meccam: Et a la Mecca (quę inferius eft ad Mare auftrale Oceanum, cujus meminimus,) redeundum eft per viam Orientis in Calecut, viz. per viam Maris Perfici in Indiam. Ifta Calecut eft urbs magna, ubi eft inventio loci collectionis omnium Aromatum & mercium, & omnium rerum pretiofarum quæ illuc importantur ab aliis locis propinquis & remotis. Et audivi ex Libris eorum, quod a la Mecca ad Calecut fit iter quadraginta dierum, fecundum verba Scrutantium & Exploranticum (talia:) fed mea opinione eft plus quam hoc. Nunc autem loquemur de Calecut, & de quibufdam ei neceffariis.

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

1 *Arena -- eft rubra*] Fallitur heic nofter, ut & alii multi qui de *Maris Rubri* nomine fruftra difquifiverunt. Eft enim θάλασσα ἐρυθρὰ, nil nifi *Mare Edom* feu *Idumæum*, quippe ad cujus littus adjacet Regnum *Edom* quod *Rubrum* fignificat. Ita ut *Mare Rubrum* idem fit acfi *Mare Edomæum* diceretur. Noftram fententiam quod attinet, *Gen.* XXV. 30. legitur *Idcirco vocatum eft nomen ejus Edom*, i. e. *Ruber*. Sic etiam Verfio Samar. [illegible], & Verfio Arab. الاحمر, quorum fingulorum Interpretatio eft ὁ ἐρυθρός: is eft *Efau*, qui (ut cum profana hiftoria res conciliatur,) fuit Rex, fc. regionis *Idumææ* feu *Edom* ab hoc mari non ita remotæ quin ut id ab ea denominata fuerit θάλασσα ἐρυθρὰ. Alias hodierni Judæi in fuis Libris per invidiam nomine *Edom* totam ditionem Romanam intelligere folent.

2 *Vento aratorio*] Hinc explicari poteft locus *Jonæ* IV. 8. ubi idem adhibetur vocabulum notans Ventum illum furiofum qui Jonam vexabat arenam exarando & in faciem ejus fpargendo, ita ut pene fuffocaretur. Hebertus & alii in Itinerariis Orientalibus mentionem faciunt talium in arenofis Defertis flantium Ventorum, qui virorum & camelorum tota agmina aliquando obruere & opprimere folent, & in arena fepelire. Si autem arenofa procella non fit nimis vehemens, pofteriora vento obvertiffe fufficiet camelis & hominibus, ne fuffocentur. Idem fere D. Wansleb de præfente Statu Ægypti Anglice p. 22. prodit de Vento *Meriffi*, qui adeo urens & procellofus ut ferme fpirandi facultatem hominibus adimat, in minimas quafvis rimas penetret, & totum aerem quifquiliis & arena obnubilet & obfcurum reddat, & morbos lethales generet. Infigne incolis gaudium, quando ifti Venti Auftrales vel rarius vel faventer fpirant, dicti خمسين *Kamfin* qua inter Pafcham & Pentecoften Coptitarum; & a Novembri ad Februarium: tunc autem non quotidie, fed aliquoties tantum accidunt. Sed & ejufmodi Venti ab Ortu flantes eodem nomine vocantur. Prædictus itaque Ventus Jonam impetens, cum arena & quifquiliis obruebat & ferme fuffocabat.

3 *Finem*) Author heic prætendendo ducere tantum ad Calecut, ducit longe ultra eum in extremum Orientem.

4 *Hunc ordinem*, &c.) D. Bartholoccius in fuæ Bibliothecæ Rabbinicæ pag. 124. egregie cæfpitat in hujus loci interpretatione, uti ibi videre licet.

5 *Fluvios Gangis*) Sic etiam infra in plurali effert, eo quod Ganges ubi in Sinum Bengalenfem effunditur, in plures ramos feu rivos dividatur. Hujus Libri exemplar quod citat D. Bartoloccius, heic addit, הוא נהר גוזן *ipfe*, (nempe Ganges) *eft fluvius Gozan*.

6 *Sambationis*) D. Bartoloccius pag. 117. 118. fluminis Sabbatici hiftoriam refutat, & omnes Authores qui talis Fluminis vel meminerunt vel de eo plenius tractarunt, ad numerum vicenarium recenfet. Addo, quod talis alicubi detur fluvius quem Judæi fic aliquando vocaverint, verifimile videtur: fed talem nominis rationem afferre, quafi tunc olim fic dictus fuerit quod die Sabbati quiefceret, eft mera fabula, quam fequentem originem habuiffe exiftimo. Cum nempe Judæi a Senacheribo ducerentur Captivi, primo inter deportandum non potuerunt celebrare Sabbata fua. Poftea vero cum aliquam requiem & refpirationem obtinerent, prima qua potuerunt occafione Sabbatum celebrarunt ad ripam fluvii *Gozan*, qui itaque a quibufquam dictus *Fluvius Sabbaticus*. Deinde

alii

alii postea hujus nominis veram causam & originem ignorantes, finxerunt [ut Judæi fabulosi sunt,) istum Fluvium sic nominari, quasi die Sabbati quiesceret, & reliquis diebus flueret; vel e contra, quasi sola die Sabbati flueret, reliquis vero diebus cursum sisteret, nam Authores de hoc variant, & posteriorem sententiam affert Josephus. *Gozan* autem fuisse *Fluvium Sabbaticum* propter allatam rationem sic dictum, nullus dubito. Qualis autem is sit, & ubi sit, alibi (volente Deo) docebitur; cum longiorem poscat discursum.

7 *Et transportavit* &c.) Noster heic misere tractat hunc locum Biblicum, inserendo *Kir* ex 2. *Reg.* XVI. *p.* & XVII. 9. & quoque substituendo *Montes* loco *Fluminum*, &c. Rabbi Benj p. 97. substituit *Montes* pro *Urbibus*, וינלם בלחלח וחבור ונהרי גוזן והרי מדי *Deportavit eos ad Lachlach & Chabor & fluvios Gozan, & ad montes Medorum*. In his autem (ut & in Targum *Cant.* V. 4. male legitur לחלח *Lachach* pro חלח *Chalach*, quæ hodie vocatur حلوان *Hulvan*.

8 *Traditur*] viz. in Talmude, Tract. *Sanhedrin fol.* 65. 2. *in Gemara*, ubi agitur de præstantia Sabbati, his verbis, שאל טורנוס רופוס הרשע את ר׳ עקיבה אמר לו מה יום מימים אמר לו ומה גבר מגברין אמר ליה דמרי צבי שבת נמי דמרי צבי אמר ליה הכי קאמינא לך מי יימר דהאידנא שבתא אמר לו נהר סבטיון יוכיח בעל אוב יוכיח קברו של אביו יוכיח שאין מעלה עשן בשבת *Quæsivit Tyrannus Rufus ille impius a R. Akiba, dixitque ei. Quid est Dies unus præ aliis Diebus? Respondit ei, Et quid est Homo unus præ aliis Hominibus? Regessit* Tyr. *Quia Dominus sic voluit*. Alter, *Sabbathum etiam, quia Dominus sic voluit*. *Dixit* Tyr. *Hoc tibi dicam* vel *regeram*, *Quis dicet hoc tempus esse Sabbathum? Respondit* alter, *Fluvius Sabbaticus arguit*; *Pytho arguit*; *Sepulchrum patris ejus arguit*; *quia fumus ejus non ascendit in Sabbatho*: uti etiam Pythones seu Engastrimythi non dabant Responsum die Sabbathi.

Iste *Tyrannus Rufus*, apud Bucholzerum anno Christi 133. scribitur *Tynius Rufus*, tunc temporis Præses Judææ, ab Imperatore cum exercitu missus ad reprimendos Judæos rebelles. Sed forte propior fuerit tempori Christi: quia multoties cum eo disputasse dicitur R. Akiba, qui eum semper cum rubore dimisit; de qua re lepidam refert historiam D. Buxtorfius in Lex. Talm. voce טורנוס.

9 *Ascende*) Sic Arabes per تعال *Taal*, *ascende*, volunt dicere, *Veni huc*, *Adesdum*.

10 *Eorum*) viz. Christianorum.

11 *Titus*) Hæc historia paulo aliter narratur apud Flavium Josephum Belli Judaïci *lib.* 7. *cap.* 24. Ibi contra nostrum, dicitur hunc Fluvium quiescere 6. diebus, & fluere solo Sabbatho: & istum Fluvium quem Titus pertransiit, esse in Syria inter Arcæas & Raphanæas Agrippæ regni civitates. Noster vero quasi ex Josepho, ponit Titum transeuntem supra Indiam. Quomodo autem Titus illuc pervenerit, ipse videat.

12 *Clypeum Abrahami*] Dictus Liber MS. extat in Bibliotheca Bodlejana, mole huic (quem damus) suppar. Est nempe Disputatio contra Christianos Hebraice scripta.

13 *Se invenisse in Calecut Judæos*] Hinc origo totius hujus male fundatæ Historiæ, ducta ex veris Præmissis falsa Conclusione: scil. quia erant in Calecut aliquot Mercatores Judæi, ergo & Judæorum decem Tribus erant in Calecut; quod tamen non sequitur.

14 *Venit ad Italiam a Chabor*) Via transitus seu itineris ejus plenius narratur supra *Cap.* XIV. Nam nostro non insuetum easdem historias bis referre.

CAPUT XXV.

פרק כ״ה על עניני קאליקוט מלכה ושריה וסחורותיה וגליל פריטייאני
הנסמך עליו מן הצד לנהר סבטיון הנ״זכ:

De negotiis Calecut, Rege ejus & Principibus ejus, & mercibus ejus; & de regno Pretigiani quod ei confine est a latere quo est versus Fluvium Sabbaticum prædictum.

מצאתי כתוב בספריהם ובפרק נ״ח מספר שני מהספר הנקרא עולם חדש כי מליסבונה ראשית מלכות פורטוגאל עד קאליקוט אשר באסיאה בתחלת הודו יש שלשה אלפים ושמונה מאות פרסאות שהם כמו חמשה עשר אלף ומאתים מילין והוא מהלך ששה עשר חדש לפחות בזמן הגון ללכת ולשוב וכן בפרק הזה מפרש ואומר שהפריטייאני הוא נמצא למעלה מקאליקוט ביבשה במדינות העליונות הרחוקות מהים וזאת ראיה אמיתית וידיעה מפורסמת על היהודים הנמצאים שמה בקרוב להפריטייאני אשר שמענו כל ימינו מפי הכומרים השחורים אשר באו ובאים כל היום ומגידים בבירור

INveni scriptum in Libris eorum & in Libro qui vocatur [1] Novus orbis, lib. secundo, cap. quinquagesimo octavo, quod a Lisbona quæ est principium regni Portugalliæ, ad Calecut quæ in Asia in initio Indiæ, sint ter mille & octingentæ Parasangæ, quæ sunt circa quindecies mille & ducenta milliaria: estque iter sexdecim mensium ad minimum convenienti tempore eundi & revertendi. Et sic in hoc Capite explicat, & dicit, quod [2] Preti-Giani invenitur supra Calecut in Continente in Provinciis superioribus procul distantibus a Mari. Et hæc est demonstratio vera & notitia manifesta Judęis ibi inventis in vicinia Pretigiani, uti audivimus omnibus diebus nostris ab ore Sacerdotum nigritarum qui venerunt & veniunt singulis diebus, & narrant pro certo inventionem multorum Judęorum apud ipsos. Et quoque in Roma est istorum [3] Sacerdotum Socie-

מציאות יהודים רבים אצלם וגם מהכומרים
האלה יש ברומי כת אחת ממספר קרוב
לשלשים יושבים בבמה אהת חדשה נתיסדה
מחדש לשמם וכל אלה שמעתי מהאנשים
חכמים אשר היו בקאליקוט בשנתים ימים
בשני פעמים והנידו הנה לפני הדובוס
אירקוליס פה פיראדה ענין קאליקוט ולאמיק
והפריטייאני וגם רוב היהודים הנמצאים
שם ומלכיהםו מעשיהם:

האמנם לדבר על עניני קאליקוט מלכה
ושריה ומנהגיה ומאכלה וסחורותיה הם
אלה המלך גדול במלכות רב ומכובד מאד
ובירת תפארתו בנוי בנין יפה מאבני שיש
ולבנים מחומר ומעוטר בכותליו מאד בבגד
משי וזהב יפים ומטתו גם כן בבגדי זהב
מה שלא ישוער ואינו אוכל דבר משום בעלי
חיים אשר יהרגום לא בהמה ולא חיה
ולא עוף ולא דגים רק מאכלו פירות טובים
ומיני מאכלי דגן ושעורים ומיני קטנית יפים
וטובים שמה עם צוקארו ודבש וחמאה
וחלב העיר הזאת בנויה מבתים מאבני שיש
וחומר הגונים ורובם בלא עליות ואין לעיר
חומה ולא דלתים ובריח יתר העם והעמים
אוכלים מה שירצו אולם הריגת הבהמות
פרות וצאן מאד רע וקשה להם סחורות
הבשמים רובם מובאים שמה מבחוץ וכן
רוב מיני הסחורות כלם יובאו שמה מאיים
רבים בים ההוא קרובים ורחוקים כבר נמנו
וכתבו חכמי רוכבי הים ההוא אוקיינוס
ההודיי שנמצאו ומצאו יותר מאלף ות״ק
איים הנקראות יחדיו בשם אחד
איסולי זילויי ואלה הם הסחורות
המובאות שמה בקאליקוט בספינות אשר
לפעמים יגיעו שמה בבת אחת שלש מאות
וארבע מאות ספינות קטנות וגדולות
כמנהגם נושאות קנמון הטוב והקנילה
פלפל גארופולי אשר הם מרחוק יובאו
ביותר מן איי המזרח לאקא אמבדא:
בילזואי הנמשל כמעט לעפר להם זנגביל
הרבה ונמצא ממנו צמיחתו שמה בקאליקוט
ממש אגוזי מוסקאטו ואגוזי הודו זיביטו
ומוסקו לרוב כי שם מוצא החיות האלו
מאד ריאוברבארו לרוב וכל מיני אבנים
טיבות ומרגליות אינצינסו ואלואי לרוב

cietas una, numero fere 30.; habitantes in Excelso uno novo quod de novo fundatum est Nomini ipsorum. Omnia hæc audivi a viris Doctis qui fuerunt in Calecut bis intra biennium dierum, & hic coram Hercule Duce Ferrariensi narrarunt negotium Calecut & la Meccæ, & Pretegiani, & de multitudine Judęorum ibi inventorum, & de Regibus eorum & actionibus eorum.

Verum ad loquendum de negotiis Calecut, Rege ejus, & Principibus ejus, & cibo ejus, & mercibus ejus, hæc sunt: Rex magnus est in regno amplo, & valde honoratus: domus gloriæ ejus extructa est ędificio pulcherrimo ex lapidibus marmoreis & lateribus ex luto; & [4] circundati sunt parietes ejus multum panno serico & auro, pulcherrimis: & Lectus ejus quoque constat pannis aureis inæstimabilibus. Non edit aliqua quæ vita prædita fuerant quæ interficiant, nec bestiam, nec animal, nec volucrem, nec pisces: sed cibus ejus sunt fructus boni, & species ciborum ex frumento & hordeo & speciebus leguminum quæ ibi sunt pulchra & bona; & Saccharum, & mel, & butyrum, & lac. Et hujus civitas extructa est ędibus ex lapidibus marmoreis cum cęmento bene convenientibus: pleræque autem earum non habent ὑπερῷα. Civitati nullus est murus, nec portæ nec vectes. Reliquus populus & vulgus comedunt quicquid volunt: verum mactatio bestiarum, vaccarum & ovium, mala & difficilis est illis. Mercium aromatum major pars importatur ab extra: & sic major pars omnium generum mercium, quæ illuc importantur ab insulis propinquis & remotis in illo Mari. Jam autem [5] si enumerentur (Authores,) scripserunt peritissimi navigantium illud Mare magnum Oceanum Indicum, quod reperiantur & ipsi repererunt ultra mille & quingentas insulas, quæ simul vocantur uno nomine, Insulæ Zelue. Et hæ sunt merces quæ importantur ibi in Calecut navibus quæ aliquando illuc perveniunt una vice 300. vel 400. naves tam parvæ quam magnæ secundum consuetudinem eorum portantes Cinnamomum bonum & Canellam, Piper, Caryophyllos, quæ a longinquo apportantur ab ultra insulas orientales: Lacca, [6] Ambra, [7] Belzui, quæ habentur fere similia pulveri apud ipsos: & Zinziber multum, de quo reperitur cujus germinatio est ibi in Calecut certissime: nuces moschatę, & nuces Indicę, Zibethum & moschus magna copia, nam ibi est productio istorum animalium valde: [8] Rhabarbarum multum, & omnia genera lapidum pretiosorum, & [9] margaritæ: Incensum [seu Thus] Aloe ma-

פורצילאני וירזין בעצי סרק ואילני יער סנדאלי ועא׳ ופשוטים רבים ומחצבי׳ מה שלא ישוער וכל אלה למכור בניהם לסוחרים הקונים להוליך למקומות הצריכים או לסוחרי הקארובאני הרגילים לעבור המדבר׳ו הארוכות עם רבוי גמלים הולכים להוריד מצרימה או לדמשק או לבארוט או לאליכסנדרי׳ או שהסחורות האלה יתנום וימכרום לנוצרים ההולכים היום עד המקומות ההם:

אמנם הסחורות הטובות להביא שמה מגלילותינו הם כל מיני מירציריאה מפלאנדריס וממילאן וכל מיני בגדי צמר ופשתיה דקים וכל מיני משי צאנדאלי וטאפאטא בתי עינים נמכרים שם ביוקר מאד בראשונה ונייר לכתוב יין טוב המשומר בכליו לימים רבים ומיני שמנים טובים ומיני כל מתכות וחטה:

אמרו המלחים תרי המדינות כי למעלה ביבשה על קאליקוט מלך תקיף ורם מגלילות ועמים רבים תחתיו נצב על מחוז קאליקוט וזה בטרם יגיעו למלכות פריטייאנו ומהם באים בכל עת דרך יבשה בעיר קאליקוט עם רוב הסחורות הנזכ׳ כי בארצם ובנהרותם ובתוך יערי אילניהם מוצאם והם שחורים ועשירים ותקיפים ושמחים ולבושיהם מכסים חצי הגוף או רובו והם מבגדי משי שחורים או לבנים וקצת מן המעיל אשר עליהם ימשיכוהו דרך הארץ ויגררהו ואמרו שהם עובדי אלילים ואני אומר לפי מה שחקרתי ובינותי כי הם יהודים בודאי לפי שחקרתי מתורגמן אחד ערבי אשר דברתי עמו פה יפיראר׳א ואמר כי בהיותו בקאליקוט בדברו עם העם הזה על עסקי סחורה שהרים ידו באצבע אחת אל השמים וישבע באחד חי העולם והתורגמן מפרש שנשבע בשמש לבלתי תת מעלה ליהודים ונכון הוא בחקם שאין ראוי לפי הקדמותיהם היום ליחס כבוד עם רב ומלכות לישראל עד יערה ה׳ רוח ממרום עלינו וחרפת עמו יסיר ושבו בנים לגבולם ודי בענין זה וכבר דברתי זה שלש רגלים:

magna copia, Verzin, Porcellana, cum lignis infrugiferis & arboribus ſylveſtribus: [10] Santalum, & res aliæ, & Simplicia plurima alia, & mineralia quæ non poſſunt [11] æſtimari. Et omnia hæc ut vendant inter ſe mercatoribus ementibus ad portandum ad alia loca quæ eis indigent, vel mercatoribus Caravanæ qui ſolent tranſire per Deſerta longa cum multitudine Camelorum euntibus ad deportandum in Ægyptum, & Damaſcum, & Berytum, & Alexandriam; vel ut tradant merces & vendant illas Chriſtianis qui hodie proficiſcuntur uſque ad loca illa.

Verum merces bonæ ad importandum illuc ex regionibus noſtris, ſunt omnes ſpecies [12] merceriæ a Flandria & a Milano: & omnes ſpecies pannorum laneorum & lineorum ſubtilium: & omnes ſpecies Serici, ut [13] Sandali & Tafata. Perſpicellę olim ibi vendebantur valde care, & Charta ad ſcribendum: Vinum bonum reſervatum in vaſis multis diebus: & ſpecies oleorum bonorum, & ſpecies metallorum, & triticum.

Aiunt nautæ harum provinciarum Luſtratores, quod in Continente ſupra Calecut ſit [14] Rex fortis & excelſus propter regiones & populos multos qui ſunt ſub illo, præſidens ſuper territorium Calecut: hoc autem eſt antequam perveniant ad regnum Pretegiani. Et ex illis ſunt aliqui ſemper venientes per viam Continentis ad urbem Calecut cum multis mercibus prædictis: nam in terris eorum & fluviis eorum eſt productio talium. Et illi ſunt [15] nigri, & divites, & robuſti, & hilares: & veſtes eorum tegunt dimidium corporis, aut majorem ejus partem: ſuntque ex pannis ſericis nigris aut albis: & partem pallii quod eſt ſuper illos, trahunt per terram, pertrahuntque illud. Et aiunt eos eſſe cultores idolorum. Sed ego dico ſecundum quod inquiſivi & intellexi, quod [16] pro certo ſint Judæi. Inquiſivi enim ab Interprete aliquo Arabico quocum locutus ſum hic Ferrariæ: & dixit, quod cum ipſe eſſet in Calecut, cum loqueretur cum aliquo ex iſto populo de rebus mercaturæ, quod ille levavit manum ſuam uno digito ad cœlum, & juravit per unicum viventem in ſeculum. Et iſte Interpres explicavit quod juraverit per Solem, ne daret gloriam Judęis. Nam certum eſt quod in ſtatutis eorum non decet ſecundum principia eorum hodie, attribuere gloriam populi magni aut regni Iſraelitis, donec excitet (ſeu infundat) Deus ſpiritum ab alto ſuper nos, & opprobrium populi ſui removeat, & redeant filii (Iſraelis) ad terminum ſuum. Et hoc ſufficiat de iſto negotio: nam jam locutus ſum de hac re tribus vicibus.

NO-

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

[1] *Novus Orbis*) Author est *Albericus Vesputius* qui lingua Portugallica scripsit : non autem habemus nisi ejus Epitomen, eamque Italice tantum.

[2] *Preti Giani est supra Calecut in Continente*) Urbs Calecut est in citeriore Indiæ litore in Regno Malabar, ad Long. 105. Lat. 12. Nomen ut Persæ volunt, Persicum est, كالا كوت *Cala-cut* id est, *Crassa tela*; vel etiam *Telarum acervus*, ut includat quoque tenuem illam telam quam ab hac urbe vocamus *Calico*, cum ea non sit sola & unica quæ ibi texitur.

Noster Peritsol (ex Libro *de Novo Orbe* fere ducentis ab hinc annis Portugallice exarato] recte heic statuit *Pretigiani* regnum in *Asia* esse, vel saltem ibi olim fuisse ; contra receptam opinionem . Nusquam vero hodie reperitur talium Regum series , ut quidam perperam existimant ; sed is erat tantum unus , qui (ut aliqui volunt ,) Regno suo reliquit Nomen ad hodiernum usque diem continuatum. Quod autem hujus Principis Sedes a quibusdam existimetur fuisse in Africa , est tantum receptissimus error , & mera fabula a pluribus hodie abunde refutata . Et nos in calce hujus Dissertationis, omnes Regum Abyssinarum Titulos in medium adduximus, inter quos nullus huic similis reperitur.

Author *Relationis de Origine Nili* , [Sacerdos nempe Romanus qui diu in Habassia vixit ,) cum hanc historiam falsam esse compereret , satagebat disquirere qua ratione tantus error primo irrepserit : & tandem dicit se potuisse nullam invenire causam probabiliorem , quam quod inter variarum Provinciarum homines ad Curiam Regiam pro Justitia impetranda accedentes & diversis a seinvicem Dialectis utentes , aliqui sint coram Curia stantes qui semper clament *Jan coy* , id est , *Rex meus* , seu *o Rex mi* , donec tandem a Rege exaudiantur , & Petitionis responsum accipiant . Alias dicit se nullam reperire posse causam in qua tam fabulosa historia fundaretur.

Nomen quod apud Europæos vulgo circumfertur , Belgice sonat *Priester-Hans* , Gallice *Prester-Jean* seu *Pretre Jean*, Italice *Preti Giani*, quæ omnia *Presbyterum Johannem* notant ; quod tamen nomen quibusdam videtur esse *Pretiosus Johannes :* ideoque D. Kircherus Æthiopice exprimere tentans , eo sensu effert *Belul Juhanna* . Author anonymus Æthiopicæ Grammaticæ in 8vo , hunc Imperatorem nominat *Belul Jan*, quo dicit significari *Pretiosus lapis*, nempe Gemma Annuli Salomonis , a quo pregnata fuit . Alii æque infeliciter tentarunt id explicare ex lingua Persica, quæ tamen Æthiopibus adeo prorsus ignota est , ut non vel unum aliquod ex ea vocabulum sibi adsciverint vel linguæ suæ admiscuerint . Et cur hujus Regis Titulus ex lingua incolis insuitata & ignota petitus fuerit , divinare nescio . Utcunque dictæ opinionis Auhores id scribunt فرستجاني *Phristagiani*, quod revera nihil significat , nec talis vocabuli forma in Perf. lingua reperitur Grammaticæ analogiæ conciliabilis. Volunt autem detorquere a فرستادن *Phristaden* , i. e. *mittere* , quasi *Apostolicus Johannes* seu *Legativus* seu *Missivus* vocatus fuerit . D. Golius defunctus , scriptum reliquit hujus Principis Nomen esse Persicum پرستار خان *Prestar Chan* seu *Han*, i. e. *Ministrans Princeps*, q. d. Minister Evangelii vel Ministrans ad altare , cum Evangelii Præcones *Ministri* vocentur*:* vel ut alii exponunt *Serviens* seu *adorans Princeps* , quia adorabat Crucem . Proh misera effugia ! Certe پرستار *Prestar* est nil nisi *Servus* vel *Serva* , *Famulus* seu *Famula* sive *Ancilla* . Et quod liber Princeps tali vocaretur Titulo , non bene sonat ; & quod Tatari ex lingua Persica illis ignota , Principi suo Titulum peterent , minus probabile. In mendosissimo illo Lexico Persico quod D. Castellus maxima ex parte a D. Golii exemplari edidit , scribitur quod بريستار *Pristar* (male pro پرستار *Prestar*) in Libro *Shahnama* & alibi, sit *Legatus*, q. d. *Legativus* , ut supra . Id autem ex sola authoritate *Hacwerdii* mendacissimi hominis Persæ, qui tam hoc quam alia multa falsa imposuit D. Golio ; qui quidem falsa illa ibi ad edendum scripta reliquit, quamvis alias fateatur se non multum ponderis in illius authoritate posuisse. Ego autem dictum Librum *Shahnama* sæpius evolvendo & variis occasionibus scrutando, nihil tale unquam reperi. His itaque rejectis, meliora & probabiliora eorum loco substituere conabimur *:* & primo quis fuerit dictus Princeps, deinde ubi fuerit, & quale sit dictum Nomen , disquiremus.

Circa annum Domini 1253. a Lud. IX. Galliarum Rege ad Magnum Tatariæ Chamum missus est Guil. de Rubruquis , qui narrat, *Quo tempore Galli Antiochiam ceperunt , quidam nomine* Con Can *dominabatur in Kara Kithai & contiguis ad Septentrionem regionibus unde egressi sunt Turcæ. In eadem Kara Kithai quidam Nestorianus Opilio, potens Princeps populi Yayman fuit : & post obitum* Con Can , *regnum Catajæ invasit, &* Johannes *dictus est a Nestorianis, qui multa de ejus magnitudine confinxerunt & mentiti sunt , unde tot in Europam fabulæ de illo* Presbytero Johanne *dimanarunt. Ei frater fuit , & ipse potens Opilio , nomine* Unt , *qui habitavit trans montes Kara Kithai, itinere 3. septimanarum a fratre suo* Johanne *remotus . Subjecti ejus vocabantur* Crit *seu* Merkit , *& etiam erant Nestoriani. Oppidum ejus erat Caracorum. Sed ipse defecit a Christo ad idola , & fratri suo* Johanni *sine mascula prole defuncto successit , & nomen* Chan *assumpsit* . &c. Sic ille . Sed pro *Unt* , proculdubio rescribendum est *Unc* , qui ipse , [non vero ejus frater, ut heic statuitur,) fuit *Presbyter Johannes* vulgo celebratus . Idque ex authoritate Pauli Veneti, qui dicto Authori opponendus , cum & ipse etiam in illas regiones penetravit : & Lib. 1. cap. 51. 52. plane dicit *Uncham* cum esse qui *Presbyter Johannes* vocitatur . Is in Tatarorum Historia penes me in privato Musæo Persice conscripta, nominatur اونك خان *Unc-Chan* seu *Ung-chan* : eique frater fuit جاكمبو *Jacobus*; quod etiam erroris arguit dictum *de Rubruquis* statuentem *Presbyteri Johannis* fratrem dictum fuisse *Johannem* , cum revera ipse *Unchan* sit celebratissimus ille *Johannes*: & quo tempore جنكيز خان *Gjenghiz-chan* ad imperium aspiraret , præerat duabus Tribubus كرايت *Corayat* seu *Kirayat* , [seu *Cerrit* vel *Crit* ,] & ساقير *Sakir* . Sed inter duos hos Principes primo optimos amicos, de ducenda virgine (sc. *Gienghizi* filia quam *Unchan* in matrimonium expetebat,) contentio orta est, & tandem isto summoto & deposito, alter Imperium adeptus est, quod contigit anno *Hegj* . 199. Christi 1202. Mogulensium anno *Porci* . Alii dicunt hos duos de eadem virgine ducenda contendisse. Omnia autem cum personarum & locorum nominibus particularius narrantur in dicta Tatarorum Historia Persica , ubi memoriæ proditum est, hos duos principes per 8. primos annos amicitia fuisse conjunctissimos ; donec tandem illius filii & fratres & aulici invidia ducti , ægre ferrent Gjenghizi potentiam, præsertim cum noluerit in matrimonium dare filiam quam Unchan deperibat ; sed illum sprevit & derisiculo habuit , quod talis Regulus ad tam potentis Regis filiam adspirare voluerit. Unde Jacobus Unchani frater conscripto contra Gienghizum exercitu , fusus & fugatus est . Tunc autem Unchan qui invidiam celaverat, apertam inimicitiam quoque prodens , cum suis inivit consilium alterum oppugnandi ; quod tamen duo juvenes proditores ad hostem fugientes revelarunt . Et tandem inter duos exercitus talis fuit conflictus & cædes , ut nulla fere Historia talem memoraverit. Et victo Unchano, Imperator evasit Gienghiz , &c. Sic Scriptor Persicus.

Apud

Apud D. Martinium in Atlantis Sinici pag. 2. desideratus Princeps vocatur *Preste Joan*, quem pag. 23. collocat circa regnum *Tibbet* seu *Tobbet*, sive *Tubt*, i. e. *prosperitas* (apud Sansonium corrupte TOBROT, apud alios TUMOT,) sic dictum, quia ibi anno 1202. devicto & occiso *Ungh-Chano*, prima monarchiæ suæ fundamenta jecit *Gjenghiz-Chan*, ideo cognominatus تبتي تنكري *Tobbot Tangri*, i. e. *Prosperitas Dei seu a Deo prosperatus*. Ipse enim Tatarorum divisa Tributim Dominia, in monarchiam redegit.

Referente dicto Martinio, *Presbyteri Johannis* regnum olim fuit quod Sinensibus hodie dicitur *Si-fan*, seu Confinia occidentalia Sinarum, continentia regiones *Ucucang*, *King*, & *Tibet*, quæ nomina plurimas involvunt Gentes, quas supra centum esse diversas perhibent Sinenses: inter ea *Geo* & *Cangingu* regnum, quod *Presbyteri Johannis* Venetus vocat. Sic ille. Quin & regnum *Tangut*, seu potius *Tangu* sive *Tanyu*, ejus dominio accensendum erat.

Gregorius Abulpharagius Syrus in Dynastiarum Historia quam Doctissimus Pocockius Arab. Lat. edidit, dicit istum Principem Christianum fuisse nominatum *Johannem*. Alii voce *Prestre* decepti, volunt fuisse *Sacerdotem*. Talia autem de eo dicta Tatarorum Historia Persica non agnoscit. *D. Golius* supra citatus, recte quidem (ut mihi videtur), statuit nomen *Johannes* factum esse ex خان *Han*. Sed altero nomine *Prestar*, plane deceptus est, se extricare nesciens Nam quod fuerit *Sacerdos* seu *Presbyter*, in errore fundatum videtur, dum sc. Itinerantes seu Viatores nostri Europæi insuetis auribus male (ut solent] captaverint ignotos & peregrinos Orientalium Nominum sonos; quod ex linguarum ubi versentur ignorantia provenire solet, eos variis erroribus implicando, ut heic fit: dum nempe perperam audierint *Prester* seu *Priester*, pro فرستوه *Pgristoa* seu پرستوه *Pristoa*, quod fuit & etiamnum est Titulus Regum ditionis Tataricæ prope Sinarum confinia, ubi dictus Princeps regnasse supra perhibetur in Atlante Sinico Doctissimi Martinii, qui in China plus quam 40. annos vixit. Hujus autem Tituli usus docetur in Libro *Pherhengh Gihanghiri* Authore *Angjou*, [qui gente Persa, patria Indus,) ubi legitur, فرستوه نام نادشاه شهر فغنشور *Pristoa est nomen Regum urbis Phogansbur*: in ista sc. urbe Residentiam habent. Ipse enim non erat totius Tatariæ monarcha, sed Liber princeps alicujus Ditionis seu Principatus, antequam Tataria tota a Gjenghizo in unam Monarchiam redigeretur. Cumque (ut vidimus) *Presbyteri Johannis* vulgo sic dicti patria fuerit circa Tatariæ regnum Tibetanum Sinis confine, & Tataria ac China aliquando diversis aliquando eidem domino paruerint, id inter Historicos confusionem peperit, ita ut alterutrius regni nomen pro alterutro subinde substituerint; dum id quod de Tatarorum aliquo regno aut Principatu verum fuit, Chinæ tribuerint, & vice versa: idem quod apud Paulum Venetum & alios factum videmus, ut & apud dictum Authorem Indicum, ubi rursus legitur, فغنشور نام شهریستی از ملک چین که مردمان انجا بغا یتی جمیل وخوب صورت باشند وبادشاه انجافرستوه نام دارد *Phogansbur est nomen urbis regni Chinensis, ubi homines sunt valde pulchri & bona forma præditi. Et ibidem Regum Titulus est Pristoa*. Ubi planum est, hunc dictum locum in Tataria esse, [non autem in China,) cum utrumque Nomen in se habeat literam ر quæ non sonatur apud Sinenses: ideoque non possunt esse Nomina Sinica, sed omnino Tatarica. Cumque dictus locus ponatur in China, pronum sit credere ab ea haud procul dissitum, ei confine esse, [uti est regnum Tibetanum,) cum a citato authore ad ejusdem ditionem pertinere censeatur. Deinde ulterius notandum est, quod Tatariæ Principum Titulis semper subjungi soleat خان *Chan*, seu ut sonant *Han*; quod Europæi illuc migrati audientes, putarint dictas voces junctim sonare *priester Hans*, quod Belgice est *Presbyter Johannes*, quod certe proclive erat.

Non possum quidem nostræ sententiæ veritatem nec contrariæ falsitatem apodictice asserere: sed tantum problematice ventilare: cum imaginari quod Liber aliquis Princeps aut Rex fuerit Presbyter, absurde sonet; & multo magis quod Itinerantes nostri audierint eum eodem nomine Europæo vocatum a suis Tataris, quorum lingua nullas Europæas voces in se continet. Alias mirum est neminem unquam ejus Titulum quo eum *Presbyterum* vocabant, lingua Tatarica notasse, sed tantum Europæa. Si autem (ut dicitur] fuit Christianus Nestorianus, (ut & aliqui sub eo Tatari,) & quoque Sacerdos, potest esse ut in Baptismo habuerit nomen *Johannes*. Sed cum postea in Principatu a Christianismo ad idola defecerit, valde improbabile est ipsum nomen Christianum agnovisse & retinuisse, aut eodem ab aliis vocatum fuisse; sed potius *Pristoa Han*, Tatarorum Ethnicorum more idola colentium. Dato autem & non concesso, quod primo olim aliquis Rex fuerit *Sacerdos* nominatus *Johannes*, & tali traditione sparsa & nostratibus insusurrata, hoc credulis facile suaserit se postea in Principatu audivisse nomen *Hans* seu *Johannes*, cum revera audirent tantum Titulum *Han*, dum ab omnibus tunc in Principatu vocaretur *Pristoa Han*. Utcunque tamen res se habuerit, talis inter Tataros de Sacerdotali Rege traditio olim extitisse & etiamnum extare videtur. Nam [qui hoc seculo in Regno Tibet peregrinati sunt,] referunt *ibi in Regno Tibet esse Regem qui simul etiam sit Sacerdos, supra omnes Lamas*; quod certe de dicto *Presbytero Johanne* subintelligendum est. Unde quis colligat ignorantes illos Tataros talem apud se traditionem habere, eamque omnibus illuc adventantibus venditare. Sed isto jam seculo Tibetanos adhuc talem Sacerdotalem Regem aut Regalem Sacerdotem habere, non debet credi, sed potius processisse ab ignorantia sermonis & colloquii Tatarorum quibuscum collocuti sunt Jesuitæ, præteritum tempus *quod habuerint*, pro præsenti *quod jam habeant* perperam intelligentes; quod sæpe accidit colloquentibus in lingua utrisque confabulatoribus non satis nota. Quod autem Rex, sive sit Sacerdos sive non, sit supra omnes in suo regno Lamas seu Sacerdotes Tatarorum idololatricos, non est mirum. Ideoque hac in parte verum dixerint.

Supradicti Principis extare dicitur *Liber de Regionibus Orientalibus*, quem Rev. P. D. Couplet (ut mihi dictum est) ex Oriente secum attulit in linguam aliquam Europæam versum, cujus forma est in 8.

Et sane, (ut res ulterius illustretur,) eodem modo Germaniæ Rex summus successive dictus est *Imperator*, Romæ *Cæsar*, Persiæ olim *Cosroes* hodie *Sophi*, sic (ut Lectori constare possit quam frequens sit in variis Tatariæ Principatibus ejusmodi Titulorum usus,] Regum Chatai & Choten Titulus in Orientalium Scriptis occurrens, est تنكو *Tenghu*. quod plane Sinicum est *Tien-pu*, i. e. *Cœli filius*, quod apud eos est Regum Epitheton; alias aliquando dictum طمغاج *Tamgagi*, a familia *Taming* corrupto nomine. Eodem modo Regum Turcistaniæ Titulus est خاقان *Chacan*, Regum Pherganæ in Sogdia اخشيد *Achstid*, (ut & Series quædam Præfectorum urbis Damasci dicti fuere اخشيدي *Achshidi*,] Regum Mogulensium Titulus est ايلخان *Ilchan* & قاان *Kan*, quod Arabum ignorantes scribæ aliquando verterunt in قارن *Karan*, unde Κάρανος Xenophonti. Et quoque a Tatarico قاان *Kan* factum est Persis خان *Chan* seu *Han*, quod subinde est generalis

ralis Titulus omnium Regum *Chatai* & *Samercand* & *Turcistan* & *Tibbet*, &c. Alias subinde Regum *Yegmæ* Tit. est أيلك *Ilek*, Regum *Tabaristan* اسپهبد *Ispahbad*, Regum Peguensium بيغو *Peighu*, Imperatorum Indiæ septentrionalis مغول *Mogul*, Regum Lahor جيال *Tchapal*, Regum Calicut *Samorin*, Regum Nahrowaræ & Kanugj in India australi بلهرا *Belhera*, & aliquando *Kanugj* ex nomine urbis. Reg. Kuhistaniæ Tit. est ملاحدة *Molahidæ*, Regum Chotlan & Talican in Provincia Badachshan, est هياطله *Heiatilæ*, Regum Ghilan تيتي *Titi*, Regum Tartariæ minoris كراي *Gherai* seu *Gray*, Regum Ghargjistan in Mawaralnahra شارة *Shara*, Regum Japoniæ Sinice *Tawam*, Malaice مها راج *Maha Radgia*, quæ omnia significant *Magnus Rex*; qui quidem Titulus etiam videtur tribui Regi τῆς سورسون *Surosoan*, qui dictus est عبد القهار ابو النصر *Abdulcabbar Abulnasr*, cujus Legati 1683. in Angliam missi, cum Malaice scripserunt راج بسر بسر *Radgia besar besar*, i. e. *Rex maximus*. Regum insulæ Selan (quæ vulgo ceylon] Tit. est *Dewi maha Radguruwo*, i. e. *Divinus magnus Regius*, subauditur *Vir*. Et ut in extremo Oriente, sic idem mos unum generalem Regibus tribuendi Titulum, in Arabia, Ægypto, & Assyria & alibi obtinuit. Nam Regum Philistæorum Tit. erat אבימלך *Abimelech*, Regum Arabiæ felicis تبع *Tobba*, Regum Omman الجلندي *Algialandi*, Regum Ægypti Παρῶ, i. e. ὁ βασιλεύς.

Abyssinorum Regum Titulus est ንጉሥ *Neghus*, i. e. Rex, qui olim dicti sunt ነጋሢ *Naghasi*; quamvis hodie *Prorex* tantum hoc posteriore nomine notetur, ut dicit Doctissimus Ludolphus. Et hinc est quod in Arabum Historiis, Abyssinorum Rex quivis absolute semper vocetur النجاشي *Al Nagjashi*. Et in Persarum Historiis ubi Regum Abyssinorum mentio fit, ملك حبشة *Rex Habashiæ*, & نجاشي *Nagjashi* promiscue usurpantur. Ex quo autem iste Titulus in usu esse desiit, incolæ Imperatori suo tribuunt Titulum حطي *Hati*: qua de re nos certiores facit *Ibn Abdulbaki* in Libro Historiæ Abyssinorum Arabice scripto, جميع فرق السودان يعطون الطاعة لملك الحبشة وكان قديما يلقب بالنجاشي واما الان فيلقب بالحطي *Omnes Tribus Nigritarum præstant obedientiam Regi Habashiæ, qui olim cognominabatur AlNagjashi, sed hodie cognomento est AlHati*. Quia vero Æthiopes Reges suos a Salomone descendisse credunt & gloriantur, apud plurimos eorum solemne est ut vocitetur ابن الحكيم *Ibn AlHakim*, i. e. *Filius Sapientis*, quo nomine tanquam proprio eum Titulo subinde ornare solent. Hoc modo altiore facta indagine, non comperimus Abyssinos ipsos ullum *Presbyteri Johannis* Titulum agnoscere nec suis Regibus tribuere. Quodque is qui vulgo illo nomine circumfertur, nunquam fuerit in Æthiopia, sed certe in Tartaria, abunde monstravit D. Kircherus in sua *China illustrata*, & D. Ludolphus in sua Habassiæ seu Æthiopiæ interioris Historia doctissima.

D. Bartoloccius in sua Bibliotheca Rabbinica pag. 126. meminit Epistolæ seu Tractatuli inscripti פרשטרי גואן *Prestre Gjoan*, ex India Hebraice ad Papam Romanum scripti, & Constantinopoli impressi, ubi Scriptor describit monstrosos homines, Gigantes, Pigmæos, Amazones, Phaunos, Centauros, Phœnicem, &c. Additque ibi esse Maria & flumina referta pretiosis lapidibus; ibi quoque esse Aromata, Simplicia, Fluvium Sabbaticum, & Judæorum multitudinem, robur & Imperium; adeo ut si Pretigiam non cohiberet eos perpetuis exercitus sui vigiliis & custodia, totum orbem terrefacerent & invaderent. Proh fabulas!

3 *Sacerdotum Societas -- in Excelso fundato Nomini ipsorum*) Seu alias, *Numini ipsorum*: nam שם emphatice est *Deus*. Propter habitum nigrum (jn contrarium Sacerdotum Judæorum qui Albis indui solebant,) loco *Cohanim*, Christianos missionarios vocat *Cumarim*, i. e. *atratos*, *pullatos*, vocabulo Idolorum Sacrificulos semper notante. Deinde eorum Conventum vocat *Bama* seu *Excelsum*; sc. talis excelsus locus in quo idola olim colebantur. Sic etiam in calce Capitis XIV. eodem Titulo decorat D. Petri Templum in Vaticano, id vocans *Bama* seu *Excelsum idololatricum*. Deinde per *Nomini ipsorum*, beatissimi JESU Nomen intelligit iste verpus, qui invidia ductus noluit nisi hoc modo obscure exprimere. Qualem autem Societatem heic intelligat, disquirendum. Non potest intelligere *Societatem Jesu* hodiernam, quia iste Liber scriptus est anno 1525. antequam fundaretur Jesuitarum Societas quam tandem erexit Ignatius Loyola circa 1542. aut 1543. Noster itaque intelligit *Societatem Jesuatorum*, de qua Jac. Phil. Bergomas in Supplemento Chronicorum, qui quidem Liber ab isto Judæo alibi citatur. Is inquam pag. 330. 331. sic narrat: „Ordo Jesuatorum secularium Urbano ipso præsulante, apud Senam Hetruriæ „urbem initium sumsit. Hi quippe Religiosi a principio per domos turmatim simplici habitu induti, „cum ingenti charitate & simplici quadam religiositate suo in sudore & manuum suarum labore, ad „instar Apostolorum & Discipulorum Christi, in „unum vivere & Deo servire cœperunt. Quos cum „Summus idem Pontifex Urbanus V. ad se, Romam „vocasset, intellecta hominum integritate & animi „simplicitate, eorum vivendi modum plurimum laudavit, & ita etiam approbavit: & a se laudatos „cum Tunicis albis & Caputio contemtibili sibi „pro Habitu datis, abire permisit. Et ad eorum „protectionem, confestim Nepotem suum virum „gravissimum & religiosissimum in Protectorem assignavit: qui & ipse mox ad honestandum ipsius religionis Habitum, authoritate sibi concessa, Griseam Chlamydem desuper deferendam sine Calceamentis contulit, atque eos & Gratiis & Privilegiis Apostolicis plurimis communivit, & per specialem Prærogativam illos *Apostolicos Clericos*, ex „Privilegio nuncupari voluit. Nunc autem mirum „in modum multiplicati, & per omnem Italiam mirabiliter diffusi, &c. Hæc ille. Hanc Historiam „Polydorus Virgilius fere eodem modo narrat, quem „videas.

4 *Circundati sunt*) sc. intus vestiuntur parietes panno serico.

5 *Si enumerentur*) a. v. numerantur, & scripserunt, sc. numeratis suffragiis, Authores omnes scripserunt & concordarunt.

6 *Ambra*] Orientalibus عنبر *Anbar*, i. e. *Ambarum* seu *Ambra*. An vero heic intelligatur ἀναχάτης seu ἤλεκτρον *Succinum*, vel alias عنبر اشهب *Ambra cinerea* seu *grisea*, non dicitur. Illud omnibus bene notum, Persice vocatur كهربا *Cah-roba*, i. e. *paleam rapiens*, quia fricando calefactum, paleam aut stramina aliasque tales minutias & quisquilias ad se trahit rapitque. Hoc autem (Giggeio & Dom. Germano dictum *Embrodunum*,) est longe diversum quid-

dam,

dam, de cujus origine æque ac de altero maxime dubitatur, necdum inter doctos tam in Europa quam in Oriente de ea convenit. Quale etiam ſit Nomen, & ex quanam lingua petitum, dictu difficile. Mihi videtur Arabes illud feciſſe ex Perſico هنبر *Hanbar* ſeu *Hambar*, quod ſignificat *bonum*, *elegans*, *pulchrum*, ſpecialiter *cæruleum*, quaſi dicas, eſſe rem bonam & elegantem cœrulei coloris: talem enim colorem ſæpius habere ex ſequentibus monſtrabitur.

Quid Europæi Scriptores de ea ſtatuerint, quivis ſuopte labore poteſt conſulere: integri enim Tractatus de ea excuſi extant. Meum itaque erit Orientalium ſententias referre. Et primo, Said Gjurgianenſis Perſice ſcribit, *Ambram generari ex melle & cera quæ congeruntur ab Apibus in fiſſuris rupium mari prominentium nidificantibus, & quæ poſtea a Sole colliquata a rapidis ventis in mare dejiciuntur, ubi Ambræ exiſtentiam acquirunt: & particulas favorum aliquando cum ea mixtim cerni: eamque reperiri in litore maris Indiæ & Perſiæ & Omman, & quoque maris Heſperii in Andaluſia, & maris Græci*. Eandem opinionem ex aliis Authoribus Perſicis refert D. Gentius in Notis ad Librum *Guliſtan*. Et huic opinioni etiam favetur in Tranſactionibus Philoſophicis anni 168. $\frac{5}{4}$ Oxonii editis, pag. 1031.

Chadr Ibn Ali Arabice ſcribit Ambram eſſe fruſtulum in aliqua arbore Indica repertum, tam conſiſtentia quam colliquatione ceræ ſimillimum. Secundum alios, eam eſſe fimum beſtiæ marinæ, aut ex ſpuma maris: Ibn Sinam tamen ambas has ſententias rejicere. Secundum alios, eam eſſe ex certis quibuſdam fontibus in fundo maris. Secundum alios, eam eſſe ex cera & melle apum in rupibus nidificantium, &c. (ut ſupra ex Said Gjurgjanenſi.) Aliquando accidere poſſe, ut eam piſcis aliquis propter dulcedinem deglutiat, cui tamen Colicam generat eumque enecat: & deinde [mare] eam evomitam & a partibus piſcis ſeparatam in littus rejicere: pejorem vero eſſe eam quæ in ventre piſcis manens reperitur. Hactenus Chadr.

Paulus Venetus in Oriente acceperat, Ambram ex Cetis eſſe circa Inſulam maſculinam & Madagaſcar. Ecteri Turcice ſcribit, Ambram eſſe maximi alicujus piſcis nomen. Secundum alios, eam eſſe certæ alicujus arboris lacrymam ſeu gummi. Alios referre, eam ex ſpuma maris naſci. Secundum alios, in fundo maris naſci plantam, & beſtiis marinis eam depaſcentibus, earum fimum deinde ambram fieri. Zeino'lAttar in Libro Miphtaho 'lChazain Perſice ſcribit, ſecundum Ibn Haſan, Ambram eſſe fimum alicujus beſtiæ marinæ depaſcentis aliquam herbam in fundo maris naſcentem: pleroſque autem affirmare, eam in ventre alicujus piſcis reperiri. Sed Sheicho'r Rais [is eſt Avicenna] affirmare quod emanet ex fonte in imo maris. Dein plures eſſe opiniones. Suam autem opinionem eſſe, eam ex cera naſci; præſtantiorem ejus ſpeciem eſſe cineream & vocari ceruſſeam; aliam eſſe cœruleam, & vocari piſtaccinam; aliam eſſe flavam, & vocari papaverinam. Ibno'lCutbi Author optimus in Libro Malayeſa Arabice ſcribit, Ambram ſcaturire ex fonte picifera in fundo maris Indici; & propter unctuoſitatem, in aquæ ſuperficie innatare. Nullum autem fundamentum habere opinionem eorum qui affirmant eam eſſe fimum vituli marini. Optimam ejus ſpeciem eſſe cineream inclinantem ad albedinem; deinde cœruleam claram; poſtea flavam; dein viridem; peſſimam autem eſſe nigram. Eam inſuper nominari المبلوع *AlMablu*, i. e. *Deglutitum* quiddam, eo quod per τῶν Cete in mari verſantium ora hiantia in ventres deſcendat una cum aqua & piſciculis & aliis rebus; tum ore recluſo, aquam per branchias exire, manente in ſtomacho Ambra, quæ aliquando ipſum enecat, aliquando vero eam evomit antequam enecet. Alias rupto ventre exit. David Antiochenus Arabice ſcribit, Rectum eſſe quod ſint in fundo maris fontes evomentes pinguedinem quæ in aquarum ſuperficie ſupernatans, a mari in littus ejicitur. Dici quoque, eam eſſe rorem in mare cadentem, qui poſtmodum concretus evadit; vel eſſe fimum certi alicujus piſcis; hæc autem eſſe meras nugas. Sed rectius credendum, piſcem quendam eam deglutire, & deinde evomere; vel mori, eamque reperiri in ventre ejus. Præſtantiſſimam ejus ſpeciem eſſe cineream: ei proximam eſſe cœruleam, deinde flavam, tum piſtaccinam; quæ autem corroſa aut ſugillata apparet, aut quæ ſecta non apparet ſincera, & ejuſmodi alias, eſſe pravas. Eam adulterari Gypſo, Ladano, & Cera; neque diſcerni poſſe, niſi ex guſtus acrimonia ſeu mordacitate. Eam reperiri in mari Omman & Mandab, & in litore Sinus maris Heſperii. Eam plerumque evomi in menſe Niſan. Fructum ejus valere mille Siclos. Et in ſinceriori Ambra reperiri unguiculos avium, quos in ſe cadentes excepit. Hoc ultimum eſſe ex qualitate glutinoſa, qua apum aut avium exuviæ in eam natantem cadentes, ei adhærent & cum ea miſceri videntur.

Omnium autem copioſiſſime de Ambra differit Arabice *Calcashendi Ægyptius* tom. 1. pag. 340. viz Secundum Mohammed Ibn Ahmed Al Temini, &c. الاصل الصحيح فيه Fundamentale & verum eſt de ea, quod ſcaturiat ex rupibus & fontibus qui ſunt in terra fundo maris collecta: & quando condenſatur, extrahitur ejuſdem pinguedo propter avulſionem a loco ſuo ubi hærebat, & tum ſupernatat in ſuperficie aquæ: cumque ibi calida ſit & liquabunda, ventorum & fluctuum violentia eam in tam parva quam magna fruſtra dividit, & in litora projicit. Et nemo poteſt ad eam accedere, propter vehementiam fervoris & æſtuationis ejus. Cum autem ibi manſerit per aliquot dies, eamque aer perſtrinxerit, concretior evadit, adeo ut incolæ litorales eum colligere poſſint. Dicit Ahmed Ibn Jaacob. Aliquando eam deglutit piſcis quidam magnus dictus اكيال *Ikyal*, (forte leg. اكبال *Icval*, pro *whale*,] eaque non deſinit in ventre ejus æſtuare, donec moriatur, & ſupernatet, eumque mare projiciat in littus, ubi diffiſſo ventre exit Ambra; quæ ideo vocatur العنبر السمكي *Ambra piſcina*, & العنبر المبلوع *Ambra deglutita*. Dicitque Al Temimi, eam colore referre ignem, malam eſſe in odoramentis propter هوكة inſipiditatem quam a piſce contraxerat. Dicitque, mare aliquando ejicere Ambræ fruſtum, quod videns avis quædam nigra ſicut Hirundo, motitat circa eam alas, & mox roſtro eam raptura in illam incidit; roſtrum vero & ungues tenaciter ei (viz. Ambræ) adhærere, donec (avis) moriatur & vetuſtate conſumatur, roſtro & unguibus in ea [Ambra] manentibus; quæ ideo vocatur العنبر المناقيري *Ambra roſtrina*. Dicit Al Temimi, Incolis litoralibus illius maris ubi invenitur Ambra, eſt نجبس cortex quidam quam conſcendunt ne lædantur (i. urantur) particulis Ambræ; ſuper eum itaque noctibus cunctis incedunt in litoribus maris; & quando aliquis videt Ambram, (dormitante aut negligente eo qui conſcenderat,] innuit ſocio ſuo ut deſcendat pro ea, & capiat eam. Dicit AlTemimi, Ambræ colores ſunt variæ: eſt enim Alba, quæ eſt Griſea: eſtque cœrulea, & cinerea, & الجزاري *Secata* ſeu *Secta*, quæ eſt variegata, & الصفايح *Laminaris*, quæ eſt rubra, quæ duæ ſunt pretio viliores. (Hæc reſpiciunt formam ejus. (Dicit autem, meliorem & præſtantiorem Ambram eam eſſe quæ contraxerit fortiorem odorem & acris ſit abſque depravatione ulla. Ahmed fil. Jaacob dicit, Ambræ genera eſſe varia, & ſpecies diverſas, & loca unde eruitur eſſe diſtincta; eamque præſtantiorem eſſe ſecundum loca ſua & materiam ſeu ſubſtantiam ſuam. Id autem de quo circa eam convenit, eſt quod ſpecies ejus ſint ſex: quarum prima eſt الشحري *AlShihrenſis* quam ſc. mare Indicum ejicit in littus (urbis) شحر *Shihr* regionis τῆς Jemen: additque, eam eſſe omnium ſpecierum Ambræ optimam & excellentiſſimam, colore pulcherrimam,

mam, substantia limpidissimam, & pretio carissimam. Secunda est الزنجي *Zingjensis*: & ea est quæ mare Barbaricum mari Indico ab Austro contiguum rejicit in littus τῆς Zingi & loca adjacentia. Al Temimi dicit esse opinionem Al-Hosein filii Jezid Siraphensis, hanc esse optimam & præstantissimam; eamque hinc deferri ad Aden, & colorem ejus esse album. Tertia est السلاهطي *lSalahitensis*, de qua Temimi dicit meliorem esse cœruleam pinguem oleaginosam, hancque eam esse quæ usurpatur in odoramentis. Tertia est القاقلي *Kaculensis*, quæ a mari قاقلة Caculæ in regione Indiæ, adfertur ad Aden τῆς Jemen; eamque esse Griseam, optimi odoris, pulchram aspectu, & levem; inque ea esse parum aliquid siccitatis; hancque esse pejorem Salahitensi, nec idoneam esse ut adhibeatur in alimentum nisi ex necessitate; esse vero idoneam pro الذرارير *insperforiis* & المكلسات *calcinationibus*, (quæ sc. in vulnera inspergatur ut calcinatæ res exiccantes.) Quinta est Indica, quæ affertur a littoribus Indiæ interioris, & defertur ad Basram: dari quoque ab India allatam speciem dictam الكرك بالوس *Kerk Balus*, quam adferunt prope τὴν Omman, ibique eam emunt magistri navium. Sexta est المغربي *Occidentalis*, quæ affertur a mari Andalusiæ, unde per mercatores defertur in Ægyptum: & hoc est omnium (generum) pessimum, colore referens Ambram Shihrensem. Dicit autem Temimi, circa illud errari. Additque, dari Ambræ speciem dictam الند *AlNed*: & quod جماعة أهل معرفة *virtuosorum societas seu doctorum cœtus* narret, dari e mari egredientem bestiam similem bovi sylvestri, quæ eam ejicit e podice suo; unde desumitur: & eam esse lenem extensibilem, & quicquid ex ea est dulce odore, & pulchrum substantia, esse optimum & præstantissimum; ex speciebus autem, esse unam aliquam Shihrensem, quæ est nigra, cui inest flavedo quæ manus tingat quando tangitur; ejusque odorem esse sicut odor Ambræ siccæ, nisi quod is non duret, si igni apponatur; & tamen usurpari in odoramentis, quando rarior est Ambra Salahitensis. Esse quoque speciem Zingjensem, quæ Shihrensi par seu æqualis est aspectu, at infra eam odore; hancque esse nigram absque ulla flavedine. Dari etiam الحمري *Hamarensem* [forte حميري *Himyarensem*,] quæ manus & pilorum radices tingit tinctura bona; sed in odoramentis non est usui. Dico autem ego, Nostro tempore de ea quam fœminæ gestant Ambra dicta الند *Ned*, notum est in ea esse aliquid Ambræ. Dicitur in Libro نهاية الارب *Nihayato'lArib*, hanc esse trium generum, quorum trium primum est optimum & odoratissimum, & componitur ex tribus partibus, sc. una parte Ambræ odoratæ, una parte Agallochi Indici odorati, & una parte Moschi odorati. Secundum est hoc inferius, eique inditur ex Ambra cruda odorata decem مثاقيل *Sicli*, & ex *Ned* vetusta & bona decem مثاقيل *Sicli*, & ex Agallocho bono viginti مثاقيل *Sicli*. Tertium quod omnium infimum, pro decem مثاقيل *Siclis* (Ambræ) crudæ, habet decem مثاقيل *Siclos* Neddæ vetustæ, & triginta مثاقيل *Siclos* Agallochi, & ex Moscho quantum requirit hoc genus tertium. Continet autem مثقال *Siclus* τῆς درهم *Dirhem* seu Drachmas 1 3/7 Hactenus Calcashendi.

Sed forte omnis Ambra odorata non sit ejusdem originis; nam Ambra alba quæ ab Insulis Caribiensibus venit, [fœminis Anglis usitata,] revera creditur quorundam Animalium excrementum: præsertim esse fimum volucris magnitudine Anseris, lingua insulæ Madagascar dictæ *Aschibobuch*. Transact. Philos. vel 2. ex *Od. Barbosa* dicitur, quod interius sumta subducat alvum.

Quid in tanta opinionum varietate & incertitudine statuendum sit, temere definire nolo; sed Lectori (quantum poterit) judicandum relinquo. Societatis Mercatorum Belgicorum Informatores ante aliquot annos (ut ex eorum vulgo *Journal* constat,) ex India Orientali ipsos certiores fecere, *Ambram emanare ex radicibus arboris in maris litore crescentis, cujus radicum extremitates in ipsum mare extensæ effundunt Ambram*. Hæcce Ambra de qua loquimur, vulgo vocatur عنبر اشهب *Ambra grisea* seu *cinerea*, quia una ejus species, eum habet colorem. Estque mollis & odorifera. Altera flava quæ dura & inodora, vocatur كهربا *Cahroba*, vulgo *Carabe*, Græcis ἀρπαγίσχ-pos.

7 *Belzui*] Ab Europæis alias scribitur *Benjui*, *Bengui*, *Bengivi*, *Benjovin*, *Benguin*, *Benzuin*, *Benzoin*, *Bengevin*, *Benjuinum*, &c. unde Anglis *Benjamin*, Hispanis *Menzoin*; quæ omnia sunt vocabula corrupta. Nec mirum, cum apud Orientales etiam hujus nomen varie scribatur & corrumpatur: viz. vitiose scribitur انكيران *Enghiran*, & انكوان *Enghuwan*, & انجوان *Engjuwan*, & انكوزة seu انكزة *Enghuze*, & انكسا *Enghuse* seu *Enghise*, & انكسك *Enghusce*, ut vulgos apud Persas & Armenos sæpe pronuntiat. Syris omisso *Nun*, dicitur ܐܓܕܘܢ *Aghdono*. Recte autem & legitime scribitur Persice انكذان *Enghuzan* seu انكدان *Enghudan*, unde Arabizatum est انجذان *Engjuzan* seu انجدان *Engjudan* sive *Angjudan*, & in Latinis libris *Anjuden*, id est Persice *Tenens* seu *continens* τῶν *Engh* seu هنك *Hengh*. His enim nominibus intelligitur planta ipsa seu Ferula qua continetur tam *Assa fœtida* quam *Assa dulcis*, dictæ هنك *Hengh* seu انك *Engh*, & انكزد *Enghuzhed* seu *Anghizhed*: namq; زد *zhed* videtur vetus vocabulum expresso & concreto succo significando accommodatum: ut a كنكر *Kengher*, i. e. *Scolymus*, (i. q. Arab. حرشف *Harshaph*, Hisp. *Alharsoco*, an *Artichoke*,) fit كنكرزد *Kengherzhed*, i. e. *Scolymi succus inspissatus*, &c.

Aliquis prima fronte putaret *Benguin* depravatum esse انجوان *Enguen*, præmisso *B*, ut in Avicennæ Indice Latino pag. 421. pro انجرة *Angjora*, i. e. *urtica*, male legitur *Bangjora*: nec mirum, cum in ejus & Serapionis Indice, fere omnia Simplicium nomina corrupte & falso scripta legantur. Sed revera aliter se res habet. Nam *Benguin* seu *Bengui*, est nomen urbis & regionis ubi Laserpitium copiose provenit, & inde ad alia loca defertur. Est nempe urbs بنجواي *Bengjuai* in extremis limitibus Persiæ prope Indiam, de qua Geographus Nubiensis Clim. III. part. 7. sub finem, Lat. pag. 134. (postquam locutus est de urbe *Bengjuai* & locis ei finitimis

mis ,) dicit ويجلبى مما دار بارضها الحلتيتى الذي لا نظير له ويجني منه الشي الكثير الذي لا يتحصل لكثر ة *Et a partibus ei terræ circumjacentibus affertur Laserpitium plane incomparabile, quod tanta legitur copia ut præ ejus multitudine non colligatur*. Heic plane videmus unde hujus gummi nomen ortum est: nam exoticorum nomina una cum ipsis rebus ad nos aliunde deferri solent. D. Vartomannus Lib. 2. cap. 15. meminit Laserpitium etiam ab Indiæ urbe Sarnau deferri ad Bangellam (sc. *Bengala*) unde Europæi mercatores accipiunt. Et Cadamustus cap. 83. ex India citeriore ad nos afferri refert. Quia vero aliquando per Levantinos mercatores ad nos veniat, Schroderus Pharm. p. 606. scribit *quod ex Terra Sancta veniat*, (quod verum sit, nam non in uno tantum loco nascitur,) *&, quod Benzoin sit Assa dulcis ex arbore procera manans; calidum esse in quarto gradu; & quod forte sit Agallochi lacryma*. Proh, pessima conjectura! Nam *Benzoin* non est *Assa dulcis* sola, sed & fœtida; est nempe *Assa* in genere. Deinde non est ex aliqua arbore, multo minus procera; sed ex Frutice seu Ferula. Nec est lacryma Agallochi, cujus arbores magnæ & proceræ, ligno albo, quæ cæduntur, decorticantur, terra sepeliuntur aliquot annos, donec exterior pars succosa putruerit, manente tantum meditullio seu corde arboris, quod durius, quod est ipsum Agallochum: non bene olens nisi ustum. Unde sunt e nostratibus qui credunt nunquam reperiri nisi terra sepultum. De عود *Oud* seu Agallocho fuse agit Calcashendi tomo 1. p. 350. omnesque ejus species enumerat.

Sed ut a D. Schroderi confutatione ad rem redeam, *Benzoin* revera est lacryma seu concretus succus *Silphii*, quod [notante Dioscoride 3. 94.] in Syria, Armenia, Media, & Libya nascitur: & (ut notat D. Martinius Atl. p. 24.) in regno *Lao quo*, vulgo *Laos* ad austrum Sinarum, prope *Kiao chi* seu Cochin-chinam. Differt autem sec. locum seu solum in quo nascitur: nam dictus succus in Libya natus, benignus est & odoratus colore albus, Græcis dictus ὀπὸς Κυρηναικὸς *Succus Cyrenaicus*, a *Cyrene* regione Libyæ: Medicis dicitur *Assa dulcis*. Medicus autem & Syriacus, virosus est, gustu & odoratu ingratus: qui tamen longo usu gratior fit, adeo ut apud Orientales æque ac apud nos dulciaria, avide voretur & in deliciis habeatur. Hic est ὀπὸς Μηδικὸς, sc. *Assa fœtida*, Arabibus dictus حلتيتى *Hiltit*, Turcis قاصني *Casni*. Quin & *Hiltit* utramque *Assam* tam طيبى *dulcem* quam منتن *fœtidam* notat: præcipue autem fœtida intelligitur Indico nomine هينك *Hingh* seu هنك *Hengh*, unde fit Persicum انك *Engh*, Dialecto Shirazensi in Perside dicta انلنك كندة *Enghinek fœtida*; & alias Persice راومادة *Rav-mada*. Quin & Ὀπὸς simpliciter dictus, solet denotare *Succum Cyrenaicum*; & aliquando *Silphium* ipsum Hippocrati, qui *Silphii Succum* ὀπῦ καρπὸν vocat.

Σίλφιον Latine dicitur *Laser*: & ex eo extractus Succus, *Laserpitium*. Ex nomine *Laser*, Galli corruruptam cuderunt vocem *L' Asse* seu *L' Ase*, litera *l* in Articulum abeunte, & ultimæ literæ sono pereunte Gallico more; eodem plane modo quo Galli & Itali ex Persico لازورد *Lazurd*, fecerunt *L' Azur*; & rursus mutando *r* in *l*, Lapis *Lazuli*. Solino *Laserpitium dulce* dicitur *Sirpe*. Hinc Doctiss. Plempius in Notis ad Avicennam, dicit Græce mutando *r* in *l*, fieri Nomen Σίλφι seu Σίλφιον; & ab illo Latinorum *Sirpe* seu *Serpe*, fieri *Laserpitium*, pro *Lac Serpitrum* seu Silphii succo albo; aliquando tamen apud Authores *Laserpitium* ipsam plantam denotare solet. Dicta notatio a Lacte sumta, adhuc planior & certior sit, si animadvertimus, quod dictus Succus Syris dicatur ܚܠܒܐ ܕܣܘܪܐ *Lac Silphii*, & ܚܠܒܐ ܩܘܪܝܢܝܐ *Lac Cyrenaicum*; idque eadem ratione qua apud Bar-Bahlul *Gummi Arabicum* albescens vocatur ܚܠܒܐ ܕܥܪܒܝܐ *Lac Arabicum*, & *Sagapenum* est ܚܠܒܐ ܡܕܝܐ *Lac Medicum* seu ex Media. Alias forte nomen *Laserpitium* factum fuerit ex *La Serpe*, Articulo tandem coalescente cum ipso nomine. Ejus meminerunt Cato de re rustica, Catullus, & Plinius.

Italis *Silphione* est ipsa planta: Dioscoridi ejus Caulis tantum dicitur *Silphium*, Radix *Magydaris*. [Persis أشترغاز *Ushturgaz*,] Folia *Maspeta*. Arabice tota planta subinde nominatur محروت *Mahrut*, quod tamen præcipue de ejus Radice intelligitur. Apud Zeino'l Attar Persice sic legitur & definitur حلتيتى صمغ محروت ومحروت را انجدان خوانند وبشيرازي درافه خوانند وحلتيتى اربپارسي انكيزد خوانند وبهندي هنك خوانند وبشيرازي انكيزد كندة خوانند *Hiltit est gummi τῆς Mahrut: & Mahrut est Engjudan. In dialecto Shirazensi, vocatur Drafa. Alias Hiltit, Persice dicitur Enghizhed, Indice Hengh, & in dialecto Shirazensi Enghizhed fœtens.*

Totius itaque summa est, quod *Silphium* seu *Laser* sit Ferulæ species illa, quæ in Libyæ Cyrenaica regione nascens emittit *Laserpitium dulce*, quod *Benzoin* & *Assa dulcis* vocatur: eadem vero planta in Media & Syria nascens, *Assam fœtidam* producit. In Libro Nuzhato'l Nophus ubi hæc planta copiose describitur, *Silphium* seu planta ipsa æque ac ejusdem Gummi, distinguitur in album ac dulce, & in nigrum ac fœtidum, & colligendi modus docetur, وجمع هذا الصمغ بان يشرط صله اوساقه فيخرج منه لبن فيجفف ويستعمل فالحلتيتى الطيبى الابيض والحلتيتى المنتن من الانجدان المنتن الاسود *Colligitur hocce gummi incidendo radicem & caulem plantæ, unde egreditur Lac, quod exiccatum reservatur in usum. Et quidem Hiltit dulce, est album; & Hiltit fœtens est ex Engjudan seu Lasere fœtente & nigro.*

Pharmacopœi Germanici *Ligusticum* & *Ostrutium* (i. e. *Asterantium*) seu *Imperatorium* pro *Silphio* substituere solent; & quoque *Angelicam majorem*, quam Dodonæus perperam putat esse verum *Laser*. Pessime autem errat B. da Parigi, ponens *Belzuinum* esse حصلبان *Hasalban*; cum hoc Arabice revera sit *Rosmarinum*, quod Turcice dicitur ديش اوتي *Dentata herba*, quia multis dentibus constare videtur. Et idem vice versa errat vocando *Rosmarinum* ببريه *Piperitin*, propter quandam (ut videtur) mordacitatem, male conficto & imposito nomine.

[8] *Rhabarbarum*) i. e. Rha exoticum extra Græciam natum: ii enim omnia præter se & sua, Barbara vocare solebant. Græcis pro Nomine sufficiens fuit prima Syllaba: integrum enim Nomen Persice est راوند *Ravend*, seu راوند جيني *Ravend Chinense*, quod Michovius effert *Cini Revent*. Alias ex Tartaria advehi solet. Porcellana est herba *Purcellain*, refrigerans & in calidis regionibus grata.

[9] *Margaritæ*] Nomen *Margarita* origine Persicum est مرواريد *Murvarid*, i. e. *Unio*. Et tale est etiam Nomen Proprium *Margareta*, amabilem & pulcherrimum *Unionem* denotans.

[10] *Santalum*] Lignum eſt tam rubrum quam luteum, Arabice صندل *Sandal*, Syris mutando literam *Sandar*, & Anglis *Saunders*. Hæc autem omnia depravata ſunt & detorta a Perſico hujus Ligni nomine جندل *Tchandal*, ſeu ut minus recte aliquando ſcribitur جندن *Tchandan.* Arabes enim, ut ſupra dictum, literam چ pronuntiare non valentes, eam ſemper mutant in ſuum ص *Sad.*

[11] *Æſtimari*) i. e. recenſeri, propter magnam copiam.

[12] *Merceriæ*) viz. Panni linei, &c.

[13] *Sandalum*] Serici panni ſpecies quæ vulgo dicitur *Sarcenet*. *Tafata* origine Perſicum eſt تافته *Tafta*, i. e. *contortum*; viz. fortiore filo duplicato & contorto conſtans tela.

[14] *Rex fortis*) Magnus *Mogul* heic intelligitur.

[15] *Nigri*) Potius dixiſſet Olivaſtri.

[16] *Procerto ſint Judæi*) Proh ſtulta credulitas & judicium temerarium!

CAPUT XXVI.

פרק כו׳ יודיע סמיכות וקירוב לאמיקא לגולפו התחלת ים סוף ומציאו׳ ראש יבשת
קאליקוט סמוך למיצר התחלת ים פרס והעדה כוללת לכל ארץ
הודו ואיי הים בכלל ומעשה הקארובאני מהגמלים
להעלות הבשמים ביבשה העליונה:

Declarat confinitatem & approximationem la Meccæ ad Golfum initii Maris Suph, & [1] inventio Capitis Continentis Calecut prope Fretum initii Maris Perſici: & monitio generalis de tota terra Indiæ & inſulis Maris in genere. Et opus Caravanarum cum Camelis, ad deferendum Aromata per Continentem ſuperiorem.

כבר בארתי על הסובבים ביבשה מכוש השפלה בים אוקיינוס כי בהגיעו לסינוס ברבאריקוס אחר עבור היער הגדול הנז׳כ אשר אצל ראש ארמוני ואחר עבור כל פיות הנהרות הגדולות צריך שיעבור כל הגולפו בארבריקו אשר בו למעלה מיצר התחלת ים סוף ואחר עבור כל אלה יסובב היבשה וירד לדרום בים וימצא ראש יבשת לאמיק ואל הראש השני אשר כנגדו הוא ראש יבשת קאליקוט כמו מהלך ארבעים ימים דרך ים ובין שני הראשים האלה מלאמיק וקאליקוט יש מיצר ים אחר הנכנס ועולה ביבשה הרבה מאד ומתרחב ועושה סבוב גדול ביבשת פרס בבל וכשדים וסובב הים הזה קרוב לאלפים מילין ונקרא סינוס פירסיקוס מארצות הסופי באמונת הנביא עלי קרוב מעט לאמונת מחמד:

ועל צלעות הצד המזרחי לים פרס הזה הוא הדרך והרצועה לעלות הודו העליונה במלכות דראנגיאנא ואראגוסא אמנם יתר גלילות הים פרס הזה אשר למטה ממנו ימשכו כלם אחרי צלעי שפת ים הודו הגדול אשר טולומיאו דבר בם וקרא את שמם

JAm explicavi de circumeuntibus Continentem Æthiopiæ inferioris per Mare Oceanum, quod quando perveniunt ad Sinum Barbaricum, poſtquam tranſierint ſylvam magnam prædictam quæ eſt apud Caput rubrum, & poſtquam tranſierint omnia oſtia fluviorum magnorum, neceſſe ſit tranſire totum Golfum Barbaricum qui eſt in eo ſupra Fretum initii Maris Suph. Et poſtquam tranſierit quis omnia hæc loca, circumibit Continentem, & deſcendet ad auſtrum per Mare, & inveniet Caput Continentis la Meccæ. Et ad Caput ſecundum quod eſt adverſus illud, ſc. Caput Continentis Calecut, eſt iter circa quadraginta dierum per viam Maris. Et inter duo iſta Capita de la Mecca & de Calecut, eſt [2] Fretum Maris unum quod intrat & valde multum aſcendit per Continentem, & amplificat ſe, & facit magnum circuitum per Continentem Perſiæ & Babylonis & Chaldææ: hoc Mare circumit per fere bis mille milliaria, & vocatur Sinus Perſicus ex terris [3] Sophii qui eſt in Fide prophetæ Ali proxime ad Fidem Mohammedanam.

Et ad coſtas lateris Orientalis hujus Maris Perſici, eſt via & linea ad aſcendendum in Indiam ſuperiorem per regnum Drangianæ & Arachoſiæ. Verum cæteræ regiones hujus Maris Perſici quæ ſunt infra illud, protrahuntur omnes poſt latera oræ maritimæ Indiæ, de quibus Ptolemæus locutus eſt: & vocat nomina eorum Hodu eſtera, i. e. India extra, & India

הודו איסטרא ר״ל אינריאה איסטרא והודו
גאנייס ר״ל הודו הנמצא בין נהרי גאנייס
אשר בלשוננו גוזן וימשכו אלה המדינות
מהודו עד סוף העולם דרך שפתי הים
אוקיינוס הדרומי עד הגיעו בסוף הנק סינוס
מאניוס לדברי טולומיאו וסינארום ריגיאו
ביבשה :

אולם מעלה מהגלילות האלה ההודיות
ולעבור כל המדברות וללכת לצפון העולם
ילך ויגיע אצל גלילות סקיטאניאה וסרמאציא
סופיריאור ואינפריאור עד ארץ המגוג ויסובו
בלכתם לגלילות מדי ושושיאנה היא שושן
הבירה בקארטונה וגלילות הטארטארו
הגדול :

האמנם לשוב למטה לים קאליקוט בארץ
הדרום להודו עד סינוס מאניוס בסוף העולם
הדרומי כלו מיושב מישובים גדולים ומלכיות
רבות ותקיפות וכל טובות המציאות בידם
מלבד רוב האיים אשר בים לאין הקר ואין
מספר כלם כאחד בספינות ידובקו אלה
מארץ מזרח יבואו ואלה מדרומו של עולם
יגיעו לעשות הסטיפולי והקבוץ הכולל מכל
הסחורות לעיר קאליקוט הגדול שמה ינוחו
יגיעי הים שמה ימצאו מרגוע לסורותיהם
אם במכר או במחיר וזה דרכם מנהג למו
ואחרי כן איש לדרכו ישובו עם כסף מכרם
בידם או מחיריהם :

אמרו כי האיים האלה אשר סביבות
קאליקוט רובם עובדי אלילים הם לפי דעתם
ויש בהם עירות גדולות וקבוצים רבים
ונהרות מושכי׳ הול של זהב לרוב עם אבנים
טובות ומרגליות ויש מקומות אשר יש
משפט מות להורג פרה או שור או בהמה
דקה באמרם כי יש ברכה בם ובאמצעותם
סמוך לסינוס פירסיקוס הוא ים פרס יש שם
איים מלאים יהודים לאי מספר ושחורים
מלאים כל טוב וסחורה רבה ויערי בשמים
וירזין וקאסיאת תרי הים והאיים בספינותיהם :

וראוי לדעת כי בטרם חקירות מלחי
פורטוגאל יולדו זה כשלשים שנה לסבוב
בים כל יבשת כוש והודו התחתונה הזאת
ולבא אל קאליקוט מקום קבוץ כל הסחורות
האלה היה מנהגם אצל הסוחרי הגדולים

India [intra] Gangem, i. e. India quæ invenitur inter fluvios Gangis, qui in noſtra lingua eſt [fluvius] Gozan. Et protrahuntur iſtæ Provinciæ ab India uſque ad extremitatem Mundi per oras Maris Oceani auſtralis, uſque dum perveniatur ad finem qui vocatur Sinus magnus, juxta verba Ptolemæi, & ad Sinarum regionem per Continentem.

Sed ſupra regiones iſtas Indicas, ad pertranſeundum omnia Deſerta, & ad eundum ad ſeptentrionem Mundi, ibit & perveniet quis ad regiones Scytaniæ & Sarmatiæ ſuperioris & inferioris, uſque ad terram Magog: & tum circumibunt in profectione ſua ad Provincias Mediæ & Suſianæ, (quæ eſt Suſan Palatium quod eſt in Corduenis,] & Tartariæ magnæ.

Verum revertendo infra Mare Calecut ad terram Indiæ auſtraliorem uſque ad Sinum magnum in fine Mundi auſtrali, totum eſt habitatum habitationibus magnis & regnis magnis, & fortiſſimis: & omnium bonorum inventio eſt in manibus eorum: præter inſulas quæ ſunt in Mari tanta multitudine ut perſcrutari & numerari nequeant; quæ omnes ut una [5] conjunctæ ſunt navibus, viz. iſtæ a terra Orientis veniunt, illæ ab auſtro Mundi appellant ad faciendum Stapole & Conventionem generalem pro omnibus mercibus in magna urbe Calecut. Ibi quieſcunt defatigati maris: ibi inveniunt ſolatium mercibus ſuis vel per venditionem vel per [6] pretium; & hæc eſt via conſuetudinis eorum. Et poſtmodum unuſquiſque revertitur ad viam ſuam cum argento venditionis ſuæ in manu ſua, vel cum pretiis ſuis (in aliis mercibus.)

Dicunt iſtas inſulas circa Calecut eſſe pleraſque earum idololatricas opinione ſua. Suntque in eis magnæ civitates & multæ Societates, & fluvii trahentes arenam auri magna copia, cum lapidibus pretioſis & margaritis. Suntque loca ubi judicium eſt mortis interficienti vaccam aut bovem aut parvum aliquod animal: dicunt enim, quod benedictio eſt in illis. Et in medio earum prope Sinum Perſicum qui eſt Mare Perſicum, ſunt ibi inſulę plenæ Judęorum innumerorum & quoque Nigritarum, refertæ omni bono, cum negotiatione plurima, & ſylvis Aromatum & Verzin & Caſſiæ, (quarum incolæ) ſunt luſtratores Maris & inſularum navibus ſuis.

Jam convenit ſcire, quod ante explorationem nautarum Portugallenſium, ſoliti ſunt circiter triginta annos circumire per Mare totum Continentem Æthiopiæ & Indiæ iſtius inferioris, & venire ad Calecut locum congregationis omnium mercium iſtarum. Eratque conſuetudo apud

mer-

והרבים ההם לעשות השיירות הגדולות עם רבוי הגמלים הנקראים קארובאני והיו עוברים המדברות עד בואם סביבות ים סוף בעציון גבר או להר סיני ומשם היו מתחלקים קצתם להוליך לדמשק או לבארוט או ליפו וקצתם לאלכסנדריא של מצרים ומאלה המקומות היה דרך ומבוא לדוגיאות אדום ויניציאני זינוביסי פרינטיני לקנות ולקבץ כל מיני בושם פשוטים וסמים ותרופות להביאם לאיברופא בארצותם בארץ אדום ועתה כי נתמעט הדרך והמבוא הזה משיירות הקארובאני בסבת מלחי מלך פורטוגאל ומלכי ספרד אשר נשא לבם אותם בספינותיהם ילכו לקנותם ולהביאם הם בעצמם ואם נתמעטו סחורות הקארובאני לא נתמעט בארצות האינדיאה וקאליקוט כי שם לא ילכו הויניציאני ולא הורגלו וגם לא יסובבו את ארץ כוש אם שיברחו מהשגת גבולי למלכי ספרד או מיראתם לעבור שמה ועל כן הויניציאני יעשו יקר מזולל למכור היום ביוקר את אשר יביאו מבארוט ויתיקרוהו לכפלים המעט אשר יביאו באמרם כי החלק המעטי המובא בידם צריך שיספיק ולהמכר לכפלים לתושיה בסך הקדום למוצרכים למען יקבצו כל כך כסף מן הבושם המעט הזה כסך המקובץ מן הרוב הקדום וכן הוא באמת כי ארצות ספרד צרפת ופרווינצא בורגוניא וגם פלאנדריס ואנגליאה סקוציאה ואיבירניאה ורוב אשכנז והולאנדי כלם מסחורות פורטוגאל יספיקו ומכל מיני בושם וסחורותיהם יחיו ויעמודו ואל ויניציאה לא יצטרכו ללכת כראשונה ומלבד פ, גם חוף הים היפה אשר לעיר זינובא וליגורנו אשר באיטאליאה גם היא תושיט סחורותיה ובשמיה לטוסקאנה ופאטרימוניאו וכל צלעות המארימי ורומא ונאפולא:

ונשוב אל הקודם בעקר הערת הפרק הזה כי כל הבשמים והפשוטים ורוב המחצבים והאבנים טובות כלם מרחוק יבואו אם מארצות כוש היא האיטיאופיאה העליונה והשפלה אשר זכרנו ואם מהודו או מאיי

mercatores illos magnos & multos facere Catervas magnas cum multitudine Camelorum, quæ vocantur Caravanæ. E transſibant per Deſerta donec venirent per circuitum Maris rubri ad Eſion-geber aut ad montem Sinai: & inde dividebantur, quidam eorum ut perferrent (merces) ad Damaſcum, aut Berytum, aut Joppam; & quidam eorum ad Alexandriam Ægypti. Et ab iſtis locis erat via & introitus pro Galeris Edom, viz. Venetorum, Genovenſium & Florentinorum, ad emendum & colligendum omnes ſpecies Aromatum, Simplicium, & Drogarum, & Medicamentorum, & ad portandum illa in Europam in terras ſuas in terram Edom. Sed jam quamvis minus frequentata ſit via & introitus iſte per Catervas Caravanarum propter cauſam nautarum regis Portugalliæ & Regum Hiſpaniæ quorum tulit animus ut irent navibus ſuis ad emendum ea & ad apportandum ea ipſi per ſe, & quamvis merces iſtæ Caravanarum infrequentiores factæ ſunt in terris Indiæ & Calecut: nam eo non proficiſcuntur Veneti nec aſſuefacti ſunt, neq; etiam circumeunt terram Cush, vel quia 7 fugiunt invadere terminum regum Hiſpanię, vel propter ſuum metum eundi illuc: & hac ratione Veneti faciunt carum ex vili, ut tradant [ſeu vendant] hodie carius id quod afferunt a Beryto, & faciunt duplo carius id parvum quod afferunt; cum dicant quod illa pars pauca quod apportatur in manibus eorum debeat ſufficere & ea egentibus vendi pro duplo pretio reſpectu ejus quo olim vendebatur, ut ſic colligant tantam ſummam argenti ex aromate iſto parvo tanquam ſummam collectam a multitudine olim. Et ſic eſt revera: nam iſtæ terræ Hiſpania, Gallia, Provincia, Burgundia, Flandria, Anglia, Scotia, & Hibernia, & major pars Germaniæ, omnes inquam iſtæ ex mercibus Portugalliæ habent id quod ſufficiat, & ex omnibus ſpeciebus Aromatum & mercium eorum vivunt & ſubſiſtunt, nec opus habent ire Venetias uti olim; pręterquam quod portus maritimus pulcherrimus qui eſt urbs Genova & Ligorna in Italia, etiam illa porrigat merces ſuas & aromata ſua ad Tuſcaniam & Patrimonium, & omnia latera maritimi, & Romam, & Neapolim.

Revertamur jam ad præcedentia de fundamento argumenti hujus Capitis, quod ſc. omnia aromata & ſimplicia & major pars mineralium & lapidum pretioſorum omnia inquam a longinquo veniant, ſc. vel a terra Cush quæ eſt Æthiopia ſuperior & inferior cujus mentionem fecimus, vel ab India & inſulis maritimis quæ ſunt in

הים אשר באוקיינוס הגדול והנפלא אשר נדבר בהם עוד מעט לתת תוספת הערה באגרת הזאת להשביע נפש שוקקה לשמוע חדשה בקרב הארץ לעם אשר לא שמע אופן הישוב ומעשהו ואיך הוא וחלוף המקומות ותולדותיהם בכל הדברים הנזכרים יבוא וידע ענינו :

in Oceano magno & mirando, de quibus loquemur adhuc aliquantulum dando additionem [8] monitionis in hoc Tractatu, ad saturandum animam desiderantem audire id quod novum est in medio terrę, populo qui nunquam audiverunt modum Orbis habitabilis & negotium ejus, & quomodo ipse sit, & mutationes locorum & accidentia eorum in omnibus rebus commemoratis, ut accedat & sciat rem eorundem.

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

[1] *Inventio Capitis*) i. e. quomodo inveniatur attingere illum locum seu illud Caput.

[2] *Fretum maris*) viz. Fretum juxta هرموز *Hormuz*, seu Angustior introitus maris vel Sinus Persici, alias Arabice باب المندب *Babo'lMandab*, i. e. *Porta exitii*, propter pericula & nimis frequentia naufragia.

[3] *Sophii qui in fide prophetæ Ali*) Nempe Persarum Rex *Ismael* fuit ex Religiosa familia eorum qui a gerendo vestes ex صوف *Soph*, i. e. *Lana*, (nam Sericum non induunt,] dicuntur صوفي *Sophi*, q. d. *Laniferi*, *Lanosi*, *Lanearii* seu Laneas gerentes vestes. Unde & usque hodie Persarum Reges [utpore qui ex eadem familia orti) *Sophii* vocantur. Multum autem falluntur illi, qui propter moderniorem aliquem Regem proprio nomine *Sephi* dictum, Reges omnes rectius vocari debere *Sephii*: id enim nominis ante *Shah-Sephii* tempora obtinuerat. Dicta Sophiorum Secta talis est, *quæ res Divinas & ad amorem Dei spectantes quotidie meditari, easque visibilium rerum figuris obscure & figurate adumbrare solet*. Ab illo nomine fit Verbum Arab. صاف *lanifer* & *lanosus fuit*, & صوف *more Sophorum velavit & obvolvit sermonem*, & Passive تصوف. Hinc in Sophiorum Institutis peritia & scientia vocatur علم تصوف *Scientia Sophiismi* seu *Instituti Sophiorum*, quod quidem Institutum præcipue continetur in Libro Persico cui Titulus معنوي ومثنوي *Mahnavi & Mesnavi*. Quoad Religionem, tam Turcæ quam Persæ sequuntur fidem Mohammedis, & Coranum amplectuntur, diverse autem explicant. Maxima autem differentia, propter quam Turcæ & Persæ seinvicem odio habent & convitiis proscindunt, est de quatuor immediatis successoribus, quorum tres priores *Abu-beer*, *Omar*, & *Othman* Turcis chari & honorati, & quartus *Ali* despectui habetur: e contra, Persæ istum ultimum plusquam tres priores & quam Mohammedem ipsum æstimant, honorant, & Sanctissimum fuisse existimant; reliquos vero ut nebulones vilipendunt. Hinc & solennis illa qua se Muslimos esse profitentur Formula, quæ etiam in Nummis inscribi solet, Turcis est لا اله الا الله محمد رسول الله *Non est Deus nisi ipse Deus, & Mohammed est propheta Dei*; Persæ vero his verbis subjungunt علي ولي الله *Ali vero est Amicus Dei*. Deinde in Alcorani expositione, multa oriuntur Dissidia, unde se invicem Schismaticos esse proclamant, majorem spem esse de Christianis esse quam de Persis, & in die Judicii asinos a Judæis inequitandos eos futuros esse pronuntiant Turcæ.

[4] *Corduenis*] sc. est prope *Cordyæam* quæ est كرد *Cord* seu كردستان *Curdistan*, scil. Curdorum regio monatna inter Assyriam & Persidem, de qua plurima in Notis Biblicis, si Deus vitam & vires suppeditaverit.

[5] *Conjunctæ sunt*] Seu cohærent, nempe omnes istæ (i. e. istarum incolæ) inter se conveniunt in hac re, sc. ut navibus veniant ad mercandum in Calecut, eamque faciant *la Stapole* seu Stabilis mercaturæ locum.

[6] *Per pretium*) sc. in permutatione pro aliis mercibus.

[7] *Fugiunt impedire*] i. e. nolunt impedire negotiationem Regum Hispaniæ.

[8] *Monitionis*) i. e. informationis, sc. dando additionalem monitionem seu informationem sive argumentum.

CAPUT

CAPUT XXVII.

פרק כ"ז הערה נוספת על רוב איי ים אוקיינוס הראשיות הקדומות הנודעות
הנה עם אחרונות בהודו ואי טראפובאנה וסביבות סינוס מאניוס
בסוף המזרחי הדרומי ולפנות לצפונו של עולם:

Admonitio (ſeu informatio) additionalis de maxima parte præcipuarum inſularum Maris Oceani tam de antiquis quæ bene notæ ſunt, quam de modernis, quæ ſunt in India: & de inſula Taprobana, & circumjacentibus Sinui magno in extremitate Auſtro-Orientali, reſpiciendo etiam verſus Aquilonem Mundi.

מה שנזכיר הנה בפרק הזה הוא לתת
תוספת ביאור וזכירה לרוב האיים הראשיות
אשר הם חוץ למיצר גיבאלטאר ובדרך הצפון
בראשונה ואחר בדרך הדרום למען יובן
ענינם ומה הם ואנה הם בראשונה זכרנו
למעלה על איי אנגליאה סקוציאה ואיברניאה
וזכרנו ענינם בצפון המיצר מגיבאלטאר ואלה
משלשת מלכים הם והם צפוניים
למהלך סבוב היבשה הצפונית מן האיברופא
בים אולם לדרום המיצר הנזכר ימצאו לאין
מספר אם למערבי דרומי ימצאו את אלה
נגד פיס שם איים קטנים ונגד קאוו קאנטין
שלשים איים וכן נגד קאפו בייאנקו ונגד
ראש וירדי כמו ששה איים גם להתרחק מן
היבשה הזאת הרבה כבר מצאו איים טובים
כגון מאדירא איי ספאניולי הם פורטונאטי
אינסולי איי קאנאריי אינסולי סאנטי ואחר
כל אלה במרחק הרבה מאלו בים האיים
הרעים מאיי קאניבאלי אוכלי בשר האנשים
ואחרי אלו בשוב אחורנית לצד דרומי מעט
ס' אנא ורבים מאלה עד עברם הראש
הגדול ראש טובה תקוה ר"ל קאוו די בונא
ספיראנצא אשר למטה בים כוש אשר
סביב לזה בים כעשרים איים הנה והנה
קרובים ורחוקים מן היבשה עוד למטה
אחר עבור סינוס בארבאריקוס בגולפו הגדול
ללכת לאמיקא וקאליקוט שם מוצא האיים
הגדולים והרבים אשר כל טוב המציאות
בתוכם וכלם הם אשר יביאו בקאליקוט
בספינותיהם הסחורות הנז"ל ואלה שמות
קצת מהראשיות מהאיים האלה זאנזיבאר
יאווא מאיור יאווא מינור מאדאגסקאר
אוזים קאטין וכ"ו יעלו מספרם לפי דברי ספר

ID quod hic [1] commemoraturi ſumus in hoc Capite, eſt ad dandum additionalem explicationem & memoriale majoris partis inſularum capitalium quæ ſunt extra Fretum Gibeltar & per viam Septentrionalem primo: & poſtmodum per viam auſtralem, ut intelligatur negotium eorum, quænam ſint & ubi ſint. Primo ſupra commemoravimus inſulas Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ; & recenſuimus negotium eorum in Septentrione Freti Gibeltar: & iſtæ ſunt ſub tribus regibus, & ſunt Septentrionales reſpectu itineris per circuitum Continentis Septentrionalis Europæ per Mare. Verum ad auſtrum Freti prædicti, repeiuntur (inſulæ) innumerabiles: nam ad Auſtro-Occidentem reperiuntur iſtæ: ſc. adverſus Fes, ibi ſunt inſulæ parvæ: adverſus Capo Cantin, tres inſulæ: ſic e regione Capo bianco & Capo verde, circiter ſex inſulæ: & quoque elongando multum a Continente hoc, jam repererunt inſulas bonas, qualis eſt Madera, & inſulæ Hiſpaniolæ [2], quæ ſunt inſulæ Fortunatæ; inſulæ Canariæ, inſulæ Sanctæ. Et poſt omnes iſtas per diſtantiam multum ab iſtis per Mare, ſunt inſulæ malæ (ſeu ſequiores,) ut inſulæ Canibalium comedentium carnes hominum. Et poſt eos, retrocedendo aliquantulum verſus Auſtralem plagam, eſt S. Anna, & multæ tales, donec pertranſierint Caput magnum, ſc. Caput bonæ ſpei, vulgo Capo de bona ſperanza, quod inferius eſt in Mari Cush: & quæ circa illud per Mare, ſunt circiter viginti inſulæ hinc illinc vel propinquę Continenti vel procul ab eo. Præterea inferius poſtquam tranſeatur Sinus Barbaricus per Golfum magnum ut eatur ad la Meccam, & ad Calecut, ibi reperiuntur inſulæ magnæ & multæ, in quarum medio eſt omnium bonorum inventio, & omnes iſtæ eæ ſunt quæ afferunt ad Calecut merces commemoratas navibus ſuis. Hęcque ſunt nomina principalium aliquot inſularum iſtarum: Zanzibar, Java major, Java minor, Madagaſcar, Ozim, Catin, &c. & aſcendit numerus earum juxta verba Libri Mundi novi, ad pluſquam mille & quingentas inſulas. Et hoc etiam numero conti-

ne-

עולם חדש יותר מאלף ות'ק איים ובתוך המספר הזה יש אי גדולה ועצומה בתוך הים וטראפובאנה שמה אשר אין ערוך אליה לגודלה ולטובה ולמוצא כל הטובות אשר בה כנוס אילני כל מיני בושם כיערי ההרים ואילנות גדולות ונהרותיה מושכות חול זהב ממקום התחלת מקורי הנהרות אף כי אבניה אשר סביבות התחלת המעינות והנהרות אבנים טובות הנה ארומות ולבנות וירקות אפס כי עז מאה חית היער אשר בה ועופות השמים אשר בה המעופפים ומפחדים מאד יושביה ושם מוצא הגריפוני והיערות יערי פלפל ויערי וירזין והיא יושבת בים נגד יבשת אינדיאה גאנייס והיא תחת משוה היום לדברי טולומיאו אשר הזכירה וציירה בספריו ומקומה האמיתי בים אוקיינוס בין מיצר פרס לסינוס מאניוס שהוא סוף קצה ים הודו וסובבת יותר מאלפים מילין הרבה וכל אלה שחורים הם וכל טוב סחורות בידם אשר כבר זכרתי זכרם מבשמים וסמים ופשוטים ומחצבים ואבנים טובות ומרגליות וירזין ריאובארבארו פאפאגאלי לבנים פורצילאני ויתר הפנינים אשר נשכתו אמם עתה הכל אשר בים וביבשה עד סינוס מאניוס מובא לקאליקוט העיר אשר זכרתי וסדרתים עוד הנה בסדר קטן בקוצר להיכרון עוד לקוראים:

netur in medio Maris inſula quædam magna & fortis cujus nomen eſt Taprobana, cui nulla eſt ęquiparanda propter magnitudinem & bonitatem ſuam, & propter productionem omnium bonorum quæ ſunt in ea; uti collectio arborum omnium ſpecierum aromatum ſicut ſylvæ montium, & arbores magnæ, & fluvii ejus trahentes arenam auream a loco originis (dictorum) fluviorum; prętcrquam quod lapides qui ſunt circumcirca initium fontium & fluviorum, ſint lapides pretioſi, rubri, & albi, & virides. Excepto quod valde fortia ſint animalia ſylveſtria; & volucres cœlorum qui in ea volitant, [3] terrefaciant valde habitatores ejus. Et ibi eſt productio Gryphium: & ſylvæ ejus ſunt ſylvæ Piperis & Verzin; & illa ſita eſt in Mari e regione Continentis Indiæ Gangeticæ, eſtque ſub Æquatore diei, ſecundum verba Ptolemęi qui eam commemoravit & deſcripſit (ſeu depinxit) in libris ſuis. Et verus ejus locus eſt in Mari Oceano inter Fretum Perſicum & Sinum magnum qui eſt in fine extremitatis Maris Indici, circuitque multo plus quam bis mille milliaria. Omnes iſti ſunt Nigritæ, & omnes bonæ merces ſunt in manu eorum, quarum commemorationem jam recenſui, uti Aromata, Drogę, Simplicia, & Mineralia, & Lapides pretioſi, & Margaritæ, Verzin, Rhabarbarum, Pſittaci albi, Porcellana, & abundantia Unionum, quorum reperiuntur Matres. Nunc omnia quæ ſunt in Mari & in Continente uſque ad Sinum magnum, importantur in urbem Calecut, quæ jam hic commemoravi & ordinavi illa ordine parvo & compendioſo, ut ſit adhuc memoriale legentibus.

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

[1] *Commemoraturi ſumus*) Eſt repetitio ſeu recapitulatio eorum quæ antea deſcripſerat.

[2] Ut a Canariis Canes multi, ſic ab Hiſpaniolis (vulgo *Spaniola*) ſunt Canes aquatici quos vocamus *Spaniels*.

[3] *Terrefaciant*) i. e. Beſtiæ ſylveſtres & rapaces volucres prohibent ne aliquis accedat ad prædicta illa bona auferendum: nam & incolas ipſa terrefaciant valde.

CAPUT XXVIII.

פרק כ״ח אל ביאור סביבות סינוס מאניוס סוף ים הודו ולהפוך
סביבות היבשה המזרחית והיהודים הסגורים:

De Expoſitione circumjacentium Sinus magni in fine Maris Indici, & ad invertendum per circumjacentia Continentis Orientalis: & de Judæis incluſis.

כבר בארתי כי סינוס מאניוס הגדול הוא הנק׳ר כל מאינדיאה דרך ים וביבשה על סביבות הסינוס מאניוס הזת מלכות סיריקא והרי אימאוס והוא סוף יבשה הודו וסוף כל הישוב אשר הגיע לדבר בם טולומיאו החכם אמנם להלאה מהמקומות האלה אשר במזרח לא דבר בו כלל:

ועתה ביום הזה אשר נתרחב הישוב ונתישבו המדברות וההרים והיערות נחשפו ונשרפו ומצאתי כתוב מה שעברו הספינות הנוצריות להלאה מהמקומות האלה הנזכרים וסבבו בים את היבשה המזרחית אחר מעבר סינוס מאינוס ומצאו איים רבים בתוכו הנה והנה איך קצה למספרם ואפשר שגם אלה האיים ממספר האיים הם אשר זכרתי שכלם יכולים גם הם לסבוב ולבא בקאליקוט וכלם מלאים כל טוב כראשונות ואלה קצת משמותם אשר מצאתי כתוב בספריהם ריגיאו ל״אק סמוך לגבול אינדיאה איסטרא מלכות באלור הגדול העליון לכל אלה אשר כתבו הסופרים אצלו שיהודים רבים סגורים בו והוא בצד המזרחי הצפוני גם נתחרשו עוד ישובים אחרים בחדושי הגלילות האלה המזרחיים ביבשה וקראום בשם יושביהם טיביט צינבא בוקטארי עד ריאו דארוסא וקרוב לזה למעלה מהכל עיר גדולה לאלהים איך כמוה תחת השמים אשר כל טוב להם מהדברים היקרים ומתנהג׳ כפי הטבע ואלה הם בודאי עובדי השמש ועד הנה נודע ונתגלה מה שנתוסף העולם בתוספת הישוב שנתחדש מה שלא כתב בו טולומיאו וכל אלה הם בצפון המזרחי ביבשת ים אוקיינוס הצפוני מזרחי ההולך וסובב לצפון הולאנדי מהלך נפלא ועצום גדול ונורא מאד כי לא יוכל עוד איש

Jam explicavi quod Sinus magnus eſt finis totius Indiæ per viam Maris: & in Continente juxta circumjacentia Sinus magni iſtius, eſt regnum Serica & montes Imai. Et hic eſt finis Continentis Indiæ & finis totius Orbis habitabilis ad quem pervenit ut loqueretur de eo Ptolemæus [1] Sapiens. Verum ultra hęc loca quę ſunt in Oriente, nihilominus locutus eſt.

Nunc autem hodie cum dilatata ſit pars habitabilis, & habitata ſint Deſerta & montes & ſylvę denudatę ſint & combuſtę, inveni ſcriptum quod naves Chriſtianę tranſiverunt ultra hęc loca prędicta, & circumiverunt per Mare Continentem Orientalem poſt tranſitum Sinus magni, & invenerunt inſulas multas in medio ejus hinc & illinc, nullus eſt finis numero eorum. Et fortaſſis etiam iſtę inſulę ſint de numero inſularum quarum mentio feci: nam illę omnes poſſunt etiam circumire & venire ad Calecut; & omnes quoque refertę ſunt omni bono uti priores. Et hęc ſunt nominibus earum, prout inveni ſcriptum in Libris illorum: viz. regio Lac prope terminum Indię exterioris: magnum regnum Belur omnibus iſtis ſuperius, de quo ſcripſerunt Authores quod multi Judęi incluſi ſint in eo: eſtque in latere Boreo-Orientali. De novo etiam diſcoopertę ſunt ibi multę Habitationes alię ſecundum novas diſcoopertiones regionum iſtarum Orientalium in Continente: & vocarunt eorum nomina ſecundum nomina incolarum eorundem, Tibet, Sinaba, Buchtari, uſque ad Rio de Roſa: & prope huc ſupra omnia, eſt Civitas [2] magna Dei, non eſt ſimilis ei ſub cœlo; nam poſſident omne bonum de rebus pretioſis, & gubernantur ſecundum naturam: & iſti ſunt pro certo Cultores Solis. Et huc uſque notum eſt & manifeſtatum id quod additum eſt in Mundo per additionem parti habitabili de novo diſcoopertę, de qua nihil ſcripſit Ptolemęus. Et hęc omnia ſunt in parte Boreo-Orientali in Continente Maris Oceani Boreo-Orientali, qui tendit & circumit per Septentrionem Hollandię itinere mirabili, forti, magno, & tremendo valde; quia non poteſt aliquis tranſire per viam illam,

לעבור דרך ההוא כי היבשה מדבר שממה היא ושעירים ירקדו שם מרוב הקור מאד וזהו סוף ותכלית כל היבשה המיושבת והמדברית אשר יוכל אדם לרכוב על סוס עליה ולרגלה ולתור אותה בדרך ים אוקיינוס ובדרך מיצר גיבאלטר כי הוא הפתח הפתוח לסבוב כל היבשה מהשבעה איקלמים אשר אנחנו בו היינו איברופא אפריקא אשיאה מלבד האיים אשר בימים כלם ועתה נדבר מעולם חדש הנמצא אשר אין לו קשר ודבקות אתנו ולא נודע עד היום הזה:

illam, cum Continens sit Desertum desolatum: & Satyrę saltant ibi, prę valde magna copia frigoris. Et hęc est finis & completio totius Continentis habitati & deserti per quem quis potest equitare cum equo super illum, & illum explorare ac investigare eum, & circumire illum per viam Maris Oceani & per viam Freti Gibeltar: nam illa est porta aperta ad circumeundum totum Continentem 7. Climatum in quo sumus, i. e. Europa, Africa, Asia;) pręter Insulas quę in omnibus Maribus. Et nunc loquemur de Mundo noviter reperto, cui non est colligatio & connexio nobiscum, nec notus est usque hodie.

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

[1] *Sapiens*) Tam Doctorem quam Philosophum & quemvis Doctum hoc nomine sæpe intelligunt.

[2] *Magna Dei*) i. e. maxima. Videtur intelligere Magni Cam Sedem vulgo dictam *Cambalue*, quod in vetustis MSS. Latinis scribitur *Cambaluc*, rectius. Est enim خان بالق *Can-baluc* seu *Can-balac*, contracte pro قاان بلقصون *Can-Balacsun*, quod quod in lingua Mogolo Tatarica est *Imperatoria civitas*, ubi sedes Regia: de qua alibi plura, si Deus vitam prorogaverit ejusque permissu. De hac interroti Legati Siamenses, talem aliquam certam civitatem non noverunt; nam migratoria est, ut & اوردو *Ordu*.

CAPUT XXIX.

פרק כ׳ט על מציאות עולם חדש הגדול והנורא ותכונתו אשר נמצא להלאה ממשוה היום ואם אפשר הדבר שיהיה ישוב בדרום להלאה מהמשוה הזה הנקרא טורידא זונא בלשונם הנוצרי והיוני:

De inventione Mundi novi magni & terribilis, & de dispositione ejus, qui repertus est ultra Æquatorem diei: & an possibilis sit res ut detur habitatio in meridie ultra istum Æquatorem, ubi vocatur Torrida zona lingua eorum Christiana & Græca.

הסכימו רוב התוכנים ובעלי חקירת העולם והקוסמוגריפי ובפרט טולומיאו בספריו ובציוריו כי למטה ביבשה בצד הדרום תחת ונגד משוה היום הנקרא בלשונם טורידא זונא ולהלאה מזה בצד הדרום לעולם אין ישוב נמצא וזה בסבת החום החזק אשר יכהו ניצוץ השמש בדרום ההוא אל פני ארצה וכאשר נתרכו הימים ופרו ורבו החוקרים בעולם והחכמים והשרים אשר שלחו לתור הים למצוא חדשות בעולם נתבטל חמונח הזה הראשון הקדום וחשבו אחרי מה שמצאו בגלילות קאוו דיבונה ספיראנצא שהוא להלאה הרבה ממשוה היום שאפשר למצוא ארץ חדשה אחרת נוספת הרבה להלאה מזה אחר משוה היום

Consentiunt major pars Mathematicorum & authorum investigationis Mundi & Cosmographorum, & particulariter Ptolemæus in Libris suis & Mappis suis, quod infra Continentem in latere meridionali sub Æquatore diei & e regione ejus [ubi vocatur in lingua eorum zona torrida,] & ultra illum in latere australi Mundi, nulla reperiatur habitatio. Et hoc est propter causam caloris intensi, quia percutit illum (locum) Scintilla Solis in australi illa plaga super faciem terræ. Sed postquam multiplicati essent dies, & fructificarent & multiplicarentur exploratores Mundi, & Sapientes & Principes quos mittebant ad observandum Mare & reperiendum nova in Mundo, cessavit hæc assertio prima antiqua, & existimarunt postquam invenissent regiones Capitis bonæ spei quod est multum ultra Æquatorem diei, possibile esse reperire aliam terram novam addititiam longe ultra hoc post Æqua-

ואחרי שזה היה אפשר אצלם אחרי כן מצאוהו מחוייב ואמתי בהיות שמצאוהו ממש עין בעין חוקרי ותרי מלך פורטוגאל זה קרוב לעשרים שנה ועל המונח הזה שמעתיהו מבואר במ׳ק בהיותי בפירינצי בימי השר לורינצו דימדיצי בזמן שהובא אליו הדורון מהנייראפא ובשמים ובאלצימו ממלך שלטון מצרים שמעתי בביתו ושהיה בפניו פיירו בנו חיוב מציאות ישוב להלאה ממשוה היום וכן ראיתי פה פיראר בזמן דוכוס ארקוליס איש חשוב בקיא במלאכה הזאת אשר ברח מפיומבינו ואשר רכב ים אוקיינוס הזה הדרומי הגדול קרוב לעשרים שנה וקיים מציאות ישוב הדרומי הגדול להלאה ממשוה היום כאשר נגיד ענינו :

ונראה לי כי כמו שיחסרו הימים ויארכו לנו אנחנו היושבים תוך שבע האיקלימים הלזו אשר נתישבנו בהם ממשוה היום והנא ר׳ל מן הדרום אל הצפון וגם שיתקרר הזמן ויתחמם לנו לפי איכות מצב האיקלימים אשר נשב בו ונקבל אנחנו הפחות והיותר בקור וחום וקוטן הימים והתארכם בסבת גלגול עליית השמש וירידתו בהתקרבו והתרחקו מעלינו ברביע הכדור הצפוני אשר אנחנו בו כן אפשר שימצא יבשה וישוב ברביע הכדור השני ושימצא בו ארץ מוחזקת שישתנה להם גכ׳ הזמן בעליית השמש וירידתו והתרחקו והתקרבו שמה ושיהיה להם גכ׳ השתנות מה בזמנים וימים ושיוכלו הישובים ויושביה לעמוד ולהתישב שם להלאה ממשוה היום על פי טבע תכונתם ומזגם מלידה ומבטן ומהריון ולהחיות הזמן הרגיל והנהוג לפי טבע הנולדים ומזג הרכבתם :

ונאמר בוראי כי הספינות ממלך ספרד הלכו במצות המלך ויעברו מיצר ניבלטאר וילכו מהלך ששה עשר חדש על הדרוש הזה באופן כי בהיותם בקאפו ויררי הוא ראש ירוק ביבשה והדרומית בשמאל הים ונגדו בתוך הים אינסולי פורטונאטי הנקראים

quatorem diei. Et poſtquam hoc fuiſſet poſſibile illis, tandem invenerunt id eſſe neceſſarium & certum: nam pro certo invenerunt illud oculari inſpectione Exploratores & Speculatores regis Portugalliæ, jam circiter 20. annos. Et occaſione hujus ſuppoſiti, audivi rem clare explicatam accidentaliter cum eſſem Florentiæ in diebus Principis Lorenzo de Medices quo tempore afferrentur ei pro munere Caryophilli cum Aromatibus & Balſamo a Rege Sultano Ægypti; audivi inquam in ædibus ejus (cum etiam eſſet in [1] præſentia ejus Petrus filius ipſius,) neceſſitatem inventionis loci habitabilis ultra Æquatorem diei. Et ſic vidi hic Ferraræ tempore † Ducis Herculis virum aliquem egregium exercitatum in hac arte, qui aufugerat ex Piombino, & navigaverat hoc Mare Oceanum auſtrale magnum prope per 20. annos, qui affirmabat inventionem loci habitabilis ultra Æquatorem diei, uti declarabimus negotium ejus.

Et mihi quidem videtur, quod ſicuti abbreviantur & prolongantur dies nobis qui habitamus in medio ſeptem iſtorum Climatum; (habitamus etiam in illis ab Æquatore diei & citerius, i. e. ab Auſtro ad Septentrionem; & quoque quod ut frigeſcit nobis tempus & rurſus caleſcit, ſecundum qualitatem ſitus Climatis in quo habitamus & participamus plus aut minus de frigore aut calore; & ut imminuuntur dies propter cauſam [2] revolutionis aſcenſus Solis & deſcenſus ejus in approximatione ejus ad nos aut elongatione a nobis in hac quarta Septentrionali parte Globi in quo nos ſumus; ſic poſſibile eſt ut reperiatur Continens & locus habitabilis in quarta parte Globi ſecunda, & quod in ea reperiatur terra firma, & quod mutetur illis etiam tempus per aſcenſum Solis ejuſque deſcenſum, & per elongationem & approximationem ad illum, & quod ſit illis quoque mutatio in temporibus & in diebus, & quod poſſint loca iſta habitata eorumque habitatores ſubſiſtere & habitare ibi ultra Æquatorem diei ſecundum naturam diſpoſitionis ſuæ & temperamenti ſui a nativitate, ab utero, & a conceptione, & conſervare ſeipſos vivos tempus conſuetum & uſitatum ſecundum naturam eorum qui naſcuntur, & temperamentum Compoſitionis eorum.

Dicemus itaque pro certo, quod naves a rege Hiſpaniæ iverunt mandato ipſius regis, & tranſeuntes per Fretum Gibeltar profecti ſunt itinere 16. menſium in inquiſitione iſta; adeo ut cum eſſent apud Capo verde ſeu Caput viride quod eſt in Continente auſtrali ad ſiniſtram Maris, & e regione hujus in medio Maris eſſent In-

ſulæ

ספאניולי או אינסולי קאנאריאי הרימו נס
הוילונים על תרבי ספינותיהם ושמו לרוח
אוסטרו פניהם נגד הדרומי תמיד ומעט
מזרחי והניחו כל האינסולי הנזכרות בימינם
בתוך הים ויבשת כוש השפלה על שמאלם
והלכו תמיד ברוח אוסטרו הנז׳כ ובצד הדרומי
מזרחי מעט כאמור מהלך שני חדשים וחצי
ולא מצאו ולא ראו מאומה וכמעט אבדה
תקותם לשוב כי כבר התחילו בעוצר ובחסרון
מים ועצים בספינות עד אשר זכה אותם
הרצון האלהי הקדום שראו יושבי על
התורנות יבשת גדולה וארוכה וירוקה
ומיושבת כלה מוכתרת מהרים ובקעות
וגבעות ויערות גדולות ונהרות מים מתוקים
וטובים וכאשר סבבו הצלע הזה יותר מאלף
פרסאות כי חשבו אולי תהיה אי גדולה
לאלהים אחרי כך נמנו וגמרו לפי מה שראו
משך צלע היבשה ההיא ואופני הפוך וסבוב
הליכותיה שהוא ארץ מוחזקת ארוכה מארץ
מדה ורחבה בתוך הים וקראוה עולם
חדש לגדלו ואורכו :

ואלה התארים אשר השיגו וראו מיושבי
הגלילות ההמה אשר עמדו שמה הנה
והנה קרוב לשני חדשים ואכלו ושתו עמהם
בחברה ובדרך תורגמן ובטורח נמרץ דברו
בדוחק העמים ההם אשר שם שחורים
כלם ונוטים לאדמימות עם אדמוני עינים
פני להבים פניהם הולכי ערומים כלם עד
יום מותם יושבים בחורים ובמחבואות
ובמעונות כמו סכות מוקפות וחשופי שת
כל שתותיהם פנים ואחור בלי כסוה ומכנסים
ומשתמשים הנשים כבהמות וכאן הנשים
הלהוטות במשגל גם כן העשינה כמשפט
הנשים אשר בתחתית כוש התחתונה
להגדיל האבר במשיחות או בעקיצת איזה
ב״ח להגדיל עביו ואחר תשגלנה בן תבעל
אמו אח באחותו וכן כלם ואין להם שר
ומושל ולא תורה ולא אלהות רק נאמר
שמתנהגים על פי הטבע ואין להם מטלטלים

ſulæ fortunatæ dictæ Hiſpaniolæ aut Inſulæ Canariæ, tum elevarunt ſignum velorum ſuper mala navium ſuarum, & poſuerunt ad ventum auſtralem facies ſuas, verſus auſtralem ſemper, ſed parum Orientaliter, & omnes iſtas inſulas heic commemoratas reliquerunt ad dextram ſuam in meditullio Maris, & Continentem Cush inferioris ad ſiniſtram ſuam, & iverunt continuo per ventum auſtralem prædictum ad latus Auſtro-orientale aliquantulum (uti dictum eſt) itinere duorum menſium & dimidii: & non invenerunt nec viderunt quicquam, adeo ut ferme perierat eorum ſpes revertendi: jam enim incipiebant eſſe in arctatione & defectu aquarum & lignorum in navi, uſque dum Divina voluntas æterna dignos eos faceret ut ſedentes ſuper (navium ſuarum) malis viderent Continentem magnam longam & viridem quæ tota eſſet habitata, circumcincta montibus & planitiebus & collibus, & ſylvis maximis, & fluviis aquarum dulcium & bonarum. Et quando circumiverant latus illud, plus quam mille Paraſangas (exiſtimarant enim quod fortaſſis eſſet inſula magna Dei,) poſtmodum [3] concluſerunt & decreverunt (juxta id quod viderent protractionis Continentis hujus, & modorum inverſionis & circuitus profectionum ejus,) quod eſſet terra firma, [4] longa præ terra menſura ejus, & latitudo ejus in medio Maris: & vocarunt illam Mundum novum, propter magnitudinem ejus & longitudinem ipſius.

Et iſtæ ſunt formæ [ſeu deſcriptiones] quas obtinuerunt & viderunt habitatorum regionum iſtarum: nam ibi ſubſtiterunt huc illuc (migrantes) prope duos menſes, & comederunt & biberunt cum illis in conſortio & ope interpretis, & ſumma cum moleſtia locuti ſunt difficulter. Populi illi qui ibi ſunt, omnes ſunt nigri & inclinantes ad rubedinem, cum rubedine oculorum, facies fulvæ erant facies eorum. Omnes incedunt nudi uſque ad diem mortis ſuæ. Habitant in foraminibus & latibulis, & in habitationibus ad inſtar tabernaculorum circumductis, ſuntque denudati natibus, ſc. omnes nates eorum tam antrorſum quam retrorſum ſunt ſine tegumento & fœmoralibus: & congrediuntur cum fœminibus ad inſtar beſtiarum (retro). Et hic fœminæ inflammatę ſunt in concubitum: & quoque hic faciunt ſecundum morem mulierum quę ſunt in infima parte Cush inferioris, † magnificando Membrum per unctionem aut punctionem alicujus [5] animalis ad augendum craſſitiem ejus: & tum poſtmodum futuentur. Filio maritabatur mater ipſius, frater ſorori ſuę: & ſic omnes illorum. Non eſt eis Princeps aut

ונכסים שיחזיקו להם לבדם כי הכל הפקר
שמה ואוכלים ומתפרנסים יחדו והאנשים
בועלים הנשים לפעמים רבות יפטרו אותן
ויעשום הפקר ללכת כאשר ימצאו ולפעמים
יפול שנאה ותחרות ביניהם וילחמו בשנאה
איש אל רעהו בחצים ובקשתות ובאבנים
ובהכאו׳ זרות כי אין להם כלי זין ומציאות
ברזל אין בכל הגליל ההוא והגוברים
ילכדו את אויביהם ויהרגום ויאכלו אותם
וימלחום במלח כדרך שעושין הקאניבאלי
שבשר האדם טוב בפיהם כי העמים האלה
בריאים הם מאד לטוב האויר ההוא והרוחות
המנשמות שמה מאריכים ימים ליותר ממאה
וחמשים שנה ואין חלאים מצואים שמה
כ״א מעט ואם יתחלחלו בחלי מה יתרפאו
מאליהם בשרשים מפורסמים להם ויש
שם בשפתי הים מקום לצוד צודת דגים
ברשתות משונות אשר להם ויש שם דגים
רבים וטובים מה שלא ישוער ערכם כדמות
הדגים שלנו גדולים וקטנים וגם מינים
אחרים זרים לנו ובהרים הגדולים ההם אשר
ביבשה במשך הנהרות הגדולים הנגרים יש
יערות גדולות עושי כל מיני בושם והיערות
מלאים חיות גדולות עם קטנות הטורפים
אריות ונמרים לאין מספר ונחשים בקורות
וכל מיני חיות ורמשים רעים משך מימי
הנהרות ההם המתוקים וטובים ימשכו זהב
טוב בתוך החול לאין חקר ואבני המחצב
הקטנים הם אבנים טובות ראויים לתקון
וסמוך לשפתי הים כלו מלא מאם המרגלית
ר״ל מאטירפירלא ובהיות המנהג אצלם שכל
מה שימשך מטבע מוצא הגליל ההוא
להיות הפקר לכל על כן לא יחשבו הזהב
למאומה וכל מוצאות אבנים טובות לאין
ולהבל נגדם כלם חוברי חבר ומכשפים
ולוחשי לחש להשמר מהטורפים ועם ערמות
רבות אחרות:

הגליל הזה הוא תחת פולו ים אנטארטיקו
בלשונם והלאה מראש גדי ועל פני רקיע
השמים עליהם לעת ערב יראו כוכבי מה
מחוברים וקרובים זה לזה ומסומנים בקוים

aut Dominator, nec Lex nẽque Divinitas: ſed dicendum eſt quod regantur ſecundum naturam. Et non ſunt eis bona mobilia, nec opes quas poſſideant ſibi ſolis: nam omne ibi eſt commune, & comedunt & ſuſtentantur ſimul. Et viri qui duxerunt uxores, ſępiſſime dimittunt illas, & faciunt eas liberas ut eant quocunque invenerint. Aliquando incidit odium & invidia inter eos, ut pugnent ex odio vir contra ſocium ſuum ſagittis & arcubus & lapidibus & percuſſionibus miris: non enim ſunt illis inſtrumenta armorum: nec eſt inventio ferri in tota illa regione. Et ii qui fortiores ſunt, capiunt inimicos ſuos & interficiunt eos, ipſoſque comedunt, & condiunt eos ſale ſicut faciunt Canibales: nam caro hominum bona eſt in ore eorum. Populi iſti ſunt ſani admodum, propter bonitatem aeris illius & ventorum flantium ibi, & prolongant dies ultra centum & quinquaginta annos. Et nulli morbi ibi reperiuntur niſi pauci: ſi autem aliquo morbo ęgrotaverint, ſanantur a ſeipſis radicibus notis ſibi ipſis. Eſtque ibi in oris Maris illius, locus ad venandum venationem piſcium diverſis retibus quę habent: & ibi ſunt multi piſces & boni, ita ut non ęſtimari poſſit valor eorum, ſecundum ſimilitudinem piſcium noſtrorum majorum & minorum, & quoque alię ſpecies peregrinæ nobis. Et in montibus illis magnis qui ſunt in Continente per tractum fluviorum magnorum fluentium, ſunt ſylvæ magnæ facientes omnes ſpecies aromatum. Et ſylvæ plenæ ſunt animalibus tam parvis quam magnis rapacibus, Leones & Pardi ſine numero, ſerpentes inſtar trabium, & omnes ſpecies animalculorum & reptilium noxiorum. Protractio aquarum fluviorum iſtorum dulcium & bonorum trahit aurum optimum in medio arenæ in infinitum. Et lapides lapicidinæ minores, ſunt lapides pretioſi convenientes [6] ad præparationem. Et prope oras Maris totum illud plenum eſt Matris Margaritarum. Et quia conſuetudo eſt apud ipſos ut quicquid producatur a natura productione regionis illius, ſit omnibus commune, idcirco non æſtimant aurum quidquam, & omnis productio lapidum pretioſorum, pro nihilo & pro vanitate eſt coram ipſis. Omnes ſunt Incantantes incantationem & venefici & muſſitantes muſſitationem ad præſervandum ſe a rapacibus animalibus; cum multis aliis aſtutiis.

Hæc regio eſt ſub Polo Maris antarctici in lingua eorum, & ultra Caput Hœdi [i. e. Capricorni.] Et ſuper faciem firmamenti Cœlorum ſupra illos circa tempus veſpertinum vident ſtellas aliquas quæ conjunctæ ſunt & ſibi invicem propinquæ,

&

אחרים כמין סלסול מהופך אשר ידריכו
הרואים לרכוב בים ההוא אשר תחת הבטתם
נשעננו ימים רבים והם בצורות אלו ששם
כוכבים גדולים נצבים בהדרכה זו שנים
למעלה ושנים למטה ושנים לצדם וי״ו קוים
ותוים באמצעם וזאת צורת רביע היבשה
אשר תרו אותה:

ארץ חדשה

**
ss
ssss *
ssssss *
ssss
**

עוד בקשו עם הספינות הנזכרות לתור
קצת מן האיים אשר מצאו באחד מצדי
היבשה הזאת לצד דרום השפל אשר היתה
שפלה בים מצהברת פניה מרחוק לאור
הבוקר כאור זהב ומראית יקר מאבנים
קטנים על שפתיה ולא יכלו ללכת שם כי
הים הולך ונקפה בשנוי תבניתו או כי לא
היה שם תהום מספיק לצריך לספינות וייראו
מגשת שמה ואת זה לא יכולתי להבין
וכאשר מצאתי כתוב כן כתבתי וה׳ יודע ועד
ישתבח שמו שתקן המציאות לרצונו ואומר
אני ה׳ עושה כל:

& signatæ sunt lineis aliis quasi crispatura capillorum inversa, quæ dirigunt videntes eas ut possint navigare per Mare: nam sub aspectum earum nitebamur per plures dies. Suntque ad instar figurarum istarum: videlicet sex 7 stellæ magnæ sitæ hoc modo; duæ supra, duæ infra, & duæ ad latus earum: & sexdecim lineæ vel signa sunt in medio earum. Et hæc est figura quartæ partis Continentis quam explorarunt.

8 Terra nova.

Præterea quæsiverunt prædictis navibus explorare aliquas ex illis insulis quas repererunt in uno laterum istius Continentis ad latus meridionale inferius, quia fuit inferius in Mari: flavescens erat 9 aspectus ejus a longinquo ad lucem matutinam sicut lux aurea & color pretiosior, propter lapides parvos qui erant in ripis ejus. Non autem potuerunt illuc ire, quia Mare pergit 10 condensari propter mutationem constitutionis ejus, aut quia non erat profunditas sufficiens pro necessitate navium, adeoque timuerunt accedere illuc. Hoc autem 11 non potui intelligere: sed sicut inveni scriptum, sic descripsi. 12 Deus autem Sciens est & æternus: laudetur Nomen ejus, qui ordinavit Mundum secundum voluntatem suam, dicitque, *Ego sum Dominus faciens omnia.*

NOTÆ IN CAPUT VIGESIMUM NONUM.

1 *In præsentia ejus Petrus filius ipsius*] Qui sc. testis esse potest; cujus tamen partialitatem quis merito suspicetur, propter relationem: an itaque idoneus sit testis, dubium: cum vero res hisce diebus non sit magni momenti, eum admittemus. † Ferraræ & aliorum locorum Princeps vocatur *Duc* seu *Dux*, in aliis quibusdam locis, talis appellatur *Doge*. Unde in opposito litore Barbarico Oppidorum Tripolis, Tunis & الجزاير *AlGjezair*, (vulgo *Algier* & *Argier*,] Princeps seu Prætor sive Gubernator supremus vocatur *Doye*, seu ut Mauri tenuius pronuntiant *Daye*. Illi autem Principes in Subscriptionibus Epistolarum quas pro Regibus Angliæ interpretatus sum, si Arabice exaratæ erant, subscribebant ضاي vel ظاي, in Epistolis vero Turcice exaratis داي; quæ utraque sonant *Daye*, pro *Doge*. In Epistola Turcica a Prætore Algerensi ad Jac. II. Regem Angliæ missa [quam pro Rege interpretatus sum initio Martii 168 $\frac{7}{8}$,) ipse Prætor subscripsit se ابراهم داي جزاير *Ibrahim Daye Gjezair* seu *Algier*.

2 *Revolutionis ascensus Solis*) Argumentum ejus est; Quod sicut Sol & Calor, &c. aliquando a nobis absunt, quasi tunc servitura essent alii cuidam parti ubi talis calor vulgo desideratur, ideo possibile esse ut alius aliquis reperiatur locus ubi talis calor aut frigus usui sit: adeoque probabiliter sequatur ut talis detur locus.

3 *Concluserunt*) Est נמנו ad verbum, *Numerata sunt*, viz. suffragia, per quæ concluserunt rem. Est sc. figurata locutio referenda ad suffragiorum computatores.

4 *Longa præ terra*) Phrasis ex *Job* 11. 9.

† *Magnificando*) sc. incrassando membrum virile.

5 *Animalis*] כח est בעל חיים *vita præditum*. Alibi dixit, Per punctionem extrahendo herbarum venenatarum succum ut eo ungerent Membrum idque tumefacerent.

6 *Ad præparationem*) i. e. ut præparentur & poliantur.

7 *Stellæ*) De hisce stellis videas Alb. Vesputium Lib. Navigationum. pag. 127. cap. 107. Bayerus autem in Uranometria omnes optime & elegantissime delineavit. Eum ergo videas, si lubet.

8 *Terra nova*) Ea est America, sic dicta ab Americo Vesputio, qui ad hujus terræ investigationem Regis Castiliæ jussu a Calisia seu Gadibus solvit 1497. Ab eo denominatio facta est, quamvis ante eum Christoph. Columbus dictam investigationem inchoaverat anno 1492. Americæ figuram ex Chartis Geogr. quæras.

9 *Aspectus ejus*) Sc. unius harum insularum quas viderant.

10 *Condensari*] concretum vel nimis crassum fieri ex mixtione luti & arenæ.

11 *Non potui intelligere*) Optandum esset ut videremus Hispanicum exemplar unde hæc hausit: aperte enim (ut vides) profitetur se non potuisse ibi scripta intelligere: sed κατὰ πόδα sui Authoris verba secutus est.

12 *Deus autem sciens*) Sic etiam Arabes, quando narrarunt historiam vix credibilem, addunt والله اعلم *sed Deus est scientissimus*, i. e. melius novit an vera sit necne. Alias aliquando subdunt, والعهدة علي الراوي *sed fides sit penes relatorem*, quod ingenue dictum.

CAPUT

CAPUT XXX.

פרק ל׳ על עסק מציאות מקום הגן עדן:

De negotio inventionis Loci Horti Eden.

בעניך ידיעת מקום גן עדן אנה מקומו ביבשה לפי פשט הכתובים נבוכו בו חכמים רבים כי לא ידעו מקומו ואנה אפשר שימצא ורז״ל אמרו כי להגיר מעשה בראשית אי אפשר שיהיה עקרו הציור השכלי והמקובל ממנו האמנם בגמרא ובבר אמר ר׳ אבהו אין מקרא יוצא מידי פשוטולמה שאפשר בחכמת אלהים להמציא מקום ביבשה אשר בטבע נצר מטעיו לעורר הארם בהשלמת חלקיו השכליות המורכבות בתוך החומר ולהדריכו אל הצריך לקיום החלק החמרי עם השכל ולדעת הטוב והרע ההוא הצריך אליו בטבע היצירה החמרית ולזה ייחס הכתוב נטיעת הגן הזה לה׳ אלהים בשני שמות של קדש למעלת המקום ורומו אמר ויטע ה׳ אלהים גן בעדן וגו׳מ ויהיה סגולת המקום הזה ונטיעותיו אלו חמריות ורוחניות בפקיחת העין לבחידת האדם כאשר יעשו טבעי פרטי הסמים הפשוטים והמורכבים לצורך רפואת האדם וירפאוהו ויהי מה גן עדן נטע ה׳:

וקצת מהמדברים אמרו שהמקום הזה הוא מקום ממוזג ביבשה שוה האויר והמזג טוב המזג אשר לא ירע ולא ישחית המתכלכל בו והמתפרנס מצמחיו כי טוב הוא מאד ואני אמרתי אם הכתוב יקראהו מטע אלהים בארץ ומקדם נוכל לשאול דרך פשט הכתוב אנה הוא כי נמצאהו ואם תאמר שיהיה תחת נקודת משוה היום ביבשה אנה היא הנקודה הזאת כי הנקודה האמיתית בכדור כדוריי לא ידע אנוש ערכה לפי שהנקודה האמיתית ענין אלהי הוא ואם תאמר כי הגן הזה הוא

IN negotio cognitionis loci [1] Horti Eden, ubi sit locus ejus in Continente secundum literalem sensum Scripturæ, perplexi sunt in eo Sapientes multi: quia non norunt locum ejus, & ubi sit possibile ut inveniatur. Et Doctores nostri b. m. in declarando opus Bereshith [seu Creationis,] dicunt impossibile esse ut fundamentum ejus sit idea intellectualis, & ut de ea accipiatur. Verum in Gemara & in Bereshith-rabba, dixit R. Abhu, *Scriptura* [2] *non egreditur e manibus simplicis sui sensus:* nam possibile est in sapientia Dei facere quasi existat in Continente locus qui sit de natura surculi plantationum suarum, ad excitandum homines ad perfectionem partium suarum intellectualium compositarum in medio materiæ, & ad dirigendum ipsum ad id quod necessarium sit ad [3] conservationem partis materialis cum intellectu, & ad cognoscendum bonum & malum illud ei necessarium per naturam formationis materialis. Et hinc est quod Scriptura arborum Horti hujus plantationem attribuat Domino Deo duobus Nominibus Sanctitatis, propter excellentiam loci & ejusdem sublimitatem: dixit enim, *Et plantavit Dominus Deus hortum in Eden*, &c. Estque proprietas hujus loci & istarum plantationum ejus materialium & spiritualium, [4] in apertione oculi ad electionem hominis liberam, prout faciunt naturales particularitates Medicamentorum simplicium & compositarum ad necessitatem sanationis hominum, & sanant eum. Sit autem quicquid sit, Hortum Eden plantavit Deus.

Quidam Physicorum dicunt, quod hic locus sit aliquis locus temperatus in Continente, æqualis aeris & temperamenti, optimi situs, qui non lędit nec corrumpit illum qui † alitur in eo & qui sustentatur ex germinibus ejus: nam est bonus valde. Ego autem dico, si scriptura vocat ipsum *Plantationem Dei in terra*, &, *ab Orientali plaga*, possumus rogare per modum simplicem (i. e.) literalem Scripturæ, Ubi sit ut reperiamus illum? &, si dicturus es, quod sit sub aliquo puncto Æquatoris diei in Continente, Ubi sit hoc punctum? Nam puncti veri in Globo Sphærico nemo novit pretium: punctum enim verum est res plane Divina. Et, si dicis, quod hic Hortus sit in Oriente Mundi, sicut dicitur, *Hortus in Eden ab anteriore* par-

במזרחו של עולם באמרו גן בעדן מקדם
וכמאמר פשט חכמים אמרו שם מקדם
במזרחו של עולם ובאמרת עדין לא נודע
מקומו איו כי תחת משוה היום מהחום
הרב אין בו מזג שוה וגם מקדם בארץ
המזרח בגלילות אשיאה לא נודע לנו מקום
שוה ראוי ומתיחס לפשטי פסוקי התורה
ואם תאמר שהוא בגלילות אראביאה פיליצי
מכח הפסוקים של סנחריב בעדן אשר
בתלסר ואמר הפסוק ארץ עדן בקרוב למקום
הידוע על היהודים אשר למטה בארביאה
פיליצי אשר יאמרו היום כי גליל עדן סמוך
להם באמת כי על זה גם דרכיו פה לא
יתכני לרוב החום מאד וגם כי הארבעה
הנהרות ממנו הנזכרים בתורה לאשר ידע
מוצאם היום לא ימצאו בו מקום גן עדן
לפי שארבעת הנהרות היוצאים להשקות
את הגן מצאנו אותם חלוקים ורחוקים זה
מזה כרחוק מזרח ממערב בראשונה פישון
שהוא נילוס היוצא מהרי הלבנה ויורד
למצרים באורך רוחב כוש לאיקלים מירואי
לא ידעתי בו גן עדן כי לא נכתב בתוכו
וגם הנהר השני הסובב את כל ארץ כוש
ואת אופיר ואת חוילה הנה מצאנו שם
הזהב על יד התרים ולא מצאו גן עדן
והשלישי הדקל היורד למדי אצל ים קאספיאו
ונקרא בלשונם טיגריס כבר מצאנוהו לדניאל
בספרו יושב על נהר חדקל וכן ציירוה
הקוסמוגראפי סמוך לסוסיאנה היא שושן
הבירה ובאלה אין זהב ואין גן עדן והנהר
הרביעי הוא פרת אשר קראוהו חכמי הנוצרים
איבפראטיס והוא היורד לדרך בבל ולים
פרס אנה נמצא אצלו גן עדן לא במקום
מוצאו שחכמי התלמוד בגמרא היו יורדים
בו לבבל בימי מלואו באמרם שם בגמרא
רבת פרת ולא בסופו שהוא בים פרס מים
הודו ולא נמצא בו גן עדן ואם תאמר
באורך דרך ירידתו כי רב הוא הנה הפרתמים
אשר למלך אחשורוש ושרי המדינות
אשר על אורך נהר פרת כי פרתמים שם

parte; & secundum literalem sensum Doctorum qui dixerunt ibi *Ab anteriore parte*, esse in Oriente Mundi; pro certo nondum cognoscitur locus ejus ubi sit. Nam sub Æquatore diei propter magnum calorem, non est ibi temperamentum æquale. Et etiam ab anteriore parte, in terra Orientali in regionibus Asiæ, non est nobis notus locus aliquis æqualis & conveniens cui applicetur literalis sensus Versuum Legis. Et, si dixeris, quod ille sit in regionibus Arabiæ felicis, (ex vi Versuum de Sancheribo, *In Eden qui in Tellasar*, & Versus qui dicit *Terra Eden*,) prope locum notum de Judæis qui infra sunt in Arabia felice, qui hodie dicunt regionem Eden esse sibi proximam: revera ad hoc etiam viæ ejus (sc. de æquali temperatura) hic non conveniunt, propter nimium calorem. Et quoque cum sint ex illo (Horto) quatuor fluvii in Lege commemorati, illi qui norunt scaturiginem eorum hodie, non invenient in ipsa locum Horti Eden: nam quod attinet quatuor fluvios exeuntes ad irrigandum hunc hortum, invenimus ipsos divisos & distantes a se invicem sicut distat Oriens ab Occidente. Primo, Pishon qui est Nilus, est qui egreditur ex montibus Lunæ & descendit ad Ægyptum per longitudinem latitudinis Æthiopiæ & per Clima Meroes. [5] Non novi in ipso esse Hortum Eden, quia non scribitur esse in medio ejus. Et quoad fluvium secundum qui circumit totam terram Cush & Ophir & Hauilam, en invenimus ibi aurum per manum exploratorum: sed ipsi non invenerunt Hortum Eden. Tertius Hiddekel est qui [6] descendit in Mediam juxta Mare Caspium, & vocatur lingua eorum Tigris: jam invenimus illum apud Danielem in libro suo, *Sedens juxta fluvium Hiddekel*. Et sic eum depinxerunt Cosmographi prope Susianam, quę Susan Palatium. Et in istis nec aurum est nec Hortus Eden. Et fluvius quartus est Phrat, quem Sapientes Christianorum vocant Euphratem: is est qui descendit per viam Babel & ad Mare Persicum. Sed ubi reperitur apud ipsum Hortus Eden? Non certe in loco scaturiginis ejus: nam Doctores Talmudici in Gemara descendebant per illum ad Babel in diebus plenitudinis (seu incrementi) ejus, cum dicant ibi in Gemara, *Crevit Euphrates*: neque in ejus fine qui est in Mari Persico quod ex Mari Indico: nec in ipso reperitur Hortus Eden. Si autem dixeris, [Eden] est per longitudinem viæ descensus ejus qui est magnus, ecce Partemæi qui pertinebant ad Regem Ahasuerum & Principes Provinciarum qui per longitudinem fluvii Euphratis (nam Parte-

נגזר מפרת ולא מצאו בו גן עדן ולא
מוצא זהב ממנו ואנה נמצאנו כי תאמר
אלי בחכמה שא נא עיניך וראה את
המקום מרחוק כי שם חנוך ואליהו:

ועוד שאלה גדולה על כל אלה על ארבעה
הנהרות ממש אשר ארבעתם יצאו מעדן
ממקור אחד ואנחנו נראה פישון שהוא
נילוס יוצא מארץ הדרום העליון מהרי
הלבנה לדעת הכל אשר בין מדברות
כוש היא איטיאופיאה ויורד למצרים
ואלסנדריא ומימיו נוזלים על שפת ים
מדיטיראניאו האמצעי באפריקא בבארבאריאה
והשני אפשר כי הוא כן שיסובב אופיר
וחוילה גלילות סיניגא וגאמבארא אולם
חדקל שיורד מדרך הרי ים קספיאי בצפון
הודו ולצפונו של עולם ופרת הנולד בהרי
ארמיניאה הגדולה ויורד לים הודו ופרס
בדרומו של עולם אשר יתכן שיהיו מוצאם
ממקום א׳ מהרי הלבנה אשר באמצע כוש
היא איטיאופיאה באפריקא אשר ב׳ מהם
מציאותם שם באפריקא פנים ואחור והשנים
האחרים חדקל ופרת התחלת מקורם
באשיאה העליונה הגדולה אחד מהם והוא
חדקל כמעט מהרי סקיטאניאה וסארמאציא
או בקארטואנה והשני מאלה הוא פרת
שירד מדרך אשיאה התחתונה לבבל ולים
הודו ופרס ואם כן הוא מה נדבר ומה
נצטדק במציאות ארבעת הנהרות האלה
אשר השנים פישון וגיחון יהיו בשתי גלילות
אפריקא וכוש והשתי הנהרות האחרים חדקל
ופרת באשיאה העליונה כרחוק מזרח
ממערב ולשון ים מצרים הוא ים סוף
וארץ ישראל וכל פלשתים וקצת ארם ביניהם
וספק אחר נוסף על אלה כי מצאנו גיחון
לירושלים והורדתם אותו אל גיחון אמרו
המפרשים גיחון אחר הוא ממכל הספקות
מסופקים:

האמנם בכל מה שקראתי בדעות הקודמים
לא נתישב דעתי בהם ואנכי אכתוב העולה
על רוחי בסוף האגרת הזאת ליחם תכליתם
בדברי תורה ולא אומר לקוראי האגרת
קבלו דעתי כי הרשות בידם רק אומר קבלו

temim eſt Nomen derivatum a Perat,) non invenerunt Hortum Eden nec auri productionem ex illo. Ubi ergo inveniemus illum? Dices mihi per ſapientiam, Eleva nunc oculos tuos, & vide iſtum locum a longinquo, nam ibi ſedentes ſunt Chanoch & Eliahu?

Eſt autem adhuc quæſtio major omnibus iſtis, videlicet de quatuor hiſce fluviis ipſiſſimis; nam omnes illi prodierunt ex Edeno ex uno fonte. Nam nos videmus Piſonem (qui eſt Nilus,) prodeuntem ex terra auſtrali ſuperiore e montibus Lunæ, qui ſecundum opinionem omnium eſt inter Deſerta Cush ſeu Æthiopiæ, & deſcendit ad Ægyptum & Alexandriam, & aquæ ejus decurrunt ad oram Maris Mediterranei ſeu Mediani per Africam in Barbariam. Et quoad [7] ſecundum, poſſibile eſt ut circumeat Ophir & Havilam, regiones Senegę & Gambarę. Verum Hiddekel deſcendit a via montium Maris Caſpii [8] in Septentrionale Hodu & Septentrione Mundi. Et Euphrates eſt qui naſcitur e montibus Armeniæ majoris, & deſcendit ad Mare Perſicum & Indicum in auſtrum Mundi; cum jam potius conveniat ut ſit eorum origo ex uno loco, ſc. ex montibus Lunæ qui in medio Cush ſeu Æthiopiæ in Africa anterius & poſterius. Ibi enim inveniuntur duo ex illis: & quoad duos alios Hiddekel & Phrat, initium fontis eorum eſt in Aſia ſuperiore majore; viz. ipſorum unus Hiddekel eſt ferme e montibus Scytaniæ & Sarmatiæ aut Corduenis; & horum ſecundus qui eſt Phrat deſcendit a via Aſiæ [9] inferioris ad Babyloniam & ad Mare Perſicum & Indicum. Et, ſi ita ſit, quid dicemus & quomodo nos juſtificabimus in inventione quatuor fluviorum iſtorum, quorum duo, ſc. Piſhon & Gihon ſunt in duabus regionibus Africæ & Cush; & duo reliqui fluvii Hiddekel & Phrat in Aſia ſuperiore, ſicut diſtat Oriens ab Occidente? Nam [10] Lingua [i. e. Sinus] Maris Ægyptii, (ea eſt mare Suph,) & terra Iſrael & tota Philiſtęa, & pars Syriæ ſunt inter eos. Et quoque dubium aliud iſtis addetur, quia invenimus Gihon prope Jeruſalem, *Et deducetis illum ad Gihon*. Dicunt autem Commentatores hunc eſſe alium Gihon: ſed nihilominus tamen hæc dubia dubitantur.

Revera in omnibus quæ legi de opinionibus antiquorum, non ſedata eſt mens mea in illis. Ego itaque jam in fine hujus Tractatus ſcribam ea quæ [11] aſcendunt ſuper ſpiritum meum, applicare completionem eorum verbis Legis. Nec dicam legentibus hunc Tractatum, Accipite opinionem meam; nam [12] licentia eſt in manu eorum:

דברי תורה כפשוטן וכהלכתן ועל הכל
קבלו דת על דרך ביאור חכמי האמת אשר
ירמזו הכל אל הציור השכלי והמקובל ממנו
ועל הדרכים כמו אלו נחלקו בו גדולי גאוני
ישראל אחרונים במציאה איך כמותם
אחריהם עד היום הרם והרמבן האחר
כתב במורה בספורי האבות על וירא אליו ה׳
באילוני ממרא והנה שלשה אנשים ואל
הבקר רץ אברהם וגו׳ כלם מראות אלהים
ולא כפשוטן רק במראות הבתרים שאימה
נפלה על אברהם וכן בלוט ומצות אפה
ויאכלו וגו׳ והרמבן השיגו בפרשת וירא
בתוכחת מגולה ואומר כי כלן כפשטן הן
ורבים כמו אלה אליו ביניהם בחדושי התורה
להרמבן כן אומר מה לי עתה באגרת
הזאת בספורי זה כי יהיה ספור בראשית
כלו רומז אל המקובל והנסתר ממנו ולא
כפשוטו או שיהיה כמשמעו ובדרך קול
פסוקי התורה ממש ועל זה באתי ואומר
שהאדם נברא למטה בארץ וה׳ הכניסו בגן
עדן לעבדה ולשמרה וזהו מקומו באופן
הנוך לדעתי ומתקרב לדעת האמת הג״ע
הזה הוא בגליל הרי הלבנה במקום אחד
מיוחד שמה אשר הוא מקום סגולה מאת
ה׳ אדון כל הארץ אשר לא יעבור בו איש
ורגל בהמה שוה המזג וטוב המצב וגן
עדן שמו אשר נטעו ה׳ מקדם בראשונה
לנוח בו האדם אשר יצר ואם לא חטא
כבר היה ידוע מה שימשך מזה ומהמקום
ההוא נהר יוצא מעדן להשקות את הגן
והיה לארבעה ראשים אשר שנים מהם
פישון וגיחון יסובבו הגלילות ההמה מארץ
כוש העליונה והתחתונה כאשר המה עושים
היום הזה ממש האחד נילוס יורד לארץ
כוש במצרים והשני לכוש לדרום אופיר
וחוילה אשר שם הזהב בודאי וגיחון של
ירושלים גיחון אחר הוא כאשר נראה היום
נהרים רבים נקראים רינוס בצרפת ואשכנז

rum: ſed dicam, Accipite verba Legis ſecundum ſimplicem [i. e. literalem] ſuum ſenſum & ſecundum conſuetudinem ſuam, & ſupra omnia, Accipite verba Legis ſecundum explicationem [13] Doctorum veritatis, qui innuerunt (i. e. retulerunt) omnia ad ideam intellectualem & Cabbalam receptam apud illos. De iſtiuſmodi autem viis diviſi ſunt magni excellentes Iſraelis poſteriores, de inventione hac, non ſunt ſicut illi poſt eos ad hunc uſque diem, viz. Maimonides & Nachmanides. Unus horum ſcripſit in ſuo More, ad enarrationes patrum ad [14] *Et apparuit ipſi Dominus in quercubus Mamre*, &c. *Et ecce tres viri*, &c. *Et ad armentum cucurrit Abraham*, &c. quæ omnia ſunt viſiones Dei, & non ſecundum ſimplicem ſuum ſenſum, ſed tantum ſicut viſiones diſſectorum animalium, ubi [15] *terror incidit ſuper Abrahamum*: Et ſic de Lotho, *Et azyma coxit*, &c. Nachmanides vero animadvertit in illum in Paraſha *Et apparuit*, reprehenſione manifeſta, dicitque omnia iſta eſſe ſecundum ſimplicem ſuum ſenſum: & ejuſmodi multa inter eos ſunt apud Nachmanidem in ſuo Chiddushe-hattora. Sic itaque dicam, Quid mihi nunc eſt in hoc Tractatu in iſta ennaratione mea? (dicamque inquam) quod ſc. ſit enarratio τῆς Bereshith tota illa, innuens ſenſum Cabbaliſticum & occultum a nobis, & non ſecundum ſenſum literalem ſuum? vel, quod ſit [16] ſecundum auditum ſuum & ſecundum ſonum verſuum Legis proprie? Ideoque venio & dico, quod Homo creatus fuerit infra in terra: Deus vero introduxit ipſum in Hortum ad colendum eum & ad cuſtodiendum eum: & iſte erat locus ejus modo conveniente, mea opinione. Quod autem magis accedit ad opinionem veram, eſt quod iſte Hortus Eden ſit in regione montium Lunæ in loco aliquo appropriato ibi, qui eſt locus peculiaris a Domino qui Dominus totius terræ, per quem nunquam tranſit vir nec pes beſtiarum, æqualis temperamenti & boni ſitus: & Hortus Eden eſt nomen ejus, quem plantavit Deus ab antiquo olim, ut in eo quieſceret homo quem formaverat. Et, ſi non peccaſſet, jam notum eſſet quid inde † traheretur. Et ab illo loco prodiit fluvius, ab Eden, ad irrigandum Hortum, fuitque in 4. capita, quorum duo ſunt Piſon & Gihon qui circumeunt regiones iſtas terræ Cush ſuperioris & inferioris, ſicut hodie faciunt *certiſſime. Unus nempe eſt Nilus deſcendens per terram Cush in Ægyptum: & ſecundus per Cush ad meridiem Ophir & Havilæ, ubi eſt aurum pro certo. Gihon vero Hieroſolymæ eſt alius Gihon, ſicuti viſitur hodie quod plures flu-

ואיטאליאה והשנים האחרים חדקל ופרת ילכו קדמות אשור אסיריאה בלעז ומיסופוטאניאה וכן ציירוהו וכתבו עליו כל החוקרים בארחות עולם וכן כתבו החכמים בתלמוד על פרת שמוא נוטה לדרך בבל וחדקל עובר בגלילות שושן הבירה אשר שם דניאל ראה מראות אלהים:

אולם לדעת איך ילכו שתי הנהרות האלה הנולדים מהרי הלבנה באמצע כוש ואפריקא והנה היום נמצאים באמצע האסיאה בארצות אשור ובבל ושושן הבירה ובין כוש ואסיאה יש לשון ים סוף למצרים וארץ פלשתים וכנען ואין נהר מהם נגרר במהלך הזה ונאמר אנחנו בו כי הפסוק ממש מסייע אל הביאור הזה באמרו ההולך קדמת אשור וזה שילכו השתים הנהרות האלה מתחת לארץ לדרך אשור בדרך מבוע טבעי וכמשפט וטבע קצת נהרות בעולם להיות הולכות מהלך מה על הארץ ואחר יסתתרו ויהיו נובעים אל מקום אחר וקרוב לזה כתב הר׳ב׳ן ז׳ל בפרשת בראשית בחרושי התורה אשר באר וכן מצאתי בדברי חכמי הטבע שהים המסתיר מימיו למטה ומקבצם ומחזיק בם כבר יוליכם למרחוק ויהיו נובעים דרך המעינות הנובעים ויתחדשו להיות מתוקים ויצאו לאור ויולידו נהר וכן מצאתי בדבריהם ממש על נהר נילוס הנוזל מהרי הלבנה כאמור ובאמצע המורד יפקד מקומו ויחסר ירידתו לעינים בהגיעו למעלה ממירואי בהרים הרמים והנבוהים וממקום אחר יצמח ויבא למצרים ואילי כי אפשר לבאר עוד על פי האופן הזה על חדקל ופרת אשר מקורם מהרי הלבנה עם פישון וגיחון ולא יראו החוצה עד בואם מתחת לארץ קדמת אשור ושם יעשו פעולתם על הארץ להראות חדקל בשושן הבירה ובארץ בבל והרביעי הוא פרת ה׳ יפרנו וירבנו:

זהו מה שכוונתי אני אברהם פריצול צ״ו גר פיראררה לכתוב באגרת הזאת היום

vii vocentur Rhenus, viz. in Gallia & Germania & Italia. Duo itaque alii Hiddekel & Phrat eunt per Anteriorem partem (i.e. Orientem) Aſſur vulgo Aſſyriæ, & per Meſopotamiam. Et ſic depinxerunt eum & de eo ſcripſerunt omnes ſcrutatores in [17] in ſemitis Mundi. Et ſic ſcripſerunt Doctores in Talmud de Euphrate, quod ſc. inclinet ad viam Babylonis; & quod Tigris tranſeat per regiones Palatii Suſan, ubi Daniel vidit viſiones Dei.

Verum ad ſciendum quomodo duo iſti fluvii qui naſcuntur ex montibus Lunæ in medio terræ Cush, & Africæ, jam hodie inveniantur in medio Aſiæ in terris Aſſur & Babel & Palatii Suſan, [cum inter Cush & Aſiam ſit lingua Maris Suph verſus Ægyptum, & terra Philiſthæorum, & Canaan, & neuter horum fluviorum [18] fluat per hoc iter,) dicemus nos hic de eo, quod Verſus (i. e. Textus) directe juvet hanc expoſitionem, cum dicit, *Qui aſcendit verſus Aſſyriam*: & hoc eſt, quod eant duo iſti fluvii ſub terram ad viam Aſſyriæ per viam Scaturiginis naturalis, & ſecundum morem & naturam quorundam fluviorum in Mundo, qui eunt per aliquod iter ſuper terram; & poſtmodum occultantur & ſcaturiunt in alio loco. Et huc prope accedit id quoque ſcripſit Nachmanides b. m. in Paraſcha Bereshith in Innovationibus Legis quas explicuit. Et ſic inveni in libris Peritorum naturæ (i. e. Phyſicorum,) quod mare occultat aquas ſuas infra, & colligit eis contin etque illas, & dein defert eas in longinquum ut ſint Scaturientes via fontium qui ſcaturiunt, & renovantur ut ſint dulces: & tandem prodeunt in lucem & producunt fluvium. Et ſic inveni in ipſiſſimis verbis eorum de fluvio Nilo, quod ſc. defluat a montibus Lunæ ut dictum eſt, & in medio deſcenſionis deſideratur locus ejus, deficitque deſcenſus ejus [19] ad oculos cum pervenit ſupra Meroen ad montes excelſos & altos, & ex alio loco oritur & venit in Ægyptum. Et fortaſſis ſit etiam poſſibile explicare hoc ipſo modo de fluvio Hiddekel, & Phrat, quorum fons ex montibus Lunæ una cum Piſon & Gihon: nec apparent extra donec veniant ſub terra ad Anteriorem partem Aſſyriæ. Et ibi faciunt operationem ſuam ſupra terram, ut appareat Hiddekel circa Palatium Suſan & terram Babel. Et quartus fluvius eſt Phrat: Deus [20] nos fructificet noſque multiplicet.

Et hoc eſt quod intendi ego Abraham Peritſol (cuſtodiat eum rupes ſua & redemptor ſuus) commorans in Ferrara, ſcribere in hoc Tractatu, hodie in [21] novilunio Chiſleu 285: & dedi eum ut Munera

ר"ח כסליו ר"פ"ה ואתנה שלוחים לשר חשוב
בישראל לזכרון תם תלחי יש"ממוע לק":

nera Principi alicui honorabili in Ifraele, in memoriale. 22 Finitus eft. Laus Deo vivo: & fit nomen Dei benedictum ex nunc & ufque in feculum. In falutem tuam fperavi Domine.

NOTÆ IN CAPUT TRIGESIMUM.

[1] *Horti Eden*) i. e. *ἡδονῆς voluptatis*, feu Paradifi terreftris. In hujus autem inveftigatione Author nofter fuam & aliorum Judæorum fequitur methodum, cui illum & illos relinquo, alio commodiore loco de hac re prolixius difputaturus, permiffu ejus qui ad fuperiorem melioremque & magis durabilem Paradifum æternæ ipfius potentiæ nutu, tempore ab eo præfinito nos promovere, evehere, & advocare poteft; cui gloria & honor fit ultra omnia fecula & in æternum.

[2] *Non egreditur*) i. e. non egreditur e fenfu literali, fed femper exponenda eft literaliter.

[3] *Confervationem*) i.e.durationem feu permanentiam.

[4] *In apertione oculi*] Aperti funt oculi eorum, viz. Adami & Evæ.

† Sc. qui vefcitur aura ejus ætherea.

[5] *Non novi in ipfo effe*) i.e. non percepi nec novi in ipfo effe Hortum Eden.

[6] *Defcendit in Mediam*] Fallitur hic nofter, vel faltem confufe loquitur: rectius enim dixiffet, Qui defcendit in Affyriam ex Media quæ juxta mare Cafpium: alias enim Tigris fat procul a dicto mari diftat. Mox rectius dicit, Tigrim effe prope Sufianam.

[7] *Secundum*) Intelligitur hic fluvius *Niger*, qui ab Ortu in Occafum Æthiopiam fecat: & quia Ghineam præterfluit, Arabibus نيل غانه *Nilus Ghanæ* nuncupatur.

[8] *In Septentrione Hodu*) i. e. Indiæ. Verum eft quod Tigris defcendit a via montium maris Cafpii; fed quod addit, *in feptentrione Indiæ*, non poteft bene intelligi; hæc enim funt prorfus *ἀσύστατα*. Verius dixiffet Tigrim oriri ex feptentrionali parte Affyriæ, ut revera eft. Mox melius, ex Corduenis montibus educit. In hac autem re profecto Judæi noftri manibus aqua hæret, nec poteft fe commode excufare quin reus fit qui Fluvium ipfum feducere voluerit.

[9] *Inferioris*] Melius dixiffet, ut mox, *fuperioris*. Mire certe in hoc Capite hallucinatur Author, & in viis Paradifi plus quam aliis cæfpitat; idque merito cum Chriftum veram viam fequi renuat.

[10] *Lingua maris Ægyptii eft mare Suph*] Male ftatuit *Mare Ægyptium* effe *Mare rubrum*. Nam ex *Ifa.* 11. 15. plane conftat quod per *linguam maris Ægyptiaci*, intelligatur ea Mediterranei pars Ægypto proxima in quam 7. Nili oftia exonerantur. Propheta enim in eam exitium hoc modo denuntiat, *Anathematizabit Dominus linguam maris Ægyptii; & agitabit manum fuam fuper Fluvium, quem percutiet in 7. rivis fuis*. Mari autem rubro quod ab Ægypto diftat, aliquid inflixiffe, certe nec Ægyptum nec ejus fluvium tetigiffet, nec ad eam ullo modo fpectare potuit. Dicat autem quod vult ὁ πλάνης: nos ad alia properabimus.

[11] *Afcendunt fuper fpiritum meum*) i. e. Veniunt in animam meum.

[12] *Licentia*] Nempe licentia non credendi.

[13] *Doctorum veritatis*) i. e. *Cabbaliftarum*. A קבל cabal *accepit*, eft קבלה Kabbala *Acceptio*: quo nomine intelligitur Doctrina ore tenus tradita & accepta, quæ eft Theologia quædam myftica de Divino auditu, ut vocant, & de Arcanis ac Myfteriis Legis Divinæ.

[14] *Et apparuit*) Ex *Gen.* 18. 1. 2. 7.

[15] *Terror incidit*) Putant nempe Abrahamum revera non vidiffe talia; fed fopore in eum cadente, illum vidiffe vifionem tantum. Sed bonus hic dormitat Maimonides, fomniatque vigilans. Recte itaque in illum animadverrit Nachmanides, eumque merito reprehendit, in Libro fuo dicto *Chiddushe Tora*, id eft, *Innovationes* feu *Novæ expofitiones Legis*.

[16] *Secundum auditum fuum*) i. e. prout audimus pronuntiatum, & fec. fonum verborum in Verfibus feu Textu Legis.

† Id eft, *fequeretur*. * Seu *proprie*.

[17] *In femitis Mundi*) i. e. Itinerariis fuis.

[18] *Fluat*) נגרר *ducatur* feu *trahatur*.

[19] *Ad oculos*) fc. ad vifum oculorum. i. e. plane & perfpicue.

[20] *Nos fructificet nofque multiplicet*) Eft allufio ad nomen *Phrat*, fine jufta caufa; vult enim his infinuare deductum effe a פרה *fructuofus fuit & fructificavit*; quod falfum.

[21] *Novilunio*] Abbrev. רח eft pro ראש חרש *caput menfis*.

[22] *Finitus eft*] Alii Authores folent fubjungere tantum, תם ונשלם תהלה לאל בורא עולם *perfectus* (feu *finitus*) *& abfolutus eft*. *Laus Deo Creatori Mundi*.

Exemplaris MS. Veneti Tranfcriptor hanc fequentem Conclufionem fubjungit,

ובכן נשלם ספר אגרת ארחות עולם
להחכם השלם התורני ר" אברהם פריצולו
ז'ל'ה'ה' : ברוך אלהי עליון מראשית אחרית
הווה אשר לא עזב חסדו ואמתו מעמנו
לתת לנו כח להתחיל ולהשלים הספר הנחמד
הזה חכו ממותקים וכלו מחמדים ואם מצער
הוא והקוראים בו במיעוט דברים ימצאו
הרבה מים קרים על נפש עיפה שמועה
טובה מארץ מרחק ישמח לב הקונת ואשר
זכנו כזה למען רחמיו הרבים וחסדיו הגדולים
יתן ויחזור לנו עז ותעצומות להדפים עוד
ספרים לרוב כאשר עם לבבנו ויצמיח לנו
ישועה בקרוב כ"י"ר"א:

Et fic perfectus eft liber Iggereth Orochoth Olam Doctoris perfecti Theologi Rabbi Abr. Peritfol, memoria ejus fit in vitam futuram. Benedictus Deus excelfus qui a principio ad finem eft; qui non deferuit mifericordiam & veritatem fuam a nobis, dando nobis vires ad inchoandum & perficiendum Librum hunc defiderabilem, palatum ejus dulcia continet, & totus defiderabilia comprehendit. Et quamvis parvus fit, Legentes in eo paucis verbis reperient multum aquarum frigidarum fuper animam defatigatam, nempe auditum bonum a terra longinqua: lætabitur cor emtoris. Et qui nos dignos fecit hoc propter mifericordias multas & benignitates fuas magnas, det nobis robur reddatque fortitudines ad edendum adhuc multos libros, ficut eft in animo noftro: & germinare faciat nobis falutem præfto. Sic fit voluntas ejus, Amen.



מסעות של ר׳ שמואל הקדוש
בהר׳ דוד יעמסל

R. SAMUELIS SANCTI
FILII DAVIDIS JEMSEL
JUDÆI KARRAITÆ
ITINERARIUM.

אתחיל לכתוב המסעות בעזרת נותן
לכל איש משאלות לבות מסעות
של כהר׳ר שמואל הקדוש יצ׳ו בה׳ר
דוד יעמשל :

Auxilio Dei O. M. qui mortalibus prece Numen ſuum adorantibus nullam abnegat opem, incipiam deſcribere profectiones illas, quas feliciter confecit Vir Clariſſimus SAMUEL cognomento Sanctus F. Davidis Jemſel, quem Deus & liberator ejus ſalvum & incolumem ſervet.

נכספה וגם בלתה נפשי לחצרות ה׳
לעלות אל הר המור ואל גבעת חלבונה
להודות ולהשתחוות למלך ה׳ צבאות בתוככי
ירושלים תוב׳ב נדרי לה׳ אשלם נגלע :
איך שמעתי כהר׳ יצחק ור׳ שלמה לוי שהם
מבינים עצמם ללכת לארץ הקדושה . ובשמעי
הדבר העיר ה׳ את רוחי קום עלה גם
אתה ולא יכילתי להתאפק גם לא הלך
לבי לישב בחנות לקנות ולמכור כי אש
תבער בקרבי ומיד שלחתי כתב אחר לר׳
שלמה לוי אם יש בלבך ללכת לכה
ונלכה באור ה׳ · ואחכ׳ בא כר׳ שלמה

VEHEMENTI ac inexplebili tenebar deſiderio viſendi atria DEI Auguſta, adeoque proficiſcendi ad montem Moriah & colles Libani, ut ibi grates & cultum perſolverem Regi omnium maximo, in mediis Hieroſolymis, quas ut brevi reædificentur ſummis quotidie expetimus votis; ut inquam ibi donaria & votiva mea Deo O. M. offerrem ac nuncuparem. Itaque cum inaudiviſſem, viros illos præſtantiſſimos R. Iſaacum & R. Schelomonem Levi itineri huic ſacro pariter ſeſe accingere, tactus & ego divino quodam inſtinctu, veluti ad profectionem inſtituendam commonefaciebar; adeo ut nullis rationibus ab hoc propoſito me averti paſſus fuerim. Neque enim domi contineri, aut ſolitæ mer-

לוי לעיר כוזלוב ונכנסנו בספינה ביום
הי״ד לחדש נחמה שנת ברוך אתה
בבואך וברך אתה בצאתך לפרט קטן גם
לקחנו עמנו את שמואל בכה״ר משה
דוד ז״ל וגם בא עמנו ניסן מלוצקה
ונסענו בליל׳ ו׳ והלכנו ה׳ ימים וה
הטיל רוח סערה בים והספינה חשבה
להשבר ונכנסנו לחוף גדי אורוס בלחץ
גדול ברוך שהציל אותנו וישבנו ג׳ ימים
ואח״כ נסענו משם ובאנו בקוסטינא בכ״ה
לחדש וישבנו שם מ״ח ימים ועשינו יום
כפור שם וביום ו׳ יא׳ לחדש תשרי
בשנת בק״ש שלום לפ״ק נסענו מקוסטינא
ובאנו אל בישיכטאש ונכנסנו בספינה
מוחרם רי״ז אם היקרים וישבנו בספינה
ב׳ימים ובמועד ראשון של חג הסוכות
נסענו מקוסטינא בשמחה ובטוב לבב עם
הספינות שהם מזומנים ללכת לאיסכנדריא
כשיעור נ׳ ספינות גדולות והיו בספינה
אשר שם אנחנו יושבים כמאה איש
מהרבנים אנשים ונשים גם החרוצים
ללכת לירושלים ומהם לצפת וגם
ישמעאלים כת״ק איש : והלכנו עד אפינר
ובאנו אל עיר א׳ גליבולי וישבנו שם יום
א׳ והעיר גליבולי היא בנויה לחוף הים
מסובבת משלוש חומות והיא עיר יפה
מאד ושם ב׳ בתי כנסיות לרבנים וב״ה
לישמעאלים כ״ה והנויות למאות ושם
מוכרים כל מיני פירות ומגדים ושם
כמה ספינות מזומנים שהם מקוים
לספינות מצרים בעבור שהם יראים
ללכת מהיונים וכאשר הלכנו נתחברו עמנו

mercaturæ vacare potis eram, ob vehemens, quod animo conceperam proficiscendi desiderium. Itaque datis absque ulteriore mora ad R. Schelomonem Levi litteris, de ejus profectione sciscitabar, meque una viæ comitem, Deo bene juvante, offerebam. Ex interjecto dein tempore, delatus est, nonnisi cum laudis præfatione a me semper nominandus, (is cujus paulo ante mentio injecta) R. Schelomo Levi ad urbem Coslubam, ubi navi [alto] nos commisimus feria quinta, quæ incidit in diem quartum decimum mensis Augusti, quo scilicet distinctio illa prophetica Esajæ, quæ de Consolatione Israelis agit, publice in Synagogis prælegi solet, anno minoris nostræ computationis 401. (Christ. 1641.) Quem continet Symbolum (Deut. XXVIII.) *Benedictus eris in ingressu tuo, & benedictus eris in egressu tuo*. Nobis insuper adjunctis, Samuele Filio viri undique Celeberrimi Moseh David f. m. & Nisane Lucensi, iter ingressi sumus feria hebdomadæ sexta; sicque dies quinque continuos processimus. Tum Numen vento impetuoso mare perturbabat, sic ut navis fractionem minitaretur, & portum qui Gadeorus appellatur, maximo cum discrimine petere cogeremur. Sit autem benedictum Summum Numen, quod præsenti nos eripuit periculo. Hic ubi per triduum mansissemus, inde solventes delati sumus Constantinam die quinto & vigesimo mensis (supra memorati.) In hac per dies quadraginta & octo subsistentibus nobis, festum solennis Expiationum diei celebrare ibidem contigit. Hinc feria sexta quæ incidebat in tertium decimum mensis Septembris, anni computationis nostræ minoris 402. (Christi 1641.) qui numerus exhibetur in dicto illo Psalm. XXXIV. 15. *Require pacem, & sectare eam*, relicta urbe Constantina pervenimus ad Beschictas; ubi conscensa navi Mucharem Rees una cum lectissima sociorum turma; per biduum exspectabamus, donec solenni die scenopegias primo læti ac hilares urbe Constantina solveremus, unaque simul majores naves numero quinquaginta circiter, Alexandriam versus cursum instituentes. Aderant vero in navi nostra Judæorum Rabbanitarum utriusque sexus plus minus centum animæ, quorum nonnulli Hierosolymas proficisci, alii vero Saphettam petere proposuerant. Muhammedanorum quoque 500. circiter erant viri. Perreximus itaque ad Asend, ubi urbem Gallipolim attigimus, in qua per diem unicum quievimus. Est autem urbs Gallipolis sita ad portum maris, muris cincta ternis, eademque longe pulcherrima. Sunt ibidem synagogæ binæ Judæis; fana autem viginti quinque Muhammedanis; præterea tabernæ ad

והלכנו יחד ונסענו משם ובאנו אחר
הצהרים אל בוגוז'חיסר ושם היה יושב
קפודן הנקרא שמו ביביר פשא עם י'ב
ספינות אני שיש כדי לקדם הספינות
לשמור אותם בעבור שלא יזיקום היונים
להם בדרך : כה מנהגם בכל שנה ושנה
להוליך את ספינות מצרים אל אסכנדרייא
וגם להשיבם מאסכנדרייא אל קוסטינא
ועשו הספינות שמחה גדולה זה כנגד
זה בבוגוז חיסר בעבור כבוד קפודן פשא
וגם בספינותינו היה שר אחד הנקרא שמו
שאבן אפינדי · והיה לשר דבול חנא
ותקעו גם הם בחצוצרות לעשות כבוד
אל בביר פשא וגם בכל יום יתקעו בספינה
וכה הלכנו בשמחה עד איסכנדרייא ובו ביום
הלכנו משם ועברנו את מעבר בוגה חיסר
ובאנו בחצי הלילה לארא א' הנקרא שמה
בוחצרת אדסי · ומעבר המקום צר ובאו כל
הספינות במקום אחד זה על זה ובאנו
בלחץ גדול ופחדנו פחידה גדולה בלילה
ההוא כדי שלא יפולו הספינות זה על
זה ונשברו : ברוך השם שהצילנו ונעבר
משם בלי נזק והמיון ומים הלבן הוא ים
גדול מאד ויש בתוך הים איי הרים וגלים
קרובים זה לזה כמו שיהיה גלים על פני
השדה מפלאות תמים דעים ברוך שהראנו
פלאות : ומן קוסדינא עד רונדס כמו
אסטמבול בוגיזו שיראה היבשה מפה ומפה
שיפול צד אנדולו למזרח וצד אורוס אילי
למערב כלו כרמים ופרדסים והלכנו ובאנו
אל כברא עיסטנבו שהיא בצד אורס אילי
וכנגדה בצד אנדולו קרס בגלר כרמים

ad hospitandum. Hic varii generis merces venales habentur, fructus quoque & aromata; ad hæc naves perplurimæ, quæ adventantem ex Ægypto classem ibidem operiri solent, cum metu Græcorum solos se mari committere haud tutum existiment. Nostræ itaque turmæ post quam se adsociassent, portu solvimus, ac pomeridiano tempore ad Bogis-hissar pervenimus. Hic morabatur Capitaneus, cui nomen erat Beibir Pascha, cum duodecim navibus bellicis, quibus reliquas (onerarias) duceret, ac immunes præstaret in itinere a Græcorum deprædationibus. Ea quippe singulis annis apud eos obtinebat consuetudo, ducendi naves Ægyptias Alexandriam, easque inde reducendi Constantinopolim. Cæterum hæ naves mutua amoris ac lætitiæ signa edebant in Bogis hissari, atque eo ipso simul honorem exhibebant Capitaneo Paschæ. Forte aderat in classe navium altera nostri comitatus optimatum aliquis, cui Schaban Efendi nomen erat; is habebat Dabul chana, ac tubis clangorem edebant, honoris testandi caussa coram Beibir Pascha. Imo vero singulis diebus buccinarum cantus dabatur ex navi [illa] & hoc modo læti processimus ad urbem usque Alexandriam. Dum vero hoc ipso die solvebamus, ac fretum quod est ad Bogis-hissari transmisissemus, nocte concubia ad insulam delati sumus, quæ dicebatur Bochsa Adasi. Erat hic fretum angustum nimis; cogebanturque naves in locum unum, & se invicem arcte collidebant. Hinc pavore ingenti corripimur tota illa nocte; veriti ne ex collisione ista nimia frangerentur naves. Sit autem benedictum Numen, quod nos incolumes servaverit, ac imminenti exitio illæsos subduxerit. Cæterum mare Album est longe vastissimum, in quo plurimæ occurrunt insulæ, montes ac scopuli, instar collium in terræ solo frequentium, quæ visui mira apparent atque formidabilia existunt. Deus itaque laudibus extollendus celebrandusque est, qui hæc (naturæ) mirabilia nobis videre concessit. Porro, ab urbe Constantina ad Rhodum tantundem est distantiæ, quantum ab Constantina ad Bogisum, visiturque continens terra ad utrumque latus. Ad orientem enim sita est *Natolia*, ad occidentem *Orus ili*, undique vinetis ac hortis amœnissimis conspicuæ. Perreximus autem ulterius ad *Cabra Istanco*, quæ sita est in parte *Oros ili*. Huic in parte Natoliæ opposita est *Karas-Bugilar*, & illa pariter vinetis, hortis atque pomariis, arboribus frugiferis, aromatibusque copiosissima. Nos vero paullatim gradus promovendo fretum, *Susam Adasi*, transivimus. Quo superato, naves illæ quæ inde a Gallipoli, aliisque locis in comitatu nostro fuerant, secessionem fece-

re;

גנים ופרדסים ואילני פירות ומגדים לרוב
מאד והלכנו מעט ונעבור ארת מעבר סוסם
ארסי איך עברנו ארת מעבר סוסם אדסי
ומשם יפרדו הספינות אשר יתהברו עמנו
מן גליבולי וממקומות׳ אחרים שהלכנו לדרכם
לסוסם אדא ומהם לאיזמיר והלכנו ובאנו
לפני עיר אחרת סגיז ולא הלכו הספינות
לחוף סגיס בעבור שהיה רוח טוב ונעבור
מלפניו ונראה אותו מרחוק את חומותיה
ואת כרמיה ואת גנותיה ואת הבתים שהם
יפים מאד ונלך משם ונבוא ביום ו׳לעת ערב
לעיר רודוס ומן קוסדינא עד רודוס ו׳
מאות מילים ונשבו׳ בספינה ויצאנו ביום א׳
מהספינה ובאנו ונכנסנו במרחץ ושמחנו
שם : והעיר רודוס היא עיר יפה במאה
מאד והיא בתוך הים אדא בנויה מימי
היונים מסובבת משלש חומות נצנרה מלכה
והבתים יפים במאד מאד בנויים מאבני גזית
כבתי גלטא ולא יראה שום עץ בתוך
הבנין וסביבורת חומותיה מגדלים גגבוהים
ויפים מאד ושם העיר בזמן היונים כוצוב
מלטא ושם ב׳ בתי כנסיות לרבנים ובת׳
׳לישמעאלים כה׳ ומרחצות וחמיות כשיעור
תקויש בה סוחרים מוכרים כל מיני סחורות
מצרים הבאים עליהם עם הספינות ממצרים
ושם כל מיני פירות ומגדים וענבים ותאנים
רמונים לימונים : ורורוס כמו גן עדן והפירות
שהם בזול מאד א׳ אוקא ענבים בלבן א׳
וא׳ אוקא תאנים בלבן א׳ וא׳ אוקא רמונים
לבן א׳ עשרה לימונים בלבן א׳ והיין אוקא
בג׳ לבנים והזעה לח׳ לבנים ובערת ההיא
לחם יוקר כי הלחם קס׳ דרי׳הם ללבן א׳

re; quarum aliæ *Susam Ada*, aliæ vero *Ischmid* petebant, Ferimur deinde ante urbem, quæ dicebatur *Sagis*; ad cujus portum naves quidem minime appulerunt, quia secundo vento ferebantur. Hac itaque transeuntes, urbem ex longinquo, ejusque mænia, vineas, hortosque & ædificia pulcherrima spectabamus. Ulterius deinceps perreximus, & circa vesperam diei sexti *Rhodum* appellimus. Sunt autem a Constantinopoli ad Rhodum milliaria sexcenta. Permansimus in navi (*propter Sabathum quod tunc instabat*.) Feria autem prima in terram descendimus, & balneum ingressi (*ad sordes abluendas*,) hilares ibi fuimus. Cæterum urbs *Rhodus* longe pulcherrima est, in insula maris ædificata temporibus Græcorum [*cum dominium penes illos esset*] tribus insuper mœnibus cincta, quæ illam inexpugnabilem reddunt. Sunt etiam palatia ibidem magnifica, ex quadrato omnia lapide exstructa, nec dissimilia ædificiis Galatæ urbis, neque enim ligni quidpiam structuræ immixtum apparet. Turres denique præaltæ & aspectu pulchræ, in mœnibus ordine dispositæ sunt. Hæc temporibus Græcorum alio nomine *Cozob Malta* dicebatur. Habent ibidem Judæi duas Synagogas, Muhammedani autem fana viginti quinque. Balnea & diversoria circiter quingenta sunt. Abundat etiam mercatoribus, qui variis ex Ægypto mercibus, quas Ægyptiæ naves illuc deferunt, commercia instituunt. Præbet omnis generis fructus sapidissimos, uvas, ficus, malogranata, citrea, instar horti alicujus paradisiaci. Venditur autem libra major uvarum unico argenteo; sic & ficus & malogranata, singulis comparantur; decem citrea mala unico; vini autem mensuram pro tribus argenteis emere licet; frumenti denique triginta & octo ejusdem monetæ, Illo etiam tempore frumenti magna erat abundantia: ita ut panis centum & sexaginta drachmæ emerentur argenteo unico; siquidem tanta copia proferre solet regio ista, ut numerus (proventuum) iniri vix queat. Hic per triduum substitimus. Contigua insulæ huic *Lindo* [rupes] ibidemque ædiculæ pro restiariis ac naviculariis. Habet sua suburbia, agros ac vineas; estque turris exstructa inter singulas vineas hortosque. Nos autem inde proficiscebamur feria secunda, relicto ibi Beibir Pascha, qui cum navibus nostris duas bellicas misit, ut nos ducerent, simulque de singulorum feliciter confecto ad portum itinere, ipsi nuncium referrent. Ab istac urbe Rhodo ad Alexandriam, nullæ comparent insulæ, nullaque continens, nisi superius cœlum, inferius aqua. Hoc modo postquam per quinque dies in [ærumnoso] navigassemus salo, tempestas vehementissima obor-

אשר לא יוסופר מרוב זמרת הארץ וישבנו
שם ג׳ ימים גם לינדוז בתוך הארא ושם
בתי חובלים ומלחים ויש גם בתוכה כפרים
שרורת וכרמי׳ בתוך כרם ובתוך פרדס בנוי
מגדלי א׳ וביום ב׳ נסענו משם ונשאר שם
ביביר פשארק שלח עם הספינות אנישיש
ב׳להלוך עמנו כדי להשיב דבר אל ביב יר
פשא שהלכו בשלום אל מהוז חפצם ומעיר
רודוס והלאה לא יראה שום ארא ולא
יבשה עד אכסנדרייא כי עם למעלה שמים
ולמטה מים והלכנו בתוך הים ה׳ ימים
וביום ה׳ ההטיל הרוח סערה גדולה וחזקה
מאד וצערנו צער גדול והספינה חשבה
להשבר ובאנו בלחץ גדול יום אחד ולילה
א׳ והתפללנו לה׳ ונדרנו נדרים ומלבד זה
עברנו כל הים במנוחה ובששון ונעבור ארת
הים ובאנו בליל ששי אל לאכסנדרייא
ברוך שהעבירנו וברוך הנותן בים דרך ובמים
עזים נתיבה ומן רודוס עד אכסנדרייא ת״ק
מלים והעור אכסנדרייא היא עיר גדולה
מאד והבנינים שבנה אלכסנדרוס מקודם
רובם חרבה ושממה ובתי אכסנדרייא כבין
בתי רודוס בנויים מאבני גזית ובה בנינים
פלאים בנויים על עמודי שיש מגוונים
שונים לא יוכל אדם לספר ויש בה בתי
כנסיורת לרבנים ג׳ ובתי תל׳ ויש שם בת׳
א׳ לישמעאלי׳ בנויים על אלף עמודי שיש
וישבנו שם ג׳ ימים אלו הם מסעות הים :
ביום ג׳ שלשה ימים לחדש חשוון נרכבנו
על הגמלי׳ ועל החמורי׳ והלכנו ובאנו לערת
ערב למעבר א׳ הנקרא שמה ימתיא
ומי הים באו כמו נהר והלך עד למרחק

oborta est, qua misere conflictabamur, & naufragio proximi eramus, dum diem noctemque integram tristes ita ferimur, DEO interim preces ac vota nuncupantes. [Sedata jam tempestate,] quod restabat viæ, tranquille & cum gaudio peregimus, superatoque mari, urbem Alexandriam feria sexta appellimus. Quapropter benedicetur Summum Numen, quod nos incolumes detulit: sitque gloriosum nomen ejus, qui æquora uudosa ita disposuit ut sulcari, & rapidissima quæque flumina, ut transiri possint. Sunt autem quingenta milliaria ab insula Rhodo usque Alexandriam. Quod vero Alexandriam attinet, est illa urbium longe maxima, sed ædificiis illis, quæ antiquitus exstrui curavit Alexander M. maximam partem eversa desolataque; Sunt ædificia Alexandrinæ urbis non dissimilia illis, quæ apud Rhodios spectantur, ex quadratis nimirum exstructa lapidibus. Imo supersunt ibidem palatia insigniora columnis marmoreis, vario colore distinctis, innixa, quæ ob magnam eorundem copiam numerare difficile esset. Habent insuper Judæi Synagogas tres, Muhammedani etiam suas Moscheas, inter quas una eminet, quæ mille columnis marmoreis sustentatur. Triduum hic quieti datum est. Atque hæc sunt itinera nostra [*quæ hactenus fecimus*] maritima. Feria tertia, quæ incidebat in tertiam mensis Octobris, camelis & asinis inequitantes, deferimur circa vesperam ad fretum quoddam *jamteja* dictum; cujus aquæ ex suo mari rapidissimæ erant, & procul abhinc ducebant, sic, ut nec circuiri, nec camelis aut equis transiri possent. Commodum autem duo navigia hic parata aderant, pro hominibus vectandis, cui officio assidue vacare solent. Verum tantus hoc die hominum confluxus contigerat, ut pro lubitu [*cujusque*] transiri non posset, nisi probe servato ordine. Nimirum id naviculariis Arabibus curæ erat, ut succenturiato ordine singulos deveherent. Cameli autem sarcinis onusti, in rates illas cogebantur, atque hoc modo fretum *Mateja* transmittebant, pro singulis portorium accipientes solidum *argenteum* unicum, qui monetæ Ægyptiacæ *Peram* valore æquat. Tetigit nos Judæos ordo traducendi circa noctis medium, quo & ipsi transfretavimus. Cumque iniretur numerus illorum, qui a vespera ad diluculum usque vadum hocce transiverant, reperti sunt hominum camelorumque circiter ducenti. Ulterius hinc progressi, per continentem terram iter fecimus, & circa vesperam deferimur in urbem quandam, *Resit* dictam. Et vero, inde ab urbe Alexandria ad Resit usque quæ ducunt viæ, palmarum arboribus dispositæ sunt. Urbs ipsa *Resit* ripæ fluminis objecta,

ולא יוכל אדם לסבוב אותה ולא לעבור
ממנה בגמלי׳ ובסוסי׳ ושם ב׳ ספינות מזומני׳
להעביר את האנשי׳ לא יזוזו ממנה וביז׳
ההוא באו אנשי׳ רבי׳ לא יוכל איש להעביר
עצמו משם בחוזק כי אם בסדר ולקחו
המלחי׳ שהם ערבי׳ והעבירו כל׳ איש ואיש
בסדר והביאו את הגמלי׳ נשואותיהם עמוסות
עליהם והרכיבו על האניות והעבירו את
מעבר מתיא ולקחו שכר מגמל א׳ חתיכה
א׳ רל׳פרא מצרי׳ · ובא לנו סדר בחצי
הלילה ונעבור גם אנחנו ומערב עד בקר
העבירו כשיעור ר׳ אנש׳ וגמלי׳ ונסענו משם
והלכנו ביבשה ובאנו לעת ערב אל עיר
אחד רישיט ומן אסכנדריא עד רישיט
הדרכים מלאי׳ מאילני התמרי׳ והעיר רישיט
היא על שפת היאור מושבה והיא עיר יפה
מאד ושם בניני׳ נאי׳ ובתי׳ יפי׳ מגווני׳ שוני׳
ושם ימצא כל מיני סחורות ומשם יקחו
הסוחרי׳ כמו אורזי ופשתי׳ והולכי׳ בגירי׳ אל
אסכנדרייא לכנוס בספינה ושם אנייות
למאות ומלון ארחי׳ מ׳ וקהוא חנזרת ובת׳
לישמעאלי׳ וראיתי בת׳לישמעא׳ על מאתים
ותשעי׳ עמודי שיש ובתי כנסיות לרבני׳ ב׳
ושם דגי הואור ודגי הים בזול מאד וישבנו
שם ג׳ ימים וביום ו׳ בעת הצהרים נכנסנו
בספינה קטנה שמה גרים ונסענו מן רישיט
עם הספינות קטנות ב׳ והלכנו ו׳ ימים
ביאור בשלום ובשלוה אין שטן ואין פגע
רע ולא הלכנו בלילה מפחידת הערבוום
וביום ג׳ בחדש חשון עשינו יום כפור ב׳
בספינה אשר ביאור ורוחב היאור כשיעור
מיל אחד ויש מקומות בשיעור מיל שנים

cta, ſpecie decora valde, ædificiis elegantibus varie exornatis nitet. Quin & mercimoniis varii generis crebra. Inde mercatores oryzam & lina accipientes, (*quæ in aliis regionibus deſiderantur*) Alexandriam peregre deferunt, navibus illa venum exponentes. Sunt in urbe tabernæ mercatoriæ perplurimæ, diverſoria item pro recipiendis hoſpitibus quadraginta, & chavehanæ (*ubi potus cahve divenditur.*) Inſuper Moſcheas ſuas Muhammedani habent; quarum unam vidi ducentis & nonaginta columnis marmoreis innixam. At vero, (*& hoc memorandum*,) habere etiam Judæos heic locorum Synagogas binas. Qui hic tam fluviatiles quam marini (*capiuntur*) piſces, pinguiſſimi ſunt. Hic nos per triduum quievimus. Feria vero ſexta circa pomeridianum tempus, parvo conſcenſo navigio, quod *Gærim* appellabatur, urbe Reſit ſolvimus duobus minoribus navigiis comitati, ſextidui ſpatio leniter ac tranquille, nemine prohibente aut mali quidpiam minitante, per flumen ferimur, nocturno tantummodo tempore moram (*aliquantiſper*) trahentes, propter Arabes prædones, qui peregrinis vim inferre ſolent. Jam feria ſexta menſis octobris aderat, qua diem ſolemnis jejunii ſacrum colebamus, idque [*pro more Karaitarum*] bidui ceremonia, permanentes in navi ſupra flumen. Eſt autem latitudo fluminis circiter milliaris unius, alicubi autem locorum, duorum milliarium. Utrinque vero ſunt agri, legumina varia, calami aromatici, omniſque generis fructus pretioſiſſimi, horti & pomaria. Quin nec oppida aut pagi alibi locorum adeo vicini, ut hic ſunt, reperiuntur. Sunt enim inde a *Reſit*, uſque *Memphim* mille circiter; quod ſpatium opinione aliorum, quingentis milliaribus abſolvitur. Circa veſperam deferimur in urbem *Bulac*, ubi quieti nos dedimus. Hæc ſunt maritima quæ confecimus itinera, inſuperque fluminea. Incipiam itaque deſcribere profectiones noſtras terreſtres. Ubi inprimis D. O. M. laudibus extollere conveniens fuerit, qui iter facientibus, [*ac puro animo opem ejus implorantibus*] proſpicere ac conſulere ſoleat. Itaque itineri nos accingentes, ab urbe Bulaco perreximus *Alcabiram* feria ſexta, quæ erat duodecima menſis, paulo ante meridianum tempus. Divertimus ibidem in diverſorium publicum, quod *Apothecam* appellare ipſi ſueverunt. Simulac vero [*de adventu noſtro*] certiores facti ſunt fratres noſtri Karraitæ, quibus Deus æternum bene eſſe velit, miſere ad nos viros aliquot totius cœtus ſpectabiles & honoratiſſimos, qui gratulabundi lætique nos ſuſcipientes, deduxerunt ad ædes præſtantiſſimi Viri R. Ba-

ועל שפת היאור מב׳ עבריו שדות ומיני
קטניות וקנה שכר וכל מיני מגדים וגנות
ופרדסי׳ ולא ימצא שום מקום ער׳ וכפרי׳
קרובי׳ זה לזה מרשיט עד מצרים בשיעור
אלף כפרי׳ ואומרי׳ מהלך תק׳ מילין ובאנו
לעת ערב לעיר בולק ושכבנו בה · אלו הם
מסעות הים ומסעות היאור ׃ ומעתה אתחיל
לכתוב מסעות היבשה · ברוך נותן לעוברי
הדרכים ישועה . והשכמנו והלכנו מבולק
למצרי׳ ביום ו׳ ביב׳ לחדש קודם הצהרי׳
בו ביום וחנינו במלון אורחים במצרים
הנקרא שמה אבוטכיא ומיד שמעו אחינו
הקראים יץ׳ ושלחו קצרת אנשים מטובי
ומנכבדי הקהל ולקחו אותנו וקבלו בסבר
פנים יפות והוליכנו אל בית כהר׳ ברוך
הנשיא יצו׳ והש׳ית יתן כל חפצו ונתן לנו
בית א׳ יפה סמוך לבה׳ וישבנו שם ועשינו
חג הסכות א׳ בטו׳ לה׳ מרחשון לשמור את
מועדי ה׳ המקדשות בראיית ובציאות
האביב בארץ ישראל הקדושה והעיר מצרים
שהיא על שפת היאור מושבה · ואומרים
בעבור יאור מצרים שהוא נהר פישון
והקראים והרבני׳ והערביי׳ כלם יעידון שהוא
נהר פישון וגם חפשנו בחבורי חכמי מצרים
ומצאנו גם הם פרשו שהוא נהר פישון הוא
הסובב את כל ארץ כוש . ועשו לנו כבוד
אנשי מצרים יותר מדי וגם כהר׳ ברוך
הנשיא בע׳ה היה עושה כבוד גדול בכל יום
ויום במאכלים נאים ובכל מיני ממתקי׳ ובכל
מינ׳ הש׳ית יכפיל שכרו · ומדות אנשי
מצרים טובי׳ נדיבי לב שפלי רוח אוהבי
הבריות טוב עם אנשי׳ וטוב עם ה׳ הם
ההולכ׳ בתורת ה׳ הקדושה והם ההולכי׳ עד׳
אמת ושומרי׳ שבתות ה׳ בהלכתן ואינם

Baruch Hannasi, quem Deus & sospitator ejus diu incolumem servet, omniaque ejus desideria impleat. Enim vero hic eximium habitaculum, Synagogæ quam vicinum, nobis assignavit inhabitandum, ubi nos percommode umbraculorum solemnitatem bidui religione sacram celebravimus, in die decimo quinto mensis Octobris, quo & kalendæ habebantur. Ita quippe nos decet festa Domini sacra, circa celeberrimos Israelitarum conventus, & tempora novarum frugum jam baccas profundentium, in terra Israelis, quam Deus præcipue sanctam colebat, celebrare. Cæterum urbs *Alcahira* ad fluminis ripam protensa est. Et vero de fluvio Ægypti, illa communis fertur opinio, esse videlicet eundem cum Pisone; cui sententiæ etiam constanter favent Karraitæ, Rabbanitæ & Arabes. Quin & nos [*majoris certitudinis causa*] in libris sapientum Ægyptiacorum indagare maluimus, quos & ipsos de Pisone totam regionem Cusch ambiente exponere deprehendimus. Nobis eximium honorem detulerunt Judæi Ægyptii, ipseque adeo insignis vir R. Baruch Hannaschi eodem officii genere quotidie nos dignabatur, mittendo cibos suavissimos & dulciaria exquisitissima; quæ utinam a præpotenti Deo larga benedictione ipsi rependantur. Sunt Judæi (*Karraitæ*) Ægyptii optimis moribus morati, liberales, animo humiles, proximi amantes, adeoque in homines ac Deum pii, ipsi inquam sunt, qui legem Dei sanctissimam rite servant, via illa, quæ veritati congrua est, incedentes, & sabbata sancta ritu sacrato colentes. Neque enim lucernas ullas sabbato die accendunt, aut cibos calidos eo die gustant; sed lumina ac lampadas vespera diei festi excitant, ad matutinum usque tempus in Synagogis (lucentes.) Imo vero si contingat, festum solenne in diem septimanæ primum incidere, tum exeunte Sabbato post recitatam precatiunculam בריאה (*qua diei noctisque discrimen statuitur*) lumen accendere moris est; quod tum Synagogæ inferre solent illi, qui (ἐκ τῶν ἔξω) in eadem cum Judæis societate (*aut famulitio*) vivunt; nisi forte malint ipsi silicis & ferri contusione ignem excudere. Ad singula quoque festa solenniora & hebdomadalia, præparandorum ciborum peculiaris ratio illis observatur. Nimirum præter alia munditiei perquam studiosi sunt, nec enim a Muhammedanis quidpiam cibi aut potus accipientes, præter legumina & fructus, ut nec a Rabbanitis panem, neque etiam vinum aut mustum ab ipsis propinatum bibunt; quin nec cibi communionem ullam cum Rabbanitis licitam habere malunt, quippe quos a contactu mulie-

lie-

מדלקי׳ נר בשבת ואינם אוכלי חמין לבד
מדליקין נרות ואששיורת בערב מועד עד
הבקר בב״ה ואם חול ויפול המועד יום א׳
אזי גם כן במוצאי שבת אחר קריאת
הבריאה יביאו אור לבית הכנסת שהם
דרים בשכונה א׳ עם הרבנים או בעצמם
מוציאי׳ האש מהאבן עי׳ חתישת הברזל וכן
יעשו מלאכת אוכל בכל מועד ומועד ובחג
השבועות ונשמרי׳ מן הטמאה ביותר ואינם
לוקחים מיד ישמעאלי׳ שום מאכל ולא שום
משתה זולת מיני זרעונים ופירות וכן אינם
לוקחי׳ מידי הרבני׳ לחם ואינם שותים יין
והע״ה מידם ואינם אוכלי׳ בבית הרבנים
שום מאכל מפני שהם אינם נזהרי׳ מטמאת
הנדה ומכל מיני הטמאות ויש להם בסגולה
אופי׳ וטבחי׳ ואינם קוני׳ ממקום אחר לא
לחם ולא בשר ויאות להקרא להם בעצם
וראשונה יהודי׳ וישראלי׳ באמת וגם מלאכת
אחינו אנשי מצרי׳ רובם צרופי׳ והם בינוניים
בהשגה לא ימצא היום עשירים גדולי׳
בתוכם רק כי מדותיהם מדות הטובה ובה״כ
של הקראי׳ אחיני מעומד על יד׳ עמודי
שיש ויש שם ה׳ היכלות ויד׳ ספרי תורה
וגם ספרי חכמי הקראי׳ הרבה כלם בלשון
ערבי. ויש עוד בה׳ שני קטנה בחצר איש
א׳ ושמו אהרן ושמה ב׳ סת׳ וקצת ספרי
מחבורי חכמי מצרי׳ והיום יש במצרי׳ בתי
הקדשות שהקדישו הקדמוני׳ ואומרי׳ שמקודם
היו שבעי׳ והיו רק נ׳. ויש בית א׳ להקדש
ומגדל גבוה בתוכה שבנו אותה הראשוני׳
כדי להביט ולראות משם הירח והלכנו
וראינו אותו ונעלה במעלות צ׳ עד למעלה
ואם תעלה עליו יראה כל ארץ מצרי׳ והיא
שלש מחיצות עד למעלה ומנהג קהל מצרי׳

lierum, dum in impuritate illæ ſunt, aliarumve rerum immundarum, parum ſollicite ſibi cavere compertum habeant. Hinc piſtores & lanios ſuum in peculiarem uſum conſtitutos habent, ut prorſus neceſſum non ſit, ſive panificii ſive eſculenti quidpiam aliunde comparare. Proinde etiam jure meritoque conveniens fuerit, hos ſolos unicoſque legitimos Judæos veroſque Iſraelitas appellari. Quod inſuper eorundem fratrum noſtrorum Judæorum Ægyptiorum reliqua opera attinet, ſunt illa ut plurimum bonæ probatæque notæ, licet facultates modicæ ipſis ſuppetant; nec, qui lautam habeant rem familiarem, his ſane temporibus, inter illos reperiantur: ipſi tamen morum probitate nemini ſecundi ſunt. Cæterum Synagoga Judæorum Karraitarum noſtræ fraternitatis, decem & quatuor columnis marmoreis innixa eſt; ſuntque ibidem quinque Legis Moſaicæ armaria, & ejuſdem Divinæ legis exemplaria quatuordecim. His accedunt libri bene multi Sapientum Karræorum, ſermone omnes Arabico conſcripti. Eſt inſuper alia Synagoga minor, in atrio viri cujuſdam, cui Aharon nomen eſt. Sunt ibidem bina legis Divinæ volumina; nonnullaque ſcripta quæ antiquorum Ægypti Sapientum induſtria olim confecta ſunt. Superſunt hodieque in Ægypto domunculæ ſacræ, a majoribus priſcis quondam dicatæ; quas omnino numero ſeptuaginta primitus fuiſſe perhibent, nunc tamen 50. tantum videre licet. Eſt etiam domus quædam ſacro cultui peculiaris, cui turris præalta imminet, eademque primorum hominum opus, ex cujus faſtigio lunam contemplari ac aſpicere poſſint. Hanc etiam nos videndam adivimus, & 90. ſcalas emenſi ſummum ejus faſtigium attigimus. Ex edito ejus loco univerſam Ægypti terram ſpeculari licet. Tabulata autem tria habet, quibus ad ſummitatem aſcenditur. Is apud Judæos Ægypti incolas mos obtinet, ut legis Divinæ exemplar ſingulis Sabbatis, ſingulisque feſtis ſolemnioribus, diebus item profeſtis, ut & hebdomadis feriis ſecunda & quinta, in publicum proferant, & ſectionem hebdomadalem inde recitent. Imo vero ſingulis diebus, poſt peractas in Synagoga preces diurnas, eandem hanc ſectionem prælegunt, hac tamen differentia, quod nullam huic ſuperaddant ex Vatum libris lectionem. Talis videlicet in urbe Hieroſolymorum, utinam brevi reædificanda, perpetua obtinet conſuetudo, apud Judæos etiam Damaſcum incolentes, quibus D. O. M. æternum bene eſſe velit. Cæterum urbs Ægypti metropolis, omnium longe maxima eſt. Hic varii generis merces, majori multo copia, quam in aliis regio-

'להוציא סת' בכל שבת ושבת ובכל המועדי'
ובכלה חולי מועדי' וגם בכל שבוע ביום ב'
וביום ה' מוצאי' סת' וקוראי' עליו מפרשת
השבוע ובכל יום ויום קוראי' פרשת השבוע
אחר התפלה בב' הכנסת רק שאינם
קוראי' ההפטרה כה מנהג ירושלם תוב"ב
ומנהג קהל אנשי דמשק יצ"ו ומדינת עיר
מצרי' היא עיר גדולה מאד ושם ימצאו כל
מיני סחורות ביותר מכל המדינות וב"ת
לישמעאלי' אין מספר ומלון אורחי' אין חקר
ומרחצות וקהוא חנות גם כן וחנויות לאלפים
ולרבבות ובתי כנסיות לרבנים לא' וביום א'
לקחו אותנו כה"ר אברהם קודשי מבית לוי
עם ר' יעקב והלכנו למצרי' הישנה הוליכנו
לבית הכנסת אשר שמה והיא יפה מאד
מיוסדת על כ' עמודי שיש ויש שם ב'היכלות
וד' סת' וממעל ההיכל חדר א' ובתוכה ספר
תורה כתיבת של עזרא הסופר עה' וראינו
אותו מתחת והתחננו לשמש להביא למעלה
אמרנו נעלה ונראה את ספר ת"וגם
אמרנו לתת לשמש קצת לבנים והוא לא
רצה ואמר לנו השמש לא יוכל איש לפתוח
אותו יש לי היום נ' שנה שאני משמש
בבית הכנסת לא יכולתי ליגע לס"ת מפני
יראתי וספר לנו ואמר זמן א' בא א' חכם
וצם והתפלל מ' יום וטבל טבילה ואחכ' טתח
התורה וקרא ממנו אין שום אדם יוכל
לראות התורה רק ראה החכם אותו לבה
וגם יש טבילה לפני ההיכל מחוץ · ואח"כ
שמענו מפי רבן א' שהום אהוב היה לנו
אמר שהשמש מצווה מהחכמים אם ילך
איש מהקראים לא תתן רשות לפתוח
התורה ומסבה זו פחד השמש מחכמיהם
ולא הראה אותנו אמרו אחינו הקראים

regionibus reperiuntur; Muhammedanorum ſane numerum excedunt; diverſoria longe plurima; balnea item, Cahvechanæ, & tabernæ, aliquot millenæ reperiuntur. Habent etiam Judæi Synagogas ſuas triginta & unam. Die autem [*poſt adventum noſtrum*] aliquo, concomitantibus nos R. Abrahamo Kodſchi de proſapia Levi, & R. Jacobo, veterem Cairam petebamus. in cujus loci Synagogam nos deduxerunt. Eſt ipſa elegantiſſima, viginti marmoreis columnis innixa. Armaria ſacra bina habet; legis autem Divinæ volumina quatuor. In ſuperiore Armarii parte conclave eſt, ubi Moſaicæ legis exemplar aſſervatur, quod manu ſua ESRAS ARCHIGRAMMATEUS f. m. deſcripſerat. Ipſum hoc conclave inferne tantum ſpectabamus, multis ad hæc verbis miniſtrum publicum precati, ut nos intromitteret viſum inſigne iſtud legis volumen, itidem muneris loco nummos aliquot ipſi offerentes. Quibus tamen ille nequicquam moveri poterat, dicendo, nemini unquam mortalium id ipſum ut recluderet, conceſſum fuiſſe; jam 50. effluxiſſe annos, quibus miniſtri publici munere in hac ipſa Synagoga deſungatur, neque vero tanto tempore Sacrum hoc volumen attingere auſum ſe fuiſſe. Enarrabat nobis inſuper, acceſſiſſe aliquando virum quendam eruditione clarum, qui poſtquam ad jejunia & preces per 40. dies deſcendiſſet, frequentibus inſuper ablutionibus ſe expurgaſſet, ſacrum iſtud volumen explicaverit, & exinde legerit. Neque vero fas eſſe cuiquam mortalium, legem hanc Divinam introſpicere, præter viro illi Doctiſſimo, cui ſoli iſthoc beneficii datum fuit. Et vero locus ille, qui ſordibus abluendis proprius eſt, e regione Armarii extra Synagogam conſpicitur. Enimvero relatum eſt nobis deinceps a Rabbino quodam noſtri amiciſſimo; Rabbanitas ſeverum iſtud interdictum Miniſtro publico injunxiſſe, quiſquam ex Karraitarum ſecta, illuc ſi forte accedat, nequaquam licentiam ei largiatur, ſacrum illum codicem aperiendi. Atque hinc etiam factum, quod Magiſtrorum ſuorum decreta veritus miniſter ille, nobis librum oſtendere noluerit. Dixerunt fratres noſtri Karraitæ, hanc Synagogam antiquitus Karraitarum cœtus fuiſſe, ſed deinceps ob peccatorum noſtrorum gravitatem, Rabbanitarum propriam factam eſſe. Et ſane ex indicio clariſſimo ſtructuræ ejus cognovimus, a Karraitis ædificatam fuiſſe. Ibidem itaque ſupplici corde Deum venerati, hymnos aliquot recitavimus, inſuperque nummos quoſdam pro oleo lucernarum emendo largiti ſumus. Hinc deinceps abeuntes, mortuorum ſepulcra viſitavimus.

Mo-

זו הבנסרת קודם בהזקרת הקראים והיו׳
ברוב עונינו ביד הרבנים גם אנחנו ידענו
מבנינו באמת שהוא של הקראים והתפללנו
לאלהינו וקראנו קצרת מזמורים ונתננו קצת
לבנים לשמן המאור והלכנו משם וראינו
בתי החיים ושבנו עוד במצרים הישנה ושם
איש ערבי אהוב לר׳ אברהם קודשו ואכלנו
ושתינו ושכבנו שם בבקר והתפללנו תפלרת
הבקר׃ ואחכ׳ הוליכנו כה״רר אברהם אל
גן א׳ ואכלנו ושתינו ושמחנו שם שמחה
גדולה עמהם והאיש כה״ר אברהם הוא נודע
לכל גדולי ושופאי ושוטרי העיר הוא העומד
בפרץ ועל צרכי הצבור וגם הוא ראש
לקהל ולקברים השי״ת יתן שכרו בזה
ובבא א׳ וגם הלכנו לחומה קטנה שמשנה
למצרים יושב שם וראינו שם ארמון א׳
והוא יפה בבנינו בנויים מאבני גזית
מגוונים שונים והוא היום ישן מאד וגם
נהרס ממעל כמה אבנים ואומרים הארמון
הזה בנה אותו יוסף הצדיק ע״ה לעצמו ושם
הארמון עד היום בלשון ישמעאלים יוסף
כושבי ואם תעלה על הארמון לא ישאר
שום מקום במצרים שלא יראה והיא גבוה
מכלם והיום אורגים בתוך הארמון כבא
אורטושי מלבוש על המשונתו מדי שנה
בשנה וגם ראינו בור א׳ קרוב אליו עמוקה
במאד מאד והיא חצובה מהבור ושם הבור
הנקרא בלשון האומות יוסף קוייוסו וירדתי
למטה במעלות תק״צ גם הוא פלא גדול
אומרים שחפר אותו יוסף הצדיק ע״ה
ומושכים המים ממעל בשורים לא יוכלו
לעלות המים מתחת עד למעלה כי אם
יש מקום עשוי בחצי הבור סביבותיה חפירות
מהצור והם רחובות ויש שם ברכות ומושכים

Morabamur vero paulisper in Alcahira vetere. Erat ibi Arabs quidam R. Abrahamo Kudschi interiore amicitia notus. Hic cibo & potu nos refecimus, & per noctem quievimus. Mane autem surgentes, solitas preces matutinas recitavimus; quibus ita peractis, ad hortum quendam nos deduxit laudatissimus Abrahamus, ubi affatim nos invitabamus, & hilaritati totos nos dedimus. Enimvero Virorum præstantissimus R. Abrahamus, hujus urbis maximis præcipuæque dignationis viris innotuerat; solitus quippe in rebus afflictis suis subvenire, & Ecclesiæ negotia sedulo curare; unde etiam sui cœtus, totiusque ordinis atque sepulcrorum Antistes & curator cluit; cui Deus amplam in hac & futura vita mercedem dare dignetur. Perreximus etiam in suburbium quoddam, ubi domicilium habebat Ægypti Gubernator. Vidimus ibidem castellum aliquod structuræ elegantissimæ; Erat enim ex quadratis lapidibus varie ordinatis; quod ipsum hodieque antiquitatis summæ notas habet. Ex cujus superioris ædificii partibus, plurimi deciderant lapides. Communis de hoc fama est, quod Josephus, cui Justi cognomen merito tribuitur, in proprios usus id sibi exstrui curaverit; unde in hunc usque diem vulgari Ismaelitarum sermone appellatur *Joseph Cosbi*. Hujus summum si conscenderis scapum, reliquus vix erit in urbe locus, quem conspicere nequeas; siquidem altitudine omnia superat loca. Et quidem his temporibus in palatio isthoc texuntur *Caba Ortusi*, hoc est aulæa, pro sepulcro impostoris illius Muhammedis, quæ quotannis nova illi afferri solent. Huic vicinum fontem stupendæ profunditatis conspeximus; qui ex suo fundo excisus erat, & populari lingua *Joseph Kujusu* dicebatur; ad cujus ima ego quidem per gradus 590. descendi. Et ipsum sane mirum & magnum opus; Ferunt Josephum Patriarcham f. m. illum effodisse. Ex hoc ipso aqua superne extrahitur per muri ascensum; ueque vero continuata serie ex imo ejus aquam educere potis sunt; sed est in medio putei locus factus, cujus latera ex ipsa petra sunt excavata, eademque latissima. Atque hic ibidem cisternæ sunt. Extrahitur, inquam, ex' hoc ipso loco per muros aqua; quæ deinceps in cisternas effunditur. Iste vero locus circa medium putei occurrit. Secunda iterum vice ex cisternis illis aquæ educuntur superne. Inde per aquæ ductus attrahitur aqua in balneum, quod in suburbio est, ubi regionis illius Præfectus habitare solet. Ipsæ hæ aquæ ad sitim exstinguendam etiam capi & bibi solent; quanquam ejusdem ac aquæ fluviales dulcedinis non sint, sed his paullo

מהמקום ההוא בשורים והמים מוצקים על
הברכות והמקום חציו של הבור ואחכ"
מושכים שנית מהברכות ממעל ומוציאי
המים ומשם הולכים בתעלות למרחץ אשר
בחומה הקטנה שהמשנה יושב שם וגם
לוקחים ושותים ממנו והם אינם מתוקים
כמימי היאור רק למטה ממנו וישבנו במצרים
מ"ה ימים · והמנהג במצרים היום בין
הישמעאלי' ובין הערביים חק נתן ולא
יעבור שכל א' וא' מהם זובח שור ושה
ושאר מינים עור הנזבחים ומצמותיהם
וחלביהם כלם נתנים אל שר של מצרים
ועוד שנית שאין רשות לערביים ולישמעאלי
ללכת בעיר בלילה ואם יתפש א' מהם אוי'
כל נכסיו אל המלכות ועצמו יקלה בתפישה
או יכרתו צוארו · וזה כמה מאות שנים
היה שמואל אחד מאחינו הקראים נודע
בשערים ויושב ראשונה לפני שר של מצרים
ובתוך כך בקש משר של מצרים ג' שאלות
ונענה ונעתר לו · א' שיהיה רשות ליהודים
להתהלך תוך הרחוב בלילה בתנאי שיהיה
בידם עששית דולקת · השני שאינם לוקחים
לשררה מהנשחטי' רק העור לבד זולת החלב
והעצמות · השלישי שמקודם היו היהודים
קוברים בבתיהם ובחצריהם הנפגרים מהם
לע"ע והוא בקש בכתבים שינתן לו בשיעור
עור השור חלקת שדה מחוץ לעיר ובחכמתו
עשה וחתך האור כמלא נימא חוטים דקים
ומדד מחוץ * מן העיר רוח השדה ושם
ציין מקום לקברי היהודים ומזה המנהג עוד
היום נשמרים מאד ולא עוד אלא שנתרצו
שיודיעו גם לרבניים הרשות הזאת עוד
נוהגים היהודים לצאת לקבור המתים בלילה
אף על פי שהשעה עד מאד מאוחרת.

paullo amariores. Manſimus autem Memphi per dies quadraginta & octo. Ea autem iſthic hodieque obtinet conſuetudo, lege etiam ſerviori injuncta, tam Muhammedanis, quam Arabibus, ut eorum quiſquis bovem, pecus minutum, ſive quodcunque animalis genus mactaverit, horumce corium, oſſa & adipem omnem, urbis Præfecto tribuere teneatur. Accedit & alterum hoc: quod nulla Arabibus vel Muhammedanis urbem noctu circumvagandi licentia ſit; horum vero ſi aliquis iſthoc ipſo deprehendatur, mulctæ loco Fiſco Publico ejus bona adjudicantur, ipſe vero carcere ignominioſo plectendus, aut capitali ſupplicio afficiendus. Jam aliquot centenis abhinc annis, quidam fraternitatis noſtræ Karraiticæ, cognomento Samuel, exſtiterat, fama longe lateque per orbem notiſſimus; Hic, cum apud Præfectum Ægypti, interioris eſſet admiſſionis, occaſionem nactus commodam, tria iſthæc petere ſuſtinuit, quæ & gratioſe ipſi conceſſa ſunt. Primo, licentiam dari Judæis hominibus, nocturno tempore per plateas ut incedant, iſta tamen conditione, ut manibus faculas ardentes geſtent. Secundo, non obligari Judæos, ad portionem illam magiſtratui ex animalibus mactatis dandam, niſi quoad pelles tantum, pinguiore adipe, una cum oſſibus, ſibimet ipſis retenta. Tertio denique, quod Judæi cum hactenus tenerentur, populares ſuos defunctos vel propriis in ædibus, vel atriis humare; id Judæus hic obtinuit, ut per publicum diploma, extra urbem tantum terræ ipſi aſſignaretur, quantum poſſet taurino tergo circundare; quod ipſum pro ſapientia ſua deinceps hoc modo effectum reddidit, in minuta lora ac filamenta, quæ crinium inſtar ſubtilia, illud ipſum ſecando, extra urbem agri ſpatium metitus eſt, ibidemque locum pro cæmiteriis Judæorum deſignavit. Cujus moris (*defunctorum corpora ibi ſepeliendi*) hodieque retinentiſſimi ſunt; quin etiam Rabbanitas hujus immunitatis participes faciles fieri conceſſerunt. Etiam nocturno tempore, mortuos ſuos humatum efferre ſolent Judæi; & vel profunda licet ſit hora, à peri-

* Has lineas Hebraicas addidimus, quæ in editione cl. *Wolfii* Hamburgenſi deſiderantur, ut Hebræus Textus Latinæ verſionis reſponderet.

Huc uſque Itinerarium R. Samuelis Karræi.
Reliqua lucem non viderunt.

P. DAN.

P. DAN. HUETII,


EPISCOPI ABRINCENSIS,

COMMENTARIUM

DE

NAVIGATIONIBUS

SALOMONIS.



ILLUSTRISSIMO PATRI.

P. DAN. HUETIO,

EPISCOPO ABRINCENSI

S. P. D.

JOH: COMMIRIUS,

E SOCIETATE JESU.

CUM nuper in consessu doctorum hominum, Præsul Illustrissime Tibique amicissimorum, sermo injectus esset de plurimis Geographiæ Sacræ locis, quæ nondum satis explorata sunt ab eruditis Librorum Sacrorum Interpretibus, ad Ophir &, Tharsis conversa tandem est disputatio. Quærebamus ubinam gentium sitæ essent regiones Navigationibus Tyriorum celebratæ, Salomonis & Hirami commercio inclytæ. Multa singuli, allatis in eam rem sacrorum Voluminum testimoniis, productisque opinionibus veterum ac novorum Interpretum, dixere probabiliter. Magni clamores: acre & longum inter dissidentes certamen. Quid te moror? Altercando crevit difficultas, vel desperatio potius inveniendæ veritatis. Subirascebamur præcipue doctoribus antiquis, qui de morali, mysticoque Verbi Divini sensu adeo fuissent solliciti; eum fere neglexissent, qui pertinet ad historiam, naturaliumque rerum cognitionem. Tu contra, qui ad sacrarum literarum illustrationem studia liberalium disciplinarum contulisti, summa visus es laude dignus; propterea que unus omnium maxime idoneus, ad quem integra obscuri hujus argumenti referretur disceptatio. Ego vero interpellandi tui, & ad hanc lucubrationem provocandi partes in me suscepi: gnarus scilicet assiduam illam sollicitudinem &

paſtorales curas, quas Diœceſeos tuæ adminiſtrationi tribuis, nihil delibaſſe de veteri noſtra neceſſitudine; nec ita avertiſſe animum tuum a priſtinis ſtudiis, quæ exculta eſſe ſcimus a vetuſtis & Sanctis Epiſcopis, ut non aliquid etiam temporis in quæſtionis hujus tractatione, amicorum rogatu, collocare velis. Tui nunc eſt officii, Præſul Illuſtriſſime, Tuæque humanitatis, reconditius aliquid ac certius, ſi potes; quid autem non potes? nos docere.

Tu prius Edenos, regnum felicis Adami,
Luſtraviſti hortos, raraque culta Deo.
Jam tollit caput Euphrates, Tigriſque, Geonque,
Et rutilis Phiſon conſpiciendus aquis.
Cur Ophira, auro fortunatiſſima tellus,
Tharſis & argenti fertilis ora latet?
Pande viam, diteſque ignota per æquora terras
Quærentem, ſcopulos, cæcaque ſaxa doce.
Non væſanus opum, contentum ſimplice vita
Urget amor, veri ſola cupido trahit.
Cernere ſi verum dederis, non dives Hiramus,
Non Salomon nobis ſe feret ipſe parem.

Vale, Præſul Illuſtriſſime & quod jam dudum facis, perge me amare. Lutet. Pariſ. Eid. Quintil. MDCXCVI.



CLARISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO

JOHANNI COMMIRIO
E SOCIETATE JESU
S. P. D.
P. DAN. HUETIUS,
EPISCOPUS ABRINCENSIS.

HEm postulas a me, Doctissime Commiri, difficilem atque gravem, obscuri illius de Navigationibus Salomonicis argumenti tractationem; in qua verum persequi, res est multæ operæ & laboris; attingere, non magnæ laudis; ab eo aberrare, probri alicujus. Novimus ingenia nostrorum hominum, adeo ab omni liberali eruditione aversa, ut quantum decoris olim ex ea, tantum hodie contemtus proveniat, & qui hanc ætatem priscis retro ætatibus anteponere satagunt, simul ii imperitiam haud dubie præferant doctrinæ. Quotusquisque nunc rectis grassatur studiis ad sinceram illam scientiam, in ardui & prærupti montis culmine positam? Fucatam hanc ambiunt, in infirmis radicibus sedentem, levissimaque ejus tinctura infuscati procedunt; quod deest a diligentia, & ab assidua multorum annorum contentione, sine qua frustra aspirant ad veram eruditionem, id fere sumentes ab audacia. Ac fuit illud tempus, neque vetus admodum, cum ab ineunte pueritia continerentur adolescentes in bonarum artium studiis, severa mitigarentur & continua Lectione, antiqua exemplaria versarent diurna ac nocturna manu, impallescerent chartis; atque ita demum ad capessendas disciplinas acuerentur in futurum, ut nec in flexu ætatis remitterent quicquam de labore; nec prodeuntibus subinde annis, capti voluptatis illecebris remollescerent. Hinc extiterunt magni & excellentes viri, quorum monumenta splendorem attulerunt illi ætati & genti nostræ. Nunc relanguescentibus animis, & in desidiam pronis, compendiariæ quæruntur ad scientiam viæ, per excerpta librorum, per ἐκλογὰς, per παρεκβολὰς, per εὐθολογίας, per χρηστομαθείας, per φιλοκαλίας, per indices, per multiplex Dictionariorum subsidium: quod quid aliud est, quam alere socordiam, favere inscitiæ, deserere fontes, lacunas consectari, & artem quærere nihil sciendi, per quam triduo perceptæ res, trihorio dilabuntur? Qualia quotiescunque acta esse meminimus, certa fuerunt vergentis in barbariem ævi indicia. Jam ad me quod attinet, neminem omnium minus conveniebat ad hanc exercitationem provocari, sæpius jam sinistra nonnullorum hominum de me ac scriptionibus meis expertum judicia: quæ licet palam visa sint, & iniqua, & inepta, vix tamen impetra-

petrare potui ab animo meo, ut illa pro eo ac debebam, contemnerem. Postrema studiorum nostrorum fœtura fuit disquisitio De Situ Paradisi Terrestris. Quam putas, Commiri, gratiam fuisse in vulgus lucubrationis hujus? Nempe levis & supervacua visa est viris quibusdam, gravibus, cæteroquin & cordatis, at hujusmodi literarum plane expertibus. Nec defuerunt, qui personæ nostræ minus idoneam prædicarent. Qui minus vero nobis, quam Ambrosio, aut Mosi Bar Cepha, aut Marco Eremitæ, ut recentiores longe plurimos sileam, qui in eodem versati sunt argumento, librosque nobis reliquerunt ejusdem tituli? quam Basilio, & Ephræmo, qui palam ad populum quæstionem eandem totis Homiliis explicarunt? Licueritne vero Tertulliano scribere de pallio; Epiphanio de duodecim gemmis, de ponderibus & mensuris; Eusebio & Hieronymo, de ratione temporum; huic item de Locis, de nominibus Ebraicis? Licueritne Augustino, Isidoro, Anselmo, Grammatica; Augustino item, Boethio, Johanni Damasceno, Alberto, Thomæ Aquinati, Philosophica; Bedæ, & Vincentio Bellovacensi, disciplinas propemodum omnes, a Grammatica ad Theologiam, scriptionibus suis complecti, Bedæ quoque de Situ Jerusalem, de interpretatione nominum Ebraicorum & Græcorum, quæ habentur in Libris Sacris, de Tabernaculo, sacrisque vestibus atque vasis, commentarios edere: mihi haud paulo nobiliorem materiem sumere jus fasque non fuerit? Paulo ante prodierat a me liber de concordia Rationis & Fidei, in quo præter cætera, ex ipsis rei visceribus depromta argumenta, hoc usus sum: Nihil ad credendum aut agendum proponere Christianam religionem, adeo ab hominum ratione, moribus & communi agendi usu remotum, quod ipsum, ejusque simile, aut etiam gravius, receptum & usitatum non sit a sapientibus aliquibus hominibus, aut iis potissimum gentibus, quæ prudentiæ, virtutis & doctrinæ laude floruerunt. Nam quid utilius in Sanctæ nostræ Fidei tutelam afferri poterat? Quid tritius in scriptis veterum Ecclesiæ Patrum, Justini præcipue, Theophili, Tatiani, Athenagoræ, Clementis Alexandrini, Origenis, Eusebii, Theodoreti, Augustini, aliorumque multorum, quam Christiani nominis perduelles suo sibi gladio jugulare? Unius modo, de sexcentis, Alexandrini Clementis [1] auctoritate utar. Scripserat ille, fuisse a Græcis traditum Columnam igneam Thrasybulo exules in patriam noctu reducenti præluxisse, obscuro & illuni cœlo: Tum subjicit, hinc igitur credibilia fieri Græcis, quæ de Columna ignea nocturni Ebræorum itineris duce, a Mose tradita sunt, quando idem prædicant popularibus suis contigisse. Quæ ipsissima est, quam toto hoc libro tenuimus, argumentandi ratio. Et tamen dedimus pœnas obscuris quibusdam & confidentiæ plenissimis hominibus, qui licet imperitiæ suæ sibi sint conscii, dictatores nihilominus se ferunt literati orbis, & in tribunali sedentes jus dicunt, quos ne in ima quidem eruditorum admittas subsellia. Alio opere Philosophiæ Cartesianæ, quæ multorum mentes infecit, labes persequi institueram, & ita quidem ut læderem neminem, nullius nomen appeterem. Inter complures tamen adversarios extiterunt inverecundi nonnulli, rustici & abnormes, quibus pro argumentis maledicta fuerunt. A nemine vero maledicentia superari se passus est Professor nescio quis Franekeranus; cujus nomini, fortasse & rei, melius consuluissent ii ad quos pertinebat, si eum piscandis potius in Groenlandia balænis, quam tractandæ Philosophiæ destinassent; ea est hominis feritas, ea in hac ipsa quam profitetur arte, fatuitas & stupor. Vide nunc ergo, Vir optime, in hac judiciorum perversitate, quo me voces: nam si hæc ad animum revocaveris tuum, fortasse me retraxeris ab hujusmodi commentationibus; nedum ad ea impuleris, quæ parum fortasse nobis decora futura sint. Sin animo tamen pertenderis, quod & futurum præsentio, atque eo etiam minus decere nos monueris, ex alienis arbitriis res æstimare, quas ad certiorem recti & æqui normam exactas, utiles esse constet & honestas, tantum tribuimus autoritati tuæ & consiliis, ut ea detrectare minime nobis liceat. Præstes modo eventum rei, & stolidi vulgi judiciorum securos nos esse jubeas; neque privatis hisce studiis detrahatur quicquam de publica opera quam Deo debemus & Ecclesiæ. Atque ut abessent cætera, vel id unum moveret nos, quod in pari caussa possumus pari adversum te jure uti, & tamdiu promissam Anglicorum bellorum historiam abs te flagitare. Quamvis autem tot annorum tarditatem, si bene te novimus, debeamus diligentiam interpretari, sic tamen habeto, non postremam illam esse egregii artificis laudem, scire desinere. Hoc si feceris, & juxta Hesiodi præceptum levis hujusce opellæ tenue donum remuneratus sis splendidiori illo munere, præclare de me, deque te ipso, & de literaria re fueris meritus. Vale. Abrincis, VI. Eid. Sextil. MDCXCVI.

COM-



COMMENTARIUM DE NAVIGATIONIBUS SALOMONIS.

I. Operis argumentum: *II. Et divisio*.

I. VEtus ea quæstio est, & compluribus doctorum hominum vexata disputationibus, quænam eæ sint regiones, in quas Salomon atque Hiram, hic Tyriorum, Ebræorum ille rex, externarum mercium petendarum caussa, classes miserunt. Quæ quamvis fronte & facilis esse videtur disquisitio, & simplex, neque valde utilis; si rem tamen introspicias, intricatam reperies atque multiplicem; tum & imprimis opportunam ad cognoscendos priscorum hominum mores, animum, atque opes, & veteris orbis descriptionem: præsertim ne manca sit hac parte sanctæ illius gentis historia, quam assiduis lucubrationibus & accuratis commentariis illustrare conati sunt Patres Ecclesiæ & prisci ac recentiores Librorum sacrorum Interpretes. Horum nos exemplum secuti, quodque præcipuum est a viris amicissimis rogati, quorum summa apud me est, sicuti esse debet, auctoritas, in eo quoque argumento periclitabimur industriam nostram, si quid forte lucis afferre possimus.

II. Quod ut distincte & articulatim fiat, rem totam partiemur in certa capita. Ac primum disseremus de apparatu classium illarum: tum de regionibus, in quas missæ sunt, de Ophir nempe, de Tharsis, de Paz, de Uphaz, de Parvajim. Veniet deinde & hoc in controversiam, an Africam omnem versus meridiem circumvecti sint veteres, & celebre illud promontorium, quod nunc Bonæ spei dicitur, navigando superarint. Protinus agemus de mercibus quarum gratia susceptæ sunt hæ navigationes; mox de crebritate & diuturnitate navigationum illarum. Hos fines lucubrationis nostræ circumponemus.

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De apparatu Israeliticæ & Phœniciæ classis ad Ophiranam & Tharsissiam navigationem.

I. *De Asiongaber.* II. *De Ailath.* III. *Naves Hirami regis Tyro Asiongaberem fuerunt transmissæ.* IV. *Quod qui fieri potuerit, exquiritur: an dissolutæ fuerint, & per jumenta transvectæ.* V. *An integræ subjectis scutulis fuerint tractæ.* VI. *Transductæ videntur per alveum jam ante excavatum a Nilo ad mare Rubrum.* VII. *Quæritur alvei hujus situs.* VIII. *An mare Rubrum sit altius terra Ægypti.* IX. *Cur Phœnices e maris Erythræi oris oriundi sint crediti: unde tot ipsorum in hoc mari coloniæ.*

I. Ante omnia sequamur ductum Scriptoris sacri, cujus verba ipsa referenda sunt ex capite nono libri tertii Regum [1]. *Classem quoque fecit rex Salomon in Asiongaber, quæ est juxta Ailath, in litore maris Rubri, in terra Idumææ. Misitque Hiram in classe illa servos suos, viros nauticos, gnaros maris cum servis Salomonis. Qui cum venisset in Ophir, sumtum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad regem Salomonem.* Hoc idem narrans scriptor Paralipomenon [2], Salomonem ait Asiongaberem & Ailathum adiisse, classis hujus visendæ caussa. Tum hæc subjicit: *Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves, & nautas gnaros maris, & abierunt cum servis Salomonis in Ophir.* Asiongaberis & Ailathi situm cognoscere non magnæ est operæ. Gemino velut cornu mare Rubrum, itidem ut Hadriaticum, tendit, hinc in ortum, inde in occasum. Hoc ab Israelitis, Pharaonis tyrannidem fugientibus transmissum, excurrit in Boream versus mare Mediterraneum, & Heroopoliticum appellatur; illud continetur saxosis Arabiæ montibus, & dicitur Ælaniticum, eique adjacent Asiongaber & Ailath, portus non valde dissiti, quorum ille occasum, hic ortum spectat. Huc pertinet Idumęa regio, quæ e Sciro monte ad utrumqne maris Rubri cornu protenditur, ut geminus ille portus Idumææ sit adscribendus. Hæc quantumvis certa, dubia tamen fecerunt Josephus, & Goropius Becanus, vir quem inter magnos posuisses, si ingenio & eruditioni par in eo judicium fuisset. Et Josephus [3] quidem Asiongaber esse dixit Berenicen maris Rubri portum. Josephum secutus est Theodoretus [4], ac nuper etiam Grotius [5]. Contra vero Fullero [6] & aliis pœnas dat Josephus, quasi Berenicen, Ægypti superioris urbem, ad latus occidentale Rubri maris sitam, Syene & Catarractæ minori proximam, cum Asiongabere confuderit, quæ versus eam oram maris hujus posita est, & intervallo ducentorum circiter & quinquaginta millium passuum dissita. Verum castigandus est castigator ipse Fullerus, cum non una mari Rubro adjaceat Berenice. Geminam notat Mela [7] & situs illius quam designavit Josephus accurate indicat inter promontoria, Heroopoliticum & Strobilum; qui situs est Asiongaberis. Vix credibile sane est virum tantæ eruditionis & prudentiæ, quantæ fuit Josephus, regionumque illarum & locorum vel propter viciniam non imperitum, hæc ignorasse, & de re sibi incomperta temere disseruisse. Jure igitur scripsit Vossius [8] Josephum Melæ consentire: at insigniter erravit, cum Asiongaberem sive Berenicen, id esse oppidum censuit, quod Arabes Calzem appellant. Calzem illud est, quod Veteres appellabant Clysma, Urbs Ægypti ad sinum Heroopoliticum posita, longe ab Ælanitico, ad quem jacebat Asiongaber. Certo hæc cognoscas ex Ptolemęo [9] & Philostorgio [10]. Goropius [11] vero Asiongaberem ad mare Mediterraneum collocavit, & castra Chabriæ esse voluit, & asseclas habuit opinionis hujus Bivarium & Hornium. Quod quam absurdum sit, jam demonstratum est ab aliis, nec in eo confutando tempus teremus. Hæc autem loca in terra Edom posita, Israeliticæ ditionis erant, ex quo David totam Idumęam sibi subjecerat, ut est in Libris Samuelis [12]. Cumque tria millia talentorum auri Ophirani sibi esse in thesauris commemorat David in Paralipomenonis [13], colligere certe licet jam inde maris Rubri portu usum esse ad longinquas navigationes. Nulla circuitione usus id tradidit Eupolenus [14], & in Ælanis, sive Ailath Davidem naves fabricasse, & magnam auri vim ex Urphe insula, sive Ophir advehi curasse. Porro hunc fore Israelitici imperii limitem, jam ante Mosi prænuntiaverat Deus [15]: *Ponam terminos tuos a mari Rubro usque ad mare Palæstinorum, & a deserto usque ad fluvium.* Scimus præterea longe ante Davidica tempora ex Ophira ad Idumæos aurum pervenisse, cum auri Ophirani mentio non semel fiat in libro

[1] 3. Reg. 9. 25. & seq.
[2] 2. Par. 8. 16. & seq.
[3] Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2.
[4] Theod. quæst. in 3. Reg. Inter. 31.
[5] Grot. in 1. Reg. 9. 26.
[6] Fuller. Miscel. lib. 4. cap. 20.
[7] Mela lib. 3. cap. 8.
[8] Voss. observ. in Mel. lib. 3. cap. 8.
[9] Ptolem. lib. 4. c. 5.
[10] Philostorg. lib. 3. cap. 6.
[11] Gorop. Hispanic. lib. 5.
[12] 2. Sam. 8, 14.
[13] 1. Par. 29. 1. & seq.
[14] Eupol. apud Euseb. Præp. lib. 9.
[15] Num. 23. 31.

libro Jobi [1], qui & inter Idumæos, vel certe in Idumæorum confinio regulus fuit. Quidni vero Ælanitici portus commoditate usa sit gens isthæc, unde in Ophiram expedita patebat navigatio?

II. Asiongaberi proxima fuit Ailath, scriptoribus antiquis non incognita. Ea Ælanitico sinui nomen dedit; cui ἀτλαντὶς nomen tributum legas in Marciano Heracleota, mendose utique pro αἰλανίτυ. Ponitur ab Hieronymo in extremis finibus Palęstinæ ad mare Rubrum: idcirco nempe, siquid video, quod Palęstinæ optimam partem occupaverit Judæa, adeo ut nomen utrumque utrique fuerit commune; Judææ autem & Israelitico regno contributa fuerit Idumæa, jam inde a Davidis temporibus. In Idumæa autem sitæ erant Asiongaber & Ailath, ut est in Paralipomenis [17]. Ergo caussa non erat, cur id negaret Bonfrerius, locumque Hieronymi adulteraret, cum disertis verbis tradiderint Procopius [2] & Philostorgius [3] Palęstinæ fines ad mare Rubrum eique adjacentem Ailath urbem pertinere. Nec frustra scriptum est in libro Paralipomenon [4], adiisse Salomonem Asiongaberem & Ælatham; hæc enim magis vergit in meridiem; prior illa occurrit venientibus ex Palęstina: contra quam Fullero [5] visum est. Nec his adversatur, quod Moses in Deuteronomio [6] Ælatham anteponit Asiongaberi: tum enim erat Moses in Moabitica regione, cumque loca recenseret ad Israelitas, per quæ eos deduxerat, primum illum posuit, uti fieri solet, quem postremum adierant. Idem præterea, quem dixi, Fullerus eo nomine pœnas dat Bocharto [7], quod Ælatham opinatus sit eum esse pagum Nabathæorum qui Albus appellatur.

III. Naves Salomon compegit Asiongabere, in cujus vicinia sylvas amplas fuisse, & ligna navibus ędificandis idonea tradit Hieronymus [8]: cumque maritimæ rei inscia esset gens sua, usus est industria Phœnicum, quorum ad nauticam scientiam, & per eam partas immensas opes celeberrimum nomen erat; quosque posita circa mare Erythræum litora & ditissimas gentes frequentasse discimus ex Agatharchide [9] & Heliodoro [10], compluribus aliis. Nec Ebræis solum regibus operam venditabant suam, sed Ægyptiis quoque, Herodoto [11] teste, quamvis ii rerum nauticarum longe Ebræis peritiores essent. Ergo naves suas Asiongaberem misit Hiram rex Tyri. Clarissime id perhibet historia sacra [12]: *Tunc abiit Salomon in Asiongaber, & in Ailath, ad oram maris Rubri, quæ est in terra Edom. Misit autem ei Hiram per manus servorum suorum naves & nautas gnaros maris*. Arguta hic est Interpretum cavillatio: nam cum rationem comminisci non posset, qua Tyro Asiongaberem naves potuerint mitti; non Asiongaberem, sed Joppen naves Tyrias appulisse volunt, ad exponendas illic cum omni nautico apparatu nautas maris peritos, quos deinde Salomon Asiongaberem cum suis una, terrestri itinere transmiserit. At figmentum hoc respuunt ista ex primo Regum [13]: *sed & classis Hiram quæ portabat aurum de Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretiosas*. Et deinde: *Classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis*. Ergo non naves solum Salomonis, sed & Hirami quoque, Asiongabere simul profectæ Ophiram & Tharsis, simul quoque remeabant.

IV. Quanam vero arte, inquiunt, quibus machinamentis Tyriæ naves e Mediterraneo mari in Erythræum trajici potuerunt? Hic enimvero vertitur cardo, non quæstionis solum hujus, sed & aliarum etiam, quæ sese aperient in progressu institutæ disputationis, proptereaque res accurate tractanda est. Ac primum si dicamus naves Tyrias, postquam appulerunt ad litus Ægyptium, dissolutas fuisse in partes, camelis aliisque jumentis impositas, & ad mare Erythræum deportatas; tum deinde iterum recompositas, pristinamque singularum compagem restitutam, quid contra tandem afferetur, quo minus id fieri potuisse credamus? cum Turcæ nunc quoque ad construendas in Rubro mari classes, non alia quam importata per camelos ex Mediterraneo mari materia utantur: quod & ab Ægyptiorum Sultanis jam ante factum legimus.

V. Sin potius dicamus id fuisse factum, quod a Cleopatra deinde fieri cœptum erat post Actiacum prælium; navesque ex Mediterraneo mari in Erythræum, qua brevissimum spatium, & trecentorum tantum stadiorum est, magna hominum & pecuniæ vi fuisse transvectas, res fide non carebit. Nam nisi navium Cleopatræ partem jam deportatam cremassent Arabes, & nova spes melioris fortunæ interpellasset inchoatum opus, universam illa classem trans Isthmum subvexisset. Similium exemplorum plena est vetus & recens historia: & ut de Argonautis sileam, quos ex Danubio, conjunctisque fluminibus in Hadriaticum mare, & alias etiam per Africæ arenas duodecim dierum spatio Argo navium humeris devexisse fabulantur, & de Colchis, qui Argonautarum sequentes vestigia, factum eorum sunt imitati; fre-

[1] Job. 22. 24. & 28. 16.

[2] Procop. de bell. Persic. lib. 1. cap. 19.

[3] Philostorg. lib. 3. cap. 6.

[4] 1. Par. 8. 16.

[5] Fuller. Miscell. lib. 4. cap. 20.

[6] Deut. 2. 8.

[7] Boch. Chan. lib. 1. cap. 44.

[8] Hieron. Epist. 127. ad Fabiol. Mans. 32.

[9] Agatharch. apud Phot. tom. 250.

[10] Heliodor. Æthiop. lib. 4.

[11] Herodot. lib. 4. cap. 42.

[12] 2. Par. 8. 17. 18.

[13] 3. Reg. 10. 11. 22

quens id in Isthmo Corinthio, jam inde a Thucydidis [1] temporibus ad hanc diem, unde & Diolcos dictus est, quod vectis ultro citroque navibus trajiceretur. Factum id a Semiramide, ex Bactriana in Indum flumen narrat Diodorus [2]. Factum ab Annibale trans Isthmum Tarentinum narrat Livius [3]. Factum a Cneio Pompeio Magni filio ad Oricum narrat Cæsar [4]; cum biremes scutulis subjectis, in locum destinatum vectibus impulsas traduxisset. Factum denique a Muhammedo II. in Byzantina obsidione.

VI. Quid attinet vero modum rationemque trajectus hujus navium Tyriarum anxie consigere, cum facili & commoda transducendarum earum via tum patuerit? Nam vel ex ea Phœniciarum navium transmissione existimari posse puto, jam ante Salomonem mare utrumque, Mediterraneum & Erythræum, regum Ægyptiorum arte, ducto alveo fuisse commissum. Credibile profecto non est Ægyptios, laboriosam gentem, ejusmodi operibus assuetam; post tot excisos in pingui & molli solo alveos, quibus vel averteret Nili aquas, vel induceret, post immensam illam & operosam Pyramidum substructionem, marium horum neglexisse commissuram, unde tantum esset ad se emolumenti ac commodi rediturum. Et factum id constanter asseverant Arabes, atque hanc Nili & Arabici sinus conjunctionem repetunt ab Abrahami temporibus, & ad Totin, sive ut ab aliis appellatur Tarsin regem Ægypti referunt. Auctor Murtadius in Ægypti descriptione. At Strabo [5] fossam hanc ante Trojanum bellum excavatam fuisse vult a Sesostri, cum inchoatum tantum ab eo opus prius dixisset. Trojanum autem bellum toto seculo fuisse Davide antiquius norunt eruditi. Verum eo recentiorem esse Sesostrin, qui Sesac fuit auctoribus sacris commemoratus, & Roboami æqualis, ex temporum ratiociniis probat & statuitur a Josepho [6], licet secus senserint Græcorum plerique. Unde recte colligas alveum hunc ante Sesostrin fuisse perfossum & pervium; ast neglectum deinde & obstructum a Sesostri denuo repurgari cœptum esse & altius depressum. Creditus quoque est a nonnullis Menelaus, post excisam Trojam, trajecto per fossam Arabico Isthmo in Æthiopiam penetrasse. Merito vero exploditur a Strabone, quod Eratostheni, viro cæteroquin pereruditо, venit in mentem, nondum patuisse Gaditanum fretum Trojanis temporibus; propmereaque superfluentes Mediterranei maris aquas Isthmum Arabicum operuisse, & navibus Menelai facile præbuisse iter in mare Rubrum. At continuatio illa fossionis alvei, quæ Sesostri a nonnullis, eadem ab aliis Psammiticho ejus filio, & ab Herodoto [7] rursum Neco Sesostris nepoti tribuitur. Nec ab illo tamen, res perducta est ad exitum; uti nec sequentibus annis a Dario, cum prope tamen abfuisset ab operis absolutione: metu nempe, iis injecto, ne altiores Rubri maris aquæ humiliores Ægypti campos obruerent. Quamquam innuere videtur Herodotus [8] opus a Dario fuisse perfectum. Impendenti huic ex aquis Rubri maris incommodo obviam itum est a Ptolemæo Philadelpho, cum penitus excavatæ fossæ a Bubasto ad Arsinoen repagula addidisset, quibus ingruentium Rubri maris aquarum impetus cohiberetur. Strabonis [9] quoque & Ælii Galli ævo transitus patuit mercatoribus Alexandrinis ex Nilo in Arabicum sinum, atque hinc in Indiam. Nec grandioribus tamen navigiis pervium hunc alveum fuisse putem, nam cur suis transvehendis machinas tractorias adhibere parasset Cleopatra, quæ commode per patentes alveos potuisset trajicere. Hunc postmodum canalem restitutum nomine suo donavit Trajanus, uti suo quoque jam ante Ptolemæus. Lapsu demum temporis, obstructo iterum per hominum socordiam veteri alveo, quem a Toti Ægypti rege proscissum putant Arabes Abrahami tempore, repurgari eum curavit, sub exitum Heraclii, Omar Chalifa per Amrum Asii filium. Obstrui jussit ad mare Chalifa alter Ægyptius, & reparavit postmodum Hakemus Ægypti Chalifa, crustisque marmoreis induxit. Quem rursum oblimatum patefacere in animo habuerunt Ægyptiorum Sultani quidam, & Sultanorum deinde domitor Selimus Turca, & Selimi posteri, & rem denique perfecerunt, ut nunc quoque certis temporibus aperiatur ad irrigandos agros; cum per aggestum diuturnitate limum jam convectionibus utilis esse desierit. Nec prætermittendum quod habet Diodorus [10], crebros ex nilo alveos fuisse ductos a Memphi ad mare, nempe Mediterraneum, ne quis fallatur, cujusmodi multos habet Ægyptus ad commoditatem subvectionum & irrigationum, non Erythræum.

VII. Canalem hunc a Sesostri instauratum, eundem fuisse quem perfodit Darius, & deinde Ptolemæus Philadelphus, ac denique Omar Chalifa, & ex veterum descriptione & ex recentiorum consensu cognoscimus. Pertinebat autem a Fustata urbe, quam Cairum appellamus, ad Clysma maris Rubri portum. Sic enim ab Elmacino [11] & Eutychio [12] proditum est: quibus consentit Herodoti [13] descriptio, alvei hujus caput locans paulo supra Bubastum. Neque vero locum ullum reperias, quo pro-

[1] Thucyd. lib. 3. & 8.
[2] Diodor. lib. 3.
[3] Livius
[3] Livius lib. 25. cap. 11.
[4] Cæs. De bell. civil. lib. 3.
[5] Strab. lib. 17. & 1.
[6] Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 4.
[7] Herod. lib. 4. cap. 42.
[8] Herod. lib. 4. cap. 39.
[9] Strab. lib. 2.
[10] Diod. lib. 1.
[11] Elmac. hist. Sarac. lib. 1.
[12] Eutych. Annal. Alex. Tom. 2. pag. 320.
[13] Herodot. lib. 2. cap. 158.

propius ad mare hoc accedat Nilus, & per quem facilius fossa duci possit; nam sexaginta duorum tantum millium passuum intervallum esse tradit Plinius [1]. Unus serupulum injicit Diodorus [2], qui a Neco Psammitichi filio perductum vult alveum a Pelusiaco ostio ad Rubrum mare. Ægyptum is quidem adiverat, & cum sacerdotibus Ægyptiis fuerat congressus, nec loca tamen ea lustrasse hunc puto, quæ ad Orientem Pelusiaco ostio proxima sunt; cum Alexandriæ, quæ ad occidentem posita est, & Canopico ostio vicina, exscensionem videatur fecisse. Fossam hanc igitur navibus transducendis & convehendis mercibus idoneam, quam Sesostris ab extremo capite Delta, ad mare Rubrum excavare tentaverat, verisimile est eum cum altera confudisse, quam adversus incursiones Arabum idem objecerat, non longe a Pelusio. Rem aliter narrat Johannes Tzetzes [3], & fossam Neco a Dario perfectam fuisse dicit, aliam vero a Nili ostio Ptolemæum produxisse: sed Græculi auctoritatem parum moror.

VIII. Veteres illi Scriptores, ex quorum fide hæc referimus, uno pene consensu tradunt Ægyptiorum & Persarum reges, qui opus hoc aggressi imperfectum reliquerunt, Sesostrin, Psammitichum, Neco & Darium, hanc habuisse caussam, quod altius Ægypto esse Rubrum mare deprehendissent; futurumque ut secto Isthmo, patefactoque maris fluctibus ostio, obrueretur universa Ægyptus. Sic Aristoteles [4]: sic Diodorus [5], qui claustrum propterea a Ptolemæo additum ait, quo ingruenti mari pro arbitrio moderaretur, cum opus ab aliis attentatum absolvisset. Sic Plinius [6], qui compertum fuisse narrat tribus cubitis mare supra terram Ægypti extare. Tum aliam subjici ab aliis caussam tradit, scilicet ne immissum mare Nili aquam corrumperet, quæ sola Ægyptiis potum præbet. Hæc ita sumserunt Basilius [7], & Basilii affectator, ac fere interpres, Ambrosius [8]. Id addidit uterque de suo, quasi rem ad miraculum trahens, ita supra Ægyptum mare hoc eminere, ut nisi vi divina, tanquam compedibus cohibeatur, exundante aqua continuo submergenda sit Ægyptus. Quasi suis litoribus, uti reliqua maria, Rubrum non contineatur. Quasi ea quoque parte, quæ mari huic proxime prætenta est, non altior sit, minusve depressa & humilis Ægyptus, ac Delta. At vanum fuisse hunc inundationis metum, qui regibus perfodiendi Isthmi auctoribus objectus est, pertendit Strabo [9], negatque supra Ægyptum mare Rubrum assurgere: quod & argumentis ex Geometria & Physica petitis probare conati sunt Furnerius [10] noster, & Ricciolius [11], cum dicerent marium omnium, quorum quidem confluerent aquæ, eandem esse æqualibritatem. Extat Archimedis [12], liber de iis quæ vehuntur, quo demonstrat humidorum omnium, quæ situm obtinent naturalem, rotundam esse superficiem, & centrum idem ac terræ. Quod ita verum est, si par sit cæteroquin aquarum natura; quæ valde discrepans est. Quamobrem merito negavit Eratosthenes hoc Archimedis epicheremate maria comprehendi, & aquas sinus Corinthiaci celsiores esse contendebat aquis, quæ sunt ad Cenchreas. Id an verum sit, certum non habeo; verum esse posse varias ob caussas, certissimum est. Quod attinet ad mare Rubrum, cum intra Tropicos aquæ Soli subjectæ incalescant, intumescere quoque necesse est. Quod & observant nautæ, ægre ex hoc aquarum cumulo, velut ex acclivi jugo, sese expedientes. Nec levis est suspicio, ex hoc alterno calfactu & refrigeratione oriri magna ex parte reciprocationem maris. Cum autem ultra Tropicum Cancri longe excurrat mare Rubrum, & Oceano Indico conjunctum sit, qui fere Tropicis continetur, calidius esse manifestum est Mediterraneo mari, proptereaque inflatius. At Mediterraneum mare Nilo humilius esse manifestum est, cum in id Nilus devolvatur. Humilior quoque fuit Ægyptus, antequam limo aggesto supra aquas se extulisset, unde & fuit, & dicta est ποταμόχωστος, & ποταμοῦ δῶρον, nec ea sola, sed & Themiscyra, & magna Ciliciæ pars, & aliqua Colchidis, aliæque regiones, quas recenset Strabo [13]. Sed & postquam Ægyptum supra se edidit Nilus, eam rursus annuis diluviis sibi subjicit, nec ita tamen extollitur, ut Rubro mari misceatur. Aliæ præterea accedere possunt caussæ, cur attollatur hoc mare, velut flatus ventorum, aut aquarum appulsus. Nam cum intra zonam torridam perpetuo flare ventos & moveri aquas constet ab ortu in occasum, ita situm est mare Rubrum, ut illuc quasi vi impelli aquas & confluere necesse sit: præsertim cum ex alto se æstus incitaverit, qui etsi in hoc mari modicus ac fere nullus esse creditus est, recentioribus tamen navigationibus deprehensus est attolli ad pedes aliquot. Adde quod propter litorum altitudinem nulli pene fluvii in hoc mare devolvuntur. Denique cur alveo huic repagula adderet Ptolemæus Philadelphus, quibus admitti ingruentes aquæ, vel reprimi possent, non aliam habuisse videtur caussam, quam ut altioribus Rubri maris aquis pro arbitrio moderari posset. Jam ergo liquet qui fieri potue-

1 Plin. lib. 6. cap. 29
2 Diodor lib. 1.
3 Joh. Tzetz. Chil. 7. Hist. 141.
4 Aristot. Meteor. lib. 1. cap. 14.
5 Diodor lib. 1.
6 Plin. lib. 6. cap. 29.
7 Basil. Hom. 4. in Hexaem.
8 Ambros. in Hexaem lib. 2. cap. 2.
9 Strab. lib. 17.
10 Furner. Hydrog. lib. 18. cap. 2.
11 Ricciol. Append. ad Almag. novum cap. 14.
12 Archim. περὶ τῶν ὀχουμένων. lib. 1. Prop. 2.
13 Strab. lib. 1.

potuerit ut Hirami naves Tyro Asiongaberem pervenerint. Nec repugnantem habuerunt Pharaonem Ægyptiorum regem, cum hæc in gratiam fierent generi ejus Salomonis, ac fortasse etiam ex portoriis aliquid ad eum compendii rediret.

IX. Atque inde, ni fallor, lux venit obscuris & intricatis quæstionibus, de Origine Phœnicum, quam veterum plerique arcessunt ex oris Erythræi maris, & de eorum navigationibus, & coloniis in eodem mari. Constans est enim Herodoti [1], Strabonis [2], Plinii [3], aliorumque Sententia, e Rubro mari profectos esse Phœnices, & Chananæi maris oram insedisse: quod viri docti referunt ad Ebræos Chananæorum domitores & expulsores, post transmissum mare Rubrum. Multa item extare certum est Phœniciarum navigationum vestigia in Arabico sinu, & in Persico, quæ jam ab aliis observata sunt. Ego sic existimo, & ab Erythræi maris accolis in Chananæam colonos adventare potuisse; & a Chananæa in maris Erythræi oras & insulas alios esse deductos; quemadmodum de se invicem utrosque jactasse scribit Strabo [4], & genti utrique commercia fecisse alveum, quo Nilus Arabico sinui committebatur. Neque caussa erat, cur Vatablus & Grotius ad Tyrum Erythræi maris insulam, Tyriorum coloniam recurrerent, unde naves arcessitas Hiramus Salomoni subministraverit. Quasi navalia & portus in insula exigua, neque ullius nominis, habuerint Phœnices.

[1] Herod. lib. I.
[2] Strabo lib. I.
[3] Plin. lib. 4. cap. 22.
[4] Strab. lib. I.

CAPUT II.

De regione Ophir.

I. *De regionibus Ophir & Tharsis, variæ sunt opiniones.* II. *Ophira videtur esse Africæ ora Orientalis, & privatim Sophala: Tharsis, ora Occidentalis Africæ & Hispaniæ, & privatim loca Bœtis ostiis proxima.* III. *Probatur argumentis. Primum argumentum, ab affinitate nominum.* IV. *Secundum argumentum, a proventu auri quod dat Africa Orientalis, ac præcipue Sophala.* V. *Tertium argumentum, a veteribus ædificiis & inscriptionibus Sophalæ.* VI. *Quartum argumentum, a libris antiquis harum regionum.* VII. *Quintum argumentum, a religione Sophalensium.* VIII. *Sextum argumentum, a situ Sophalæ.* IX. *Septimum argumentum, a facilitate navigandi in Sophalam.* X. *Octavum argumentum, a crebritate navigationum Salomonicarum in Ophir.* XI. *Nonum argumentum, ab auctoritate veterum quorundam Scriptorum.* XII. *Refelluntur opiniones & argumenta adversariorum. Primum argumentum. Ophir non est in India.* XIII. *Secundum argumentum. Ophir non est in sinu Persico.* XIV. *Tertium argumentum. Ophir non est in Peruvia.* XV. *Quartum Argumentum. Ophir non est Hispaniola.* XVI. *Quintum argumentum. Frustra geminum Ophir confingitur.*

I. NUnc investigandæ sunt regiones Ophir & Tharsis, quas tanto apparatu classes illæ adierunt. Si varias opiniones eruditorum virorum, & opinionum argumenta sigillatim persequi instituam, res erit immensi operis, mihi injucunda, Lectori non valde utilis. Nam ab India ad extremam usque Africam & Hispaniam, vix ulla paulo nobilior est maris ora, quæ Ophir dici & haberi ab aliquo merita non sit. Neque hac sine conjectorum stetit audacia, sed ad ipsam usque Peruviam, levissimis ducti suspicionibus, divinando penetrarunt. De Tharsis nihilo minor est dissensio: nam & in variis maris Mediterranei litoribus, ac præcipue Africanis, & extra Gaditanum quoque fretum, dextrorsum & sinistrosum collocatum est. Nos sententiam nostram proponemus in medium, suisque fulciemus argumentis, quæ si visa erunt fide digna, hoc ipso fidem amittent reliquorum omnium opiniones. Sed præcipuas tamen strictim delibabimus, quamque parum ipsis cum explorata rerum veritate conveniat ostendemus.

II. Sic igitur censeo, Ophiram dictam esse omnem eam Africæ oram, quæ orienti Soli obversa est, a promontorio Aromatum, quod nunc Cardafuy appellant, ad extremum usque Africæ limitem versus Austrum; & qui ab Arabibus Zanguebar, & qui vulgo vocatur Cafraria. Nec enim hunc limitem Praso promontorio definio, uti factum a Ptolemæo; sive id promontorium loces in Mozambica, ad gradum decimum quintum latitudinis Australis; sive in promontorio, cui a currentibus nomen est, paulo supra Tropicum Capricorni: nam longe ulterius progressos esse navigationibus suis veteres infra ostendam. At quamvis tantum patuisse putem Ophiram terram, existimo tamen regiunculam, quæ Sophala dicta est, & jacet ad vicesimum

ſimum primum latitudinis Auſtralis gradum, prę cęteris Ophirę portubus fuiſſe commerciis frequentatam, & proprio nomine Ophiram fuiſſe dictam: quemadmodum Aſię nomen commune eſt maximę huic orbis parti, quę ortum ſpectat, & Aſię minori, & Africę nomen meridianę orbis parti, & Africę proprie dictę; & Francię nomen toti regno huic, & regni hujus prouincię cuidam tribuitur. Tharſis contra dictum puto occidentale Africę & Hiſpanię latus; & privatim loca Bœtis oſtiis proxima.

III. De Ophira cur ita ſentiam, has cauſſas habeo. Ipſum Africę nomen ab Ophir derivarunt veterum nonnulli: unde & Libya, auctore Stephano [1], dicta eſt Ophiriſa. Sic enim legendum eſſe ſciunt viri literati, non ut vulgo, Ophiuſa. Inter Moſylon & Aromatum promontoria ſunt mons, promontorium & fluvius Elephas; ſic dicta, ut videtur, ab Ophir, pręfixo articulo Arabico. Niſi fortaſſe ejuſdem ſit originis ac nomen *Alpium*, quod ab altitudine, ut quidem exiſtimo, repetendum eſt, non a candore nivium; quod poſt Feſtum Pompejum, & Etymologum doctiſſimis viris viſum eſt. His enim auctoribus opponi poſſunt, Livius [2], Servius [3], Philargyrius, & Iſidorus [4], qui nobiſcum ſentiunt; & Etymologus ipſe qui utramque originationem propoſuit. Item Gloſſarium vetus, in quo Alpes exponuntur: ὄρη ὑψηλά, & ipſum *Olympi* nomen, quod altiſſimis montibus tribuitur: conjugata ſunt enim, *Olympi* & *Alpium* nomina, & eodem fonte oriuntur: item nomen *Alba*, multis per Europam urbibus ſupra montes poſitis tributum, ut acute & vere a Buchanano [5] obſervatum eſt. Indidem prodiit nomen *Alpi* gigantis, Nonno [6] memorati, & ſic ab inuſitata proceritate, quam fuſe prędicat, dicti; & nomen *Albionis* alterius gigantis, ab Hercule interfecti, cum Bergione fratre, ſic quoque ob magnitudinem corporis appellato, quod monti ſimilis eſſet. Porro, ut in Æthiopia Alpium vocabulum reperimus, ſic Olympi in Panchaiam, Arabiæ Felici finitimam inſulam, nomen penetravit, in ea enim Olympum montem locat Diodorus [7]. Eadem eſt radix nominis Alphii montis in Ætolia, qui deinde Myenas dictus eſt; & alterius Elephantis montis in India, prope Hydaſpem fluvium. Etſi autem nominum horum originem in veteri Gallorum lingua fuiſſe teſtantur veteres, quos dixi, quædam tamen vocabula gentes pene omnes pervagata ſunt, cujuſmodi eſt vox *Saccus*. Minime vero audiendi ſunt Procopius [8], & Euſtathius [9], qui Alpes interpretantur *anguſtias montium*, quas poſterior ætas κλεισούρας & *clauſuras*, hoc eſt *clauſtra* appellavit. Sed hæc obiter: nunc redeamus in viam. Rhaptum quoque, flumen ingens hujus oræ, indigenis Obii appellatur, in quo inſunt veſtigia vocis Ophir: & in quo etiam originem habet Sophalæ nomen. Nam Ebraicum Ophir Septuaginta Interpretes & Theodotion, reddunt σωφὶρ & σουφὶρ, & σουφέρ, & σωφιρά, pro quo alicubi Codex Alexandrinus habet σωφαρὰ, quod ipſum eſt Sophala. Similiter Joſephus [10] ſcribit σωφίρα, Euſebius [11] σουφεὶρ, & σωφειρά, Hieronymus [12] Sophera, Heſychius [13] σουφὲρ, quod in Suida [14] mendoſe ſcribitur σουφεὶς. Nec aſſentimur quibuſdam, errorem hunc eſſe librariorum opinantibus: quam ſæpe enim nominibus literam hanc præfigere amant Græci aliæque gentes, Indi, Sindi; Oſthanes, Soſthanes; Merdis, Smerdis; Ardiæi, Sardiæi; Athenæ, Satines; Thebæ, Stives; Tibareni, Stibareni Orphco. μικρὸς σμικρὸς μέρδω σμέρδω. Sic apud Nehemiam [15], qui locus ὠφάλ dicitur ſeptuaginta Senibus, idem paulo poſt σοφλὰ appellatur. Sic Aphar Arabiæ oppidum, Plinio Saphar dicitur, Ptolemæo Sapphara. Sic Alpes Lycophroni dicuntur σάλπια ὄρη. Sic Hiramus ille rex Salomonis amicus, σούρων dicitur Eupolemo [16].

[1] Stephan. de urbibus in λιβύη.
[2] T. Liv. lib. 21. c. 30.
[3] Serv. & Philarg. in Georg. 3.
[4] Iſidor. Etym. lib. 18. c. 8.
[5] Buchan. Rer. Scotic. lib. 1.
[6] Nonn. Dionyſ. lib 25. & 45.
[7] Diodor. lib. 5.
[8] Procop. De Bell. Goth. lib. 1. cap. 12.
[9] Euſtath. in Dionyſ. Perierg. v 295.
[10] Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 2.
[11] Euſeb. Demonſt. Evang. lib. 2. Onoma. Locor. Script.
[12] Hieron. De locis Ebr.
[13] Heſych. in Σωφίρ.
[14] Suid. in σουφείς.
[15] Nehem. 3. 27. 28.
[16] Eupol. apud Euſeb. Præp. lib. 9. cap. ult.

IV. Omnis præterea hæc Africæ exortiva ora, quam longa eſt, valde ferax eſt auri. Itaque ſentiunt Mozambicani ex ſua regione aurum veniſſe Salomoni. Atque ex hac auri copia inditum ei videtur nomen Ophir, quod indidem ducendum eſt, unde Ephraim nempe a פרה, quo fœcunditas & opulentia notantur. Sed auri præcipue dives eſt Sophala, de cujus aurariis metallis pleni ſunt peregrinatorum & hiſtoricorum libri: ut aſſeverare liceat nullum eſſe veteris orbis locum, unde tanta auri copia effoſſa ſit. Hinc enim Indi, hinc Perſæ, hinc Arabes, hinc Luſitani auro redibant onuſti, & patriam quiſque ſuam locupletabant.

V. Adde vetuſtiſſima illic extare ædificia ex ingentibus lapidibus quadratis, cujuſmodi nulli viſuntur in circumjacentibus regionibus, & cujuſmodi fuerunt Salomonicarum ædium exſtructioni adhibiti; & lapidibus inſcriptas cerni per antiquas literas, indigenis quidem, atque Arabibus, & rudibus nautis ac peregrinatoribus incognitas, ſed ex quibus vir aliquis eruditus, ſi adeſſet, ædium fortaſſe vetuſtatem & conditorem poſſet intelligere. Nec de nihilo eſt, quod conſimilis ſtructuræ ædificia extant in his Abyſſinorum terris, quas tenuiſſe regina Sabæ exiſtimatur, quod etſi

falſiſ-

ſalſiſſime creditur , cum in Arabia ſedem habuerit hæc regina , Salomonicarum tamen navigationum indicium eſt.

VI. Servari quoque in tabulariis ſuis narrant indigenæ venerandæ vetuſtatis libros, in quibus aurum Salomoni ſuppeditaſſe terra hæc memoratur , cum eam ex relatu reginæ Sabæ cognitam habuiſſet: & montem in quo cernuntur hæc vetuſtatis monumenta , aſſeverat Santius [1] dici Afuram , nomine non valde abludente ab Ophir. Sed non ſatis conſtant ipſis ſua ratiocinia , nam navigationem Ophiranam poſteriorem fingunt aditu reginæ Sabæ ad Salomonem, cum priore loco referatur in divino codice, & priorem fuiſſe conſentiant Interpretes.

[1] Sant. Æthiop. Orient.

VII. Hæc quoque facit, quod unum Deum venerantur Sophalenſes, profanorum ſimulacrorum cultum & magicas artes averſantur : quibus impenſe dediti ſunt finitimi populi. Atque hæ ſtricturæ ſunt veræ religionis.

VIII. Præterea ut Agizimbam , quæ veteris Africæ limes verſum Auſtrum ponitur a Ptolomæo, non ſine veriſimilitudine eamdem eſſe conjectat Marmolius [2] , ac Sophalam; ita navigationum quoque Salomonis verſus meridiem meta credita eſt a multis Ophira, nec celebratius quicquam iu his partibus cognitum eſt: cum & Ophiræ , & Agizimbæ, & Sophalæ famam conciliaret auri proventus.

[2] Marm. lib. 9. cap. 31.

IX. Navigandi etiam ratio, quam exercebant ætatis hujus homines, valde rudis, & litora legere ſolita, illic Ophiram locare nos ſuadet, quo facilius & minore periculo adiri poterat. Hujuſmodi autem eſt Sophala, quæ ſolventibus ex Aſiongabere, vixque extra terræ conſpectum recedentibus, commode petitur, nec longe diſſita eſt, nec navigationem deſiderat multis mutationibus ventorum & marium obnoxiam, ſed quæ planum litus ac directum, nullis anfractibus, ſinubuſve interruptum radendo, commode perfici queat.

X. Item crebræ navigationes Salomonicarum claſſium in Ophiram terram palam demonſtrant, non longe ab Arabico ſinu ſitam ei fuiſſe. Ait enim auctor Libri ſacri inde allata fuiſſe Salomoni per annos ſingulos talenta ſexcenta ſexaginta ſex ; cum Tharſis ſemel tantum intra tres annos adiretur.

XI. Scio & hic prætendi ab aliquibus auctoritatem Jonathanis Chaldæi interpretis, quem ajunt *claſſem Ophiranam* reddidiſſe *claſſem Africanam;* & Origenis, quem Jobi librum exponentem ſcripſiſſe volunt quoſdam interpretes *Sophir* reddidiſſe *Africam*. At ſi rem propius ſpectes, non *Ophir*, ſed *Tharſis* e Chaldæo *Africam* eſſe redditum cognoſces. Et ex Catena aliqua depromptum videtur hoc Origenis teſtimonium. Catenarum autem quam ſubleſta ſit fides, alibi oſtendimus. At cujuſcunque tandem ſit, veteris eſt certe ſcriptoris, ex quo intelligas opinionem hanc, quæ Ophir Africam eſſe ſtatuit, non eſſe hujus ævi , ſed verum veteres jampridem olfeciſſe. Huic adjungendum Eupolemi teſtimonium , qui Davidem patrem a Salomone filio non diſtinguens, naves ait eum in Achanis urbe Arabiæ , vel potius Ælanis ædificaſſe, & metallarios miſiſſe in Urphe, maris Rubri inſulam auri feracem , atque inde aurum in Judęam fuiſſe reportatum. Quo Ophir manifeſto deſignatur , & locatur in mari Rubro, cujus fines longiſſime porrigebantur ab antiquis.

XII. Nec contradictione immunia ſunt iſta, quantumvis veriſimilia : pertendunt enim adverſarii, longe aptius convenire in aliquam Indiæ regionem notas omnes, quibus agnoſci poteſt Ophira, quam in Africæ litus exortivum aut Sophalam, cum ſponte ſua merces has India ſubminiſtret, quæ ad Salomonem afferebantur. Et Joſephus [3] quidem, Theodoretus [4], & Hieronymus [5] , Ophiram locant in Aurea Cherſoneſo, quæ eſt pars Indiæ; quos recentiorum plerique aſſectantur. Verum notavimus ſupra multo difficiliorem & longiorem , majoribuſque periculis obnoxiam fuiſse navigationem, quæ inſtituebatur ex Arabico ſinu in Arabiam , quam quę in Sophalam. Inde viſus iis eſt ille curſus adeo formidabilis , ut negaverit Arrianus [6] progreſsum ullum ex Arabico ſinu, Arabiam circumeundo, ad ſinum Perſicum perveniſse; ac negaverit itidem Eratoſthenes [7] , ex anguſtiis maris Rubri quemquam egreſsum, proceſſiſse ultra quinque ſtadiorum millia. Narrat alibi Strabo ante ſuam ętatem vix viginti navigia extra fauces Arabici ſinus auſa eſse prodire, cum ſuo ævo claſses ingentes penetrarint ad Indiam & extremam Æthiopiam, indeque pretioſas merces in Ægyptum attulerint. Idem habet Dionyſius Periegetes. Indicæ navigationis modum, moremque, ſtationes ac tempora ita deſcribit Plinius [8] , ut exiſtimaſse videatur, ante Alexandri ætatem parum fuiſse tentatam aut cognitam, & vix quicquam certi ante ſuum ipſius ævum de ea compertum ſit. Utut eſt, conſtat certe ex veterum monumentis, & nos alibi [9] fuſe probavimus , jam inde ab Heroicis temporibus agitata fuiſse terra, marique Ægyptios inter & Indos commercia. Nihilominus tamen oſtenditur ex ſuperioribus teſtimoniis , Ægyptios vel timidiores factos,

[3] Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 2.
[4] Theodoret. in 3. Reg. Interr. 31.
[5] Hieron. de loc. Ebr. & Epiſt. 140. ad Princip.
[6] Arrian. Indic.
[7] Eratoſth. apud Strab. lib. 16. & 17.
[8] Plin. lib. 6. cap. 22. 23.
[9] Demonſt. Evang. Prop. 4. cap. 6. §. 4.

factos, vel mutatione temporum & rei difficultate ac periculo deterritos, vicinasque gentes, raro in Indiam commeasse. E contrario vero tuta erat navigatio Sophalensis, & facilis, ut quæ vel exiguis navigiis, ac fortasse etiam cymbis perfici posset, litus legendo, & ab alto mari abstinendo. Præterea negant eruditi viri, Ortelius [1] & Marshamus [2], Chersonensum illam Indicam, uti dicta est, ita olim fuisse Auream, vel nunc esse; cum illuc deportari solitum sit ex occidente aurum & argentum ad comparandas merces: non inde afferri; quod & aperte perhibet Plinius [3]. Certe quæ de auro solo Chryses insulæ, & argenteo Argyres, garriunt prisci quidam scriptores; quæ de montibus aureis qui insidentur & custodiuntur a Gryphibus; de fonte, cujus liquor in aurum concrescit, simul atque urceo haustus est, cordatiores alii pro nugis habent.

[1] Ortel. in Ophir.
[2] Marsham. Chron. Can.
[3] Plin. lib. 6. cap. 22. 23.

XIII. Nec in sinu Persico Ophiram locare possis, cum ob eamdem caussam, tum etiam quod neque tanto navium apparatu, neque tanto tempore opus fuisset ad comparandas merces ex sinu Persico, quæ in vicinam Arabiam, & ex Arabia in Palæstinam commode per camelos, minore sumtu, & minore periculo vehi poterant, pro more tum recepto, & ad nostram ducto ætatem.

XIV. Ast Ophiram in Peruvia quærere, quod ab hominibus acutis factum est, id vero, & navigationem nescire priscæ hujus ætatis, & immensam locorum distantiam, & Peruviæ terræ naturam. Nam, ut jam adnotatum est, vix a conspectu litoris recedebant olim, dum navigarent, ante repertum usum pyxidis magneticæ; & quæ maxime celebrantur in Fabulis & in Historiis nauticæ expeditiones, vel Argonautarum, vel Hannonis, vel alia quælibet, non aliter gestæ sunt, quam litorum ductu. Cumque noctu aut Cynosuram, aut Helicen consuluissent, magnum illis erat, Ægæum, Joniumque domuisse. At vastum tranare Oceanum, & veteris ac novi orbis formidatissima promontoria superare, cœlo unico duce, cujus sæpe aspectum nubes ipsis eripuissent, neque certe per imperitiam poterant. Nam novi orbis, & acus magneticæ notitiam qui tribuunt Salomoni, idcirco quod nihil ipsum ignorasse certum putant; ne illi Librorum sacrorum abutantur verbis & faciunt intelligendo ut nihil intelligant. Id enim si recipitur, fatendum igitur navigandi quoque artem ita eum calluisse, ut alios quoque docere posset, & adversus omnes casus maris ita comparare, ut nihil extimescerent: quæ & incredibilia sunt & inepta.

XV. His ipsis argumentis eorum quoque obteritur opinio, qui Ophiram statuunt esse Hispaniolam: nam necessariis ad tantum maris tractum emetiendum carebant subsidiis; & præter aurum, rerum reliquarum inops est hæc insula, quæ Ophiranam navigationem commendabant. Addendum his, nullam fuisse rationem, cur naves Ebraicæ & Tyriæ, Hispaniolam petituræ solverint ex portu maris Rubri; cum Tyro & Joppe solventes, longe facilius, commodius, tutius, & minoribus impensis, per Herculeum fretum in Hispaniolam possent pervenire.

XVI. Jam vero cur hic geminam Ophiram confingeret Bochartus [4], nihil sane necesse fuit; cum ad eam, quam indicavimus, facile accommodari possint, quæcunque de ea narrant Scriptores sacri. Fatemur auri divitem fuisse Arabiam, nec negamus inde dictos Casanitas, gentem Arabicam. At quæ leguntur de auro Ophirano in libro Jobi [5], & in Paralipomenis [6], ubi agitur de iis quæ paraverat David ad structuram Templi, hæc ad Ophiram Arabicam pertinere, quod ad remotiorem Ophiram, ante Salomonem & Hiramum, nulla instituta fuerit navigatio, id vero pernegamus. Nam etsi fortasse ante Salomonem de externis ac nauticis commerciis non cogitaverint Ebræi; idem tamen de Chananæis cur dicatur, nullum afferri potest argumentum. Atqui peregrinum hoc aurum ex Phœnicia in finitimam Ebræorum regionem per mercaturas transmissum, ad Davidis demum fiscum aliqua ex parte perveniebat.

[4] Boch. Phal. lib. 2. cap. 27.
[5] Job. 22. 24.
[6] Par. 29. 4.

CAPUT III.

De Regione Tharsis.

I. Tharsis videtur esse Africæ & Hispaniæ ora occidentalis ; & privatim loca Bœtis ostiis proxima. II. Probatur argumentis. Primum argumentum, ab auctoritate virorum doctorum, veterum & recentiorum. III. Secundum argumentum, a mercibus Tharsissis. IV. Tertium argumentum, a vestigiis religionis Israeliticæ. V. Quartum argumentum, a facilitate navigationis. VI. Quintum argumentum, a nautica expeditione, quam paraverat Josaphatus in Ophir & in Tharsis. VII. Refelluntur opiniones & argumenta Adversariorum. Primum argumentum. Tharsis Bæticis finibus non clauditur. VIII. Secundum argumentum. Tharsis non est Tarsus Ciliciæ. IX. Tertium argumentum. Tharsis non est Carthago, neque Tunes, neque Africæ pars ad mare Mediterraneum sita. X. Quartum argumentum. Tharsis non constat mare significare. XI. Quintum argumentum. Tharsis non est India. XII. Sextum argumentum. Frustra geminum Tharsis confingitur.

I. LUstrata Ophira, progrediamur nunc in Tharsis, quo nomine diximus omnem Africæ & Hispaniæ Occidentalem oram significari. Sed ita tamen, ut loca Freto Herculeo proxima, ac Bœtis præcipue ostia, & Gades, nomine proprio Tharsis appellarentur; ad eum plane modum, quem supra observavi in Ophira, cum dicerem patentiorem aliquando, aliquando strictiorem vocabulo huic significationem tribui.

II. Has autem oras Phœnicum navigationibus frequentatas fuisse, urbesque illic ab iis conditas, testificatur Strabo [1]. Ut cum scripserit inclaruisse præcipue Tyrum navigationibus in Africam, & in Hispaniam, etiam extra Herculis Columnas susceptis, Tharsis significare velle visus sit. Itaque cum Josephus [2] ex Tharsis advehi dixi mancipia Æthiopica ; & cum Chaldæus Interpres Jonathan [3] *Tharsis* reddit *Africam* ; cumque ei consentit R. David Kimchi, tam intelligi posse censeo Africam quæ Oceano, quam quæ mari Mediterraneo objacet. Nec aliter sumi velim verba Anastasii [4] Sinaitæ, cum Tharsis exponit *Hesperiam regionis Occidentalis*; nec aliter verba veteris Poetæ in Epitaphio Lesbiæ, inter Epigrammata a Pithæo [5] collecta. Quæ etsi ad Hispaniam referri possunt, pertinere quoque videntur ad Africam Occidentalem, in qua Libyes Hesperii ad montem Atlantem, & promontorium Hesperium, & Hesperii Æthiopes, & Hesperium mare, quo ingens ille Oceanus toti Africæ ad occasum prætentus significatur & Hespera insula Tritonidis paludis, Oceano proxima, nota ex Diodoro [6]. Has autem oras frequentasse Tyrios locupletem auctorem damus Strabonem [7], qui trecentas urbes in litore Libyco ad Oceanum tradit ab iis fuisse conditas.

Jam vero Tharsis nomine Hispaniam quoque contineri asseverat Eusebius in Chronico; quod inter recentiores amplexi sunt plerique, cum Tartesson & Tarseion dixerunt Tharsis vocabulum retinere. Sic Goropius [8], sic Grotius [9], sic Pineda [10], sic Emanuel Sa [11], sic Bochartus [12]. Quin autem litus Occidentale Hispaniæ frequentaverint Phœnices, minime dubitandum est, cum Britannicum & Thulen quærentibus, oram hanc legere necesse fuerit ; multaque illic adventus eorum monumenta supersint; cumque Himilco Pœnus institutum a se in has oras iter scriptis mandaverit.

III. Porro merces illæ omnes, quas ex Tharsis advectas notat sacer Codex, vel in Hispania, vel in Africa reperiuntur. Aurum quidem & argentum aliaque metalla dabat Hispania; dabat & Chrysolitos, teste Plinio [13], qui Tharsis juxta multorum opinionem dicebantur. Aurum quoque dabat Africa, sed & ebur prætera, & Simios, & Psittacos. Quæ partim ętatis hujus fide, partim testimonio veterum nituntur. Sed de his infra agemus pluribus.

IV. Multas pręterea Israelitę religionis notas deprehendas apud Guineenses & Angolanos, aliasque finitimas gentes, atque etiam Mediterraneas, unde Salomonicarum navium appulsum subodorere. Unum venerantur supremum Deum, rerum omnium conditorem, quem nullis figmentis adumbrari posse putant, scelerum vindicem, erga bonos beneficum & liberalem. Pręputia infantium demetunt, septimo feriantur die & operantur Sacris, porcina abstinent, aliisque carnibus immundis & veteri lege damnatis; crebris utuntur purificationibus ; plures ducere simul uxores jus

[1] Strab. lib. 3. 16. & 1.
[2] Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2.
[3] Jonath. in 3. Reg. 10. 22. & & 22. 49. & Jerem. 10. 9.
[4] Anast. Sin. in Hexaem. lib. 10.
[5] Epigr. Pith. lib. 3.
[6] Diodor lib. 3.
[7] Strab. lib. 17.
[8] Gorop. Hispan. lib. 5. 6. 7.
[9] Grot. in 3. Reg. 10. 22.
[10] Pined. De reb. Salom. lib. 4. cap. 14.
[11] Eman. Sa in 2. Par. 9. 21.
[12] Bochart. Phal. lib. 3. cap. 7. & Chan. lib. 1. cap. 34.
[13] Plin. lib. 37. cap. 9.

jus fasque est; aquis medicatis crimina exquirunt, observant neomenias, in lucis rem divinam faciunt, pro more inter Ebręos, tempore Salomonis, contra Dei pręceptum jam gliscente.

V. Hic quoque locum habet, prius usurpatum a nobis argumentum, cum de Situ Ophirę disputaremus: quod nimirum in Tharsis facilis fuerit ac fere tutus progressus, oras Africę sequendo, & a medio mari naves abstinendo. Adeo ut ab Asiongabere ad Artabrum promontorium, in perpetuo telluris conspectu perveniri potuerit. Quę res vel maris imperitos, pręsertim in tam certa quęstus spe, ad navigandum invitabat.

VI. Nec parum juvamur ex verbis, quibus parata a Josaphato navigatio describitur in Libris Regum [1], quæ in hanc sententiam Ebraice concepta sunt: *Josaphatus fecit naves Tharsis, ut irent in Ophir auri gratia: & non ivit, quia confractæ sunt in Asiongaber*: Ex quibus intelligas, naves quæ in Tharsis destinatæ erant, Ophir etiam uno eodemque cursu fuisse sita loca isthæc, ut sine diverticulo ab eadem classe adiri potuerint.

VII. Atque ex his liquet quantum ratio Bochartum fefellerit, ceterosque qui ei præiverunt, cum Tharsis concluserunt intra fines unius Bœticæ; cum illic nusquam reperiri constet ea mercimonia, quæ ex Tharsis advecta fuisse produnt Codices divini. Nec se expedient, si dixerint in Bœticis urbibus emporia fuisse rerum venalium, unde merces ex longinquis regionibus illic collectæ coemi potuerint. Quis enim credat Ebræos & Phœnices e mari Rubro profectos, insalutatis Africanis prætérlegisse Africæ oram, ut ex Hispania compararent ea, quæ ex Africa Hispani ipsi comparaverant?

VIII. Longe minus credibile est Tharsis esse Tharsum Ciliciæ, Tyriis & Ebræis finitimam urbem, quam terra marique facile adire poterant: etsi id Josepho persuasum fuit, & Cyrillo, & Rhæticio Augustodunensi, quem carpit Hieronymus, & Claudiano Mamerto, & Arabi interpreti, & Jonathani, aliisque multis. At Tharsis ut adiretur, magno apparatu, magnis impensis, classes in mari Rubro ædificandæ fuerunt, & diutina navigatio instituenda. Magno quidem viæ compendio Tyro vel Joppe solventes naves illæ Tharsis poterunt pervenire, quod factura erat navis Jonæ, & quod sæpe faciebant naves Phœnicum. At Ophiram obiter adeuntibus aliud iter capessendum fuit.

IX. Idem peccant Senes Septuaginta [2], & Vulgatus Interpres [3], Athanasius [4], Cyrillus [5], Theodoretus [6], Hieronymus [7], & recentiores plurimi, qui ad Carthaginem, aut ad Tunetem, aut ad Africam mari Mediterraneo adjacentem Tharsis locant. Nec enim in mari Rubro fabricandæ naves erant, ut intra Mediterraneum navigarent. Deinde cum Tyrum appellat Isaias [8] filiam Tharsis propter Bœticas & Africanas opes, quibus ditescebat Tyrus, quis putet filiam Carthaginis appellasse, quæ mater erat Carthaginis? præsertim cum nondum condita esset Carthago, cum classes in Tharsis mitteret Salomon. Denique metallorum ferax fuisse Tharsis, perhibetur ab Auctore Sacro [9]; Carthaginem vero & circumjacentem Africam iis penitus caruisse antiqui affirmant. Nam argentum illud Africanum Carthagine advectum, quod veteribus laudatum fuisse prædicat Theodoretus [10], ex Mediterraneis locis illuc allatum fuisse censendum est.

X. Qui Tharsis nomen esse generale censuerunt, quod mare significaret, velut Chaldæus Interpres, & Hieronymus [11], qui & Ebræos sententiæ hujus auctores citat, eos in hanc sententiam impulerunt loci quidam Codicis sacri perperam intellecti; velut ille ex libro tertio Regum [12], *Rex Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir*. Ubi Ebraicum exemplar habet, *Fecerat Naves Tharsis*: & hic Isaiæ [13], *Ululate naves maris*, pro eo quod Ebraica habent, *naves Tharsis*: & istæ Jonæ [14], *Surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis, & descendit in Joppen, & invenit navem, euntem in Tharsis*: & hic e Psalmis [15], *In spiritu vehementi conteres naves Tharsis*. Illic si naves Tharsis sunt naves maris, naves omnes maris, qualecunque tandem mare illud sit, vel Ægæum, vel Euxinum, vel Hadriaticum, dici potuerint naves Tharsis; naves vero omnes, quocunque tandem ituræ sint, vel in ortum vel in occasum, in Tharsis ituræ: quod valde absurdum est. Nec satis probant ex Tharsis fieri Græcum θάλασσα, quod etsi acute excogitatum est, incertum tamen est. Chaldaicam vocabuli θάλασσα originationem affert Berosus apud Alexandrum Polyhistorem [16] quæ nihil ad Tharsis. Sed quamvis Tharsis mare aliquando significaret, & inde factum esset θάλασσα minime tamen hæc sententiæ nostræ officerent, quæ primigeniam quærit vocis significationem, cum hæc secundaria sit, & παράγωγος. Potius est igitur ut dicamus naves Tharsis appellari naves, quæ regionem

[1] 3. Reg. 22. 49.
[2] LXX. in Isai. 22. 6. 14. & 23. 1. & Ezech. 27. 12. & 28. 13.
[3] Vulg. in Ezech. 27. 12.
[4] Athan. Quæst. ad Antioch.
[5] Cyrill. lib. 5. in Isa. & in Jon. 1.
[6] Theodoret. in Psa. 71. in Ezech. 58. 63. & in Jon. 1.
[7] Hier. De Loc. Ebr. & lib. 5. in Isa. 23. 1. & lib. 8. in Ezech. 27. & lib. 11. in Ezech. 38.
[8] Isai. 23. 10.
[9] Ezech. 27. 12.
[10] Theodoret. in Jerem. 10.
[11] Chald. & Hieron. in Jon. 1. 3.
[12] 3. Reg. 22. 49.
[13] Isa. 23. 1.
[14] Jon 1. 3.
[15] Ps. 47. 8.
[18] Alex. Polyh. apud Euseb. in Chron.

nem Tharſis erant aditurae, & navem quam conſcendit Jonas, euntem in Tharſis, non in mare, ſed per mare in regionem Tharſis ituram fuiſſe. Ergo quas naves Tharſis appellat auctor libri Regum [1], eaedem in Paralipomenis [2] naves iturae in Tharſis dicuntur.

XI. Tharſis non eſſe Indiam, uti Joſepho [3], Hieronymo [4], aliiſque Hieronymo vetuſtioribus, ac deinde Bocharto [5] viſum eſt, palam indicat hiſtoria Jonae. Quis enim inducat in animum nautas Joppenſes, Indiam cogitantes, immenſos illos Africae tractus circumire maluiſſe, quam compendiaria ac longe breviori via per Erythręum mare illuc contendere? Sed nec opinionis hujus ratio affertur ulla: ſola hęc afferri poteſt, quod naves Aſiongabere profectę non alio potuerint appellere, quam ad oram aliquam maris hujus Orientalis; cum autem in litoribus frequentari ſolitis Tharſis non reperirent Interpretes, in remotioribus & ignotis, Indicis nempe collocarunt, cum nihil vero propius ipſis in mentem veniret.

XII. Nec cauſſa eſt cur geminum Tharſis confingamus cum Joſepho [6], qui aliud Tharſis eſſe vult Tarſum Cilicię, aliud ſtatuit in India, cum Theodoreto [7], qui aliud ſimiliter locat in India, aliud Carthagine; cum Hieronymo [8], qui aliud Carthagine, aliud in India; vel cum Bocharto [9], qui aliud ſtatuit ad occaſum in Hiſpania, quo pergerent claſſes Tyro profectę; aliud ad Orientem in India, verſus Taprobanam, quo ex Aſiongabere per mare Rubrum navigaretur. Cujus figmenti non aliam habuit cauſſam, quam quod fieri non potuiſſe crediderit, ut & per mare Mediterraneum Joppe profectę naves, velut illa Jonę; & per mare Rubrum Aſiongabere ſolventes, velut illę Salomonis & Hirami, ad unum idemque Tharſis diverſis itineribus appellerent. Sic geminam commentus eſt Ophiram, cum ex obſcuris, ac in ſpeciem pugnantibus ſcriptorum ſacrorum verbis ſe expedire aliter non poſſet. Quod ſi perſpectum habuiſſet, jam tum ſuperari coeptum fuiſſe temporibus illis extremum Africę caput, quod Bonę ſpei nunc appellamus, totamque circumiri ſolitam jam inde eſſe Africam, aliter procul dubio ſenſiſſet. Id nunc ut probemus, poſtulat ordo diſputationis.

[1] 3. Reg. 22. 49.
[2] 2. Paral. 20. 35.
[3] Joſeph. Antiq. lib. 1. cap. 5.
[4] Hieron. in Iſai. 66. Jerem. 11. & Dan. 10.
[5] Boch. praef. Phal. & lib. 3. cap. 7.
[6] Joſeph. Antiq. lib. 1. cap. 7. & lib. 9. cap. 11. & Hieron. in Dan. 10.
[7] Theodoret. in Ezech. 38. 13. & in Jon. 1. & in Pſalm. 71. & Quaeſt. 36. in libr. Reg.
[8] Hieron. in Iſa. 23. 1
[9] Bochart. Pahal. lib. 2. c. 27. & lib. 3. cap. 7.

CAPUT IV.

De navigationibus circa Africam ſuſceptis, deque Promontorio, quod nunc Bonae ſpei appellatur ſuperari ſolito, jam inde a Salomonis temporibus.

I. *Temporibus Salomonis ex mari Rubro ad Fretum Gaditanum, & ex Freto Gaditano ad mare Rubrum navigabatur.* II. *Probatur argumentis. Primum argumentum. Longiores a veteribus ſuſceptae ſunt navigationes, quam a recentioribus; quoad ſuperiores omnes navigandi gloria Luſitani ſuperarunt.* III. *Secundum argumentum, a facilitate navigationis circa Africam.* IV. *Tertium argumentum. Veteribus perſuaſum fuit orbem eſſe Oceano circumfuſum.* V. *Quartum argumentum. Conſtat Phoenices hac aetate tam prope acceſſiſſe ad extremum Africae promontorium, ut credibile minime ſit id ipſos non cognoviſſe, vel cognitum non adiiſſe.* VI. *Quintum argumentum, ab auctoritate veterum, Herodoti, Heraclidis Pontici, & Poſidonii; Cratetis, & Strabonis; Cornelii Nepotis, Jubae, & Melae; Pſeudo-Scylacis, Arriani, Plinii, Martiani Capellae, & Solini.* VII. *Refelluntur argumenta adverſariorum. Primum argumentum. Cauſſa exquiritur cur deſitae ſint navigationes Veterum circa Africam.* VIII. *Secundum argumentum. Falſo perſuaſerunt ſibi Veterum nonnulli, extra Fretum Gaditanum navigari non poſſe.* IX. *Tertium argumentum. Falſo item autumarunt Veteres, Zonam Torridam eſſe inhabitabilem.*

I. SIc igitur rebus in omnem partem diligenter expenſis compertum habere mihi videor, navigationes his temporibus fuiſſe utrimque inſtituta, & ex mari Rubro in Occidentales Africae & Hiſpaniae oras; & ex his oris viciſſim in mare Rubrum, navibus circa Africam actis, & eo ſuperato promontorio, cui a Bona ſpe nomen factum eſt: verum progreſſu temporis navigationes haſce ita eſſe deſitas, ut earum ſenſim obſoleſcentibus veſtigiis, memoria tandem ipſa penitus extincta ſit.

II. Cur ita ſentiam, has praecipue cauſſas habeo. Conſtat primum longinquiores navigationes a priſcis illis hominibus fuiſſe ſuſceptas, quam ab iis quos ſequior ętas tulit;

tulit; quoad tandem clausa maria felicissimo ausu rursum aperuit Lusitana gens, & utrique orbis parti, Occidentali & Orientali fecit commercia. Clarissimis verbis id tradit Strabo [1] adversus Eratosthenem, & arcessitis ex veteri memoria exemplis Bacchi, Herculis, Jasonis, Minois, ac præcipue Phœnicum, qui Freto Gaditano egressi Africæ oram conditis urbibus frequentarunt. Veteres navigando longius progressos esse probat, quam posteros. His addenda & Jambuli nautica expeditio, quam commemorat Diodorus [2]. Unde effectum est, ut desito longinquarum navigationum usu, earumdem etiam, ac viarum quoque notitia inciderit. Quale illud est, quod in veteri Groenlandia ferunt contigisse; quæ olim itionibus crebris & mansionibus diutinis a Norvegis frequentata, intermissis deinde aliquantisper excursibus, neque adiri demum neque reperiri potuit. Minime itaque mirandum est triti olim circa Africam itineris, & usitatæ circumvectionis obliteratam esse deinde notitiam.

III. Ajo præterea facile fuisse Africam circumvectari, cum a terræ conspectu vix discendendum foret: Homines autem lucri cupidos, τρώκτας, uti appellantur Phœnices ab Homero, curiosos, novarum regionum indagatores invitabant ad ulteriora opportunitates & amœnitates locorum, quæ sese offerebant oculis navigantium, unde aqua, commeatus, aliæque res ad iter mari faciendum necessariæ petebantur. Adeo ut Phœnices quosdam narret Herodotus [3], a Neco Ægypti rege, ad obeundam Libyam, per mare Rubrum, ad Herculis Columnas missos, ingruente autumno portus ingressos, frumenta sevisse & messuisse. Stationes hoc cursu deligi poterant tutæ & commodæ; fortasse etiam urbes adiri jam ante a Phœnicibus in litoribus conditæ, cujusmodi plurimas ab iis in oris Africæ occidentalibus, non multo post Trojanum excidium exstructas commemorat Strabo [4]. Quid ni etiam in orientalibus? cum ante Homerum, qui Salomonis æqualis fuit, magnam pervagati essent partem orbis tunc cogniti. Quamobrem æqua non est Strabonis [5] in Eratosthenem criminatio, quod dixerit veteres in altum evehi non ausos in litoribus hæsisse: cum nihil in contrarium efficiant ea ipsa quæ affert exempla navigationum; quæ quantumvis longinquæ, confici tamen potuerunt legendis oris, & terrarum sequendo ductu. Nam id ita factum olim, cum ex Africa navigaretur in Indiam, clare docet Auctor Peripli Erythræi: quoad Hispalus gubernator in altum evehi ausus est, cognitis ventorum vicibus, & aliis idem tentandi exemplum dedit. Atque hinc potissimum factum esse opinor, ut trium annorum fuerit hæc Phœnicum navigatio, quos ad circumeundam Africam misit Necos rex Ægypti: cum nostra ætate longinquiores multo navigationes breviori tempore absolvantur.

IV. Huc accedit eam fuisse temporum illorum persuasionem, priscum orbem omnem tunc cognitum, haud secus ac insulam, esse Oceano circumfusum, vereque insulam esse, ac rotundam quidem & velut circino descriptam. Tritum hoc est in libris veterum. Unde liquido colligitur sperasse eos, cum versus Austrum progrederentur per duo illa longa Africæ litora; sive quod ortum spectat, sive quod occasum, hujus tandem curriculi finem in Oceano se reperturos. Dubium aliquando id fuisse narrat Polybius [6]: idem habet & Mela [7]. Quidni vero? certe antequam ad extremum litorum illorum perventum sit, de eo necessario dubitatum est. Postquam vero celebrari desita est ista navigatio, res ad dubium rediit. At florentibus Phœnicum rebus, & circa Salomonis tempora, nulla de eo dubitatio fuit.

V. Constat præterea ex Periplo Hannonis, ad æquinoctialem usque progressos esse Phœnices hac ætate, versus Austrum, ab occidentali Africæ parte: constat & ex aliis scriptoribus, & ex iis quæ supra attulimus, accessisse ad Tropicum Capricorni ab altera parte. Putemusne vero nihil illic inaudisse eos de proximo illo Africæ angulo, in quo coibant duo maria, Atlanticum & Æthiopicum; eaque re cognita, nihil se movisse actuosos homines, in explorata & certa spe quæstuosissimi commercii, qui tantum jam viæ incertis rebus ac dubiis exhauserant; & a periculorum jam susceptorum percipiendo fructu abstinuisse? Cum scirent superato hoc promontorio, ea demum ad se perventura compendia; a quorum spe nomen ei postmodum Lusitani fecerunt.

VI. Quod cum neutiquam credibile sit, tum multo magis opinionem nostram confirmant nobilissimorum prisci ævi scriptorum consonæ super ea re sententiæ, ut mirum sit hac ætate doctos homines plus vanis suis conjecturis tribuere maluisse, quam rationi, & experientiæ, & clarissimæ voci vetustatis. Nam primum Herodotus [8] Libyam esse affirmat circumfluam, præterquam ubi Asiæ adhæret; missosque a Neco Ægypti rege Phœnices ad Herculeas columnas, cum e mari Rubro solvissent, pervenisse illuc, & in Ægyptum demum rediisse: quæ navigatio simillima est navigationis Salomonicæ, sive nautas spectes, per quos res gesta est, sive loca, ex quibus, per

[1] Strab. lib. 1.
[2] Diodor. lib. 2.
[3] Herod. lib. 4. cap. 42.
[4] Strab. lib. 1.
[5] Strab. lib. 1.
[6] Polyb. lib. 3.
[7] Mela. lib. 3. cap. 9.
[8] Herod. lib. 4. cap. 42.

per quæ, & ad quæ susceptum est iter, ut ex altera alteram spectare possimus; nec certius desiderari possit sententiæ nostræ præsidium. At fallitur Herodotus, cum subjicit hac Neco regis navigatione Libyam primum esse cognitam: nam Neco antiquior fuit Salomon. Nisi dicamus Phœnices & Ebræos rem sibi cognitam dissimulasse, at per Ægyptios tandem in vulgi notitiam venisse. Addit deinde Herodotus Sataspem quemdam in crucem a Xerxe actum, quod in criminis ab eo patrati pœnam missus ad lustrandam Africam, a Gadibus ad Arabicum sinum, mandato non paruerit. Adeo tum constabat inter homines, nihil obesse, quominus universa Africa pernavigari & obiri posset. Narrat deinde Herodotus [1] misisse Darium, qui Libyam circumiret, perinde ut Phœnices, ex Neco regis Ægyptii mandato; atque id factum.

[1] Herodot. lib. 4. cap. 44.

Succedat suo ordine Heraclides Ponticus, quem scripsisse narrat Posidonius apud Strabonem [2], Magum quemdam a Gelone venientem dixisse, se navi Africam esse circumvectum. Narrat & Eudoxum quemdam Cyzicenum, missum a Cleopatra, post obitum viri sui Ptolemæi Euergetæ secundi, Ægypti regnum tenente, ventis supra Æthiopiam delatum, in navis Gaditanæ naufragio dissolutæ fragmentum incidisse. Unde manifesto sequitur omnem Africam, supra Æthiopiam mari allui. Hanc de Eudoxo narrationem acriter impugnat Strabo, ac falsi insimulat; & Straboni assentiuntur Bochartus [3] & Vossius [4]. Quæ narratio etsi defendi potest, attamen verane sit an falsa, non multum pertinet ad rem quam quærimus. Neque inficiatus est Strabo navibus circumiri Africam posse. Nam & alibi ex Aristonico, suæ ætatis Grammatico, quorundam opinionem refert, nec refellit, qui Menelaum tradiderunt a Gadibus in Indiam navigando pervenisse; imo vero negat impossibilem fuisse navigationem illam, quæ a Cratete fuerat excogitata.

[2] Strab. lib. 2.
[3] Boch. Chan. lib. 1. cap. 35.
[4] Voss. in Mel. lib. 3. cap. 9.

Insignis est & nulli exceptioni obnoxia Cornelii Nepotis testificatio de obita circum Africa, ab Arabico sinu ad Gades usque. Facti auctor Eudoxus, Ptolemæum Lathyrum, Ægypti regem fugiens. Hoc Nepotis testimonio utuntur Mela [5] & Plinius [6], nec dubium esse patiuntur. Quod quibus argumentis convelli possit, si pertinaciam demas, equidem non video. Ejusdem modi est & illud Jubæ, quo utuntur Plinius [7] & Solinus [8]. Is Atlantici maris initia locat circa Mossylicum promontorium, quod hodie Gardafuy appellatur, & præter Mauritanias ad Gades usque prorogat. Clarius etiam hæc explicantur a Solino. Jubam ait facta gentium & insularum commemoratione ad firmandæ fidei argumentum, voluisse intelligi navigabile omne illud mare ab India ad Gades. Tum deinde utramque Africæ oram, & ad ortum & ad occasum, signatis stationibus metatur. Nec aliter Mela [9]. Dubitatum is aliquando fuisse prodit, an ultra mare versus Austrum se extenderet Africa, an mari terminaretur; quod ipsum reperias apud Polybium [10]. Dubitationem hanc ut solvat Mela, commemorata Hannonis navigatione, illam Eudoxi subjicit, Arabico sinu egressi, & Gades usque profugi; unde inquit, *ejus oræ nota sunt aliqua*.

[5] Mela lib. 3. cap. 9.
[6] Plin. lib. 2. cap. 67.
[7] Plin. lib. 6. cap. 29.
[8] Solin. cap. 56.
[9] Mel. lib. 3. cap. 9.
[10] Polyb. lib. 3.

Dixisse nonnullos refert auctor sub Scylacis nomine editus, quibus nec contradicit, ad Æthiopes navigare institores Phœnicum, per mare quod continuum est, & Lybiam peninsulam efficit. In asserendo vero hac sententia nulli superiorum concedit Arrianus, sive quisquis est auctor Peripli maris Erythræi. Oceanum, ait, qui Azaniam terram a dextris habet, & subjectus est mari Rubro, flecti ad occasum, & ad Æthiopiæ & Libyæ & Africæ meridiem porrectum Hesperio mari misceri. Quod autem adjicit, nondum exploratum esse illud mare, cave ita accipias, quasi nemo ad ejus ætatem illuc penetraverit. Qui enim nosset id ipsum quo illic affirmat, mare hoc Hesperio misceri? At id sibi vult, nondum explorata fuisse maris hujus litora, promontoria, sinus, atque stationes, perinde ut aliorum marium: quod convenit istis Melæ, quæ supra retuli, *ejus oræ nota esse aliqua*, non omnia. Hoc argumentum persequens Plinius [11], propositis exemplis demonstrat circumitam esse navigationibus Africam, & Augusti ævo signa navium ex Hispaniensibus naufragiis in sinu Arabico fuisse agnita; Hannonem circumvectum esse a Gadibus ad finem Arabiæ; contra ab Arabico sinu Eudoxum Gades usque esse pervectum; auctorem esse Cœlium Antipatrum, vidisse se qui navigasset ex Hispania in Æthiopiam, & eam quidem Æthiopiam, quæ pertinet ad orientale litus Africæ; nam id postulat ratio argumenti quod tractat; non Hesperiorum Æthiopum, ut visum est Salmasio [12]. Idem alibi, Juba auctore, navigari docet a Mossylico promontorio, quod maris Rubri faucibus obversum est, præter Mauritanias, Gades usque. De hoc Hannonis testimonio, quod profert Plinius [13], quid statuam non habeo: nam Periplus Hannonis, qui nunc superest, longe citra extremum Africæ promontorium, nedum ad finem Africæ consistit. An eamdem iteravit navigationem Hanno & prodidit scripto, quod

[11] Plin. lib. 2. cap. 67.
[12] Salmas. in Solin. pag. 1242.
[13] Plin. lib. 6. cap. 29.

Plinii ævo extiterit? An temere id effudit Plinius? Idem habet Martianus Capella [1], qui non firmissime solum, sed superioribus omnibus congestis in unum exemplis asseverat, meridianum omnem permeari Oceanum a Gaditano litore in Arabicum usque sinum, & Hannonem quidem Mauritaniæ circuitu, & meridiani dehinc flexus excursu, in Arabiæ terminos prolixa admodum navigatione pervenisse. Plinium quoque pro more suo affectatus est Solinus [2], & Oceanum omnem ab India ad Gades, Juba auctore, docet esse navigabilem.

VII. Adversus eas opponi quædam posse video. Primum inquient credibile non esse navigando circumitam olim esse Africam, & superatum promontorium Bonæ spei, cum ante ducentos annos plane ignoti essent Africæ fines, dubiumque esset an navigari posset circa Africam, cumque Ptolemæi [3] etiam & Arriani [4] temporibus navigationum Austrinarum limes fuerit Rhaptum promontorium. At sciendum pro temporibus variam fuisse navigationem, ac recordandum verissimæ hujus Strabonis [5] sententiæ, longiora itinera terra marique priscis temporibus fuisse suscepta, quam suis. Est apud Arrianum [6], Arabiæ urbem Ocelin emporium olim fuisse Indis & Ægyptiis commune, antequam navigaretur ex India in Ægyptum, & ex Ægypto in Indiæ interiora. Quod indicat præterita deinde Ocili commercia, hos inter, in India & Ægypto ultro citroque fuisse agitata. Quo pertinet & illud Dionysii Periegetis, mare Indicum crebris navigationibus lustratum fuisse ante suam ætatem. Cujus rei caussam cum animo meo exquirerem, ea mihi vero propior visa est, Alexandri expeditionem pristina commercia, non turbasse solum, sed fere etiam pessumdedisse. Nam nauticæ rei parum studebant Macedones, adeo ut proditum sit a Strabone [7], Ptolemæis Ægypti imperium tenentibus, paucas omnino naves ausas esse extra fauces Arabici sinus prodire, cum longinquas veteris ævi navigationes jam ante prædicasset; sua vero ætate ingentes classes in Indiam & Æthiopiam transmittere esse solitas, atque inde preciosas merces in Ægyptum referre, unde gravia portoria redibant ad Romanos; solamque fere Alexandriam has accepisse merces & distraxisse. Postquam ab Alexandro Tyrus excisa est, quod celeberrimum omnium fuerat ad hanc diem emporium, testibus ipsis Scriptoribus Sacris, subacta Syria, domita India, unde fere advehebantur merces orientis; & Ægypto, per quam advehebantur, in tanta rerum mutatione disturbari necesse fuit societates, fœdera, negotiorumque rationes; & tempore ab hoc valde attenuati videntur fuisse mercatus & navigationes orientales Phœnicum. Nec id fugit Alexandrum; nam cum Alexandriam statim post Tyri cladem conderet, rationem videtur habuisse commerciorum, quæ excidio hoc dissoluta præcipue per orientem utcunque reparare conabatur. Quamvis autem in opes ac famam Tyri successisset Alexandria, magnaque illic & copiosa sequenti ætate orientalium mercium facta sit negotiatio, rerum tamen dominis Macedonibus, ac deinde Romanis, aliæ fuerunt rationes utilitatum & commodorum, aliæ mercaturæ. Tum vero ni fallor, lustrari desita sunt extrema Africæ & Tyri clade obsoleverunt Ophiranæ & Tarsissiæ navigationes Phœnicum circa litora Africæ. At mari Mediterraneo non abstinuerant; nam reparata deinde Tyro, suam Antiocho, adversus Romanos, in navalibus ejus copiis præstiterunt operam Sidonii, Tyrii, & Aradii: & in Descriptione orbis, sub Constantio & Constante edita, aliisque hujus ævi libris, Tyrus commerciis & opibus florentissima celebratur, cui nulla alia per orientem urbs æquiparari queat. Quæ tamen commercia & navigationes occidentis fere partibus continebantur. Itaque cum plurimæ Romanorum classes ex Ægypto in Indiam proficiscerentur, & tota exteri maris ora stringeretur navibus mercatorum, Senecæ [8] ætate, pauci tamen Caput Bonæ spei videntur esse prætervecti, & si quibus id forte contigit, vix fecerunt fidem, resque fabulę similis habita est. Quamobrem cum Austrinas Africę partes lustrarent Lusitani, non tamquam explorata relegentes vestigia, & ad destinatum locum tendentes, sed ut ignari regionum, & itinerum incerti, circumspectantes, ac tentabundi progrediebantur.

VIII. Erunt qui dicant pręter pericula & difficultates, quibus obnoxia fuit sinus Arabici navigatio, pervulgatam fuisse inter veteres opinionem, ultra Columnas Herculis nullam esse navigandi neque facultatem neque spem; adeo ut res in adagium abierit; quod non ad Herculis solum pertineat ętatem, sed & ad consequentes, & ad illam quoque Gregorii Nazianzeni [9], qui id in suum tempus confert. Non aliam certe ob caussam Antipodas ullos esse negavit Augustinus [10], quam quod immensum illum Oceanum transmitti non posse crediderit. Transmitti autem non posse ait Avienus [11], quod nullis illic ventorum flatibus impellantur naves, & perpetua caligine obductum sit cœlum, proptereaque neminem illuc navigia intulisse.

Non

[1] Mart. Cap. lib. 6.
[2] Solin. cap. 56.
[3] Ptolem. Tab. Afric.
[4] Arrian. Peripl. mar. Erythr.
[5] Strab. lib. 1.
[6] Arrian. Peripl. Erythr.
[7] Strab. lib. 2. & 17.
[8] Senec. Nat. Quæst. lib. 4. cap. 2.
[9] Gregor. Naz. Epitaph. in Basil. Epist ad Post. hum.
[10] Augustin. De civit. Dei. lib. 16. cap. 9.
[11] Avien. Or. marit.

Non negavit quidem Tacitus [1] sua ętate adiri Oceanum, at raro id fieri dixit. Contra vero vel ab antiquo ęvo pervium navibus fuisse Oceanum constat ex Hannonis, & Himilconis Periplis, qui Gades prętergressi longe evecti sunt in Oceanum, hic in Septentrionem, ille versus Austrum. Et ut pręteream priscos illos scriptores, quos in testimonium mox citavi, suo tempore mercatores affirmat Horatius [2] ęquor Atlanticum ter & quater anno revisere esse solitos.

IX. Sed & ex incommodis Zonę Torridę caloribus adversum nos cuditur argumentum. Nam si tam crebris navigationibus transmissi fuissent hi maris tractus, si tot stationes in utroque Africę litore positę, & quod ortui objectum est, & quod occasui, quo tandem pacto emanasset in vulgus ea opinio, intolerando vapore torreri terras Solis orbitę subjectas, atque idcirco esse inhabitabiles? Quę sententia ex veteribus Philosophis per consequentes ętates propagata est. At extiterunt tamen nonnulli sagaces & acuti viri, qui sive ratione ducti, sive certioribus edocti viatorum testimoniis, plagas ęquinoctiali subnixas circulo, temperatas esse & habitabiles asseverarunt. Polybius in his & Eratosthenes, Strabone [3] teste, item Juba [4], qui mercatorum itineribus, & indigenarum mansionibus, patefieri docet humano generi infesta non esse Loca isthęc. Ptolemęus item & Arrianus ex quorum Tabulis & Periplo, manifesto liquet, non modo habitabilem esse Zonam istam, sed compluribus etiam oppidis habitatam. Sic enim Avicenna: nec aliter Philostorgius [5]. Taprobanam igitur, cui imminet Æquinoctialis, neque nimio ęstu laborare, neque nimio frigore; neque ulla anni tempestate fructibus carere perhibet Diodorus [6]. Quamobrem mirandum potius est rem frequentibus commerciis, & peregrinatorum itineribus tam certo compertam, tot eruditos homines ignorasse; quam ex hac ignoratione negandę rei certissimę occasionem captare.

[1] Tacit. De morib. Germ. cap. 2.
[2] Horat. lib. 1. Od. 31.
[3] Strab. lib. 2.
[4] Juba apud Solin. cap. 56.
[5] Philostorg. lib. 3. cap. 11.
[6] Diodor. lib. 2.

CAPUT V.

De Paz, Uphaz, & Parvajim.

I. *Paz, Uphaz, & Parvajim nihil sunt aliud quam Ophir*. II. *Probatur argumentis. Primum argumentum, ab origine nominum*. III. *Secundum argumentum, ab auctoritate Chaldæi Interpretis, & aliorum*. IV. *Tertium argumentum. Videntur Veteres agnovisse Phasin in Æthiopia*. V. *Quartum argumentum. Quod navigationibus Salomonis in Paz, & Uphaz & Parvajim singulatim non meminerit Scriptor sacer, colligitur eas navigationibus in Ophir & Tharsis contineri*. VI. *Refelluntur opiniones & argumenta adversariorum. Primum argumentum. Paz non est Pazos, neque Topazos, insula Arabica, contra Salmasium*. VII. *Secundum argumentum. Paz non est Topazus, insula Indica; neque Topazus insula Indica, alia est quam Arabica*. VIII. *Tertium argumentum. Uphaz non est insula Ophiodes, contra Salmasium*. IX. *Quartum argumentum. Paz, Uphaz, & Parvajim, non sunt Taprobane, ejusve loca aliqua, contra Bochartum*. X. *Quintum argumentum. Parvajim non est Parbatia*. XI. *De vocabulo* מופז *Muphaz, quod a verbo* פזז, *non a nomine loci* פז *derivatur*. XII. *Quid sit apud Interpretes nonnullos* κεφάζ. XIII. *Ex nomine Ophir multa locorum & fluviorum auriferorum nomina sunt petita*. XIV. *Item ex nomine Paz*. XV. *An Ophir, Paz, & Tharsis fiant aliquando nomina appellativa*.

I. NUnc quærendum quid sit Paz, quid Uphaz, quid Parvajim. Quæ disquisitio si nihil pertineret ad navigationes Salomonis, uti quidem videri poterit, si ex aliorum opinionibus spectetur; tamen vel ob argumenti affinitatem digna res esset, quam tractatione nostra conaremur facere clariorem. At cum huic ipsi argumento intime conjunctam esse, & censeam & pertendam, minime utique inexploratam eam præterire licet. Sic enim existimo, Paz, & Uphaz, & Parvajim, nihil aliud esse quam Ophir.

II. Atque id primum probamus ex origine nominum. Nam Ophir Arabica forma est *Auphar*, ut observavit Bochartus [7]. R autem & Z sæpe permutari sciunt Grammatici; præsertim apud Arabes, in quibus duo hæc elementa unico puncto discrepant. Sæpe quoque permutari R & S apud Græcos & Latinos, & hodie apud nos Gallos pervulgatum est, & quod communiter dicitur ἀδελφός & ἵππος id Æo-

[7] Boch. Phal. lib. 2. cap. 27.

les ſic efferunt, ἀδελφόρ & ἵππορ & quod Græci θέςωρ, id Latini reddunt *teſtis*; quibus & promiſcua ſunt *honor & bonos*; *arbor* & *arbos*. Sic itaque ex *Auphar* prodiit *Ophaz* & *Uphaz*, unde ſi ſervilia elementa duo præfixa decuſſeris, ex אופז, *Ophaz*, *fiet* פז *Paz*. Servilia dico, originem repetens, uti vulgo fit, ex פזז. Cum præſertim Literæ, quas gutturales appellant, ex capite vocabulorum ſæpe detrahantur. Sic ex Syrorum אנו prodiit Græcum νῶ, unde Latinum *nos*; ex *Cham* prodiit *Ammon*; ex *Chiddekel*, *Tigris*; ex חוה *Cua*; ex חזקיהו *Ezechias*. O quoque inde nonnunquam decidit, ut ex ὄραμνος fiat *ramus*; ex ὄνομα, *nomen*; ex ὀρύω, *ruo*.

Ex eodem nomine Ophir, deflexum videtur Parvajim. Nam capite ex Auphar detracto, reliquæ vocis pars dualis numeri formam induit, uti alia pleraque nomina, quæ res geminas non ſignificant, velut שמים *cœlum*; מים *aquæ*; צהרים *meridies*. Quanquam & id recordandum eſt, quod diximus ſuperius, voce Ophir omnem Africæ oram Orientalem contineri, præcipue vero Sophalam. Unde conjici poteſt, alteri fortaſſe alicui præter Sophalam inſigni Stationi, vocem *Ophir* & *Auphar* hæſiſſe; cum multi in hoc litore ſint commodi portus, quo Salomonis claſſes appellere, & inde aurum comparare potuerint, atque duo hæc loca duali ac communi Parvajim nomine fuiſſe ſignata.

III. Jam ſi auctoritate pugnandum eſt, auctorem dabimus Jonathanem Chaldæum Interpretem, qui quod Jeremiæ [1] eſt Ophaz, ipſi eſt Ophir. Et ubi Iſaias virum rariorem fore ait quam Paz, & quam Ophir, illic Hieronymus [2] Faz eſſe vult generale auri nomen, Ophir vero Obriſum; adeo ut non aliter differant hæc, quam ut ſpecies a genere, & Ophirinum aurum ſit Pazini quædam ſpecies. Hæc autem genera auri nomina tulerunt loci, unde maxime proveniebant. Tum quod Jeremias [3] dixit Ophaz, Hieronymus *obriſum* reddidit. Ex quibus manifeſtum eſt, pro eodem ipſum habuit Paz, Ophaz & Ophir. Vere itaque ſcriptum eſt a Bocharto [4], Paz, & Uphaz, ſive Ophez, nominari Ophir; & Ophir idem eſſe ac Parvajim; etſi in eo minime aſſentior erudito viro, quod illic Ophir inſulam appellat, quam & Taprobanen eſſe cenſet.

[1] Jerem. 10. 9.
[2] Hieron. in Iſai. 13. 12.
[3] Boch. Phal. lib. 2. cap. 27. & Chan. lib. 1. cap. 46.
[4] Stuch. in Arrian. Peripl. Pont. Euxin.

IV. Utemur quoque conjecturis in re obſcura, quando certis caremus rerum indiciis. Phaſin fluvium in Æthiopia videntur Veteres agnoviſſe; nam legimus in libro Hieronymi de Viris illuſtribus, Andream Apoſtolum Scythis, Sogdianis, & Sacis Euangelium prædicaſſe, & in Auguſta civitate, quæ Magna cognominatur, ad Apſarum & Phaſin fluvios, *ubi incolunt Æthiopes interiores*; & Matthiam Apoſtolum in Æthiopia, ad Apſarum & ad Hyſſi portum eodem munere functum eſſe. Quamvis autem hæc manifeſto pertinent ad Colchidem, in qua reperiuntur & Phaſis, & Apſarus, & Hyſſi portus, quæque vergit ad Septentriones, itidem ut commemoratæ illic gentes; cum in ea tamen nunquam fando auditum ſit ullam eſſe Æthiopiam, plane adducor ad ſuſpicandum ſcriptorem cum Æthiopia Colchidem confudiſſe, quod aurifera ſit utraque ragio, & aurifer Phaſis in utraque. Nequaquam autem exſtant iſta in Hieronymi codicibus; at ex Græcis, quę Sophronii nomen pręferunt, illuc tranſlata ſunt, & partim eorum repręſentavit Dorotheus in libro de vita Apoſtolorum. Apud Sophronium autem ubi de Matthia agit, pro eo quod legitur, ἐν τῇ δευτέρᾳ αἰθιοπίᾳ, omnino legendum eſt, ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ αἰθιοπίᾳ, non ut vult Stuckius [5] ἐν τῇ ἐσωτέρᾳ καππαδοκίᾳ: quemadmodum ſcripſit in Andrea, ἔνθα οἰκοῦσιν αἰθίοπες οἱ ἐσώτεροι. Inde liquet fruſtra vocem hanc refingere Bochartum [6], ut pro ἐσώτεροι, legatur ἕτεροι. Quod ſi Colchidem dictam eſſe Æthiopiam concedimus, & Colchos dictos Æthiopes atque Mauros, quod ſint fuſci coloris, utpote Ægyptiorum coloni, quemadmodum illic probare conatus eſt Bochartus, veriſimile ſane eſt iſtuc advenientes Ægyptios, cum flumen auriferum reperiſſent, nomen huic indidiſſe fluvii alterius auriferi, Phaſis ſcilicet Æthiopis, ſibi per crebra commercia notiſſimi. Hinc factum quoque exiſtimo, ut Phaſis item dictus ſit alter Mauritaniæ fluvius, a quo nomen habuit urbs inſignis Feſſa, cognominis regni caput. Teſtem habeo Leonem Africanum [7], qui cum geminam prodit nominis hujus originem, aliam ab auro in fundationibus hujus urbis reperto, aliam a fluvio præterlabente; nos utramque conjungimus, & fluvium auri ramenta in arenis trahentem intelligendum eſſe ſuſpicamur. Huc pertinet inſigne teſtimonium ex Scholiis Apollonii [8] Rhodii, ex quibus cognoſcimus tradidiſſe Hecatæum Mileſium, Argonautas ex Phaſi in Oceanum, inde in Nilum penetraſſe. Quod etſi falſum eſſe docuit Artemidorus Epheſius, uti certe eſt, apparet tamen erroris cauſſam in eo eſſe poſitam, quod Phaſin Colchidos cum Phaſi Æthiopiæ confudit Hecatæus.

[5] Boch. Phal. lib. 4. cap. 31.
[6] Leo Afr. deſcript. Afric. lib. 3.
[7] Apollon. Argon. lib. 4.

V. Quis putet denique Scriptorem ſacrum Salomonis res geſtas, navigationeſque ſingulatim & accurate perſequentem, navigationes in Paz, & Uphaz, & Parvajim ſilen-

silentio pressisse? Sive enim in India regiones illæ ponantur, sive in Perside, sive in Colchide, (quod in tanta opinionum varietate miror nemini in mentem venisse, cum Salomone antiquior fuerit Argonautarum expeditio; & circa Colchidim fluvii reperiantur Ophis & Opharus, originem nominis communem habentes cum Ophir; nec credibile sit regionem auriferam jam Græcis cognitam & lustratam Phœnices neglexisse] sive alio quocunque loco, an non digna res erat, cujus memoria posteris traderetur? Nempe silentii caussa hæc erat, quod notata navigatione in Ophir, hoc ipso navigationes in Paz, & Uphaz, & Parvajim notatæ quoque erant.

VI. Longe alia vero proponit Salmasius. Agnoscit quidem Paz & Ophaz esse locorum nomina: at Paz idem quoque esse vult ac τοπάζιον gemmam, cognominem insulæ Arabicæ Topazo, ubi reperiebatur, quæ & πάζιον appellabatur; id probat testimonio Hesychii, cujus hæc verba sunt: πάζιον, ὃ καὶ τοπάζιον, λίθος πολύτιμος. Unde colligit Salmasius [1] insulam, ex qua ista petebantur, dictam fuisse Pazon & Topazon. Certe Paz non potest esse Topazos Arabica insula. Hanc lapidis Topazii proventu nobilem fuisse testantur omnes, auri nemo. At Paz tamen aurum esse, a loco Paz dictum, illic ipse asseverat Salmasius, & Interpretes ferme omnes; exceptis perpaucis, qui lapidem pretiosum reddiderunt: Causa erroris Salmasio fuit locus Hesychii, docti Grammatici, qui πάζιον & τοπάζιον idem esse scifcit. Hesychio fraudi videtur fuisse, quod vocabulo πάζιον cum præfixum articulum τό aliquando reperisset, τό πάζιον quod idem sane est ac πάζιον, quodque articulo τό ac nomine πάζιον constat, confudit cum vocabulo τοπάζιον, quod longe aliud est. Τοπάζιον lapis est ille pretiosus, Ebræis dictus פטרה, unde est topazii nomen, per literarum metathesim, quod acute vidit doctissimus Braunius [2]. At τό πάζιον est Paz, hoc est aurum. Illuc quoque videntur impegisse Librorum sacrorum Interpretes, qui Paz reddiderunt lapidem pretiosum. Quod si conjectura nostra vana est, & reipsa scripserunt Interpretes τοπάζιον, facile credimus vocum πάζιον & τοπάζιον, affinitate deceptos, utramque confudisse. Videat ergo Salmasius, quam recte hinc concludat insulam ipsam, unde proveniebant lapides Topazii, dictam esse Pazon & Topazon. Hanc conjecturam fulcire conatur auctoritate Alexandri Polyhistoris, qua utitur Stephanus Byzantius [3] his verbis: ἀλέξανδρος ὁ πολυΐστωρ φησὶν εὑρίσκεσθαι καὶ ἐν τῇ τῶν τοπαζίων νήσῳ, λίθον ὁμώνυμον τῇ νήσῳ pro quibus legi jubet Salmasius, ἐν τῇ τῶν παζίων νήσῳ. Cuinam vero persuaserit Stephanum de Topazio agentem, verba attulisse, quæ nihil ad Topazium, sed ad Pazios pertineant, Lectore prius non admonito, Topazium alio nomine Pazium dici?

[1] Salm. in Solin. pag. 1083. 1084.
[2] Braun. De Vest. Sacerd. Ebr. lib. 2. cap. 9. §. 6.
[3] Steph. in Τοπάζιος.

VII. Quod autem ab eo in hac ipsa dissertatione, atque etiam Grotio, Topazos, sive Topazios insula locatur in India, auctore Stephano [4], atque item Epiphanio, [5] qui Topazium gemmam nasci scribit in Topaza urbe Indiæ, ne cui hallucinationis aut offensionis caussam darent, Lectorem docere debuerat porrigi a veteribus Indici maris fines intra mare Rubrum; adeo ut in mari Rubro posita Topazios insula, maris quoque Indici insula recte dicta sit. Cæterum Topazon insulam, cui gemmæ Topazii natales adscribendi sint juxta Epiphanium, circa oram Indiæ nullam esse, vel id maxime ostendit, quod Topazius ille lapis, non is quem hodie ita vocamus, quique vere est Chrysolithus, sed Topazius veterum, in Arabica insula provenire, non in India credebatur.

[4] Steph. in Τοπάζιος.
[5] Epiph. De XII. gemm. cap. 2.

VIII. Acute sane id quoque, at non perinde vere commentus est Salmasius, insulam Arabici sinus Ophioden, Agatharchidi [6], Diodoro [7], & Straboni [8] memoratam, id ipsum esse, quod Uphaz sive Ophaz sacri Codices appellant: quæ cum Topazium lapidem ferret, hinc agnosci esse insulam Topazon, Paz videlicet: ita Paz & Ophaz, Topazon & Ophioden idem esse; & ex nomine Ophaz confictum Ophiodis nomen, & inde contextam fabulam de serpentibus quibus olim scatebat [9]. At censebit aliter, qui ad Diodori verba attenderit: ait enim Topaziorum scrutandorum caussa peste hac liberatam fuisse insulam ab Alexandrinis regibus, quorum genus nondum extinctum erat, cum hæc scriberet: ut in tam recenti memoria mendacio locus non fuerit.

[6] Agatharch. apud Phot. Tm. 250.
[7] Diodor. lib. 3.
[8] Strab. lib. 16.
[9] Salmas. in Solin. p. 1083.

IX. Nec in Taprobane Paz, Uphaz, & Parvajim quærenda sunt, quod a Bocharto factum est: nam superius ostendimus navigationem hanc silentio prætermissurum non fuisse Scriptorem sacrum, si regiones hæ aliæ fuissent quam Ophir vel Tharsis, cum navigationes in hæc loca susceptas tam accurate distinxerit. Præterea clarissimis verbis definit Bochartus [10] nondum Ebræis exploratam fuisse Taprobanem, neque Indiam Jobi temporibus. Atqui in libro Jobi [11] manifesta fit mentio Paz. Fateatur ergo necesse est Paz non esse in Taprobane.

[10] Boch. Phal. lib. 2. cap. 27. Chan. lib. 1. cap. 46.
[11] Job. 28. 17.

X. Vo-

X. Vocis ſolummodo ſonum ſunt ſecuti, qui Parvajim voluerunt eſſe Parbatiam: nulla ſitus ratione habita, nec cæterarum rerum, quæ Parvajim ſignant. Nam qui Parbatiæ meminit Plinius [1], longe eam videtur a mari in Mediterranea ſummovere. Sed nec Parbatiam quidem appellat Plinius, verum Barbatiam: quamquam leve hoc eſſet diſcrimen, ſi cætera conſentirent.

XI. Ex vocabulo מופז *Muphaz*, quod unico tantum loco [2] ſacri Codicis extat auro tributum, quodque a verbo פזז magno conſenſu derivant Grammatici, colligat aliquis indidem ex פזז prodiiſſe Paz & Uphaz; non ex Ophir. Mihi vero ex aliis Librorum ſacrorum locis ſit veriſimile legendum מאופז *de Uphaz*, vel מפז *de Paz*, ut hæc ſit loci ſententia: *Et fecit* (Salomon) *ſolium eburneum grande*, *& obduxit illud auro de Uphaz*, vel *de Paz*. Sic videtur legiſſe Interpres Arabs, dum vertit, *auro quod ei advectum fuerat ex India*. Sic Syrus, dum vertit *auro de Ophir*. Emendationem noſtram confirmat Jeremias [3], qui ſcribit itidem זהב מאופז *aurum de Uphaz*: quod & Senes ſeptuaginta reddiderunt, χρυσίον μωφάζ, atque item Arabs: quaſi & illic legerint מופז forma contracta, pro מאופז.

XII. Haudquaquam vero prætermittendum eſt, quod habent Interpretes quidam *Cephaz*, & *Cephaz*, pro eo quod in exemplari Ebraico legitur כתם פז, velut in Cantico Canticorum [4], ubi reddiderunt Septuaginta Interpretes χρυσίον κεφάζ, & in Codice Alexandrino καιφάζ, & in Æthiope Interprete, *aurum Cephaz*. Sunt qui ſcripſerint idem reperiri in codice Vaticano Septuaginta Interpretum, ad eum Danielis [5] locum, ubi legitur אופז. Quod non aliunde ortum puto, quam ex errore librariorum, qui duo vocabula כתם פז, & ut in Hexaplis Origenis deſcripta erant, κεθὲμ φάζ, in unum hoc contraxerunt κεφάζ. Atque hic videtur error jam inde a Rheticii Auguſtodunenſis temporibus in priſcis codicibus inoleviſſe: quem carpit Hieronymus [6], quod in Commentariis in Canticum ſcripſerit Paz eſſe Petrum, qui vocatus eſt Cephaz.

XIII. Superioribus id quoque facit fidem, quod loca pleraque aurifera ab Ophir & Paz traxerunt nomina. Velut Hiſpania, cujus divitias, auri & argenti venas, aliorumque metallorum copiam paſſim prædicat Strabo [7], eam ob rem Iberia videtur eſſe dicta, & nobilis ejus fluvius Iberus nomine ex Ophir derivato. Indidem detortum Hebri nomen, Thraciæ fluvii, auri ramenta volventis. Indidem & Hermi qui Pactolum excipit, quorum aurifer eſt uterque: item Bermii, Phrygiæ montis, cujus auro dives fuit Midas: & Sipyli montis, cui perinde ut Sophalæ nomen ex Ophir contigit: & Hippuri portus Taprobanes, inſulæ auri fertilis. Elementa enim, quibus voces illæ conſtant, facile permutantur. Adde & nomina Ophis & Ophari fluviorum circa Colchidem regionem auriferam labentium.

XIV. Ex Paz quoque loca plurima, auri proventu nobilia nomen duxerunt: velut Phaſis fluvius, & urbs Colchidis; fluvius item & ſinus Taprobanes; & Fiſſa, fluvius & urbs Mauritaniæ, de quibus dixi ſupra. Beſſi quoque Thracica gens, quorum regio auri ferax eſt, propterea que metallarii ipſi, Romanos metalla ſcrutandi & eruendi artem docuerunt: nec non Padus, quem inter flumina aurifera recenſet Plinius [8]. Paſitigrin vocabulum habere ex Tigris & Phiſonis nominibus diximus in libro noſtro de ſitu Paradiſi terreſtris [9], neque nos pœnitet originationis hujus. Quam tamen ſi quis reſpuat, at aliam opportune repetat ex voce Paz: auri quippe metalla fuiſſe apud Aſſyrios teſtem citamus Lucanum [10].

XV. An etiam Ophir, & Paz in appellativa nomina uſu tranſierint, certant Interpretes, & aſſeverat Hieronymus [11], & qui Hieronymum ſecuti ſunt longe plurimi. Nec res caret exemplis. Rha Ponticum, a Rha fluvio nomen tulit; Piſtacia a Pittace, non, ut quidam putant, Pittace a Piſtaciis; Smaragdus a Smargad; Tharſis gemma a Tharſis regione, Magnes a Magneſia. Sexcenta occurrunt hujuſmodi. Neque idem tamen de Ophir & Paz dicendum putamus. Octo omnino locis Ophir commemorant ſancti Scriptores. Unico eo tantum, qui eſt in libro Jobi [12], pro nomine appellativo videtur ſumi poſſe, ſi ſic interpretere: *Et pones ſuper pulverem aurum & Ophir in rupe torrentium*: nam ſi ita vertas, uti verti debent: *& in rupe torrentes Ophir*. Paz vero & Tharſis fatemur nonnumquam eſſe appellativa.

1 Plin. lib. 6. cap. 28.
2 3. Reg. 10. 18.
3 Jer. 10. 9.
4 Cant. 5. 11.
5 Dan. 10. 5.
6 Hier. Epiſt. 33. ad Marcellam.
7 Strab. lib. 3. 5. 15.
8 Plin. lib. 33. cap. 4.
9 De ſit. Parad. terr. cap. 7. §. 14.
10 Lucan. Pharſ. lib. 4.
11 Hieron. Epiſt. 140. ad Princ. & in Iſa. 13. & in Jerem. 10.
12 Job. 22. 24.

CAPUT VI.

De mercibus Ophiranis.

I. *Distinguuntur merces Ophiranæ a Tharsissiis*. II. *De auro*. III. *De summa auri, quæ Salomoni ex navigationibus proveniebat*. IV. *De lignis Almuggim*. V. *quæ videntur esse Thya*. VI. *Thya videtur esse Citrus, quæ est de genere cedrorum*. VII. *Refelluntur opiniones & argumenta adversariorum. Primum argumentum: Thyam nasci in Syria sine caussa negat Pineda*. VIII. *Secundum argumentum: Ligna Almuggim non sunt coralia, contra Jonathanem, & plerosque Rabbinos*. IX. *Tertium argumentum: neque ligna Brasilica, contra Syrum & Arabem Interpretes Librorum sacrorum*. X. *Quartum argumentum: neque Ebenus*. XI. *Quintum argumentum: neque ligna Setim*. XII. *Sextum argumentum: neque papyrus, contra Monachium*. XIII. *De gemmis Ophiranis*.

I. PRotinus agemus de iis mercibus, quarum caussa longinquas istas regiones, Ophir & Tharsis Salomonicæ naves adibant. Ac primum quid utraque hæc regio præbuerit, quid singulæ, distinguendum est. Sic liber Regum tertius [1], de prima illa Tyriorum & Israelitarum navigatione in Ophir: *Qui cum venissent in Ophir, sumtum inde aurum quadringentorum viginti talentorum detulerunt ad Regem Salomonem*. Tum deinde [2]: *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna Thyina* (Ebraica habent Almuggim) *multa nimis, & gemmas pretiosas*. Sic vero de navigatione in Tharsis [3]: *Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis; quia classis regis per mare, cum classe Hiram, semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum, & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pavos*. (Ebraica habent Tukkiim.) Quibus adde isthæc [4]: *Rex Josaphat fecerat classes in mari, quæ navigarent in Ophir propter aurum*. Ex Ophir igitur potissimum, sed & ex Tharsis proveniebat aurum; ex Ophir, ligna thyina & gemmæ: ex Tharsis, argentum, ebur, simii, & Thukkim.

II. At auri potissimum comparandi caussa, & fortasse etiam argenti, susceptæ videntur fuisse longinquæ illæ peregrinationes; cætera conquisita obiter, & data occasione: ista ad quæstum & opes: hæc ad ornamentum & delicias. Auri autem quam ferax fuerit Ophira, hoc est ora omnis illa, a mari usque Rubro, ad extremum promontorium, quod meridiem spectat, satis supra ostendimus. Abuterer, & meo, & Lectorum otio, si peregrinatorum omnium testimonia converterem. Nec ideo tamen Hieronymum [5] sequar, aliosque multos, ejusdem sententiæ participes, cum aurum obrisum sic dictum putat, quasi Ophirisum, verisimili originatione, nec tamen vera, ut pridem viderunt viri docti. Nec minor fuit ubertas auri in occidentali litore Africæ, quod Tharsis esse diximus; a fine præcipue meridiano Africæ, ad promuntorium usque quod viride appellant; maximeque in regionibus Gambeæ & Guineæ. Adeo ut ora omnis hæc ex auri copia, quæ illic nascitur, Aurea cognomento dicta sit. Aurum illud in pulverem comminutum hodie distrahitur. Ramenta vero hæc auri التبر *Altibro* Arabes appellant, a radice שבר quod est *confregit*. Unde Lusitanis mercatoribus aurum illud a Tibar cognomen habet. Aurum quoque dat superior ora quæ vergit ad Septentriones. Diximus supra Fessam dictam a flumine ejusdem nominis, flumen ab auro. Fontem, paludem, & fluvium in Libya esse narrat Achilles Tatius in Eroticis [6], quorum arena atque limus scatent auro. Non ebur solum, sed & aurum & ebenum victos a se Æthiopes sibi pendere Sesostrin coegisse scribit Diodorus [7]. Roboami autem æqualem fuisse Sesostrin discere licet ex Josepho [8]. Nec aliud denique significari putandum est malis aurei Hesperidum, quam aurum regionum illarum. Quamobrem Africam adiri suadet Theodoretus [9], si quis cupidus est divitiarum. Insigniter ergo fallitur Strabo [10], cum Æthiopes ad Oceanum sitos auro & argento carere asseverat. Nec reprehensione caret Bochartus [11], cum veteres ignorasse contendit Africam abundare metallis. Neque id conficit testimonium Lucani [12], quod recitat; sed hoc tantum, de re sibi incomperta Lucanum leviter pronuntiasse. Pari temeritate nullos in Libya esse fontes Lucanus idem pronunciat, cum fluvii complures inde orti in mare Mediterraneum prorumpant. At commodius etiam Lucanum interpretabimur, si dicamus Libyæ septentrionalem solum & maritimam signasse oram, non interiorem & mediterraneam. Hispania demum, quæ postrema pars est Tharsissiorum litorum, tota ferme scatet metallis auri, argenti, æris, ferri, plum-

[1] 3. Reg. 9. 26. & seq.
[2] 3. Reg. 10. 11. & seq. & 2. Par. 9. 10. & seq.
[3] 3. Reg. 10. 21. & seq. & 2. Par. 9. 21.
[4] 3. Reg. 22. 49.
[5] Hieron. Epist. 40. ad Princ. & in Isa. 13.
[6] Achill. Tat. Erotic. lib. 2.
[7] Diodor. lib. 1.
[8] Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 4.
[9] Theodoret. lib. 3. in Jerem. cap. 20.
[10] Strab. lib. 1.
[11] Boch. Phal. Præf. & lib. 3. cap. 7.
[12] Lucan. lib. 9.

plumbi atque ſtanni. Teſtantur idem veteres magno conſenſu; Strabo [1], Stephanus [2], Mela [3], Silius [4], Plinius [5], & alii.

III. De ſumma auri, quæ Salomoni ex navigationibus proveniebat, diſcrepare videntur Scriptores ſacri. Nam auctor libri Regum [6] ex Ophir allata ſcribit auri talenta quadringenta & viginti: auctor vero Paralipomenon [7], quadringenta & quinquaginta. Cauſſæ diſcrepantiæ hujus afferuntur multæ; ex certis argumentis nullæ. Cognoſci eæ poſſunt apud Interpretes. Unam ego afferam, quæ mihi omnium videtur veriſimillima. Ortam diſſenſionem puto ex convenientia & ſimilitudine litterarum Hebraicarum Caph & Nun, quarum illa viginti, hæc quinquaginta ſignificat. Notum eſt iis, qui in librorum tractatione verſati ſunt, nullibi peccari frequentius a librariis, quam in exprimendis numerorum notis. Hinc tot repugnantiæ in temporum locorumve deſcriptionibus. Vel hoc ipſo loco Paralipomenon [8], quem indicavimus, in quo & Hebraica, & Græca Septuaginta Senum habent, quadringenta & quinquaginta talenta auri, an non & Syrus Interpres, & Arabs quadringenta ſolum præferunt talenta, quæ deinde commemorantur ab iiſdem ſcriptoribus, non Ophiranos proventus, ſeorſum ſpectant, ſed omnes redditus Salomonis. Cumque ſcripſit Joſephus [9]: ὁ δὲ τοῦ χρυσοῦ σταθμὸς τοῦ κομισθέντος αὐτῷ τάλαντα ἑξακόσια, καὶ ἑξήκοντα, καὶ ἕξ, cave adhærens Latino Interpreti, a quo peſſime hæc reddita ſunt: *Eadem claſſis attulit regi auri talenta, ſexcenta ſexaginta ſex*. Non enim de auro agitur, quod ex Ophir claſſis, ſed quod ex redditibus aſſuetis procuratores ad eum afferebant. In quo miror peccare Villalpandum [10], hominem pereruditum, Joſephi verba torquentem in perverſum hunc ſenſum. Sed & alii multi hæc ſexcenta ſexaginta ſex talenta, navigationum fructus fuiſſe cenſent, cum nullum eorum extet in ſacro contextu veſtigium.

IV. Altera Ophirana merx fuerunt ligna Almuggim. Sic enim appellantur in libro Regum [11], cum Algummim habeant Paralipomena [12], tranſpoſitis literis, quod Ebræis frequens eſſe confirmat R. David Kimchi hoc loco libri Regum, exemplo vocabulorum כבש & כשב quorum eadem eſt notio. Sic Chaldæi חקלך & חלקך *agros* appellant. Sic regis Edeſſeni nomen ſcribitur *Agbarus* & *Abgarus*. Sic ex *Paraſgad*, dictæ ſunt *Paſargadæ* urbs Perſidis. Similia multa afferri poſſunt ex linguis exoticis, perinde ut ex Ebræis; ac præſertim ex Æthiopica lingua, quæ Ebraicas voces invertere amat. Itaque quod Ebræi *Almuggim* appellabant, videntur Æthiopes, unde lignum hujuſmodi proveniebat, Algummim appellaſſe; atque harum appellationum alteram retinuit auctor libri Regum, alteram auctor Paralipomenon. De iis autem ego ſic ſtatuo. Certum eſt non ita proprium fuiſſe Ophiræ regionis mercimonium iſtud, ut non aliunde quoque venerit. Salomon quippe mitti ſibi poſtulat [13] ex Libano ab Hiramo ligna cedrina, abiegna, & Algummim. Verum Ophirana Algummim alia dignitate ſuperabant. *Non ſunt allata hujuſmodi ligna Almuggim, neque viſa uſque in præſentem diem*: inquit Scriptor ſacer. [14]

V. Ex eodem quoque diſcimus idonea fuiſſe ad fabricam Templi Hieroſolymitani, & regię domus; item ad concinnanda muſica inſtrumenta. Atqui hos uſus omnes pręſtat thya arbor. Conſtructioni domorum utilis eſt: adverſus cariem & contumeliam vetuſtatis incorruptam ſe tuetur: criſpa radix & elegans, apta conficiendis pretioſiſſimis operibus: quas ipſi dotes adſcribit Plinius [15], Theophraſtum [16] ducem ſecutus, qui eam pręterea naſci perhibet in montium cacuminibus & locis frigidis. Hujuſmodi autem eſt Libanus. Hoc idem prope de cedris dixit, quarum copia & pręſtantia Libanum nobilitavit. Scio Bellonium ſenſiſſe & ſcripſiſſe thyam eſſe algoris impatientiſſimam, contra quam cedrus quę in alſioſis locis naſcitur, in eoque Theophraſtum ab eo reprehendi. Meum non eſt controverſiam hanc dirimere: ſed quibuſcunque locis gaudeat thya, ſive frigidis, ſive calidis, utriuſque generis loca prębet Libanus, mons ingens, crebris jugis & vallibus diſtinctus. Ad probandum autem lignum Almuggim eſſe thyam, opportunus eſt locus ex Apocalypſi [17], in quo manifeſto hoc pro illo uſurpatur, uti conſentiunt Interpretes; & ſic etiam qui libros Regum [18] & Paralipomenon [19] Latine vertit. Alio quoque loco Paralipomenon [20], Algummim interpretatur, *ligna pinea*, ſeptuaginta viros affectatus, qui habent ξύλα πεύκινα, nam πεύκη & πίτυς, hoc eſt, *picea* & *pinus* ſæpe confunduntur. At ſeptuaginta illi Interpretes πευκίνην reſinoſam, itidem ut thyam, & congenerem, verum notiorem pro minus nota uſurparunt. Hanc ſeptuaginta Senum interpretationem retinuit Joſephus [21]? Sed quam πευκίνην appellat, non eam intelligit, quæ vulgo hoc nomine cognita eſt, ſed aliam ficulnei ligni ſimilem, candidiorem tamen & lucidiorem. Ejus nomen cum non proferat, manifeſtum eſt, neque cedrum, neque thyam, neque citrum ſignaſſe, arbores ipſius ætate notiſſimas, ſed aliquam, vul-

[1] Strab. lib. 3.
[2] Stephan. in Ἰβηρία.
[3] Mela lib. 2. cap. 6.
[4] Silius lib. 1. 15. & 16.
[5] Plin. lib. 3. cap. 3. & 4.
[6] 3. Reg. 9. 28.
[7] 2. Par. 8. 18.
[8] 2. Paralip. 8. 18.
[9] Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 2.
[10] Villalp. in Ezech. Tom. 2. Part. 2. Diſp. 3. cap. 46.
[11] 1. Reg. 10. 11. 12.
[12] 2. Par. 28. & 9. 10. 11.
[13] 2. Paral. 2. 8.
[14] 3. Reg. 10. 12.
[15] Plin. lib. 13. c. 16.
[16] Theophr. lib. 5. ca. 5. Hiſt. Plant. & lib. 4. cap. 1. & l. 3. c. 12.
[17] Apoc. 18. 12.
[18] 3. Reg. 10. 11.
[19] 2. Par. 9. 10. 11.
[20] 2. Par. 2. 8.
[21] Joſeph. Antiq. lib. 8. cap. 2.

vulgo, ac ipsi fortassis incognitam. Alibi Seniores Septuaginta [1] Almuggim reddunt ξύλα πελέκητα. Sic enim legendum, non ἀπελέκητα, ut habent Codex Alexandrinus, & Theodoretus [2]. Ratio hujus interpretationis petenda est ex verbo מוג quod præter alia significat quoque *dissolvi*; nam quæ dolata, & exasciata sunt vel per securim in assulas comminuta, vere soluta dici possunt. Atque hinc recte putes Septuaginta illos legisse *Almuggim*, non *Algummim*.

VI. Porro Thya quid sit quæras, citrum esse responderim, non eam arborem, quæ fert Medica mala, sed illam, ex qua mensas pretiosas Romani subinde concinnarunt, quæ longe alia erat. Hæc recte indicavit & distinxit Plinius [3], ubi agit de Thya Theophrasti: nam post Ciceronem mensis fabricandis ait fuisse adhibitam, quod manifesto pertinet ad Citrum; aliam vero esse arborem, ejusdem nominis malum ferentem, execratum aliquibus odore & amaritudine; Medicum scilicet, cujus succos tristes appellat Virgilius [4], eadem sententia. Observare autem licet in Veterum scriptis materiariæ domorum fabricæ sæpe utilem fuisse, & Thyam, & citrum. Utriusque autem ferax fuit Africa, Thyæ Cyrenaica & Ammoniaca, citri Atlas mons, ut Almuggim Ophira. Citrus autem est de genere cedrorum: nec aliunde origo nominis. Nam quæ in Græcia cedrus, eadem citrus in Africa, & apud Romanos. Hoc veriloquium jam in mentem venerat Athenæo [5]. Hinc mensæ citreæ Veterum, quibusdam cedrinæ sunt dictæ: & mala Medica κεδρόμηλα, & citria promiscue appellarunt. Res ipse quoque facit indicium; nam cedrus, Vitruvio [6] teste, cupresseam habet foliaturam, perinde ut citrus, & in aliis multis conveniunt [7]. Nam & incorrupta fuit thya, non secus ac cedrus; & ex ea librorum folia olim concinnabantur, iisque inscriptum fuisse Evangelium Matthæi in sepulchro Barnabæ repertum narrat Suidas [8]. Porro cedrorum genus multiplex fuit. In quam vero cedrum potissimum conveniant, quæ de Almuggim scribunt libri Sacri, difficile est conjiciendo assequi. Mihi videtur vero proximum eam esse cedri speciem, quæ a resinæ copia & præstantia, præcipuam habuit commendationem. Nam Almuggim dicta sunt a liquore ex iis manante. Nempe a מוג quod est *liquefieri*, *liquescere*, *dissolvi*, præfixo articulo Arabico. Liquor ille *cedria* & cedrium dicitur, nam ea sæpe confunduntur a Vitruvio, & ab aliis. Hujus autem præclaræ sunt in re medica utilitates. Atque inde nomen transit ad resinam manantem ex aliis arboribus coniferis & oleosis. Hinc Arabes fecerunt suum قطران *Kitran*, quod notarunt Giggejus & Golius: etsi id locarunt sub radice قطر *stillavit*. Ex eo venit nostrum *Goudran*, & Hispanorum *Alkitran*. Sed & ex Algummim videtur prodisse Græcum κόμμι, quam vocem exoticam esse, non in Græcia natam, observant Grammatici.

VII. Magna quoque opinionum discrepantia est de significatione מסער & מסלורת quorum istud ex linguis Almuggim factum esse vult auctor libri Regum [9], hoc, auctor libri Paralipomenon [10]. Ad prius quod attinet, certum est verbum סער quæ radix est vocabuli מסער vulgo exponi a Gramaticis, *fulsit*, *sustentavit*. Unde efficitur מסער recte *Fulcrum* reddidisse Vulgatum Interpretem. At cum nimis late pateat *Fulcri* significatio, per vocem מסלורת coercetur intra significationem *viæ stratæ*, *exaggeratæ*, *eminentis*. Hinc lignorum Almuggim usus ille, præter cæteros, deprehenditur, ad sternendas vias porticuum, xystorum, & ambulationum Templi & palatiorum, ut ex iis fieret vel tessellatum, & sectile pavimentum; vel unius formæ & coloris. Rectissime omnium R. Selomo Jarchi, qui nulla circutione usus *pavimentum* vertit.

VIII. At enim, inquit Pineda [11], Thya non nascitur in Syria, sed tantum in Cyrenaica interiori. Nego id vero, neque ita de ea Plinius [12], quem sequitur. Ait enim præcipuam esse arborem hanc circa Ammonis delubrum; nasci & in interiori Cyrenaicæ parte; & sic Theophrastus [13], unde ista depromsit: & aliis etiam locis nasci non negant. Quod si Thya citrus est, ut visum est plurimis, & nos credimus, nascitur ea quoque in Mauritania. Tuto ergo dicere posumus, & in Libano, & in Sophala Thyam provenire.

IX. Algummim esse coralia statuit Jonathan, & alii plerique Rabbini. Quam ineptiam mirarer ipsis in mentem venisse, si Judæi non essent. An coralia fert Libanus, quæ non nisi in fundo maris nascuntur? An coraliis partes aliquæ domorum fiunt? an citharæ, aliaque instrumenta musica quæ fiebant ex Algummim? Coraliis, inquient, ornatæ erant trabes & citharæ, non materiatæ. Contra vero Auctor sacri voluminis [14]: *Fecitque rex de lignis Almuggim fulcrum domus Domini, & domus regiæ & citharas.*

X. Tolerabilior est sententia Syri interpretis librorum Regum, & Arabis interpretis Paralipomenon, qui Almuggim esse volunt ligna Brasilica. Procera enim arbor est, craf-

[1] 3. Reg. 10. 11.
[2] Theodoret. in 3. Reg. Interr. 35.
[3] Plin. lib. 13. cap. 16.
[4] Virgil. Georg. 2.
[5] Athen. l. 3.
[6] Vitruv. l. 2. cap. 9.
[7] Plin. l. 13. cap. 15.
[8] Suid. in θύϊνα.
[9] 1. Reg. 10. 12.
[10] 2. Par. 9. 10.
[11] Pined. De Reb. Salom. lib. 4. cap. 16.
[12] Plin. lib. 13. cap. 16.
[13] Theophr. Hist. Plant. lib. 5. cap. 5.
[14] 3. Reg. 10. 12.

crassissimo nonnunquam trunco, ligno crispo, & eximii coloris, unde tigna ac fulcra domorum fieri potuerunt. Verum nobilis adeo arbor silentio prætermissa utique non fuisset a Scriptoribus aut peregrinatoribus, si in Libano, aut omnino in Syria ullibi oriretur. Inde porro constat valde eos falli, qui putant Brasilicum lignum nomen habuisse a Brasilia regione Americæ; cum e contrario dicta sit regio isthæc a ligno, quod magna illic copia provenit: uti observatum est a Johanne Lerio [1]. Multo certe antiquiores fuerunt hi, quos dixi, Interpretes, & R. David Kimchi, qui & ligni hujus meminit, quam cognita esset America orbi nostro.

XI. Aliis placet Almuggim esse ebenum; cum nullam ferat ebenum Libanus; quæ nascitur cæteroquin in Æthiopia, cujus pars est Sophala, sive Ophir, unde eximia illa Almuggim petebantur. Solam quidem Indiam ferre ebenum cecinit Virgilius [2], quod & ex eo sumsit Solinus [3]. Virgilium fefellit Theophrastus, qui Indiæ propriam ebenum esse dixit: ἴδιον ἡ ἐβένη τῆς χώρας ταύτης. Atqui id non ita accipiendum est, quasi neget ebenum alibi nasci, quam in India illa Orientali; sed quod Indiæ nomine apud eum, perinde ut apud plerosque Veterum veniat etiam Æthiopia, quæ ebeni quoque ferax est, & cujus ebenum Indiæ præfert Dioscorides [4].

XII. Qui Algummim opinati sunt esse ligna Setim, quibus & Arca fœderis, & sacra Tabernaculi supellex constabat, neque quid sint Algummim, neque quid ligna Setim, satis norunt. Setim singulariter *Setta* dicuntur ab Isaia [5], *Spinam* reddidit Theodotion, & post Theodotionem Hieronymus [6], qui genus esse ait arboris nascentis in deserto, nimirum Arabiæ, Spinæ albæ similis, incorruptæ, levissimæ; solidæ tamen, robustæ, nitore & pulchritudine conspicuæ. In Exodo dicitur Sittim, numero plurali. Interpres Arabs reddit سنط *Sent*, quo notatur Spina Ægyptia. In Scala magna Ibno Cabar, a Kirchero edita, Copticum *Sont* exponitur Arabico *Sent*, & redditur a Kirchero *ligna Sethim*, apposite, & vere. Vere etiam, cum reddit spinam, modo Ægyptiam intelligas: non item, cum reddit *Santalum*, quod aliud est. Spinam autem Ægyptiam eandem esse putant plerique ac Acaciam; & سنط *acaciam*, exponit Golius. Atqui nihil horum fert Libanus, qui fert Almuggim: & Ægyptiacis opibus ac mercibus onusti Israelitæ, ad fabricam supellectilis sacræ ligna hujusmodi, quæ in sarcinis suis gestabant, facile contribuerunt. Adde Judæos statuere decem cedrorum species, quarum una est *Sitta*, alia Almuggim, ita hæc ab illa distinguentes.

XIII. Denique nec assentimur Monachio, populari nostro, Viro optimo & doctissimo, nobisque dum vixit, amicissimo, qui Algummim derivabat ex Ebraico vocabulo גמא, *juncus*; ex cujus plurali, præfixo articulo faciebat Algummim, qua papyrum Ægyptiacam volebat notari. An credamus vero prodiisse papyrum ex Libano monte; quam sciunt omnes non alibi nasci, quam in locis palustribus & humidis, & in ipsis aquis?

XIV. Tertiam mercem suppeditavit Ophir, lapides pretiosos: nam in celeberrimo hoc emporio dubium non est, quin ex India, & Arabia, & vicinia Æthiopia, & circumjacentibus locis delatæ fuerint gemmæ & margaritæ. Constat mercatores Arabes magno numero in oras Sopalæ vicinas confluxisse, sedesque posuisse, multo antequam illuc appulissent Lusitani. Margaritarum autem & gemmarum feracem fuisse Arabiam norunt omnes, atque item Indiam. Sed nec iis caruit Æthiopia. Apud Heliodorum [7] Chariclea monilia se gerere prædicat a matre sibi donata, in quibus Indici & Æthiopici lapides erant magni pretii, ac præcipue Pantarbe, quæ virtute sua ignis vim repellebat. Frequens apud eundem [8] mentio Smaragdinorum metallorum, ad Æthiopiam pertinentium. Idem habet Juba apud Plinium [9], aliique ex Veteribus, qui magnam ponunt Smaragdorum fœturam in confinio Ægypti, & Æthiopiæ. Adamantis ortum uni Æthiopiæ deberi ratos esse priscos auctores scripsit Plinius. Scimus quidem, & vetustis illis temporibus, ac multo etiam recentioribus creditum fuisse Æthiopes, vel Indis proximos esse, vel eandem esse gentem. Hinc fortasse error, cum præcipua sit Indicorum adamantum auctoritas. Sed tamen nobilissimam hanc gemmam dare quoque potuerunt olim Æthiopicæ terræ, cujus fodinæ deinde sint exhaustæ. Commemorat præterea Plinius [10] Æthiopicos carbunculos, hyacinthos, chrysolithos, hæmatites, sideropœcilos; item auctore Juba topazios. Ponit & Hammonis cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas, & bazaltem, sic dictum a ברזל quod est *ferrum*, cum sit ferrei coloris, & Achatem Thebis Ægyptiis reperiri solitum. Addunt alii Amethystum, Magnetem, & Heliotropium. Nec sibi fingat quisquam classes illas Salomonis & Hirami, negotiationis tantum & compendii caussa profectas, siquæ loca quæstuoso aliquo commercio nobilitata obiter se darent, qualia multa fuerunt ab utraque sinus Arabici parte, in oris

[1] Ler. Itin. Brasil. cap. 13.
[2] Virgil. 2. Georg.
[3] Solin. cap. 52.
[4] Dioscor. lib. 1. cap. 130.
[5] Isai. 41. 19.
[6] Hier. in Isa. 41. lib. 12.
[7] Heliod. Æthiop. lib. 4. & 8.
[8] Heliod. Æthiop. lib. 2. 8. 9. & 10.
[9] Plin. lib. 37. cap. 5.
[10] Plin. lib. 37. cap. 7. 9. 10. & 8.

oris superioris Ægypti & Arabiæ, quales item fuerunt insulæ Erythræi maris, Topazos, & quæ a Dioscoride nomen habere vulgo creditur, aliæque, hæc prætervectos neglexisse. Nunc vero vel exolevit jam diu pristina illa fecunditas Æthiopiæ, vel multum certe de industria sua incolæ remiserunt; nam ex Manuelis Almeidæ Jesuitæ narrationibus compertum habemus lapides pretiosos rem esse Æthiopibus hujus ætatis penitus ignotam.

CAPUT VII.

De mercibus Tarsissiis.

I. *De argento.* II. *De argento Involuto Jeremiæ 10. 9.* III. *De ebore Elephanti.* VI. *De ebore Hippopotami.* V. *De simiis.* VI. *De Thukkiim, qui multis videntur esse pavones, nec sunt tamen, sed psittaci.* VII. *De mancipiis Æthiopicis.* VIII. *De Tharsis gemma, sive Chrysolitho.*

I. EVolvimus Ophiranas merces, nunc Tharsissias explicemus, quarum prima est argentum. Id e Tharsis privatim repetit Scriptor sacer [1]: *Non erat argentum, nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis: quia classis regis per mare, & cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum, & simias & pavos.* Non negat tamen argentum ex Ophira quoque, vicinisque locis sumi potuisse. Sua argenti metalla habent Abyssini, sua habuit Syene, sua quædam maris Erythræi insulæ. Sua habere perhibetur Amara, regio Æthiopica. Unde ad utramque oram Africæ, & quæ ortum spectat, & quæ occasum, perfertur ab indigenis, & cum externis mercibus permutatur. Sed & sua sunt argenti metalla oræ Africæ occidentali. Memorantur ea præcipue, quæ habet regnum Angolanum. Quid ergo sibi voluit Strabo [2], cum dixit auri & argenti inopes esse Æthiopes? At cæteras omnes Tharsissias terras argenti copia longe superavit Hispania, de quo multa prædicant veteres. Legimus in priore Maccabaico [3], perlatum fuisse ad Judam Maccabæum de Romanis, *quanta fecerant in regione Hispaniæ, & quod in potestatem redegerunt metalla argenti & auri, quæ illic sunt.* Mirabile imprimis quod habet Aristoteles [4], tantam inde argenti vim sibi comparasse Phœnices, ut cum jam refertis eo navibus multum superesset, quod nec relinquere vellent, nec possent auferre, anchoras, aliaque multa navium armamenta argento conflarent: atque hoc potissimum mercimonio Phœnices maris imperium, & ingentes opes esse adeptos. Dignum plane est legere, quæ de his disserit Diodorus [5]: quod qui faxit, egregium operæ fructum feret.

[1] 3. Reg. 10. 21. 22.
[2] Strab. l. 1.
[3] 1. Macc. 8. 3.
[4] Arist. Mirab. nasc.
[5] Diodor. lib. 5.

II. Quid hoc est vero, quod habet Jeremias: *Argentum involutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz, opus artificis, & domus ærarii.* Pendent ista ex superioribus [6]: *Lignum de saltu præcidit, opus manus artificis in ascia. Argento & auro decoravit illud: clavis & malleis compegit, ut non dissolvatur.* Pro eo quod Vulgatus reddit, *involutum*, Ebraica habent מרקע a verbo רקע quod est, *dilatavit, extendit*, & proprie de metallis dicitur, quæ cudendo & fundendo in bracteas diducuntur. Hujusmodi autem bracteis aureis & argenteis obducebantur Deorum simulacra, jam inde a priscis illis temporibus. Hic mos pervenit ad Romanos, non statuas modo, sed & fulcra & lectos tricliniares operiendi tenuibus laminis argenteis: quorum servuli sæpe bracteas illas vernili astu derahebant. Bractearii & Bracteatores appellabantur bractearum hujusmodi addendarum periti. Argentum ergo involutum illud est, quod simulacro circumpositum erat. Par est hujus vocabuli usus sæpe apud Vitruvium [7]. *Involutum funem circa tympanum* dixit, *& in axe rotæ involutam catenam*: hoc est circumactam, circumvolutam. Septuaginta Interpretes editionis Complutensis habent ἀργύριον προσβλητον id est, *argentum adjectum, appositum*: optime ad sensum, si minus ad verbum; nam argentum illud in bracteas tenuatum appingebatur ad extimam operum superficiem.

[6] Jer. 10. 3. 4.
[7] Vitruv. lib. 10. cap. 4. & 9.

III. Dentes præterea elephautorum dabat Tharsis. Quibus cum penitus careat Hispania, manifestum est Tharsis non una Hispania contineri. At iis abundavit Africa jam a fabuloso ævo, cum parmam elephantino tergore obductam monstrarent Tingitani, & ab Antæo Herculis adversario, conditore suo, gestatam fuisse assevērarent. Et tanta quidem eboris in Africa ubertas fuit, ut qua confinis Æthiopiæ est,

eſt, poſtium vicem in domiciliis præbuiſſe dentes elephantorum, & pro ſepibus & palis in pecorum ſtabulis fuiſſe adhibitos tradiderit ex Guluſſa Polybius, ex Polybio Plinius [1]. Itaque divites eboris eſſe Æthiopes prædicat Strabo [2], cætera egentiſſimos. Quod tamen ſupra confutavimus. Vetuſtiſſimum autem ebur, ævo illi cognitum quod μυθικὸν appellant, unde humerus Pelopi concinnatus eſt, unde ornata fuit Menelai regia, & quod Homero [3] memoratum eſt, id omne Africanum fuit: nam Indiam, quæ ebur quoque mittit, Homero incognitam fuiſſe docet nos Strabo [4]. Pridem autem eboris notitiam, fortaſſe & uſum, Ebræi videntur habuiſſe. Nam docet nos Periplus Arriani, magnum ejus fuiſſe mercatum in emporiis Auſtrinis Arabici ſinus, occidenti obverſis, & in ora orientali Africæ. Cum autem Davidis ætate jam ad eos perveniſſet Ophiranum aurum, cur non etiam Ophiranum ebur? Nulla tamen eboris extat mentio in Libris ſacris ante tempora Salomonis; cum per ejus claſſes ex Africa ad eos advectum eſt. Et regnante deinde Roboamo Salomonis filio, auro & ebore conſtabant vectigalia Seſoſtri Ægyptiorum regi ab Æthiopibus pendi ſolita, poſtquam ab eo ſunt ſubacti. Nunc quoque ex mercis hujus copia, quam ſuppeditat Guinea, pars aliqua oræ maritimæ, Eburnea ex re appellatur; eaque abundat meridiana omnis Africa: adeo ut ad arces muniendas, claudendas domos, & hortos ſepiendos, dentibus elephantorum pro vallis & muris utantur.

[1] Plin. l. 8. cap. 10.
[2] Strab. l. 1.
[3] Homer. Iliad. δ. & Odyſſ. δ.
[4] Strab. l. 1.

IV. Nec ebur tantum elephantinum hic intelligi velim, ſed & quod dant Hippopotami, elephantino præſtantius & pretioſius. Nec enim Nilum ſolum, ſed & alios Africæ fluvios inſidet hæc bellua, ad ortum tendentes, & ad occaſum. Ex iiſdem fontibus tres maximi oriuntur amnes, Nilus, Cuama, & Zaires, quorum hic occaſum, ille ortum, Nilus ſeptentrionem petit; tres Hippopotamorum proventu nobiles. Eadem laus eſt aliorum quoque Africæ fluviorum, etiam tenuium, ac lacuum præterea & paludum. Atqui eboris hujus dignitas nota fuit Veteribus, ex eoque ſimulacri aurei Cybeles faciem Proconneſios fabricaſſe ſcribit Pauſanias [5]. Cum ergo pretioſa omnia colligerent inſtitores Salomonis, haudquaquam videntur vilius comparaſſe ebur, præſtantius neglexiſſe.

[5] Pauſan. Arcad.

V. Conſuluerunt ii quoque regis ſui deliciis, ſimioſque & Thukkiimos, quos Interpretes plurimi pavos eſſe volunt, ei oblectando ex Tharſis comparaverunt. Simiorum multa ſunt genera, quæ omnia nomine generali קופים continentur; unde origo vocabuli κῆπος, quo unica ſpecies ſignatur. Ita nomen generis hæſit in una ſpecie, ut alias ſæpe fit. Atqui uno ore conſentiunt Veteres, Cepum eſſe animal Æthiopicum, quod ab Agatharchide [6], Strabone [7], & Diodoro [8] deſcribitur, & omnis generis ſimiis refertam eſſe Africam, adeo ut iis veſcantur Zigantes, gens Libyæ finitima. Scimus item ex recentiorum hiſtoriis, magnos ſimiorum greges errare in Æthiopicis montibus, & pabulum anxie quærere: nec uſpiam tamen plures videri quam apud Nigritas, in occidentali latere Africæ, ut frequentia ipſa horum animalium, & varietas, ad hanc ſive prædam, ſive mercem Ebræos mercatores alliceret: Parum refert ad noſtrum inſtitutum, vocabuli קוף natales quærere, ſitne ortu Æthiopicum, an Ebraicum. Sunt qui velint cum ipſo animali nomen ex Æthiopia veniſſe. Quod ut nullo argumento aſſeveratur, ita vix ullo refelli poteſt. Sed tamen vocis קוף origo Ebraica profertur a Grammaticis, quæ & in Æthiopiam penetrare potuit. Nam Ægyptiorum propaginem eſſe conſtat Æthiopes, & Ebraiſmo perſperſam fuiſſe linguam Ægyptiam, & magnas Arabum copias, tranſmiſſo ſinu Arabico, Æthiopes armorum vi domuiſſe; ac proinde linguam ſuam, quæ Ebraicæ tradux eſt, apud eos diſſeminaſſe. Itaque in gemina ipſorum lingua, quarum alia ſancta eſt, vulgaris altera, clariſſima inſunt Ebraiſmi veſtigia.

[6] Agatarch. cap. 38. apud Phot. Tim. 250.
[7] Strab. l. 16. 17.
[8] Diodor. lib. 3.

VI. Quid ſint Thukkiim, multum diſputant Interpretes. Alii pavones, alii pſittacos eſſe volunt. In priorem tamen expoſitionem major pars inclinat; atque ipſi etiam Septuaginta Senes, ex Codicis Alexandrini fide. Quidam etiam, teſte Kimchio, reddunt גאטו מימון, *felem* μικώ, ut ſit ſimiorum genus alterum, & ab eo quod proxime notaverat, diverſum. Nam μικώ ſimium ſonat. Ex quibus apparet quæſtionis obſcuritas. Mihi quidem parum probantur argumenta, quibus Thukkiim pavos eſſe concludunt. Cum ſcripſit Mercerus ſic dictos per onomatopœam, docere nos debuerat, quomodo ad pavonem pertineat vocabuli hujus ſonus. Id ſiquis de voce Græca ταῶς affirmaret, aſſentirer lubens, nam id ipſum aperte ſonat aſſiduus ille & importunus pavonum clangor. Præterea cum pavo ſit avis Indicæ originis, unde in Babyloniam, Perſidem & Mediam propagata eſt: quæ cauſſa videtur fuiſſe Theophraſto, cur in Aſiam pavones invectitios eſſe dixerit, quaſi extra Aſiam, & velut alius orbis fuerit India, vehemens mihi inſidet ſuſpicio, nondum in Palæſtinam penetraſſe

Salo-

Salomonis ævo. Factum id, ni fallor, per bella Aſſyriorum, & Perſarum adverſus Ebræos; unde Phœnicum opera in occidentem ſunt devecti; ac potiſſimum in Græciam, circa Periclis ætatem, ut opinatur Bochartus [1], quingentis circiter & quinquaginta annis poſt Salomonem. Nec utique tamdiu nobiliſſimam hanc volucrem Europæ communicare neglexiſſent Phœnices, gens attenta ad rem ſuam, & quæſtui minimas etiam res habere ſolita. Quin & raro viſos eſſe pavones in Græcia, etiam Alexandri temporibus, & in Palæſtina quoque, & in Media, Babylonia, & Perſide, plane intelligas ex ejus hiſtoria; nam cum veniſſet in Indiam, ad eorum conſpectum valde obſtupuit, quaſi ad conſpectum rei non ante ſibi viſæ. Vidiſſet autem in iis regionibus, quas victoriis ſuis peragraverat, niſi perraræ illic fuiſſent; nec fuiſſent ſane, ſi ab ætate Salomonis generando propagaſſent ſtirpem ſuam, & naturali incremento auxiſſent.

Longe igitur mihi ſit probabilius, Tukkiim eſſe pſitaccos: a radice תכה, quam proponunt Pagninus & Schindlerus; unde in Pual fit תכה hoc eſt *conjungi*, *adhærere*, vel quod ſerpentum metu, nidum ramorum ſummitati conjungere & adnectere ſoleat; vel potius quod avis hæc roſtro & unguibus ita ramis adhæreſcat, ut vix abjungi poſſit. Quaſi dicas, *Adhæſor*. Plurimæ certe aves nomina ex proprietatibus habent. Sic *mergus* dicitur, a *mergendo*, *merula*, *quod mera*, *id eſt ſola volitat*, inquit Varro [2], unde ἐρημόφιλος appellatur in Anthologia [3]; *accipiter*, & apud Lucilium *acceptor*, ab *accipiendo*; & capus apud ſcriptores inferioris ævi, a capiendo, & δοχάς a Græcis, ut habent Gloſſæ veteres, ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι. Porro Æthiopum ac Nigritarum montes & Sylvas frequentant magna pſittacorum examina, & in Æthiopia ex Gagaude Inſula, inter Meroen & Syenem Pſittacos primum viſos prodit Plinius [4]. Nec dubitare poſſumus, quin Pſaphon ille Libycus, qui tot vocales aves nomen ſuum proferre, ſibique divinitatem tribuere docuit, ut res abierit in proverbium, pſittacos in his aluerit, avem indigenam, & omnium quotquot ſunt maxime vocalem. Scio & in Africa pavones reperiri; nam in Libya ſacros fuiſſe perhibet Euſtathius [5]; & multatum, ſiquis eos læſiſſet: ſed longe minori numero fuiſſe, quam pſitaccos. Cum autem tanta conſenſione Veteres pſittacorum ortum Indiæ tribuant, non ſola illa India ad Orientem ſita intelligenda eſt, ſed aliquando etiam Æthiopia, quæ ſæpe cum illa confunditur, vel ei conjungitur: nam Indiam & Æthiopiam verſus Euronotum longiſſime porrigebant. Quod vel maxime patet ex Philoſtorgio [6], & qui eum affectatus eſt Nicephoro [7]; qui clima illud, quod inclinat ad ortum & meridiem, edere pſittacos ajunt. Vere utique, nam & India quæ ortui ſubjacet, & Æthiopia quæ meridiei, pſittacos edunt. Nec minor cauſa erat, cur ad voluptatem Salomonis compararentur pſittaci, quam pavones; non ob eximiam modo colorum varietatem, quos pennis præferunt, & *Quos non gemmata volucris Junonia cauda Vinceret effectu* [8]; ſed multo magis propter linguam, loquelæ humanæ imitatricem. His autem deliciis carere populares ſuos; Ebræoſque vicinos non ſiviſſet Phœnicum induſtria, crebro in Africam navigantium, nec quicquam per orbem ſibi frequentatum prætermittentium, ſiquid occurreret, unde lucelli captandi ſpes aliqua ſe oſtentaret. Sed & notitiam avis hujus habere potuerant Iſraelitæ per Ægyptios, apud quos diu fuerant inquilini, & in quorum finibus naſci pſittacos diximus.

Adverſus ea objicies Arriani [9] locum, quo ex Nearchi, unius ex Alexandri ducibus teſtimonio narrat de pſittacis, idem quod ſupra diximus de pavonibus, nempe valde miratos eos eſſe in India, hanc avem verba humana conantem: unde concludas viſam ipſis antea non fuiſſe, nec proinde in Græciam, aliaſque regiones, quas in oriente ſibi ſubjecerat Alexander, fuiſſe antea illatas. At non ita eſt, nam cum magna ſit volucrum illarum varietas, aliæque aliis & plumarum verſicolorum decore, & loquelæ peritia longe præſtent, videntur Græci, qui erant in comitatu Alexandri, non aves ipſas, ſed eximiam avium illarum Indicarum formam, vel ſingularem vocum humanarum exprimendarum artem eſſe mirati. Uti quoſdam in America ferunt repertos eſſe pſittacos, tam apte ad quæſita reſpondentes, ut propemodum rationis crederentur eſſe participes, & qui adſtabant veteris orbis homines valde mirarentur, non novitatem avium, quarum ſimiles viderant alibi bene multas, ſed novitatem rei. Pavones vero unius fere generis ſunt omnes, uniuſque formæ, ut qui unum viderit, omnes viderit. Certe quum Alexander pervagaretur Aſſyriam; cujus provincia eſt Sittacene, Pſittacos regionis illius incolas, ab eaque nomen adeptos, potuit cognoſcere. Nam & Pſittace, & Sittace, & Pittace dicta eſt, ita & Pſittaci, & Sittaci, atque etiam Pittaci. Hanc autem regionem in animo habuit Diodorus, cum ſcripſit in extremo Syriæ limite pſittacos naſci. Aſſyriam intellige, quæ ſæpe apud Veteres Syriæ nomen uſurpavit.

[1] Boch. Hieroz. Part. 2. lib. 1. cap. 20.
[2] Varr. De LL. lib. 4.
[3] Anthol. lib. 1. cap. 60.
[4] Plin. l. 6. cap. 29.
[5] Euſtath. in Iliad. χ.
[6] Philoſtorg. lib. 3.
[7] Niceph. Hiſt. Eccl. lib. 9.
[8] Stat. Sylv. lib. 2. in Pſittac. Melior.
[9] Arrian. Indic.

VII. Ad

VII. Ad merces a Scriptore sacro commemoratas aliam adjecit Josephus [1], sive ex conjectura, sive quod potius crediderim, ex vetustioribus monumentis; Æthiopes scilicet ex Tharsis advectos. Unde certo scias Tharsis Josepho fuisse Africam. Porro opinari possumus Salomoni visum esse mancipiorum illorum ministerium utile, ad servandos tot uxorum & pellicum greges, & cum minori suspicione ob nigrorem & deformitatem: præsertim si accessisset εὐνουχισμός. Quod & factum. Talis enim fuit Abdemelech, apud Sedeciam regem Juda. Ut sileam Eunuchum Æthiopem Candaces. Deinde manavit ad gentes plurimas usus servulorum, & ancillarum ex Æthiopia. Hujusmodi pedissequo utitur vir gloriolæ auceps apud Theophrastum [2]. Indidem ancillam sibi poscit meretrix apud Terentium [3]. Lampades a pueris Æthiopibus præferuntur in convivio Cleopatræ, apud Athenæum [4]. Servuli Mauri & quibus nolis per mediam noctem ocurrere, dant pocula apud Juvenalem [5]. Mancipiorum ex Mauritania mentio fit in Veteri Descriptione orbis [6] a Gothofredo edita, quæ sub Constantio, & Costante lucubrata est. Plurima nunc etiam Æthiopica servitia apud nos sunt; & velut ad tristissimum famulatum damnata misera illa gens malis iis hodieque ab Hispanis, aliisque Europæis affici pergit, quibus affici cœpta est ab institoribus Phœnicibus & Ebræis, ævo Salomonis; vili enim pretio a parentibus, agnatisque venditi, & in Americam delati, durissimis ibi ministeriis addicuntur. Ita Noachici Vaticinii veritatem in se comprobat infelix illa Chami propago, Semi & Japheti posteris in æternam servitutem mancipata. Nam & in oris Africæ Orientalis, sed & in Arabia quoque, sequentibus annis, venalia prostabant mancipia utriusque sexus, & ab Ægyptiis, aliisque maris Erythræi mercatoribus, emebantur.

VIII. Inter Tharsissia mercimonia, vel nominis gratia, vindicat sibi locum Tharsis gemma, quæ Logio, sive Pectorali Pontificis adnecti merita est [7]. Vix enim dubitare licet, quin a natalium suorum loco nomen id habuerit, ut *Smaragdus* a *Smargad*; *Magnes* a *Magnesia*. Tharsis autem esse Chrysolithum constans est veterum opinio. Sic in Exodo [8] reddiderunt Interpretes septuaginta; sic Vulgatus; sic Aquila; sic Josephus [9]; sic Hieronymus [10]; sic Epiphanius [11]. Hos sequuntur recentiores magno numero, rationesque sui consensus dant argutas atque graves. Atqui Chrysolithos proferebant eæ regiones, quas nomine Tharsis venisse diximus; Æthiopia nimirum, teste Plinio [12]; & Hispania, teste apud Plinium Boccho.

Atenim præsentio contradictiones multorum, negantium ætate Mosis, qua Logion Pontificis contextum est, Tharsis, hoc est Africam Occidentalem, & Hispaniam, Phœnicum navibus fuisse frequentatas. Attendant vero ad dissociationem gentium a Mose descriptam, in qua Noachi filius ponitur Japphethus, Japheti Javan, Javanis Tharsis. Sic Japheti, qui Diluvii tempore vixit, nepos fuit Tharsis. Is autem non multo post Diluvium sedes sibi destinatas quæsivit. Pervulgata autem sententia est, Japheti posteros Europam tenuisse; ut Asiam Semi, Africam Chami nepotes. Nec ita tamen se intra regionum illarum fines continuerunt, ut proximas quoque, prout ipsis opportunæ visæ sunt, insidere religio fuerit. Itaque Tharsissii finitiam Africæ litora invaserunt: quemadmodum & ex Africa Æthiopes transierunt in Hispaniæ oras. Credibile vero est Chananæos, cum omnia ad navigationem necessaria subministraret ipsis sua regio, copiosam ad ædificandas classes ex Libano materiem, cæteraque iis instruendis utilia, stationes navibus fidas, liberum & patens mare, opportunitatibus iis usos esse, statim atque maris Mediterranei accolæ facti sunt, & compendia, cum ex aliis regionibus, tum maxime ex iis petiisse, unde ingentia peti posse sciebant. Certe ad oram Chananææ terræ jam Larem fixerat Sidon, Chanaanis major natu filius, Chami nepos, qui fuit frater Japhethi, quo tempore Tharsis versus occasum domicilium quærebat. Ex hoc Sidone origo Sidonis urbis, quæ magna, & fuit, & dicta est a Josuæ [13] temporibus; eademque fuit & Tyri & nauticæ artis parens. Ex ea profectus est Cadmus, qui juxta seriem Ovidianarum Metamorphoseon, Argonauticam expeditionem multis annis antecessit, & octo generationibus vetustior fuit Hercule Thebano, qui fuit Argonautarum unus. Ex his apparet quam antiqua sint Chananæarum, sive Phœniciarum navigationum initia. Huc faciunt & quæ finguntur de Hercule Tyrio, qui Mosis æqualis ponitur a multis. Nam cum ejus ductu Phœnices Hispaniam dicantur occupasse, liquido intelligitur has oras longe ante fuisse Phœnicibus per navigationes & commercia cognitas. Nec enim credi potest solertes viros, & rerum agendarum peritos, in loca sibi incognita colonias deduxisse. Omnino ergo existimandum est, multo ante Mosem, & priusquam Chananæos sedibus suis expulisset Josue, & exteras terras quærere coegisset, Tharsissiam regionem sæpe lustrasse Phœnices, mercesque inde ad suos reportasse, atque in his Chrysolithos, quos a loco unde provenerant Tharsis dixere.

[1] Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2.
[2] Theophrast. Char.
[3] Terent. Eunuch. Act. 1. Scen. 2.
[4] Athen. lib. 4.
[5] Juven. Sat. 5.
[6] Descr. orb. cap. 51
[7] Exod. 28. 28. & 39. 13.
[8] Exod. 28. 20.
[9] Joseph. Antiq. lib. 3. cap. 8.
[10] Hier. lib. 1. in Dan. 10.
[11] Epiph. De XII. gemm. cap. 10.
[12] Plin. lib. 37. cap. 9.
[13] Jos. 11. 8.

CAPUT VIII.

De tempore, crebritate, & diuturnitate navigationum Salomonis.

I. Quæritur quo regni ſui tempore Ophiranas & Tharſiſſias navigationes Salomon ſuſceperit. II. Ad verba contextus ſacri figmenta Interpretum ſuper crebritate & diuturnitate harum navigationum explorantur. III. Semel quotannis in Ophir navigabat claſſis Salomonis, ſemel per tres annos in Tharſis.

I. NEc intactam prætermittemus quæſtionem, de tempore quo claſſes a Salomone in Ophir & Tharſis mitti cœptæ ſunt. Faciles ea quidem haberet explicatus, ſi ſeriem rerum geſtarum ſecuti eſſent Scriptores ſacri: nam primum Templi, regiarum domuum, urbiumque ſtructuram commemorant; deinde inſtitutas navigationes; tum adventum Reginæ Saba; ac demum immenſas opes Salomonis, quæ Tharſiſſiis navigationibus acceptæ referuntur. Verum conſtat temporum ordinem non ſervare ſacram Hiſtoriam, multaque præpoſtere narrari, & καθ' ὑϛερολογίαν. Hic itaque variatur ſententiis. Alii in ipſis ſtructuræ Templi exordiis, Salomonem volunt navigationibus dediſſe operam, alii poſt conditum Templum. Nec ſua utriſque deſunt argumenta. Mihi valde veriſimile fit, Salomonem ſtatim poſt initam cum Hiramo ſocietatem, reſque Phœnicum perſpectas, pro ea qua valebat ſagacitate, proque ſuo regni locupletandi ſtudio, cogitaſſe de externis commerciis, nec quæſtus, qui ad ſe ſuamque gentem ex fœdere Tyrio pervenire poterant, neglexiſſe: ſimulque & Templi, & claſſium fabricæ adjeciſſe animum. Ita Ophirano auro & Tharſiſſio argento uſus fuerit ad tolerandos ſumtus ſuſcepti operis; ita ligna Almuggim adhibere potuerit ad ſacræ ædis ſtructuram; ita & auro Parvajim texerit Templum; ut eſt in libro Paralipomenon [1]. Quanquam & id ex paternis apothecis ſumere potuit, in quibus magnam Ophirani auri vim jam ante a Davide collectam fuiſſe ſupra obſervavimus. Nam quamvis notatum ſit ab ejuſdem libri ſcriptore, ante poſita Templi fundamenta, materiem omnem, & impenſas tantæ molis paratas habuiſſe Salomonem, eas intellige, quæ omnino neceſſariæ erant, non quæ ad ornatum & elegantiam pertinebant. Sed & ligna Almuggim, haud ſecus ac cedros, petere potuit ex Libano, quem ſua quoque Almuggim, minoris licet dignitatis, habuiſſe oſtendimus.

II. Reſtat ut diſquiramus, quam crebræ, quamque diuturnæ fuerint navigationes Salomonis. Nimia ſua anxietate, & περιεργίᾳ rem dubiam fecerunt Interpretes, quæ clara erat, ſi ad verba ſacri contextus attendiſſent. Ea autem ex ipſo fonte petita ſic ſonant [2]: *Quia claſſis Tharſis regi erat in mari cum claſſe Hiram. Semel tribus annis veniebat claſſis Tharſis.* Vocabulum *erat* addidimus ad ſupplendam ſententiam. Idipſum reperias in Paralipomenis [3]. Quid aliud autem ſibi volunt iſthæc, ſi deraſo omni interpretationum tectorio nuda ea inſpicias, quam totius triennii ſpatio unicum tantum fuiſſe appulſum navium ex Tharſis redeuntium? Quid attinebat igitur confingere navigationes trium annorum, quaſi Aſiongabere profectæ claſſes, non ante triennii decurſum illuc redierint? Neque enim jure id concludas ex negotiatione illa Phœnicum, quos ad circumeundam Africam ex mari Rubro miſit Necos rex Ægypti, quique obito hoc curriculo per Fretum Gaditanum in Ægyptum tertio demum anno redierunt: neque ex navigatione illa Troglodytarum, qui terreſtri itinere in Æthiopiam ad cinnama comparanda profecti, vix quinto anno revertebantur. Alterius generis fuerunt navigationes Salomonis, alias ob cauſſas ſuſceptæ. Quid item attinebat ad prius illud commentum hoc etiam adjicere, claſſes ſingulis annis Aſiongabere dimiſſas, ſingulas poſt tres annos reverſas eſſe; adeo ut nullus annus effluxerit ſine reditu claſſis unius ante tres annos profectæ? quod verbis ipſis ſacris manifeſte repugnat. Nam ſi ſemel tribus annis reduces claſſes ad litus patrium appellebantur, ut habent verba ſacra, minime profecto dicendum eſt factum id annis ſingulis. At legitimæ ſententiæ, & qui eam continet contextui ſacro firmiter adhæſerunt priſci Interpretes. Sic enim Septuaginta Senes: μία διὰ τριῶν ἐτῶν ἤρχετο ναῦς ἐκ Θαρσὶς. *Una per tres annos veniebat navis ex Tharſis* [4]. Ubi navis pro claſſe poſita eſt, pars pro toto; quod Paralipomena [5] demonſtrant numero plurali adhibito. Ubi Septuaginta: ἅπαξ διὰ τριῶν ἐτῶν ἤρχετο πλοῖα ἐκ Θαρσεὶς τῷ βασιλεῖ. *Semel per tres annos veniebant naves ex Tharſis regi*. Sic Chaldæus Jonathan ad memora-

tum

[1] 2. Par. 3. 6.

[2] 1. Reg. 10. 22.

[3] 2. Par. 9. 21.

[4] 3. Reg. 10. 22.

[5] 2. Par. 9. 21.

tum locum libri Regum. Sic Syrus; Et Arabs: *Una vice in totis tribus annis*. Visum aliter Josepho [1]; nam naves in abitu & reditu ait triennium consumsisse, quod palam dissentit ab Ebraico exemplari.

[1] Joseph. Antiq. lib. 8. cap. 2.

III. Cæterum ut ratio temporis constet, Ophiranas navigationes distinguere convenit a Tharsissiis. Quamvis enim naves in Tharsis euntes, Ophiram appellerent, ac prætervectæ porro tenderent; multæ tamen Ophiram appulsæ, postquam mercibus Ophiranis, & auro præcipue onustæ erant, Asiongaberem revertebantur. Fiebat id quotannis; at semel tantum per triennium Tharsis adibat. Accurate hæc distinxit Scriptor Sacer. Postquam enim ad iter Ophiranum classem a Salomone ędificatam, ab Hiramo instructam fuisse dixit, subjicit paulo post [2]: *Sed & classis Hirami:* hoc est classis Salomonis, ab Hiramo instructa, *quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna thyina multa nimis, & gemmas pretiosas . . . . . Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri*. Sic deinde de navigatione Tharsissia [3]. *Classis regis per mare, cum classe Hiram, semel per tres annos ibat in Tharsis*. Ergo singulis annis classes Salomonis redibant ex Ophir; semel per tres annos ex Tharsis. Quibus sententia nostra de situ Ophiræ & Tharsis, unice confirmatur. Iter autem illud sic puto temporibus dividendum, ut annus unus poneretur in abitu, alter in reditu, tertius reficiendis post reditum navibus, instruendis, onerandis; institorum & nautarum quieti, mercibus distrahendis, Phœnicibus Tyrum remittendis, atque inde revocandis & ad novum iter comparandis. Valde autem falletur, siquis Veterum navigationes, & nauticæ artis notitiam ex nostra ætate æstimet. Magneticæ pyxidis usus homines nostros & audentiores & peritiores effecit. Navigare audent noctu, in tenebris, nubilo cœlo; olim adventante nocte ancoras jaciebant. Obliquos excipiunt ventos, ac fere adversantibus auris iter pergunt; olim rectis tantum, ac puppim ferientibus. Navigiorum mole, & nautarum industria tempestates domant, quibus olim fere deprimebantur. Vasta transmittunt æquora, ignotas scrutantur terras; nullus locus, nulla gens audaciæ ipsorum inaccessa est; vix e conspectu telluris abscedebant olim, ac vix ullam iis aditam regionem reperias, quam quæ terris jam inventis conjuncta erat. Unde omnes litorum recessus, sinus omnes necesse emitiri. Aperte enim tradit Auctor Peripli Erythræi, non aliter olim in Indiam navigasse Ægyptios, quam sinus & litora exiguis navigiis circumeundo. Quod & ad reliquas itidem navigationes pertinere censendum est. Quamquam perhibet idem, Hispalum quemdam gubernatorem observatis ventorum anniversariis flatibus primum in altum se dedisse & neglectis littoribus ex Africa in Indiam recta navigatione feliciter pervenisse. Hinc porro lentæ ac diuturnæ navigationes erant, exigui quæstus, levia commercia.

[2] 3. Reg. 10. 11. 14.

[3] 3. Reg. 10. 22.

E P I L O G U S.

HÆc habui, quæ ad dirimendam veterem hanc de navigationibus Salomonis & litigiosam controversiam conferrem. Quod nisi nostra nobis, uti fit, nimis placent, videmur omnes quæstionum nodos ita solvisse, ut omnis jam homini non nimis pertinaci ablata sit materia contradicendi. Nam primum cum quæreretur qua via, quibus machinis naves Tyro in mare Rubrum transmitti potuerint, multosque rei modos comminiscerentur Interpretes alios aliis ineptiores; nos factum id alvei ope, ex Nilo in Arabicum sinum jam ante excavati ostendimus. Ophiræ & Tharsissii assignavimus situm & limites, eademque opera quid sit Paz, quid Uphaz, quid Parvajim ita patefecimus, ut vitiligatorum argutias difflare facile sit. Ex sinu Arabico in Bœticam, ac vicissim ex Bœtica in Arabicum sinum ultro citroque jam a priscis illis temporibus navigatum fuisse ostendimus, circa promontorium meridianum Africæ, quod a Bona spe nomen duxit. Hinc porro merces Ophiranas & Tharsissias explicavimus, nec amplius dubitare licet, quem auri proventum Ophira Salomoni præbuerit, quid sint ligna Almuggim, quid argentum involutum Jeremiæ, quid Tukkiim. Tempus denique Salomonicarum navigationum circumscripsimus. Faxit Deus ut quæ in alias sacrorum Voluminum partes jugi studio, & assidua commentatione meditata habemus, ea aliquando ad opprimenda impiorum ora, & contundendam pervicaciam, quantum patietur assignati nobis a Deo muneris sollicitudo, possimus expromere.



MARTINI LIPENII DISSERTATIO DE NAVIGIO SALOMONIS.

SI ulla alia in re audacia hominum & intrepidus animus; certe in re Nautica fuit animadversa.

Illi robur & æs triplex
Circa pectas erat, qui fragilem truci
Commisit Pelago ratem
Primus . . . .

Non satis periculum erat in terris positum, discrimina quoque in Mari erant tentanda. Quando ventorum murmura, imbrium & tonitruum vim audimus, timemus etiam, cum domi latitamus, exhorrescimus, cum in Camporum recessibus, Sylvis & solitudinibus commoramur: Quantum itaque Periculum, in procellosis Marium æstuantium fluctibus futurum erat! Attamen ea omnia supergressus est Homo, animum ferreo, & adamantino pectore firmans, Qui

Siccis oculis Monstra natantia
Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia.

Scilicet Hominis curiositas cum audacia conjuncta, semper ultra tendit, & nihil fere relinquit inausum. Neque tantum ista animi ob duratio fuit in Claudio Caudice Romano, aut in Themistocle Atheniensi, aut in Ferdinando Magellano Portugallo, in Americo Vesputio, in Columbo Ligure, qui in Maribus Mediterraneo, Siculo, Atlantico & Americano immensa æquoris spatia emensi sunt; sed etiam in Oriente priores his in Mari Æthiopico & Indico cum plures alii tentarunt; tum Celebratissimus quoque & Sapientissimus *Salomon*, per suos Navarchos tentavit, cujus illustre & nobile *Navigium ipse Spiritus Sanctus in Annalibus* Judaicæ Gentis descripsit in 1. Reg. IX. vers. 26. 2. Paral. VIII. vers. 18. cap. IX. vers. 10.

Super quo brevem hanc Commentatiunculam Geographicam conteximus, istud in antecessum præfati, quod ex Scriptura Sacra nonnisi Veritatem & Fundamentum hujus Historiæ & Navigationis sumamus, seu rectius, præsupponamus; reliqua ex Autorum & Geographorum Prophanorum allegatis adducimus.

Quod nostrum institutum ut bene cedat, DEI Ter Opt. Max. Nomen invocamus, ut sua nobis Gratia adesse, & vera docere velit.

CAPUT PRIMUM.

De Navigio in genere.

I. NAvigatio & Navigium differunt. II. Conveniunt. III. Utrunque hoc loco. IV. Navigationum Antiquitas. Danæus, Senftleben, Simon Majolus. Noe Arca, Arcæ rudera, Montes Coridæi Haitonius, Berosus, Josephus, Dresserus. V. Autores Navigationum Phœnices, Tyrii, Danaus, Mysii & Trojani, Corinthii, Minos, Neptunus & Cretenses, Samothraces. Atlas, Minerva, Argus, Argonauticæ expeditionis fabula. Arriani Periplus, Argo, Prometheus, Muretus, Noah Janus, secundum Micrælium; Noæ Arca exemplar navigiorum. VI. Difficultas navigationum Novazembla. Gerh. de Vera. Biantis & Anacharsis judicium. VII. Utilitas. Transitio ad Salom. Navigium. VIII. Navigii genus, Ratium autor, navium biremium, triremium &c. Authores longæ naves a Sesostri inventæ. Onerariarum Autor Hippius. IX. Navium Materia robora, Cedri. Portus Gazæorum & Jopes X. Navigia arundinea vitrea, Scirpea, Coriacea, Papyracea. Pacto, lignea, murus ligneus.

§. 1. Navigatio & Navigium ita ab invicem distinguuntur, ut illa sit Classis vectio & excursio in amplum Maris sinum: hoc vero sit istud genus navium, quo navigamus, ideo πλοῖον Græce vocatur. Breviter: Navigatio est Cursus Marinus, uti Cæsar lib. v. de Bell. Gall. Ventus, inquit, Navigationem impediebat: Navigium autem Navem ac Navium magnam manum significat; Sicut Cicero lib. 2. de Natura Deorum inquit: Arborum sectio magnos usus adfert ad Navigia facienda.

§. 2. Interim diffitendum non est, quod aliquando etiam Navigium pro ipsa Navigatione soleat adhiberi. L. 122. Qui Romæ §. 1. ff. de Verborum oblig.

§. 3. Utramque significationem hic conjungimus; indigitantes non solum *ipsam excursionem Navium* Regis Hierosolymitani consilio & jussu factam, sed etiam *integrum navium onerariarum, portemiarum, ac mercatoriarum apparatum*. Utrumque enim in Salomonis expeditione nautica concurrebat.

§. 4. Cœterum *Navigationum antiquitatem* hic merito annotamus, utpote quam Danæus lib. 3. Antiq. Primi Mundi cap. 1. Hist. 12. dicit in primo Mundo Antediluviano nondum fuisse in usu, sed post Noachum demum incepisse tentari ab hominibus Mare. Cui etiam Simon Majolus Episcop. Uulturar. in Diebus Canicular. Coll. XXIII. p. m. *796*. subscribit. Cui tamen *Andreas Senftleben* in Ἀγροῖ sua contrarius est, dum in Præfat. ad Lector. b. *artem navigandi*, inquit, *solius Dei Sapientissimi consilio & solertissima Noachi manu, natam & ortam fuisse, cujus opera solidissima omnium & splendidissima illa Navis tricamerata, quæ cum velis remisque destituta foret, planitiemque pro ventre seu carina haberet, Arca potius quam Navis appellari debuit, ex lignis, ut quidam volunt, lævigatis, i. e. dolatis, quadratis seu bituminatis, seu de ligno Gofer, i. e. Cedrino, seu ut alii iterum volunt, arundineo surgere cœpit & crescere; ita tamen, ut hoc posito non negem prioribus Mundi seculis ante Noachi Posteros certa fuisse quædam marina vehicula, quæ itidem cœlestis sapientiæ digitis hominibus non minus ac aliæ artes, de quibus Genes. IV. vers. 22. videre est, demonstrata fuerint*, quo nimirum & illi divinitus concesso Imperio maris frui potuerint. Quo fundamento etiam utitur Joh. Loccenius JCt. Suec. lib. 1. cap. 1. de Jure Maritimo & Nav. thes. 2. pag. 10. Imprimis, quia DEI *manus ratem Noachicam*, ad quam spes orbis refugerat, dicitur *gubernasse*, durante isto cataclysmo mundi universali Sap. XIV. vers. 6. Istius Arcæ rudera in Ararat seu montibus Armeniæ Coridæis Haitonus natione Armenius scribit, sua ætate esse conspecta: & Berosus ait partem navigii Noachici superesse apud montem Coridæum, inde bitumen abradi, quo pro amuleto homines utantur, ut scribit Matth. Drusserus Millen. II. par. 72. & Joseph. lib. 1. antiq. Rom. cap. 4. qui hanc in rem etiam Hieronymi Ægyptii, qui antiquitates Phœnicum descripsit, Mnaseæ, Nicol. Damasceni L.XCVI. de Arca Noe testimonia adducit.

§ 5. Facessant igitur, quotquot Originem *Navium* & Navigationum assignarunt *Phœnicibus*, quod facit Pompon. Mela l. 1. c. XII. de situ Orbis p. m. 31. Lucanus l. 3. & Steph Forcatulus, Lib. 1. de Imper. & Philos. Gallor. Qui *Minoi* quod facit Strabo lib. X. Geograph. Qui *Neptuno* & *Cretensibus* quod scribit Diodor. Siculus l. V. Bibl. Hist. p. m. 337. edit. Hanov. Laur. Rhodomani opera editæ: Qui *Samothracibus* apud Euseb. l. 1. de Evang. præpar. *Qui Atlanti*, quod Clemens Alexan-

lexandrinus; Qui *Minervæ*, quod Tertull. de Militis Corona. Qui *Tyriis*, quod facit Tibull. Eleg. 32. Qui *Danao Ægyptiaco* ex Patria in Græciam cum nave primum adventante, quod ait Plin. l. 7. c. 56. Qui *Myſiis & Trojanis* in Helleſponto primum Navigia excogitantibus, cum adverſus Thracas tranſirent. Qui *Corinthiis primam* attribuerunt Navium concinnationem, quod Thucydides & Libanius in Declamat. quadam ſcribunt. Nihil eſt, quod Ovid. l. 8. Metam. Manil. l. 1. Aſtron. tradunt, quod Argus primus Navium Conditor fuerit ejuſque *nobilis Argo in cœlum ſublata, mari quod prima cucurrit*. Etſi enim Jaſon (ſi modo non verius fabula quam hiſtoria ſit, quod de Argonautis traditur, ut videtur Arriano in Periplo ponti Euxini ad Imperat. Trajanum Adrianum ap. Adr. Turnebum Reg. Lutetiæ Profeſſ. in Tom. II. Oper. fol. m. 147.] primus in Mari Euxino circa A. M. 2714. navigaverit ; alibi tamen navigationes eſſe frequentatas, non eſt negandum Imo cum Apollonii Scholiaſte rectius ſtatuitur, quod Argo *prima ſaltem longarum Navium* fuerit, non vero omnium Navium, ut ipſa Argo Andreæ Senftieben ſe explicat c. 3. pag. 34. Nihil eſt quod *Prometheus* apud Æſchilum gloriatur a ſe Navem eſſe primum inventam. De quo Muretus in Varia. Lect. lib. 1. c. XI. Rectius ii mihi facere videntur, qui *Janum ſtatuunt Inventorem Artis Nauticæ, Janum interpretando de Noacho gemino præditum oculo*, quorum uno antrorſum, in Antediluvianum, altero retroſum in Poſtdiluvianum mundum verſo, poterat utriusq; faciem res atque ætatem dignoſcere. Apud D. Johan. Micræl. Synt. Hiſt. Polit 1. ſ. 1. n. 18. p. m. 26. Hinc Beroſus Chaldæus Hiſtoricus Noes Arcam navem appellavit quia ea nihil aliud niſi aptatum navigium & condendorum diverſi generis navigiorum primum ac unicum Poſteris exemplar fuit, ſunt verba Polyd. Virg. Urbinatis, de Invent. Rerum l. 3. c. XV. p. m. 229.

§. 6. Nec minor eſt *Navigationum difficultas ac periculoſitas*, non ſolum propter varias Syrtes, Scyllas atque Charybdes quæ paſſim quidem locorum in aquis latitant. Sed etiam propter importunos fluctuum, ventorum & æſtuum marinorum motus, ita, ut ſæpe mercibus ejectis, navibus alliſis, confractis & ſubmerſis, Hominibus ipſis quoque pereundum ſit in vaſto æquore. Quemadmodum iſtud ſi ex nulla alia, certe ex expeditione navali *Batavorum in Plagam Borealem & Novam Zemblam inſtituta, & a Gerhard de Vera* deſcripta, videre poſſumus. Hinc *Bias iſta* maris pericula conſiderans, navigantes nec vivorum nec mortuorum cenſu numerandos eſſe voluit, ſed *intermedio loco* computandos, utpote quorum vita in morte, & mors in vita eſt præſentiſſima; tantum enim *quinque digitorum ſpatio a morte diſtant Nautæ*, dicente *Anacharſi*, ac ſæpe ne quidem unius lateris latitudine diſtant.

§. 7. Quo autem majora pericula navigantium ſunt, eo etiam major *navigationum eſt utilitas*, ita, ut ſi hanc cum illis conferas, illa præ hac vere minora fiant, quam ut debeant attendi. Recte Horatius:

Impiger extremos currit Mercator ad Indos.
Per mare, pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Ne hic quid dicam de *Commercio Navali*, quod etiam inter remotiſſimas gentes exerceri & excoli poteſt beneficio Navigiorum, illud ſaltem hic attendi volumus, quod nunquam *Nova Americanorum Terra*, quam --- --- DEus abſcidit --- --- Prudens oceano diſſociabili, inveſtigari aut inveniri potuerit, nunquam Novæ Novi orbis Inſulæ, tam in Oriente, quam in Occidente ſitæ, adiri, nunquam auri, argenti aliarumque mercium infinita copia, quæ nunc ad omnes mundi habitabilis partes, ex iis devehitur, ad nos quoque prodire potuiſſet, niſi Navigiorum beneficio adjuti homines, claſſibus ſuis eo eſſent profecti : quæ quoque *cauſa Salomonem* movit, ut Navigium novum adornaret, & *in Ophir Auriferaciſſimam* Regionem emitteret. Neque eum ſua ſpes fefellit; ex iſta enim Claſſe *Salomon*, ſe, *ſuoſque Cives omnes, ita divitiis, & omnium* rerum copia ornavit, ut major divitiarum affluxus in Judæa non fuerit.

§. 8. *Genus hujus Navigii Solomonæi*, quale fuerit, eſt incertum. Interim tamen quia Rectores *Phœnices & Tyrios atque Judaicos* habuit, & quia in *Littore Arabico* extructa, & in *Confinio Ægypti ad Mare Rubrum* ædificata fuit ſplendidiſſima hæc Claſſis; veriſimile quoque eſt, naves *pleraſque fuiſſe Tyrias*, quibus fortaſſis etiam aliæ nonnullæ ad modum Ægyptiacarum, atque Arabicarum exſtructæ, intermiſtæ & aſſociatæ erant, *tales, ſcil. quæ in Mari rubro fretabant*, quarum quælibet *certis ſignis & mappis inſignitæ atque* diſcretæ erant. Incertum eſt an *Rates ſaltem compactæ vicem Navigiorum* ſuppleverint, quales quidem in mari rubro a *Rege Erythra* primum inventas eſſe ſcribit Plinius Lib. VII. Cap. 56. Illud præterea conjecturari licet, ſi integræ & completæ fuerint naves, quod eę, ſi non omnes, plerę-

que

quę tamen *remis actæ fuerint*; Istius enim generis Naves notę erant Tyriis, utpote quę in Mari mediterraneo erant usitatissimę. Nam, ut ex Historicis constat *Erythræi biremium*, *Ammocles Corinthius*, *triremium*, *Carthaginenses quadriremium*, *Nesichton Salaminius*, *quinqueremium* Autores fuerunt, *Xenagoras Syracusius*, *ad naves ordinum*, *inde usque da decemremem*, *Mnesigiton*, *Alexander M. usque ad duodecim Ordines processit*, *Ptolomæus Philadelphus ad quadraginta*, *Philopator ad quinquaginta*, ut ex Plinio, Budęo l. 5. de Asse, & Plutarcho docet, Sim. Majolus dier. Can. Col. XXIII. p. m. 796. & Virg. l. 3. c. 15. Imo nihil prohibet hic ponere & *longas quoque naves*; Quemadmodum Diod. Siculus l. 1. Bibl. Histor. p. m. 52. testatur, quod Sesostris Ægypti Rex primus iis sit in Ægypto usus. *Onerariæ quoque* Naves in usu fuisse putantur, quia Tyriis usitatę & ab Hippio Tyrio inventę sunt.

§. 9. Ex quibus *lignis atque cæmentis conditum fuerit* hoc pretiosissimum Navigium, assequi non possumus. Quod Tyrii ex crassis *Ulmis & Quercubus*, *Navium latera & Contignationes*, *ex robore remos*, *ex Cedris Libani mala*, *ex abietibus antennas confecerint*, illud non obscure ex Ezechiel. c. XXVII. colligi potest. Nunquid autem ex Libano aut Hierosolymis in Aseongaber Cedri deportatę sint, ad Naves Salomonis compingendas, merito ambigitur. Nam diffitendum non est, circa Ailathanam ditionem ligna & robora pręgrandia Navigiis idonea nata esse, quibus Naupegi uti potuerint. Quia autem non solum ex sacris, sed etiam ex Annalium Tyriorum conditoribus, Menandro & Dio, Josephoque lib. VIII. c. 2. p. m. 109. & l. 1. contra Apionem p. m. 452. constat, quod ab Hiramo Salomon impetrarit potestatem, multum lignorum Cedrinorum & Cyparissinorum recidendi in Libano, quod deinde per rates compactas, in mari mediterraneo ad Oram littoris Philistini deportatum est, uti puto, in portum *Gazæorum aut in Jopes portum* ex quo Hierosolyma conspici possunt: Quo etiam Portu *utuntur Judæi*, *usque ad Mare descendentes*, ut ex Strabonis l. XVI. p. m. 533. manifestum fit; quique duo portus Hierosolymis proximi sunt: Ideo posset quis in eam venire opinionem, quod Salomon Templo, Regia, Tribunali, Solio, aliisque ornamentis Regiis ex cedro confectis, id *quod superaret*, *potuerit ad classem conficiendam adhibuisse*. Imprimis quia ex Gaza in Urbem Ailam transcensus fuit & iter super Camelis, per arenosa & deserta loca, uti scribit Strabo c. l. p. m. 534. *Quiquid* hujus rei sit, sive *ex Cedro Libani*, *sive ex quocunque alio Ligno* fuerit fabrefacta Classis, ex ligno tamen fuisse arbitramur.

§. 10. Nulli enim adduci possumus, quod hujus Navigii tam diuturna & magna moles fuerit *vel arundinea* ex arundinum internodiis scissis, qualia arundinea Navigia Indi habere dicuntnr apud M. Georg. Draudium in Supplem. C. Jul. Solini memorab. p. m. 124. *Vel Vitrea* ex Vitris; quemadmodum Leander contestatur, se Venetiis vidisse vitreas triremes parvas, vel *Scirpea* ex Scirpis aut virgultis contextis, bitumine illitis: sicut Strabo meminit cujusdam Naviculæ, quam *Pactonem* nominat, ad modum canistri contextæ; qua etiam ipse pro regionis more trajecerit absque periculo in Ægyptum; Et Leonius parte 3. memorat in Africa quoque flumina canistris pertransiri. *Vel Coriacea* ex corio facta, aut corio circumsuta, quales olim in Oceano Britannico repertas aliqui tradunt ex Plin. l. VII. c. 56. & l. IV. c. 16. Et ad Bruti usq; ætatem Lusitani Navigiis ex Corio usi sunt, postea vero etiam ex ligno excavato, teste Strabone l. 3. Quod etiam testatur *Olaus Magnus* l. 2. c. 9. quod Anno Domini 1505. juxta Islandiam viderit talem Cymbam ex Corio consutam, quæ fuerit Piratarum littora infestantium: vel *papyracea* in Insula *Taprobane* usitata ap. Plin. l. VI. c. 22. Vel ex quacunque alia materia *præter lignum & Trabes*, *vestesque prægrandium ulmorum*, *Cedrorum aut roborum confecta fuerit*, cum tam periculosum, æstuosumque mare, & tam diuturno tempori dimetiri debuerit, ad quod sustinendum, ingenti profecto firmoque opus erat *muro ligneo*, quem Navim interpretatus est Themistocles ex consulto Pythio. Cornel. Nepo. Them. c. 2.

CAPUT

CAPUT II.

De extructi Navigii loco, hoc est, Asiongaber.

I. ASion Gaber, Berenice. 2. Est ad Mare Erythræum, Ailath, Elath, Eloth, ἐλάνα, Aila, Aelana, vindicata, capta. Statio XXXII. Israelitarum. Abron, Zin, Kades, Hasmona. Situs Sinai, Horeb, Horeb, Moab & Idumææ. Geographorum consensus. 3. Dissensus Johann Goropii & Comitis Limpurgici. Argumentum primum. 4. Responsio generalis. 5. Eluth. & Mare Suph. Chabriæ castra prope ostium Pelusiacum. Θάλασσα ἐρυθρὰ rubra an sit? Idumæa duplex superior & inferior. Sepher. 6. Solitudo nil obstat. Asion gaber est in Idumæa superiori. 7. Hirami opera & Salomonis. Nulla circumnavigatio, nulla transvectio. 8. Tharschisch & Ophir non sunt idem. Tarschisch quid? 9. Termini Regni Salomonæi. 10. Goropius notatur & Carol. Stephani. Elana est Aila, utrumque in Arabia Petræa. Tartessus, Bætis, Quadalquivir, Cotinusa, Gades. Tarsessiacum Regnum nullum.

§. 1. Locus in quo Navigium suum ædificavit Salomon, in Sacris expresse vocatur *ASION GABER*, item, *EZEONGEBER*, qui quoque Flavii Josephi tempore fuit *Berenice* dictus; peroportunus fuit portus, in quo recentia navigia confici, ex quo exire, & ad quod appellere poterant, quando ex mari Rubro aut Æthiopico redibant. Qai an situs sit ad *Erythræum*, *an Mediterraneum mare*, ambiguum est inter Geographos.

§. 2. Nos salva aliorum Virorum authoritate, prævia Scripturæ, Veterum ac Recentiorum Geographorum authoritate ASION GABER ad Erythræum, non Mediterraneum mare ponimus.

I. Ita enim Deus describit 2. Paral. VIII. v. 17. Et *Salomon abiit in Ezeongabe & Eloth* [*seu Ailath*] *ad oram maris, quæ est in Terræ Edom*. Quod autem hoc Mare fuerit *Rubrum* illud expresse extat 1. Reg. IX. v. 26. Ubi primum *Ezeongeber* ponitur ad oram Maris Rubri, deinde in *Confinio Ailath*, Et tertio in *Terra Edom*, ubi scilicet spectat in Sinum Maris Erythræi, quæ omnia ostendunt descriptionem Maris Rubri, non Mediterranei. Nam *Aliath s. Eloth s. Elath* Præsidium & Urbs munita erat in Idumææ finibus maritimis, distans ab *Ezeon Gaber* quatuor milliar. Ptolomæus & Josephus ἐλάναν vocat: Strabo *Ailam*; *additque* quod sit sita in recessu sinus Arabici, ad quam ex portus *Gazæorum dicatur mille & ducentorum sexaginta stadiorum transcensus esse* l. XVI. de Situ Orbis p. m. 534. & repetit pag. 549. Plinius ita commentatur Lib. V. N. H. c. XI. intervallum inter duo oppida Aelana & Gazam est CLM. passuum. Quam postea Idumæis eripuerit Usia seu Azaria 2. Reg. XIV. vers. 22. & 2. Chron. XXVI. v. 2. Sed ejectis Judæis eandem Syris habitandam dedit Rezin Rex Damasci 2. Reg. XVI. v. 6.

II. Idem probatur ex *Statione Israelitarum*, cum illi peregrinarentur ex Ægypto in Terram Canaan, ubi Sedem *in Eziongeber trigesimam scil. secundam* ab exitu suo posuerunt, prout Moses descripsit Num. XXXIII. v. 36. qui locus ita comparatus est, ut nullo plane modo possit ad Mare Mediterraneum referri, *Ponitur enim inter Abronam & inter Zin seu Kades desertum*, quæ duo loca, qui ad Mare Mediterraneum quæreret, is Londini Anglorum in ædibus Nazaræis curæ Medicorum committendus esset, ut eadem phrasi Lansiana utar. Insuper XVI. Statio Israelitarum in *Hasmona* ad Mare mediterraneum proxima erat, & XXXII. in *Ezeongeber* erat ab eodem inter sequentes remotissima; remotior adhuc, quam Montes Sinai & Horeb: Quomodo igitur *Ezeongeber* erit Urbs maritima ad oram Maris Mediterranei sita? Aut si hæc nondum sufficiant, evolvatur etiam Tabula Geographica & Chorographia Moabiticæ & Idumææ ditionis delineetur, & patebit ad oculum, eas in medio qs. Arabiæ Petrææ, non ad Oram maris mediterranei poni! ast pone utramque ponitur Elath atque Ezeongeber Deuteron II. 8.

III. Ex *Consensu Geographorum constanti*, qui ad unum omnes ad mare Rubrum hoc πλοιοποῖον constituunt. Ptolomæus, Lib. VI. c. Strabo l. XVI. Plin. Lib. V. c. II. seqq. Joseph. l. VIII. Antiq. Jud. c. 2. p. 114. Bened. Arias Montanns in Chaleb lib. unico de Terræ promissæ partit. cap. 1. p. m. 3. & in Tabula Chorographica Terræ sanctæ Appar. Sacro præmissa, it. in Lib. Phaleg de Gent. Sedib præf. Abrah. Ortelius Antvverp. in Theatro Orbis, Christian. Adrichom. in Theatr. Terræ S. in Pharan f. 118. Carol. Stephan. in Diction. Histor. Geograph. in Asiongaber p. 200. & in Ailath. p. 74. M. Henr. Bunting. Itiner. Sacr. passi. Imo ipse Johann.

hann. Gorop. Becanus Lib. V. Hiſpan. p. m. 78. ait, Eluth & Eluſam eſſe eandem, hærere in littore Idumæorum. Elanam quoque eſſe in mari Rubro. At Elana & Eluth, teſte Joſepho, idem ſunt Oppidum, utrumque ad mare Arabicum.

§. 3. Georg. Frider. Lumpurgi Baro in Oratione illuſtri contra Hiſpaniam ſub auſpiciis Clariſſ. & Celeberr. Thomæ Lanſii habita *ASIONGABER ex Mari Erythræo transfert ad Maris Mediterranei confinia*, *dicitque* Salomonis *Aſiongaber eſſe ipſiſſima Caſtra CHABRIÆ*, quæ Strabo & Ptolomæus in Idumæorum finibus ad ſinum Peluſiacum poſuerunt, ſecutus nimirum fidem Johann. Goropii Becani in Hiſpan. l. V. a pag. 74. ſeqq. idque potiſſimum ex Quadruplici fundamento.

Primum hoc eſt: Quia Aſiongaber ſit ſita circa Eluth in Idumæa ad Oram Maris Suph, & quod conſtet ex Strabone & Ptolomæo, Geographorum Principibus, Idumæam ad mare mediterraneum pertinere.

§. 4. Aſt ℞. non idem formandum eſt judicium de ſitu *Caſtrorum CHABRIÆ & ASIONGABER*. Iſta enim non poſſunt alibi quam in Ora maris mediterranei eſſe, non procul a Peluſio: Chabrias cum Ægyptiis eſſet profectus auxilio Athenis, verſus Peluſiacum ſinum vela fecit. At non ibi eſt Aſiongaber, utpote, quæ nec in Ægyptiaca ditione unquam fuit, nec Chabriæ Caſtris idonea eſſe potuit.

§. 5. Quod Eluth ſeu Elath, Idumæa & mare Suph ſpectent ad Mare mediterraneum, abludit a Veritate Geographica. Mare Suph, eſt Erythræum mare, quod ἐρυθρὸν θάλασσαν vocant, quia ibi Erythra Rex regnavit, qui Perſei & Andromedæ Filius fertur Teſte Pomp. Mela. lib. 3. p. m. 131. & Strabone Lib. 16. Hoc quibuſdam priſcis colorem ἐρυθραῖον h. e. rubrum ex arena ſeu fundo rubicundo, vel ex reſplendeſcentia radiorum ſolarium contrahere dicitur. Quod an ita ſe habeat, valde dubitatur, imprimis cum Nobiliſs. Domin. Breuning in ſuo Itinerario tanquam ocularis teſtis contrarium teſtetur, (das Schilffmeer iſt an der Farbe nicht mehr roth / als Pontus Euxinus bey Conſtantinopel ſchwartz iſt. conf. Fuller IV. Miſc. XX. Becanus in Hiſp. f. 74.] Hoc ipſum autem mare Rubrum [undecunque etiam dicatur] a Mari Mediterraneo longiſſima Iſthmo diſcernitur, quod docent Mappæ Chorographicæ. Idumæa, ſi quibus dicitur pertingere ad mare Mediterraneum, id forſan intelligendum erit de *Inferiori Idumæa*, qua ad Iſmaelitarum ſedem i. e. fines Eremi Sur pertingit. Nam *ſuperior Idumæa* Abrabiæ Petræ adhæret hæc ad mare Rubrum vergit. Illa appropinquat quidem ad mare Mediterraneum; ſed tamen non attingit illud propter Regionem Amalekitarum, Iſmaelitarum & montes Sepher interjacentes.

§. 6. *Alterum eſt*: Quia inter Idumæam & Erythræum Mare interjaceat arenoſum Mare & vaſtiſſima Solitudo per quam Naves recentes non potuerint deduci.

℞. Vaſtiſſima Solitudo inter Mare Rubrum & Idumæam interiorem nihil obſtat, quia *in ſuperiori Idumæa ad oram Maris hæret Aſiongaber*, *ex cujus ripis* in altum deduci ſine omni opera poterant Navigia recens fabricata.

§. 7. *Tertium*: Quia Hiram Rex Tyri (quæ ad Mare Mediteraneum ſedet) per manus ſuorum Servorum Naves & nautis Maris gnaros in ASIONGABER, quos non eſt veriſimile totum Mare Mediteraneum, Atlanticum, Æthiopicum, Rubrum & Sinum Arabicum pererraſſe, aut ex Tyro ad Erythræum Mare, Naves volatiles per iuga & præcipitia montium, agrorum & deſertorum longe patentiſſimam planitiem, velificante Æolo, adduxiſſe.

℞. Hyramus Servos ad Salomon in Maris Mediteraneo, Salomon autem ex Hieroſolymis Tyrios & ſuos Nautas miſit in ASIONGABER, ut ibi ædificarentur in ipſis quaſi faucibus maris navigia; neque opus fuit Circumnavigatione, nec ventoſa per continentem tranſvectione.

§. 8. *Quartum* eſt: Quia Tharſis in ſinu Maris Mediterranei, iter autem in Tharſis & in Ophir in ſacris pro eodem poni ſolere, ut ex 3. Reg. x. verſ. 11. collato cum verſ. 22. & ex cap. XXII. verſ. 49. cum 2. Paral. xx. verſ. 36. conſtat.

℞. Nomen תרשיש in Scriptura accipitur vel *ut Proprium*, *vel ut Appellativum*. Ut Proprium, notat partim artificem inſignem ex filiis Javan Gen. x. verſ. 4. partim Cubicularium Ahaſveri Regis Eſth. 1. verſ. 14. *Ut Appellativum* notat *partim beryllum* thalaſſium ſeu marinum pretioſum lapidem Exod. XXVIII. verſ. 20. *partim etiam Mare*, unde Reges Tharſis offerrent dona Pſ. LXXII. verſ. 10. Confringet Naves Tharſis Pſ. XLVIII. verſ. 8. Eſai. XXIII. verſ. 2. ejulate Naves Tharſis. Et in hoc ſenſu dicitur etiam 1. Reg. XXIII. verſ. 49. & 2. Paral. xx. verſ. 36. Quod Salomon emiſerit Naves ſuas in Tharſis, hoc eſt, in mari. Hinc apparet quod hæ phraſes non æquipolleant, in *Ophir navigare & in Tharſis ſeu in mari navigare*; Illa enim indicat terminum ad quem navigantes tendunt: hæc autem notat Mare, in quo navigatur.

§. 9. Quibus quoque *Quintum* posset addi, Quia Salomonis potestas ad mare mediterraneum se exteudebat, ad Mare Rubrum neutiquam, imprimis quantum ad istum tractum, qui in Idumæa & ad Arabiam est.

℞. Terminos Imperii Salomonei etiam ad oram Maris Frythræi & in Idumæam usque extendendos esse claris ait verbis *Joseph. lib.* 8. *cap.* 2. *Asiongaber non procul ab Elana Urbe* [*Eluth.*] *est*, *quæ regio tunc in Ebræorum ditione censebatur*. Hinc etiam Mare Rubrum limes Regni Israelitici ponitur ab ipso DEO Exod. XXIII. vers. 31. Deut. XI. vers. 24. Ea quoque de Causa Usias Rex Hierosol. sibi Elath vindicavit, quæ ad hunc ultra quatuor milliaria projacet. Conferatur Tab. Geographica Ariæ Mont. in Appar. Sacr. libro Chaleb præmissa, ubi unus Terminus regni ponitur in ipso ים סוף : secundus prope Temnam Arabiæ desertæ, &c.

§. 10. Ex his clare disparet, quidnam de Novitatibus istis Goropianis contra communem Geographorum consensum excogitatis sit standum. Nam hic

(α) Quæritur, *An Elana, Aila & Ailath sint eædem*? Negat Goropius in Hispan. p. m. 78. Nos contra ex Strabonis lib. XVI. & Josephi lib. VIII. Antiq. cap. 2. affirmamus.

(β) *Num Elana sit in Arabia felici?* Quod Goropii autoritate deceptos Carolus Stephanus ait in Dictionar. Geograph. p. m. 50. Nos autem eandem in *Arabia petræa* in campo Aliath invenimus.

(γ) *An Tharschisch, in quo Naves Salomonis mearunt, sit Tartensis?* Affirmat Gorop Becanus fol. 73. Nos negamus. Nam Naves Salomonis in תרשיש h. e. in Mari seu Oceano tetenderunt ad Orientales Insulas. *At Tartensis est Regio Hispaniæ Bæticæ ad Bætin fluvium*, qui hodie Guadalquivir dicitur, quam Truduli suo tempore inhabitarent. In qua Provincia etiam *Tartessus* Oppidum Hispaniæ Bœticæ, quod Livius lib. XXI. ab U. C. cap. 5. vocat Cartejam, aut quod Plinio videtur lib. IV. cap. 22. est ipsa Gadium Insula, quam Pœni *Gades*, Tyrii *Tartesson*, *alii Corinusam vocarunt*, *ut docet Poeta*:

> *Gadir* prima fretum solida super eminet arce,
> Attollitque caput geminis inserta columnis:
> Hæc *Continusa* prius fuerat sub nomine prisco,
> *Tardessumque* dehinc Tyrii dixere Coloni.
> Barbara quin etiam *Gades* hanc lingua frequentat,
> Pœnus quippe locum *Gadir* vocat undique septum,

[δ] Et porro: *An Tharschisch, seu, ut ipse pronunciat, Tarsis, sit Tartesiaca Regio*, sit peculiare Regnum, cujus incolæ sint Tharteslii?

℞. Quod ibid. affirmat Becanus: nos negamus: Quia Tarsessiacum Regnum nullibi, nisi forte in Wori Utopia, quæri, aut inveniri potest. Omnia loca τῶ תרשיש notat Oceanum, non Regionem Hispanicam. Imo absurdissime statuendum esset, quod Salomonis Naves sint in Baja de Cadix seu sinu Gaditano in Hispania, ubi Columnæ Herculis, effectæ: Ad Tartessum enim Gaditanam maximas Naves compactas esse, & ex ea in Phœniciam traductas, scribit Becanus c. l. p. m. 73. fin.

Ut taceam, præter salinas & Thynnorum piscationem hic nihil singulare esse, ut ex Georg. Hœfnaglio Antuerp. Belga hanc Insulam perlustrante manifestum est, & ex Abrah. Ortelio, in Theatr. fol. 19.

CAPUT III.

De conjunctione Navigiorum & Servorum Hirami & Salomonis.

I. TYrus Quinsai, Alcair, Carthago, Corinthus, Athenæ, Venetiæ Tyriorum Coloniæ Purpura. Hericidæ, Nabucadnexar, Alex. M. Salmanasser, Elulæus. 2. Hiram. Iromus, Abdemonus. 3. Tyrii Nautæ in Hispaniam excurrerunt. 4. Navi veniunt Hierosolymam, non in Ophir, terrestria itinera Navigiorum juxta Cairum. Naves plicatiles, Naves & domus portatiles. Sententia plana. 5. Non fuit utrique Regi sua Classis, nec una communibus sumptibus exstructa. 6. Apparatus & commeatus Navigii Salomonæi, velorum, malorum, anchorarum, gubernaculorum authores.

§. 1. Tyrus potentissimum pariter & opulentissimum fuit Emporium in toto Orien-

riente decantatissimum. Uti enim Hierosolyma ob splendorem Religionis; ita Tyrus ob mercaturam in Oriente potissimum celebrabatur, uti inter cœtera ex Ezech. 27. & ex Strabone Lib. XVI. de Situ Orbis p. m. 510. patescit. Ea suo tempore nec Quinsai Chinarum, nec *Alcair* Ægyptiorum, nec *Carthagini* Afrorum, nec Corintho Peloponnensium; nec *Athenis* Græcorum, nec *Venetiis* Italorum cessisset opulentia, dignitate, venustate atque potentia. Hinc tot ex ea natæ coloniæ, *Carthago*, *Utica* & plures aliæ in Siciliam, in Libyam, Sardiniamque transplantatæ. *Purpurarum* piscatura claret. Nam Tyria purpura optima omnium perhibetur. Tribus autem casibus potissimum memorabilis est. Quorum primum intulerunt Servi, qui, Dominis interfectis, *lares Dominorum occuparunt*, *Rempubl. invaserunt*, *Conjuges duxerunt*, *& quod ipsi non erant*, *liberos procrearunt* apud Justinum l. XVIII. c. 3. *Secundum* Nabucadnezar, qui diuturna obsidione fatigavit & vicit Ezech. 16. & Joseph. l. 1. contra Appion. p.m.454. Tertium Alexander M. qui eam plane delevit in crucem actis Tyriis in pœnam servilis conditionis, apud Strab. l. 16. p. m. 530. Justin. l.18. c.3. Antea tamen potentissimis Salmanasseris copiis superior fuit, regnante *Elulæo*, ex quo non mediocrem navalis rei gloriam sibi comparavit ut ex Menandri Chronicis, & Tyriorum Annalibus refert Joseph lib. IX. c. XIV. p. 137.

§. 2. Tyri Rex, ætate Salomonis fuit *Hiram*, qui in 2.Paral. VIII.&IX. capp.Hiram, ap. Josephum Iromus dicitur, cujus magna cum Davide, ejusque in bonis & Regno paterno hærede fuit amicitia, quam multis deprædicat Scriptura & Menandri Chronicon: utpote qui non solum Salomoni de solio Patris adepto gratulatus est, sed etiam magna & multa honoris & amoris officia præstitit. Nec minor utriusque fuit cura, ingeniis, quam gratificandi studio certare. Nam ænigmata invicem proponebant & solvebant sub mulcta magnæ pecuniæ. Et quod Salomon propria sapientia, id Hiram ope alicujus Abdemonis Juvenis Tyrii præstitit, teste Dio & Menandro ap. Flav. Joseph. l.8. Antiq. Jud. c. 1. p. 113. & Lib. 1. contra App. p. m. 453.

§. 3. Tyriorum Nautarum magna ubique laus est, utpote qui aquis quasi innatabant & non solum navigando Phœniciæ littora perquisiverunt, sed etiam in Insulas maris Mediterranei negotiati sunt, imo in ipsam quoque Hispaniam penetrarunt, ut ex Posidonio & Diod. Siculo allegat Johann. Gorop Becanus iu Hisp. fol. 72. Hinc quoque ידעי הים gnari Maris vocantur Servi Hiramici, quos Salomon in sua Navigatione in Ophir adhibuit, & gubernatores Tyrii in Scriptura pro peritissimis Navarchis poni solent.

§. 4. De his certum est, quod Navibus vecti venerint Hierosolymas ad Salomonem, utpote quod expresse extat 1. Reg. IX. vers. 27. *Et misit Hiram* באני *in Navi Servos suos viros maris*, & 2. Paral. VIII. 18. non tantum Servos, sed & per manus Servorum suorum Naves misisse fertur. Sed istud incertum est: *An istæ Naves Hirami iverint in Ophir*, *& ex mari Mediterraneo in Rubrum transvectæ fuerint?* Quod Nos incertum, si non planè absurdum, esse dicimus.

Posset fortassis quis in hanc venire opinionem, si cum priscis præsentia tempora conferat, *Hiramum potuisse ex Tyro*, *aut Salomonem Hierosoymis Naves suas terrestri itinere in Asiongaber mittere*, quia testatur Helfricus in seiner Reise ins H. Land & M. Heberer in Serv. Ægyp. l. 2. c. 5. Catiri in Ægypto quotannis aliquot triremes in Navali ædificari, easque in partes suas resolutas ab onerariis Camelis inde usque ad Heroum Urbem *Sires*, & ad mare rubrum per vastum, arenosumque Terræ tractum deportari solitas. Imo si consideret Naves istas Æthiopum & Alexandrinorum *plicatiles*, de quibus scribit Plin. l. v. c. IX. *quod eas implicare*, *& humeris transferre potuerunt*, *quoties ad Cataractas ventum* est, iterumque explicare, quoties aquarum copia data est. Et *Majolus in Dieb.* Can. in Memorab. refert ex Continuatore Palmerii, quod anno Domini M.D.IX. ex India quoque talis *portatilis Cymba* asportata sit, & delata Rothomagum, quam Homo una manu evehere in humeros potuerit. Et non tantum de Navigiis *portatilibus*, *sed etiam integris* domibus & *Palatiis Regiis ex Historiis* compertum est, quod de loco in locum deportatæ fuerint; ut de Francisci Gall. Regis papilionibus, & *Henrici Angliæ Regis lignea* & amplissima Rugia refert Jovius l. 20. Histor. de Regis Japonici domo & Cubiculo portatorio in regia *Quaba condoni* Ludov. Froes ad An. 1586. & de Regis Sinarum Diversorio publico Joh. Sedis Apostolicæ Legatus ap. Vinc. Hist. l. 31. c. 30. & de *domicilio Imperatorio a Sultano Babylonico dono misso ad Frider. Imper. Rom.* Anno Domini 1232. scribit Trithem. in Chron. Hist. Hirsaugiensi. Quidni igitur etiam potuerint rates & Navium tabulaturæ Hierosolymis aut Tyro transportari in Idumæorum Asiongaber? Attamen quicquid horum sit, quoniam nec Literis Sacris, nec prophanis tra-

 ditum

ditum accepimus, tali pacto Salomonem suas Naves traduxisse; imo in Asiongaber de novo extructas esse certo scimus, cur talem transportationem tam molestam & difficilem, tam longinquam & sumptuosam instituisse Salomonem crederemus, cum potissimum & compendium sumptuum facere, & longinquioris itineris molestiam avertere potuerit nova Classis fabrefactione in Navigali Idumæo? Quocirca ut dicamus, quod sentimus: *Salomon Navi acceptos Tyrios Naucleros stipendio annuo conduxit, & Hierosolymis in Esiongeber ire jussit, ut suis sumptibus classem construerent & in Ophir vela facerent*. Hiram itaque non Naves e Mediterr. ad mare Erythræum per longa locorum spacia transportavit, sed Servos Mari assuetos & rei nauticæ apprime peritos misit, qui Naves a Salomone in Rubro Mari fabricatas moderarentur.

§. 5. Ex iis patet, quid respondendum sit ad quæstionem: *An utrique Regi Salomoni & Hiramo sua fuerit classis, ita ut utriusque fuerit juncta in Asiongaber in Ophir?* Quod Johann. Gorop. Becanus iterum tam audacter affirmat Hisp. l. V. p. 75. Sed profecto præter Pythagoricum ἄυτος ἔφα, nullum habet fundamentum. Quanquam enim 1. *Reg. X. v.* 11. *Classis Hiram* nominetur, istud tamen non est ita intelligendum, quasi vel solus Hiram instruxerit, vel instructam suo nomine miserit; sed quia Tyriorum ope regebatur, qui ab Hiram erant missi. Idque vel hinc constat, quia Aurum, quod ex Navigatione *redibat*, *non ad Hiramum*, *sed ad Salomonem pervenit*: *Non Tyriis*, *sed Hierosolymitano Regi pecunia est allata & annumerata*, *ut expresse extat* 1. *Reg. IX.* 28. Si ergo una saltem fuit Salomonis Classis, *Nunquid communibus Salomonis & Hirami sumptibus extructa fuit?* Ita videtur *Caspar. Sanctio* Centumputeolano, Complut SS. Liter. Interp. Publ. Comment. in 2. Reg. IX. fol. 1110. p. 20. Sed nec id mihi probatur. Nunquid enim Hiram sumptus contulisset in classem, ex qua nullos sumptus percipiebat, nullum fructum sentiebat? Aurum, quod Ophirani rectores attulerunt, ad Salomonem detulerunt, 2. Paral. VIII. v. g. non ad Hiramum.

§. 6. *Quo autem apparatu & commeatu hoc Salomonis* Navigium fuerit provisum, prætereundum non est. *Commeatum fuisse* triennem, ex Sacris Paginis colligimus. *Remiges* fuisse vel omnes vel plerasque Naves *diximus*: *vela quoque carbasa atque anchoras adhibuisse* omnino credimus. Neque enim verisimile est, eos tam difficilem æquoris campum sine isto navali adminiculo dimetiri potuisse, neque iis omnino ignota hæc fuerunt. Nam *vela vel ab* Icaro, aut, ut Theodoro placet, ab *Æolo* nata fuerunt: *Malum* Dædalus docuit, *Anchorarum* origo ad ipsos *Tyrrhenos* redit, aut si mavis ad *argonauticam expeditionem*. *Arrianus* enim testatur Imperatori in Periplo suo, quod in *Phaside* adhuc suo tempore *Anchoræ duæ ferreæ Argi & Jasonis* super fuerint, altera recentior, vetustior altera, quam in documentum argonauticæ Navigationis asservari opinatur. Propius videtur accedere Pausanias, qui modum ferri fundendi & projiciendi Theodorum Samium invenisse scribit in φωκικ. p. m. 356. & Rhodig. l. V. c. 18. ut vel sic eo citius ad vicinos suos Tyrios & Judæos venire potuerit. Neque gubernacula Navium aliorsum veniunt. Typhis enim sumpto ab ave milvo exemplo, quæ caudæ flexibus in cœlo monstrat, quid opus esset in profundo, primus artem gubernandi docuit, ut Plin. l. VII. c. 56. & Polyd. Vird. d. Inv. Rer. l. 3. c. XII. scribit. Accinit quoque Seneca in Medea Act. 1. in Choro:

> Nondum quisquam sidera norat
> Stellasque &c.
> Ausus Typhis pandere vasto
> Carbasa ponto, legesque novas
> Scribere ventis.

Sed vento secundo, ne Navigium nostrum nimis altum petat, vela contrahemus, ut in secunda & tertia velificatione novis instructi viribus felicius provehamur.

I. N. J.



MARTINI LIPENII DISSERTATIO DE OPHIR.

SECTIO I.

DE NOMINE.

SUMMARIA.

I. *Ftym. Ophir regionis nomen ab Ophiro, uti terra Chavilah a Chavilah dicta est.* II. *Discrimen inter Opher & Ophir*. III. *Homon. Ophir non incolæ, sed regionis nomen est: Non auri, sed loci nomen*. IV. *Synon.* Σȣβὶρ Σώφειρα, *non Tharsis; non Tartessis Bœtica*. V. *Ophir non est orbis Atlanticus*. VI. *Conjugata obryzum seu obryzatum aurum. Obryzi incunabula dubia sunt. Goropii Teutonicæ, obrysum quasi oberrei sum*. VII. *Latina, Græca, Solidi obryzati. Obryza & balluca, obrussa, aurum, obrusum, ad obrussam exigere*. VIII. *Argentum postulatum, pusillatum, postulatum, pusulatum*. IX. *Svetonii locus. illustratus, aurum ad obrusam nummus asper*. X. פרוים *non est ex Ophir, ut notet duas Pervanas*. XI. *Parvaim non est Parbatia Pliniana*. XII. *Parvaim videtur esse Chavilah*. XIII. *Notatur Becanus cum suo* pher/ weer/ heim/ & pher-hu-heim. XIV. *Parvaim est Assyriacæ ditionis locus*. XV. *Aurum de Ophaz vel Muphas*.

O*Phir* significat cinerem seu incinerationem, aut rectius cineream, ac pulverulentam terram, ein Aschen. Land/ ex Rad. Ebræa אפר cinis. In Sacris literis Ebraice scribitur אופיר Estque nomen regionis, & terræ, sic dictum ab אופיר filio Jectanis, nepote Eberi ex Gen. X. v. 29. utpote qui cum fratre suo Hevila hanc terram occupavit, ibidemque, facta linguarum confusione, & varia populorum migratione, sedem posuit. Ut igitur India (ea scil. quæ intra Gangem) etiam dicta est Hevilah ab altero isto JECTANIS filio Hevilah: ita ab Ophiro quoque altera Indiæ pars (quæ est *extra Gangem*) nomen est sortita, & dicta est OPHIR. Ita enim tunc moris erat, ut, quas quis terras primus occupasset, eas pro se, suisque posteris possideret atque iis nomina daret; Id quod totidem verbis nobis inculcat *Hieron.* de Loc. Ebr. Fuit unus de posteris Heber, nomine Ophir, ex cujus stirpe venientes, a fluvio Cophene usque ad regionem Indiæ, quæ vocatur Serie, habitasse, refert Josephus.

2. Non

† 2. Non itaque legendum eſt *Opher* pro Ophir, quem admodum ſuo ſibi uſitato modo facit & contendit Joh. Gorop. Becanus l. VII. Hiſp. p. m. 112. qui *Opher*, *ſive Over*, *ſive* Meer flectit atque reflectit. Aliud enim oppidum fuit *Opher* ſeu *OFER*, quod etiam *GETEPHER* ſeu *Gath Cepher*, item *Gethacoper* dictum fuit, patria ſcil. prophetæ Jonæ, in tribu Sebulon ut eſt Joſ. XIX. 13. & 2. Reg. XIV. 26. & viciſſim alia *Regio Ophir* eſt, Indica ſcilicet & Orientalis mundi plaga.

† 3. *De Ophir* autem certum eſt, quod iſtud vocabulum hic non tam de *Incola regionis* Ophir; quam de ipſa *regione Ophira* uſurpemus, utpote cujus ſitum, naturam & ubertatem hic perpendimus. Præterea iſtud quoque in anteceſſum notandum eſt, quod OPHIR hic ut *proprium*, *non ut appellativum* velimus conſideratam *ut proprium*, inquam, ut ſit nomen terræ; non *ut appellativum*, ut ſit nomen auri; Neque enim poſſumus h. l. aut diſſimulare aut præterire hanc quæſtionem: *An Ophir etiam aurum ſignificet? Seu an ſit nomen auri?* Invenimus enim S. Hieronymum Ep. 104. ita ſcripſiſſe, *Ophir eſſe genus auri, vel a loco Indiæ, vel a colore nomine indito*. Idem repetit *Ep.* 140. *ad Principiam*. Attamen ſi curatius vim vocis conſideramus *, nobis non videtur eam ſignificationem habere. *Locum notare*, in quo aurum effoditur, aut reperitur, advertimus, aſt ipſam auri naturam exprimere non invenimus. Indubitata res eſt, quando ſimul *Ophir* cum alio nomine conjungitur, ut *aurum de Ophir* 1. Reg. X. v. 11. 2. Paral. IX. 10. Job. XXVIII. *16*. In iis quoque locis, ubi potiſſimum aurum ſignificare debebat, ſemper *in regimine* [quod vocant Doctores & Grammatici Ebræi] ponitur, utpote Eſ. XIII. v. 12. מכתם אופיר *præ auro Ophir*. Certum enim eſt, quod כתם per ſe ſignificet inſigne aurum, ſeu nobilem auri maſſam: Ideoque conjungitur cum Ophir, ut ſignificetur præſtantiſſimum aurum ex Ophir. Hinc quoque Job. XXI. 24. nominantur *torrentes Ophir*, quod Vulg. reddit *aureos fontes ſeu torrentes*, non ideo, quia Ophir aurum ſignificat, ſed *quia in Ophira regione ſunt fluvii, qui aurum ſecum vehunt, quique ideo poſſent aurei rivi ſeu torrentes appellari*, per metonymiam ſcil. Subjecti. Abundantia igitur auri tota phraſi innuitur & metaphorice magna felicitas. Ita Ophir explicant R. Salomo & Abenezra, uti & R. Levi, Ben Gerſon, qui phraſin integram ſic explicat: *vult dicere, veluti producit petra fluvios abundanter, ſic Jehova benedictus abundanter tibi dabit aurum Ophir*, apud Salom. Glaſſ. Rhet. Sacr. t. 1. c. 3. p. 39.

† 4. *Ophir* alias etiam appellatur *Sophir* apud Joſephum Σεβὶρ item Σώφειρα ſecundum LXX. Interpr. qui סופיר legiſſe creduntur: Præterea *Ophir & Tharſis* æquipollentia nomina eſſe plures ſtatuunt, ideoque quod *de Ophir* dicitur, illi etiam *de Tharſis* dicunt, & viciſſim *cum Tharſis meminerunt*, *Ophir* omittunt, procul dubio ea de cauſa, quia utrumque pro uno & eodem reputant, *Joſeph Acoſta la. c.* 14. *do Natura orbis Novi*, *Procopius in l.* 3. *Reg. Villalpand. T.* 2. *in Ezech. Thom. Malvenda l. III. c. XIX. de Antichriſto*, *Bozius l. XX. de Sign. Eccleſ. c.* 3. *Theodor. l.* 3. *Reg.* 4. 31. At profecto his calculum noſtrum dare non poſſumus: Ophir enim eſt *nomen regionis*. Tharſchiſch eſt nomen *maris*. *Ophir eſt terminus navigationis Salomoneæ*, Tharſchiſch vero eſt mare, in quo naves ibant. Multo minus iſtud verum eſt, quod *Tharſchiſch ſit Tarteſſis Hiſpanica*, ut Anaſtaſius *Synaita l.X.* Hexaem. *Franc. Forerius* ad Eſ. 23. *Bozius* l. XV. de ſign. Ecc. l. c. 18. *Ribera* in Jon. 1. *Sotomajor in Cantic. V. Joh. Gor. Becanus* l. 5. & 7. Hiſpan. *Pineda* l. 4. de Reb. Salom. c. 14. p. 244. volunt, quod in eam vel propria aliqua Claſſis Salomonis ex Joppen in mari mediterraneo ſolverit, vel quod eadem, quæ in *Ophir*, *etiam in Bœticam Hiſpaniam* tetenderit. Utrumque enim a nobis rejicitur.

†. 5. Nova prorſus & plane inſolens eſt Goropii nomenclatura, quando *Ophir* etiam ORBEM ATLANTICUM vocat. *Quia*, inquit, hic *Oceani Occidui trajectus maximus fuit*, *optimo jure Atlanticus orbis Opher dictus eſt* in Hiſp. LVII. p.m. 1121. Nam *mare Atlanticum proprie eſt pars* maris Africani in Mediterraneo a Mulucha fluvio, Mauros a Numidis ſeparante, incipiens, & ad occiduum vergens, Abylam montem alluit, & ab Ampeluſio, promontorio terminatur. *Latius* ſi acceperis partem *maris Del Nord*, imprimis maris Æthiopici ita quoque nominare licebit propter inſulas Atlanticas ex adverſo Africæ hærentes. Tandem quoque demus, ſi *latiſſime* capias *totum Oceanum Occidentalem*, ab Africa & Portugallia, uſque ad novum orbem Americanum vocari *Mare Atlanticum*. Ipſa tamen terra Ophir, ORBIS ATLANTICUS dici nullo modo poteſt: quia tantum ab *Ophir diſtat Orbis Atlanticus*, quantum Aſia ab America & una pars terræ ab altera; i. e. per aliquot centum milliaria. Quod addit *Goropius*, *Platonem in Timæo* jam tum vocaſſe *Atlanticum Pelagum*, illud tantum abeſt, ut credam, ut potius arbitrer,

Pla-

Platonis *Oceanum Atlanticum* alium non esse quam *pelagum circa Carthaginem* & reliqua Numidiæ littora. Quid enim *Plato novit de Ophir*? Quid de *novo Orbe Americano*, qui aliquot millenariis annorum post demum inventus est?

6. Sunt, qui ab *Ophir* deducunt *Obryzum & Obryzatum* aurum, ut sit idem quod *Ophiriticum*, dicaturque quasi *Ophirysum* secundum Hieron. in Jerem. Perer. in Gen. l. XV. D. XI. p. m. 415. Isidor. l. XVI. Etym. c. 17. J. Avenar. in Dict. Ebr. p. 28. aliosque, quod aliquoties Vulgatus Interpres retinuit, & ubi præstantissimum aurum nominare & exprimere volebat, *Obryzum* reddidit Es. XIII. 12. Job. XXVIII. 15. Cap. XXXI. 24. Dan. X. v. 5. 2. Par. III. 5. Cæterum non adeo congrua hæc literarum cognatio est. Nam *Obrizum*, vel *Obrissum an ex Græco, an vero ex Latino themate* veniat, ---- adhuc sub judice lis est. Erasm. certe in Annot. in Epist. 13. Senecæ, *ambigi*, scribit, *cujus linguæ vox sit obrissum*. Joh. Gorop. Becanus, cujus hic iterum adducenda est novitas, l. VII. Hisp. p. m. 113. Obryzum ex Teutonica aut Cymbrica Dialecto, more suo, derivat, quasi sit aurum *Oberreisum* Ober reise Gold/ quia ex profectione in altum nautica, quæ communiter dicitur eine Oberreis/ afferebatur in Hispaniam & Tartessum. Opher/ inquit, Ower/ & Ober/ *sine discrimine pro eodem in variis dialectis usurpantur*, *unde* Ober reis *ad verbum significat iter quo trajicitur*, *quo per excellentiæ figuram profectio in orbem Atlanticum denotatur*. *Hinc inter mercatores Tartessiacos & alios ejusdem navigationis peritos aurum Oberreisum dicebatur*, *quod illo itinere esset allatum*, *& inde mox* συγκοπτως *Obreisum in vulgus transiit pro auro purissimo*, *quale videlicet Atlanticus dabat trajectus*. *Quamobrem aurum Opher*, *aurum Perueim & aurum obreissum pro eodem dicuntur*, *pro auro nimirum puro puto*, *cui nihil est alterius metalli admistum*. Ast bone Deus, quæ hæc est notatio Nominis? Quare non potius obryzum diceretur quasi over rißend/ ex Idiomate infer. Saxon. rißen/ pro reißen/ quia allicit, & stimulat homines ad se quærendum? Sed profecto Becanum hic potius lusum ingenii exercuisse quam veritatis avido lectori satisfacere voluisse arbitror, saltem ut ostenderet, quod nihil singularium opinionum intactum relinquere soleat hominum curiositas.

7. *Isidorus lib. XVI.* Etymol. c. 17. ab *obradiando* deducit, quod cum *obrasum* fuerit aurum, splendidius fiat, & obradiet clarius. Alii a Latin. *Obruso* derivant, ideo quod ejus color rufus, fulvus seu rutulus appareat. *Hermolaus quidam ex Phocione in Plin. lib. 33. c. 3. & Corn. a Lap. Comm. in Jer. X. p. m. 69.* originem Græcam allegant, ut ὄβρυζον dicatur ἄβρυζον (quod vocabulum quale sit, nullibi invenio, ideoque Hermolai peritiæ est remittendum] h. e. *sincerum*, *delicatum quod sæpe igne candefactum & exustum est*, *donec nihil alterius metalli admixtum habeat*, *& purgatissimum sit*, ἄπεφθον χρυσίον, quod experimento ignis rubet igneo colore, ut loquitur Plin. l. XXXIII. c. 3. In quo sensu etiam apud JCtos allegantur *solidi obryzati* qui auro expurgato & excocto conflantur. L. ult. C. de vet. numism. potest. *Hic noster Consult. Dn. D. Casp.* Bicaler *in Calendis Januariis legendus est*. Et apud eosdem *obryza* distinguitur a *balluca* L. 2. C. de Metallariis. Quarum ea notat, excoctum aurum, quod minoris ponderis est; hæc vero est, quæ modo ex auri fodinis extrahitur. Sunt, qui *Obryzum ab Obrisa vel obrussa* denominant, quæ significat *examen*, *probationem ac excoctionem auri*. Quare *aurum Obryzum seu obrussatum seu obrusum* erit aurum expurgatum, quod nulla amplius exploratione opus habet. Unde Politianus ad Beroaldum l. VI. Ep. ad obrussam exigere dixit, i. e. ad examen & expurgationem: Et quod Seneca l. IV. Nat. c. 5. dixit, si omnia argumenta ad lancem cœperimus exigere, &c. id Joh. Opsopæus legendum esse vult argumenta *ad Obrussam exigere*, & Andr. Schottus ex *J. Lipsii &* Joh. *Fred. Gronovii* emendationibus in edit. Elzeveriana Anno 2649. Lugd. Batav. etiam ad *obrussum* legit.

8. Ejusdem census esse videtur *Aurum ad obtrusam*, quod *Nero Claudius* Imperator ingenti fastidio & acerbitate exegit a Romanis, cum expeditionem in Gallias susciperet; *Nummum asperum*, *argentum postulatum*, *aurum ad obrusam* nominat C. *Svetonius* Tranq. in Neron cap. XLIV. Pro quo alii Codd. & imprimis Memmianus legunt *argentum pustulatum*, *a pustulis* scil. quæ in argento cælato in aspredinem quandam excisæ visuntur, sicut pustulæ in corpore, ἀργύριον φλυκταινῶδες, quemadmodum *Martialis in Sextum*, cum ab eo ad convivium invitatus non esset, jocatur l. VII. Epigr. 86.

Sed causam scio, nulla venit a me
Hispani Tibi libra pustulati:

Hinc apud eundem alibi *pustula* dicitur ipsa puri argenti massa *Carolus Molinæus* Gall.

qui Opher, h. e. ultramarinum orbem nobis aperuerunt. Hos sequitur *Casp. Varrerius* Comm. de Oph. c. fin. ubi de *Tharsis* ita pronunciat. *Scripturæ Africam nomine Tharsis expressit, sicuti terris nostris nostra memoria repertis usu venisse videmus; Quæ ideo, quod a nobis procul versus occiduas orbis partes recesserint, & auro plurimum abundarint, vulgo jam Indiæ nomen invenerunt.*

II. Et fatcor multis difficultatibus satis fieri posse, si hæc teneatur opinio. Sive enim in Americam, sive in Africam, sive in Sianam Indicam excurrisset Salomonis classis, semper tamen in Ophir, i. e. in remotam provinciam ivisse dici potest.

3. Attamen ex sequentibus manifestum fiet, quod Ophir [de Tharsis hic nihil dicam] proprie hic accipiatur, notetque certam Indiæ Orientalis partem, quam Ophir Eberi nepos incoluit, eique nomen dedit. Quis enim Salomonis classem in incertum evagatam esse, & certum sibi terminum præfixum non habuisse credet? Neque ullus vel in sacra vel prophana historia locus est, in quo Ophir incertum aliquem terræ tractum significet.

IV. Neque eadem ratio denominationis *in India & Ophir est*. Nam *Hispani*, & *eorum more nos Germani* quoque, Indiam vocamus utramque Orientalem & Occidentalem, West- und Ost-Indien, sed falso & improprie, cum vera India Asiæ regio sit ab insigniori fluvio *Indo* nominata. Si vero Americæ ab ejus flumine primario nomen indere libuisset, *Amazoniam* potius vel *Orelianam* indigitasset, ut Carol. Stephani loquitur.

V. Quocirca etiamsi nos quoque cum vulgo interdum Indiam vocemus, proprie tamen Orientalis saltem India est dicenda. Occidentalis vero vel vulgari errore, vel ideo sic appellatur, quia primi ejus inventores ex antiquis Geographis putarunt, *eam extima sua parte cum regnuo Chinarum cohærere*, & ita eandem cum India Orientali constituere terram.

SECTIO III.

An Ophir sit Africana?

SUMMARIA.

I. *Quatuor classes Ophir in Africa ponentum.* II. *Primi in MELINDE.* III. *Secundi in Angola.* IV. *Tertii in Zophala, aurifodinis divite, & negotiante cum Mozambique, notatur Dinothus, quod Zephala non sit Isola Lunæ, & Pererius, quod non sit Sumatra.* V. *Quarti Carthagine, æmula Romæ.* VI. *Refelluntur. Carthago non est Ophir.* VII. *Angola non est Ophir.* VIII. *Melinde & Sophala non est Ophir.*

I. FUndamentum positum est, quod Ophir certum scilicet locum denotet. Quis autem, & ubi terrarum sit, porro est dispiciendum. Primus hic Autorum census est, qui Ophir Salomonæam in *Africa* ponunt. Et ii quidem iterum in quatuor discinduntur classes, quarum aliqui *in Cuspide Meridionali*, aliqui in *umbilico mediterraneo*, aliqui in *media littorali ad Ægyptum*, aliqui in *Fronte Africæ minoris ad confinia Numidiæ* sollicite Ophiram indagant.

II. *Primi* igitur opinantur, *Ophir* esse *MELINDEN*, seu regnum *MELINDANUM*, quod dicit *Bartholdus Nibusius in Tract. Chorogr.* p. m. 85. quod in potentissima & littorali regione *Zangibar*, præ aliis regni præcellit, & avorum nostrorum memoria humanissimos & erga exteros benevolos Reges habuit, hodieque Lusitanorum mercatorum frequentia admodum celebratur. In eo metropolis & sedes regia *Melinda* sita fere est sub circulo æquinoctiali, quæ cum sua vicina QUILOA ditissimarum *aurifodinarum* plena est, uti *Johanni Regi* Lusitanorum nunciavit *Petrus Covillanus* primus Abyssinorum & Indicorum emporiorum lustrator apud *Joh. Petr. Maffæium* H. Ind. lib. 1. p. m. 40.

III. *Secundi*, citante *Corn. a Lap. in Jer. X.* p. m. 69. a. *OPHIR* esse *ANGOLAM in Æthiopia* arbitrantur, quia Josephus dicat classem Salomonis præter aurum etiam *Æthiopica mancipia* advexisse. Est autem ista *Angola in Presbyterio S. Johannis*, quod vocant, i. e. in Abyssinorum imperio; quorum ACEGUE & NEGUZ (ita enim suum Imperatorem Abyssini salutant) ex ea titulum ducit, dum se Regem

gem Angolæ & Fatigar appellat. Sub ipso circulo æquinoctiali ad fluvium *Onchu*, in Nilum se exonerantem, sita est.

4. *Tertii* longius progrediuntur, & ad ZOPHALEM confluunt, ibique *Ophiram Salomonæam* esse dictitant. *Volaterranus l. 12. Cosmogr. Stuckius ad Arriani Periplum Maris Rubri. Oleaster ad Gen. X. Hector Pintus in Ez. II. & Dan. X. Abr. Ortelius in Thesauro Geograph. Istella in Gen. X. Ramusius in Histor. Naval. Thomas Lopezius in Navig. Indic. Beroaldus, Merula, & plerique* communiter Lusitani, apud *Ludov. Venetum in descriptione* Navig. Indic. Est ea *Zophala, alias Cesala, Sophala, item Ceffala* sub ima Africa ad Oceanum Æthiopicum sita non procul a Tropico Capricorni, quæ duobus quis notissimis fluminibus includitur, Zuama & Rio de Spirito Sanctis (loquendum ita barbare cum barbaris) aurifodinis prænobilis terra, ex qua Lusitanis magna auri copia transportatur, ut *Covillanus* in literis Memphi datis ad *Joh. Portugallum* docet apud *Maffæum* l. 1. p. 40. Hæc magna commercia cum vicinis Mozambique, Fartana, Quiloa, Mambaza aliisque exercet. Ex *Osorii l.* 3. eam *Richardus Dinothus in Advers. Histor. Quinquages. prima de Region. orbis p. m.* 157. vocat *Zofulam*, eamque facit insulam *Madagascar* quæ communiter *S. Laurentii*, item *Lunæ Isola* vocatur. Sed meo quidem judicio fallitur Dinothus. Nam alia est Insula Laurentii & vicissim alia continens Zephale, utpote quæ ad Presbyterium ATICLABASSI adhæret, & inter Monomatapam, Mozambique, atque montes Lunæ Africanos qs. interjacet media. Similiter quoque humani quid patitur *Bened Pererius l.* 15. *in Gen. D. XI. n.* 153. quando opinatur hanc Zeffalam esse *Sumatram*. Quia Sumatra Asiatica Insula, Zeffala autem Africa continens est.

5. *Quartum pro OPHIRA locum* aliqui ex R. D. *Kimchi* aliorumque qui Latinum Interpretem, sequuntur, opinione assignant in *Africa* CARTHAGINEM, eo potissimum fundamento ducti, quia *Tharsis & Ophir hic* conjungi videntur, *tanquam nomina ejusdem regionis auriferæ: Tharsis autem in multis Scripturæ locis vertitur a Vulg. & intelligitur quoque ab Hieronymo Carthago*. Quemadmodum etiam *Corn. a Lap. in Jer. X. ait, Africa & Carthago, quæ diu mari dominata est, & in re navali floruit, vocatur Tharsis*. Hæc ista *Carthago* est, quæ æmula Romæ late quidem in Africa, & in aliquot Europæ partibus, Hispania imprimis Siciliaque dominata est, magnumque divitiarum & mercium apparatum collegerat, ut de principatu cum Romanis concertare auderet.

6. Sed eam sententiam de *Ophira Africana* plane repudiamus, utpote, quæ non adeo magnos habet patronos, quæque cum suis assertoribus exolevisse judicatur. Nam [1] ut ὕστερον πρώτερον faciam, quo minus credam CARTHAGINEM esse OPHIRAM, aut Tharsis, hæc immota sunt fundamenta. (α) Quia *tempore Salomonis Carthago nondum erat in rerum natura, utpote quæ demum annis post Salomonem centum & ultra est ædificata*. Quomodo igitur Salomonis tempestate tot massas aureas & argenteas, tot species animalium Salomoni mittere & communicare potuit? (β) *Portus navigii Salomonæi non Joppe fuit*, ex quo versus Ægyptum & Numidiam facilis fuisset in mari mediterraneo in regionum Carthaginensium expeditio; *sed Asiongaber, in littore maris rubri*, ex quo in mari Indico Æthiopico & Atlantico, superato capite bonæ spei, incredibilis & plane dispendiosa mihi videtur navigatio, cum potuisset fieri per pauca, cur facta esse creditur per multa & infinita discrimina rerum & marium diverticula?

VII. Quantum ad *Angolam Æthiopicam* spectat, illa OPHIR esse non potest, quia non maritima sed mediterranea ora est, neque ita dives auro, quam aliis metallis, imprimis autem ære. Imo in *Josepho nihil de mancipiis Æthiopicis* invenio, quod ea classi Salomonæa sint advecta, utut alias diffiteri nolimus, quod Salomoni tantopere ob divitias & magnificentiam celebrato undiquaque dona allata, & sic forte etiam ex Æthiopia tales vernæ dono mitti potuerint, sed istac navigatione asportatos esse nullibi legitur.

VIII. Deinde quod *ZOPHALA aut MELINDE Ophiræ* titulo veniant, ex his conficitur rationibus. Nam (α) *Melinde & Zophala viciniores sunt portui Arabico, quam ut triennalem navigationem* requirerent. *Covillanus* certe [explorator locorum horum Lusitanicus) in MELINDES & Zophalæ loca excurrit, & isthac reversus est Cairum in semestri anni spatio, quum hujus pelagi non admodum gnarus esset. [β] Qu. *regio nullos pavones gignit, nullum gemmarum pretiosarum genus, nullumque argentum habet, ea non potest esse Ophir Salomonis. Atqui Cesale ac Melinde nullas gemmas, nullum argentum habent*, quod habet *Varrerius* in Comm. suo Topograph. lit. c. 8.

SECTIO IV.

An OPHIR sit AMERICANA, & nominatim vel HISPANIOLA, vel PERU, vel PERU & MEXICO simul?

SUMMARIA.

I. *Partitio totius sectionis in tres sectas.* II. *Prima ponit Ophir in Hispaniola ejus inventor, nomina prisca & recentia.* III. *Secunda in Peru.* IV. *Tertia in Peru & Mexico. Iter campestre ex Panama in Nombre de dios.* V. *Quarta* [*additur*] *in Insulis Salomonæis.* VI. *Modesta dissensionis excusatio.* VII. *In genere negatur, Ophir esse AMERICANAM.* VIII. *Ob portum, pericula, dispendia, &c.* IX. *Ob viam ignotam, & ob totam Americam incognitam.* X. *Cursus navalis Genebrardi ex mari rubro per Africæ promont. in Peru.* XI. *Alius Ariæ Mont. per Orientem.* XII. *Tertius Pinedæ in Peru & Hispaniam.* XIII. *Negatur in specie, Hispaniolam Peru, & Mexico esse Ophir.* XIV. *Merces Salomonis ex Ophir portabantur herbæ exotericæ.* XV. *Sterilitas insularum Æthiopicarum in comitiis Imperii Lusitanici asserta.* XVI. *Insulæ Salomonis non sunt Ophira Salomonæa.*

I. NOvus nunc adeundus orbis est, cum iis, qui *OPHIRAM* nostram ex orbe veteribus cognito versus *Occidentem* in *AMERICAM* trasportant. Interim & hic in tres abeunt sectas, hujus sententiæ Patroni. *Primi ponunt in HISPANIOLA* : *Secundi in PERU*, *Tertii in Peruana & Maxicana ditione* conjunctim sumpta

II. In HISPANIOLA *Christoph. Columbus*, *Robertus Stephani*, *Genebrardus ad annum* M. 3150. & imprimis *Franc. Vatablus* ad 3. Reg. IX. ponunt. *Columbus* enim felicissimus iste Oceani Occidentalis vector, victor & apertor cum Anno Christi 1492. hanc novam in novo orbe primam insulam, quam ipse postea Hispaniolam, quasi minorem Hispaniam, vocavit, invenisset, sæpe dicere solitus est, se *Ophir SALOMONIS* invenisse; ut scribit Petrus Martyr Anglariensis de eo l. 1. Decad. Oceanicæ, quod aliquoties ex ejus ore audiverit. Cui Fr. *Vatablus* constanter assentitur, dum eam hujus regionis occidentalis partem nomine Ophir significatam esse autumat, nempe insulam ante ingressum Peru, nostratibus *S. Dominici*, *La Espannola*, exteris Hispaniola dicitur. Sic enim ille: *Ophir*, inquit, *est remotissima insula, a sinu Ellanitico. Nam tertio demum anno revertebantur inde; vocatur hodie Spagnola; sic nominata a Chr. Columbo, in occidente est, in terra nuper inventa, est enim ibi aurum laudatissimum.* Eam insulam totam descriptam habemus in *Petr. Martyr. Decad.* Oceanicis & *Franc. Gomaræ* Gener. Hist. Ind. c. 26. seq. A primis conditoribus dicta est *Quisquæja*, postea *Haithai*, deinde *Cipamga*, ab Hisp. autem *S. Dominici*, eo quod die Dominica inventa esset, & a primaria ejus urbe, ejusdem nominis.

3. *In PERU* ponunt *Bened. Arias Montanus Hispalens.* in lib. phaleg. de Gentium prim. sedib. *in præfat.* & cap. IX. de tertia terræ parte p. m. 11. *Joh.Gorop. Becanus* l. VII. Hispan. p. 105. & 112. *Guil. Postellus* in Comm. Rer. Atlant. it. in Compend, Cosmograph. *Marcus Marinus* Brixianus de Arca Noe in voce *Oph. Genebrardus* in Chron. An. M. 1820. 3150. & 5572. *Anton. Possevinus* lib. III. Bibl. selectæ cap. 8. *Theod. Zvvinger. Theatr.* Vit. Vol. XXIII. l. 2. p. 3969. *Th. Bozius Eugubinus lib. XX. de Sign. Eccl. Franc. Roder. Jepes* in Hist. Pueri Innoc. Crucifixi: *David. de Pomis* in Germine David. in Oph. *Gregor. Garcias*, Dominicanus, de Indor. Occid. Orig. lib. IV. cap. 2. 3. seq. *Mart. Del. Rio ad Medeam* Sen. act. 2. *Dom. Joh. Avenar.* in lib. Rad. Ebr. sub. R. אפר p. m. 48. *Valent. Schindl.* in Pentaglott. col. 1477. His accedunt quoque plures alii recentiores tum ex nostratibus, tum ex aliis quoque, *Dom. D. Wolfg. Franzius*, de Interpr. Scr. pag. m. 197. *Dom. Erasm. Schmid.* in Orat. de America adjecta Pindaro pag. m. 261. It. *Petr. Martyr. Comm.* in 1. Reg. IX. pag. m. 79. *Henr.Alsted. in Mathem.* pluresque alii. Joh. de *Pineda*, *etsi Comm. in Jobum* huic sententiæ non faveat, tamen *lib. IV. de Reb. Salom. cap. XVI. num. 6.* ab ea non videtur multum discedere, dum Montani & Vatabli minus *levem minusque deformem & minime indignam, quæ a sapientibus & veritatis amantibus benigne audiatur, sententiam* pronunciat pag. m. 283.

§. 4.

§. 4. *Conjunctim* in *Peru & Mexico seu Hispania Nova* collocant *Thomas Malvenda*, *Gregor. Garcias*, *Vatablus*, quem supra c. I. §. 10. citavimus, quique cum *Genebrardo* ad Ann. 3450. in via ad Cubam & S. Dom. Insulam constituunt: qui a prioribus non multum discrepant, dum eandem aut saltem similem transportationis rationem fuisse volunt tempore Salomonis, qualis hodienum est, dum Hispani aureas laminas ex Peruanis fossis erutas navibus deferunt in *Panamam*, & ex Panama per intergram istam Isthmum XVIII. præter propter milliaria curribus deferunt in urbem oppositam maritimam *Nombre de dios*, ex qua in *Cubam aut Hispaniolam*, aut aliorsum transvehi potest, conf. *Matth. Merianum* in Histor. Antipodum part. I. pag. 110. seq.

5. Quibus quoque *Quarta* posset accenseri non-neminis sententia, quæ in *Insulis Salomonis ad novam Guineam* sitis [quas eam ob causam sic appellatas esse judicat] auriferam nostram Ophiram esse sitam autumat, quia fortassis facilius aut certe æque facile fuisset per fretum Magellanicum in eas exire, quam per mare Atlanticum superata *Brasiliæ*, *Tinadæ*, *Caribanæ*, *& vicinarum longe potentissimarum regionum continente* ad Hispaniæ novæ, aut Peruanæ ripam appellere.

6. Cæterum quia

Diversum sentire duos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia,

speramus nos quoque, vitio nobis versum non iri, si ab hac tot tantorumque virorum auctoritate corroborata sententia recedamus, ostendamusque ejus rei certas aliquas causas. Nihil alias tam violentum est, quam in aliorum placita cogi, & vicissim nulla major libertas est quam ubi licet, quæ sentias & corde premas, ore, calamoque proferre.

7. Agite igitur, & perpendite, quæ præviis, & quasi ductoribus *Jos. Acosta l.* I. de N. N. O. cap. XIII. pag. m. 31. *Bernh. Aldretel. III. de Orig. Ling. Hispan. cap.* 13. *Thoma Malv. lib.* 3. *de Antichr. cap.* 27. *Barradio l. V. Concord. cap.* 11. *Corn. a Lap. in Jer. X. p. m. 69. Bened. Pererio in Gen. lib. III. D. IV. num.*109. *pag. m.* 106. *& l. XV. d. XI. num.* 152. *seq. Casp. Verrerio peculiari de Ophyra Comm. Barth. Nibusio in tract. Geog. de Asia cap. 6. §. 5. pag. m. 84. Job. de Pineda Comm.* in Job. XXVIII. aliisque sumus in causæ nostræ negativæ patrocinium vocaturi rationes.

8. Primum igitur in *Genere* contra situm OPHIRÆ Americanum istud unicuique æquo rerum æstimatori cogitandum relinquimus. Nunquid consentaneum sit, *Salomonem ex mari rubro* [ibi enim navigium ejus solvit] *relicta India orientali viciniori*, *notiori*, *multoque rerum pretiosarum fertiliori*, *atque minus periculosa aditu*; *immenso circuitu navigationem instituisse ad novam* [non notam sed detegendam primum & incertam, minus divitem, remotissime dissitam] *regionem* Americanam & Peruensem, præsertim cum ad eam regionem ex Joppe vel alio portu maris mediterranei per fretum Gaditanum multo breviori, faciliori, & magis usitata navigatione pervenire potuisset? Mihi sane istud non videtur. Ecqua enim pericula in Arabico in Æthiopico, in Magellanico, in Atlantico, in Brasiliano aut pacifico Oceano metuenda fuissent, eo præsertim tempore, cum maria adhuc incognita & quasi invia videbantur ipsaque navigandi ars in suo latitabat primordio? Ecqui sumptus & impensæ? quantum temporis spatium requirebatur? quanti æstus & sudores perferendi? dum in excursu & recursu quatuor distinctis vicibus circulus æquinoctialis (econtra in expeditione Indica ne semel quidem) superandus, totiesque Tropicus Capricorni, duploque minus Tropicus etiam Cancri tangendus esset. Quot flexuræ, quot indirecti cursus, quot retrogradationes in littorum periplo & aditione meticulosa fuissent necessario suscipiendæ? Alias natura quoque animalia rationis expertia docuit, ut lineam, rectam omnium brevissimam sequantur. Certe si bovi pabulum, lepori malvam cani pulmentum eminus monstres, non per circulum aut obliquam viam, sed per rectissimam, quam potest, ad prandendum accurrit. *Quæ igitur* [malum!] *in sapientissimo Salomone fuisset insipientia, quæ stultitia, aut imprudentia per inextricabiles flexus Ægyptiacos, Arabicos, Æthiopicos, Magellanicos, Americanosque adigere naves, quo nulla ante eum itinera pervia aut nota erant*. Cur non in mari mediterraneo, cujus nautæ Phœnices peritissimi erant (*linea propemodum recta*) tendisset in Latium istud Americanum? In quem igitur finem novus ille in mari rubro portus institutus fuit?

9. Porro. *Quæ via & terra nunc noviter inventa*, *veteribusque aut prorsus incognita*, *aut saltem fabulosa fama cognita erat*, *ea terra non est Ophir*, *ea via quoque non est in Ophir*. *Atque via ex Asiongaber versus promont*. *Africæ extimum in Americam*

ricam Peruanam, item integra terra Americana nostris atque avorum nostrorum temporibus demum est inventa, veteribusque aut prorsus incognita erat, aut saltem fabulosa fama cognita, E. *Terra Americana non est Ophir, nec via ista est in Ophir*. *Major est* certa. *Minor prob.* quia via ista a Portugallis, A. 1496. est aperta, ut in peculiari dissertatione diducemus. America autem a Columbo auspiciis Regis Castiliarum est detecta, ut est ap. *Aug. Thuanum* l. 1. t. *Paul Jovium* lib. XXXIV. Hist. in *T.* 2. *Hispan Illustrat.* apud *Zonzalum Fernandum Oviedum* in 1. part. Gen. Hist. Indic. & *Aug. Justinianum in Notis* Octapli ad Psal. 18. 5.

10 Eo magis mirandum, delineare ausos esse autores Navigationis Salomonææ cursum, quem in Americam perfecerit. *Genebrard. ad An.* 3150. hanc demonstrat viam. *Solventes*, inquit, *ex rubro, & aliqua Indiæ Orientalis perte perlustrata, attactis Malaca, Sumatra, recta deinde contenderunt ad Insulam S. Laurentii, ex qua ad Caput B. Spei, inde ad Brasiliam, inde in Cubam, & Insulam S. Dominici*. Via certe tam compendiosa, ut compendiosiorem excogitare non posset, qui per glacialem Septentrionis Oceanum in Orientem, & ex Oriente per mare Æthiopicum in regionem Psittacorum flecteret navium cursum, cum posset ex Gaditano freto prope littora Africæ recto ferme tramite adire. *Cur enim quæso apparavisset Salomon classem in sinu Arabico, ut circa totam Africam navigaret, quum commodius in mari mediterraneo per fretum Herculeum vela facere potuisset? Aut cur ex rubro mari Promontorium B. Sp. petiturus, primum adiret Sumatram, Malacam (i. e. insulas orientalissimas, & ubi omnia habebat, ac habere poterat, quæ Ophir suppeditabat) iterumque flexo gradu ex Oriente versus Austrum, & vicissim ex Austro versus Septentrionem in Brasiliam progrederetur?* Nisi omnia me fallunt, hæc fuisset errabunda & puerilis navigandi ratio, qua iter multis annis non absolveretur.

11. *Aliam* expeditiorem, si fortuna favet & Neptunus, viam monstrasse Salomonem suis nautis opinatur *Arias Mont. Versus Orientem*, inquit, *præternavigatis Moluccis, per archipelagum ad regionem Mexicanam venerunt, deinceps lambendo oras Peruanas & regni Chilensis per fretum Magellanum & Caput B. Sp. iterum redierunt in mare Arabicum*. Ad hæc respondet *Pineda l. IV.* de R. S. c. 16. p. m. 283. *Hæc quidem possibilia sunt, sed an reipsa ita perfecta sint, res incerta est. Incerta vero? imo prorsus inepta.* Cur enim Salomon ex remotis adeo oris peteret, quod vicinores affatim suppeditabant? In orientalibus insulis & regionibus omnis generis merces, quas exoptare sibi delitiosus, aut expetere potentissimus princeps poterat, inveniebat. Cur igitur amplius in incertum evagaretur? *Acquisito fine actio cessat*, dicunt Philosophi.

12. Herculis errores, iisque majores audio, quando una eademque classe *Hispaniam & Americam* ex rubro mari aditas esse conjecturat *Joh. de Pineda*, ut superato Prom. Afric & freto Magellanico in Peru, ex Peru vicissim per fretum Magellanicum *in Brasiliam, exinde in Hispaniolam, illinc in Hispaniam Europæam iverint* (& cum ex Hispaniis recta potuissent redire in Japhan Judaicum portum, tamen] ex *Hisp. vario auro, argento & avibus multis comparatis, per integrum mare Atlanticum & Æthiopicum reversi sint in sinum Elaniticum, ex quo exierant*, Bone Deus! quæ hæc dispendia itineris, temporis, & navigiorum fuissent! Perinde ac si Rex *Hispaniarum classem vellet in suam Novam Hispaniam emittere; eamque juberet ire primum in Norvegiam, Islandiam, Estolilandiam, terram Corterialem, Norunbegam, Floridam, Virgineam, & sic in Peruanas ac Cubajanas porvincias, illinc autem per Brasiliæ, terræ Magellanicæ, totius Africæ, Mauritaniæ, Numidiæ, Tunetanæ, Cyrenæ, Ægypti, Syriæ, Asiæ Minoris Græciæ, Italiæ, Hspaniæ, Lusitaniæ oras domum revertentem exspectaret.*

13. Sed propius ad *Hispaniolam*, in quo Columbus Genebrard, & Vatabl propius *ad Peru*, in qua Goropius, Postellus, eorumque socienni, propius ad *conjunctas Peru, & Novam Hispaniam*, in qua Malvenda & Garcias OPHIR ponunt, accedimus, & contra sic statuimus. *In qua regione præter aurum & saccharum præter aurum & argentum, præter aurum & margaritas, nihil mercium Salamonæarum reperitur, ea non est Ophir. In Hispaniola præter aurum & saccharum; In Peru præter aurum & argentum, In Peru & Mexico præter aurum & margaritas excellentissimi generis nihil mercium Salomonæarum reperitur; non ligna optima, non ebur, non gemmæ, non pavi, aut simiæ. E. Neque Hispaniola, neque Peru, neque nova Hispania fuit OPHIR.*

14. Audies hic exceptiones eorum varias (α) *si non in PERU, in Mexico tamen, in Brasilia, aut aliis totius occident. Americæ regionibus invenientur* (β) *Imo in transcursu ex aliis insulis simias ad oblectandum Salomonem acceperunt*. Ast in promtu est responsio. (1) quod binæ hæ exceptiones mutuo se destruant. Si enim ex occiduo mun-

mundo, E. non ex insulis meridionalibus in recursu animalia ista acceperunt. (2) precise describatur illa, ex quanam provinciarum Americanarum reliquas istas merces transsumpserint, ut videamus, nunquid tales res ferat. Certe multæ istæ *exotericæ herbæ*, quas Roder. *Camoranus Cosmogr. Regius & Prof.* Hispalensis in Viridario suo Hispalensi habuit, hanc rem non expediunt, uti opinatur Pineda, cum Scriptura inter Salomonis merces eas non connumeret. Nullum autem dubium est, plura nova nobisque antea inaudita in novo orbe occurrere, sed ea in commercium nautarum Phœnicium non venerunt. (3) *Hypothesis* falsa est, quod inter eundum & redeundum ex occurrentibus insulis animalia, taliaque plura mercati fuerint, cum præcise scriptura asserat, quod ea omnia sint transportata מאופיר ex Ophir, 2. Paral. IX. 10.

15. Hac ratione una quoque exspirat novum Pinedæ effugium, quando *temporis*, inquit, *atque itineris dispendium compensatum est oportunitate legendi oras & portus aliarum Indicarum regionum, auri & argenti prædivitum in eodem transcursu, quas cum laberent Tyrii & Ebræi, illarum quoque labor & thesauros exsugebant. Quod itaque navigatio longinquior, eo quæstuosior erat, de Reb. Sal.* l. IV. c. 16. p. 282. Ast quinam tunc portus erant in occiduo pelago, cum omnis negotiatio & navigatio in Oriente subsisteret? Certe *proceres regni* Portugallici cum *Emanueli* expeditionem indicam dissuaderent, de sterilitate, & inopportunitate horum locorum multa sunt in regni Comitiis conquesti, ut est apud *Joh. Petr. Maffæum* l. 1. H. Ind. p. m. 43. *Octogesimum jam annum per assidua naufragia immanesque sumptus tot classes in Austrum navigare, & inde nihil nisi vilissimos Æthiopes, Lusitaniæ onera verius, quam ministeria, & ebur inutile, & frivolæ palmæ folia reportari. Nam quod de Aurifodinis increbuerit, verba regulos dare &c.*

16. Superest, ut de *Insulis Salomonis* noviter itidem repertis aliquid adjiciamus. Eas *Alvarus Mendanius*, Præfectus classis Hispan. ex portu *Limano solvens & per immensum Oceanum occidentem versus delatus, studio novam mundi plagam huic Americæ occiduæ oppositam pervestigandi, post trimestre tandem tempus invenit, quas ei SALOMONIAS vocare LIBUIT, easque aut magna novæ Guineæ, aut alicui ingenti continenti adhærere constans fama est*, ut scribit Jos. *Acosta* l. 1. d. N. N. O. c. 16. Rationem igitur denominationis nullam dat aliam, quam quod *Mendanio ita libuerit* vocare, conf. pecul. *mappa Maris del Zur* in Theatro *Ortelii* f. 5. Istud saltem hic annotamus, quod si in has insulas Salomonis classis exiisset, compendiosius *per Orientem quam per Occidentem* eo penetrasset in Mari Indico, sed nihil horum factum est.

SECTIO V.

An OPHIR sit ASIATICA, & nominatim In India ORIENTALI.

SUMMARIA.

I. *Transitio.* II. *Ophiræ Asiaticæ Fautores.* III. *Probatio* 1. *ab incolatu Ophir. Chavilah non est Nabathæa, nec Persis, sed India intra; Ophir India extra Gangem.* IV. *Prob.* 2. *ab Indicarum divitiarum & navigationum celebritate. Semiramidis expeditio, mercaturæ Indicæ.* V. *Prob.* 3. *a mercium omnium Salom. in India ubertate.* VI. *OPHIRÆ propria sedes.* VII. *Non est in Urphen.* VIII. *Non in Ormutz, vel ima Persia.* IX. *Non in Aphar, vel Sapphara.* X. *Sed vel in Zeilan.* XI. *Vel in PEGU, ad Triglypton.* XII. *Vel in Malaca.* XIII. *Vel in Sumatra.* XIV. *Vel in Chersoneso aurea; multæ Chrysæ, Chrysopolis, Argyrunthum. Chrysæi Argyrini, Solum Chryses aureum; montium aureorum custodes leones & gryphes. Arimaspi.* XV. *Vel in iis omnibus conjunctim, & in aliqua ampliatione sumptis i. e. in Sumatra, Malacha, Pegu, Sian, Bengala, aliisque conterminis.* XVI. *In trascursu quoque alias Insulas defloravisse putantur nautæ.* XVII. *Ophir proprie nec Insula, nec Peninsula est, sed continens, insulas tamen etiam complectens*

I. SAtis diu *in* AMERICA commorati sumus, tempus est, repetere portum, ex quo solvimus; & transfretandum est *in* ASIAM, videndumque, quia OPHIRA *nostra nec in Africa, nec in America inveniri potest*, nunquid in Tertia orbis parte, Asia scilicet, sit sita.

2. *In Asia* igitur quæsiverunt & invenerunt omnes fere post Salomonem, qui hujus regionis & navigationis in eam meminerunt. Possem ex antiquis Rabbinis aliquos allegare, sed aliis istam relinquo operam. Contentus ero ex antiquitate Judaica solius *Flavii Josephi* testimonio, quem R. David parte I. sui Zæmach f. 38. b. etiam scriptoribus Thalmudicis præfert. Is autem l. VIII. Ant. J. c. 2. p. m. 114. *Nautæ*, inquit, *in regionem INDIÆ, nunc auream terram nominatam, navigarunt*. Ex antiqu. Eccles. adducimus *Glossam Ordin.* [quæ creditur esse *Rabani* Mauri Ep. Moguntini] p. m. 146. b. *Alph. Tost. Abulensem & Nicol. Lyranum in 3. Reg. IX. p. m. 146. b. Theodoretum Cyrens. Episc. Tom. I. Oper. Qq. in lib. 3. Reg. q. 31. p. m. 763. Nicetam in Catena Job. c. 28. Procopium in 1. Reg. X. & præprimis S. Hieron. de loc. Ebraicis & Ep. 140. ad Principiam*. Hos sequuntur plures nostri seculi viri, Theologi pariter atque Philologi, *Emanuel de Saa in 3. Reg. IX. Forerius & Ad. Saasbout in Es. XIII. Franc. Ribera in Jon. Honcala in Gen. X. Bened. Pererius Gen. l. III. de Parad. d. 4. num. 106. Reuchlinus in Exposit. voc. Ebraic. Torniellus Annal. Tom. 2. ad A. M. 3043. num. 8. Christ. Adrichomius in Theatr. Terr. Sanct. in Pharan. pag. m. 118. Georg. Hornius ad Sulp. Sev.* l. 1. H. Sacr. pag. m. 196. *Joh. Tzetza, Barradas, Forsterus, Mercerus, Joh. Buxtorff.* in Epher. pag. m. 441. *Bredembach. in Psal. 44. D. Joh. Brentius* Comm. in 1. Reg. IX. pag. m. 882. *D. Sal. Glass. Rhet. Sacr. pag. m. 39. M. Henr. Bunting. Itin. T. S. l. 1. p. m. 142. Herm. Fabronius Mosemann. in Geogr. Hist. p. m. 531. Petr. Laurenb. Cent. III. Hist. XXVII. Joh. Petr. Maffæus l. 1. H. J. p. 37. Th. Malvenda l. IV. de Antichr. cap. 27. Jos. Acosta l. 1. de N. N. O. cap. 13. Pet. Ravan. Bibl. Sacr.* p. m. 195. aliique, quos hic adducere nec lubet nec licet.

3. His cum nostrum quoque subscribamus calculum, juvat ante omnia, hæc tria argumenta generalia proponere, ut Ophiræ nostræ *Sedem Orientalem* vindicemus. I. itaque certum est, *Chavilah & Ophir esse regiones Orientales & Indicas*, quibus ista nomina dederunt duo Jectanis filii ejusdem nominis Gen. X. 28. quod adeo certum est, ut *Ben. Arias Mont.* qui nostræ tamen non favet sententiæ, diffiteri non audeat, sed confiteatur in libr. Phaleg. de gent. Region. cap. IX. pag. m. 11. conferri potest Gen. II. ubi dicitut, quod *Phison i. e. Ganges*, totam terram Chavilah perfluat. Frustra igitur sunt *Pererius*, in Gen. l. III. d. IV. p. m. 106. qui per totam *terram Hævilath* intelligit *terram Nabatæorum; Jun. & Trem.* qui *Persiam*; cum clarum sit, istos duos Jectanis filios partitos inter se esse *Indiam*, *istumque* (*Ophir*) *Indiam extra Gangem; hunc vero* (*Chavilah*) *Indiam intra Gangem occupavisse*. Quapropter *cujus regionis incolæ sunt Orientales, illam ipsam quoque regionem oportet esse Orientalem. At regionis Ophir incolæ sunt Orientales. E. Ophir ipsam quoque oportet esse Orientalem.*

4. Secundo. *Notæ semper fuerunt divitiæ Indorum, celebresque ex Arabico sinu in Indiam navigationes*. Certe *Semiramis* ex Ægypto, Bactrisque, in Indiam expeditionem bellicam suscepit adversus Indum *Strabrobatem*, mota divitiis & copiis Indicis ap. Diod. Siculum l. 2. Bibl. p. m. 103. seq. de variis navigationibus & commerciis Ægyptiorum ac Æthiopum cum Indis plura habet Philostratus in Vita Apollonii [qui extat in Bibl. Photii p. m. 998.] His similia habet *Strabo l. XV. it. l. II. p. 81. Alexandrinorum mercatorum classis per Arabicum sinum in Indiam usque navigans, multo ista nobis*, quam olim fuerunt, notiora reddidit; *Quo tempore Gallus Ægypto præfuit, ad ipsum veni, & una usque ad Sienen, & fines Æthiopiæ ascendi, ibique comperi, CXX. naves a Maris portu Indiam versus navigare*. conf. *Plin. l. VI. c. 23. Arrianus* quoque in *Periplo Maris* rubri navigationem ex *Ægypto in Indiam a multis* jam retro temporibus ad suam usque ætatem frequentatam late & accurate exponit, duosque ejus navigationis cursus explicat: conferri etiam possunt Stuckii Scholia in eum. *Flav. Vopiscus* de Firmo *Tyranno*; *Idem*, inquit, *cum Saracenis naves quoque ad Indos negotiatorias* sæpe misit. Cum quibus convenit Plin. l. VI. c. 22. & Solinus c. 56. Imo *Th. Malvenda l. IV. de Antichristo* c. 20. p. m. 254. putat huc Esaiam respicere, c. XVIII. qui mittit legatos in vasis papyri, super aquas, qui ipse legatur. Hinc si argument. *Q. regio ob divitias suas & omnium rerum copiam nota, imo pristinis seculis quoque frequenter navigiis adita fuit, atque oportunissime ex portubus Arabicis & Ægyptiis adiri potuit, in eam quoque navigium Salomonis excurrisse probabilius est, quam in aliam quandam ignotam & nunquam antea aditam terram. Atqui India Orientalis ob divitias suas &c. E. in Indiam Orient.* Sal. navig. excurrisse omnino probabile est.

5. *Tertio*. In quac. provincia omnes omnino merces ad Salomonem allatæ inveniuntur, ea quoque cæteris bene habentibus, est OPHIR. Atqui in India ORIENTALI

TALI

TALI omnes omnino istæ merces inveniuntur. *Aurum & Argentum* Plin. l. VI. c. 19. & 20. Solin. c. LV. Pomp. Mela l. 3. c. 7. Curt. l. VIII. *Gemmæ* Plin. l. XXXIII. c. 1. l. XXXVII. c. 13. l. VI. c. 19. *Pavones* Curt. l. VIII. Plin. l. VII. c. 21. Ligna pretiosissima Plin. l. XII. c. 4. 5. 6. 7. *Ebenus* ap. Dioscoridem & Plinium. Elephanti apud Diod. Siculum l. 2. Bibl. Hist. p. m. 103. Simiæ Aromata quæcunq; apud Philostratum in vita Apoll. p. m. 999. seq. Et in compendio Isidorus l. XIV. c. 3. *India Tapobranam habet gemmis & elephantis refertam, Chrysen & Argyren auro argentoque fœcundas; Gignit etiam tincti coloris homines, elephantos ingentes, monoceron bestiam, psitaccum avem, ebenum quoque lignum & cinnamomum, & piper & calamum aromaticum. Mittit & ebur, lapides quoque pretiosos, beryllos, chrysopasios, adamantem, carbunculos, lychnites, margaritas & uniones. E. India Orientalis est Ophir.*

6. Ex his & similibus aliis rationibus moti prædicti authores omnes in eo conveniunt, quod Ophira nostra Asiæ aliqua, Orientalis plaga mundi sit, in *proprio tamen ejus loco & situ assignando* in varias scinduntur partes. Nos eas in certas classes, ut in prioribus fecimus, digeremus, & quid verosimilius videatur, in ἐπιμέτρῳ addemus.

7. Primo autem *Eupolæmus quidam OPHIR* ponit in aliqua Insula Asiatica in *mari rubro sita & URPHEN* dicta, traditque, jam tum *Salomonis parentem, Davidem, naves eo misisse petitum aurum* apud *Euseb. l. IX. de Præp. Evang. c. 4.* putatque ex cognatione nominis URPHEN *dictam esse* OPHIR. Ast præterquam, quod cognatio nominalis genuina non sit, neque tam difficilis, neque tam longa, neque tam sumptuosa ea fuisset navigatio, si ad vicinam Insulam in rubro mari fuisset itum. Quid? quod ea URPHEN vel nihil vel parum rei mercatoriæ contineat, atque producat.

8. *Secundo* alii quipiam cum *Bozio Eugubino* ad istud Ps. 44. in vestitu deaurato, ad imam *PERSIAM, in regno ORMUS transferunt Ophir*, quia & vicinum & auri prægnans est. ℞. Cæterum hoc quoque regnum ORMUS, & ima Persia propiora sunt loca, quam ut expeditionem triennalem requirant. Et quanquam ibi multum auri & margaritarum, tanta tamen ubertas & pretiositas earum rerum non est, quanta in reliquis Indiæ provinciis, judice aliquo scriptore Indico. Utut igitur huc venisse dicatur classis aurifera, ulterius tamen progressa non negatur.

9. Tertio, non procul ab hoc recedit Georg. HORNIUS, observ. ad Sulp. Severum l. 1. H. Sacr. p. m. 196. qui ex H. Grotio opinatur esse *Aphar. Cogitemus*, inquit, *an forte non in Indiam usque iverint naves Phœnissæ & Judaicæ, sed ad oppidum adsitum sinui Arabico, qua is ad Oceanum spectat, quod Aghar vocat Arrianus, Plinius* SAPHAR, *Ptolom. Sapphara, Stephanus Sapphirinam, ut Indi nempe suas res huc tulerint, inde autem petierint longius ab India absiti.* Veruntamen sicuti hic Hornius non negat amplius excurrisse naves Judaicas, hic autem qs. in tuto aliquo portu & celeberrimo emporio ad merces comparandas & commutandas aptissimo, da eine Niederlage von allen Ost-Indischen Arten / ein Stapel und Handel-Stadt gewesen / paululum substitisse; ita, vel ipso Hornio arbitro, AGHAR, quod oppidi nomen est, non potest esse Ophir, quæ totam complectitur regionem. Imo si totum *regnum Ormus seu Armuziæ Ophir* non fuit, Sapphar quoque, Persicum istud monopolion, esse non potest.

10. Quarto *Sam. Bochartus l. 2. Geogr. Sacr. c. XXVI. p. m. 160. & l. 1. c. 46.* refert *ad ZEILAM, seu Trapotanam, in qua portus Hipporus, quem Phœnices & Græci appellarint Ophir.*

11. Quinto Joh. Petrus Maffæus l. X. H. J. p. m. 302. & l. XVI. p. 755. censet: Ophir esse Indiam extra Gangen, ad urbem, quæ Ptolemæo dicatur *Triglypton*, hodie autem vocetur PEGU, cum quia ibi copia auri & argenti maxima, tum quia ex *Bomferri, ex familia Franciscana Sacerdotis natione Galli*, literis constet, quod *Pegusii* originem suam *a Judæis exulibus* ducant, qui *a Salomone damnati ad Officinas aurifodinas ea loca primum tenuerint.*

12. *Sexto Laur. Anania in Fabrica Mundi tract. IV.* & alii quidam apud Guidonem Fabritium, *Pererius item* l. III. in Gen. d. IV. & l. XV. d. XI. p. m. 415. ad MALACAM *Syncapurano impositam freto, Regionis Indiæ Gangeticæ maritimam*, quæ potentissima & opulentissima fere omnium est, omniumque rerum ad Salomonem allatarum apprime dives, referunt Ophiriticam terram.


13. *Septimo Joh. Tzetza & Barradas* Ophiræ situm assignant *Insulæ* SUMATRÆ, quæ sub ipsa Linea æquinoctiali sita est, apud Ptolom. *Zula, & Simundi*, apud Arabes *Azebam*, apud Africanos *Achambæ* vocatur. Profert aurum & argentum & marmor testudini simile; gemmas præterea & margaritas præcipuæ bonitatis. Tantæ magnitudinis est, ut in aliquot regna dividatur. Hanc nostris seculis *Didacus Lupius* in alto Gangetico vectus ingressus est ap. *Maffæjum* l. IV. J. p. m. 180.

14. *Octavo* audiendus quoque est *Josephus l. VIII. Ant. J. c.* 2. qui vocat CHERSONESUM AUREAM, *seu Auream Terram*; quem sequuntur *Procopius & Theodoretus*: *Duæ enim sunt Insulæ*, (inquiunt) *extra Indi ostium*, *quarum altera ex auro Chryse*. *In altera ex argento Argyre nominatur*. Et quamquam alia etiam loca hæc nomina habuerint, ut *Chryse*, oppidum Apollinis prope Lemnum, & alterum in Hellesponto ad Abydum, & tertium in Æolide: Item *Chrysopolis* Bithyniæ prope Chalcedonem, in qua thesaurus ex vectigalibus civitatum pro Persa collectus coacervabatur: Ita quoque *Argyrunthum*, opp. Illyrii, ex argento nomen tenuit. Unde quoque *Chryssei* populi Indiæ, & *Argyrini*, gentes Epiri, ex auro & argento nomina duxerunt, ut apud *Georg. Agricolam* de Veter. & Nov. Metallis legimus, Specialiter tamen in orientali Indiæ parte *Aurea & Argentea regio salutatur*, *quæ hodie Peguana*, *& Malacana ditione continetur*. Fabula est, solum Chryses aureum esse apud Melam l. III. c. 7. Plin. l. VI. c. 46. Fabula est, *montes aureos esse*, *qui a Leonibus* incolantur, ad quos nulli accedere audeant, nisi qui in navi stantes juxta littus terram, quam unguibus leonum effossam invenerint, in navem recipiunt; ut si bestiæ eas viderint, facile se in mare recipere possint, ut est in *Gloss. Ordin. ad l. 3. Reg. IX. Raban. & Isidorum* l. XIV. Etym. c. 8. *Tostatum* in I. Reg. sed fabula ea est: Id quod ipse agnoscit *Plinius* l. X. c. 49. & *Arrianus* l. V. gestor. Al. M. & *Joh. de Pineda* in Job. 28. 7. p. m. 506. Imprimis ideo, quia regionem istam, in qua *gryphes seu gryphi custodes* auri memorantur, in *Schythia* collocat *Pomp. Mela* l. 2. cap. 1. *Solinus* c. 19. & *Plin.* l. VII. cap. 2. ubi *Arimaspi* uno oculo in fronte insignes cum gryphis bellare dicuntur, fabulæ sunt. Istud interea a vero non abludit, quod *Nicol. de Lyra* addit, terram istam Chryses in fornacem projectam igne ab impuritatibus purgari, & sic remanere aurum purum. Ea enim ad coctionem auri in Alembicis, & defœcationem ejusdem pertinent.

15. *Nono* deuique quid *nobis maxime placeat*, *sine ullius præjudicio*, sine ulla arrogantia subjiciemus. Quemadm. ex dictis probatum est, OPHIRAM esse in India Orientali, ita putamus ejus quantitatem & situm non ita esse in una vel altera Insula aut regione coarctandum, ut vel sola Sumatra, vel sola Pegu vel alia aliqua Insula Orientalis sit, *sed extendenda potius hæc Aurea Chersonesus est*, *& constituenda cum ampliatione quadam in Sumatra*, *Malaca*, SIAN, *Pegu*, BENGALA, *aliisque conterminis & finitimis Insulis*, *ac continentibus terris*, *quas omnes Ophiri Jectanici nepotes longa serie nati oppleverunt & incoluerunt*. Ita statuentes nobiscum invenimus *Carol. Stephani in dict. Geogr. p. m.* 855. *Corn. a Lap. Comm. in Jer. X. p. m. 69. b. Thom. Malvendam Setabitanum l. IV. de Antich. c. 24. p. m. 269. & Job. Petr. Maffæum l. 1. H. I. p.m.* 37.

16. Quemadmodum istud quoque elargimur, nautas Salomonæos in excursu recursuque non in uno saltem emporio hæsisse, aut ex uno saltem territorio merces emercatos esse, sed ut hodienum fieri consuevit, *permutatione mercium* facta, exsuxerunt divitias & pretiosa quæcunque quorumvis locorum, quorum littora finesque attigerunt. *Cur enim non imposuissent navibus in Pegu*, *quæ ea terra suppeditabat*, *aut cur sprevissent*, *quæ in viciniori Cambaja*, *Decan*, *Zeilana*, *Orixa*, *Bengala*, *aut remotiori Camboja*, *aut Campa*, *aliisque pluribus obviis Insulis haberi poterant?* Ita tamen, ut *ex Ophira i. e. India Gangetica seu Chersoneso*, ea præprimis, quæ Pegu, Sian, Malaca, & Sumatra continetur, omnium & singularum mercium genera acciperent & accipere possent, quæ Salomoni afferenda erant. In retrogradatione autem etiam fructus & bona Indiæ intra Gangem, [ut sic loquar] defloravisse creduntur, quibus scil. opus adhuc habebant, quorumque copia eis fieri poterat.

17. Ex dictis facile judicari potest, an recte statuatur, quod *Ophira sit Insula*, ut ait Hier. & Perer. l. XV. d. XI. n. 153. in Gen. aut quod *sit peninsula*, quemadmodum Theodoretus dicit. Rectius enim statuitur, quod *integra provincia*, *quæ & continenti*, *& Insulis concluditur*, appellanda sit. Perinde ac si quis quæreret, *an regnum Daniæ sit Insula*, *an Peninsula? id responsi caperet*, *quod regnum hoc Insulis & continente terra contineatur*. Verum jam hic, quia OPHIRAM SALOMONIS delineavimus & ubi locorum sit, invenimus, acquiescimus, & dicimus. Soli Deo gloriam.



JOANNIS CHRISTOPHORI WICHMANSHAUSEN DISSERTATIO DE NAVIGATIONE OPHIRITICA.

INTER magnifica, quæ *Salomo*, Regum ſapientiſſimus, perfecit opera, locum ſane haud poſtremum occupat, ſuſcepta ex עציון גבר *Ezion Gaber* in Indiam expeditio, quippe qua tam nominis ſui, jamdum clariſſimi, famam, quam regni, quod palmam ceteris facile præripiebat, ſplendorem ac gloriam, mirifice amplificavit. Divinis nimirum literis relatum legimus, *Salomonem*, ut, quæ inierat conſilia, felicius procederent, fœdus & amicitiam cum *Hiramo*, Tyriorum Rege, iis quidem legibus, junxiſſe, ut quo poſſet ſtudio, qua ope, rem Iſraelitarum nauticam adjuvaret. Erat enim gens *Tyria*, tempeſtate illa, navigandi præter ceteras perita, quod transmarinorum populorum commerciis utebatur, quærendique victus & lucri cauſſa mare, continuis veluti claſſibus, obſidebat. Ex hac igitur *Hiram* optimos ac prudentiſſimos quoſque delegit, qui *Salomonis* expeditionem nauticam, inſtitutum, ut tum erant tempora, periculi plenum, circumſpecte moderarentur. Portus, ex quo armata claſſis ſolviſſe dicitur, non *Joppe* eſt, Hieroſolymis licet ad *Mediterranei Maris* littus multo vicinior, ſed עציון גבר, ad *Sinum Atlanticum*, ſive *Arabicum*, urbe clariſſima inſignis, quo uterque Rex deportari curavit, quod ad claſſem parandam, iſtruendamque, pertineret. His auſpiciis tentata maris fortuna eſt, junctæque Salomoneis navibus Tyriæ, ad illas, auri, argenti, aliarumque rerum pretioſarum proventu fœcundas, Ophiritarum terras deproperarunt. Quarum iter ac concurſum, ſi, qua licet, cogitatione ſaltim aſſequi eniteremur, rem nos facturos putavimus hoc minus vel indignam nobis, vel aliis ingratam, quo magis ea meditatio eruditiſſimos quovis nunquam non torſit, & in diverſas diſtraxit ſententias. Sed quum probe meminerimus, nihil nobis ἄτερ γραφῆς dicendum eſſe: inprimis excutienda nobis ſumemus, quibus omnis hæc hiſtoria continetur, oracula, 1. *Reg.* IX. 26. *ſeqq.* X. 11. 22. expreſſa, cumque iiſdem, quæ II. *Chron.* XII. 17. 18. & IX. 10. 11. 12. nec non I. *Reg.* XXII. 48. & II. *Chron.* XX. 35. ſeqq. de *Joſaphati* in Ophiram intenta expeditione referuntur, diligenter componemus.

§ I.

ANte vero, quam curſum navigationis *Ophiriticæ* perſequimur, operæ nos pretium facturos exiſtimamus, ſi in contemplando, ex quo ſoluta claſſis eſt, portu tantiſper commoremur, ac de nomine, ſitu, & conditione adjacentis urbis עציון גבר, *Ezion Gaber*, quam fieri tamen poteſt breviſſime, diſpiciamus. Nomen עציון גבר, pro quo *Syrus* ܥܨܝܘܢ ܓܒܪ habet, quum inter omnes conſtet Ebræum eſſe, urbi huic ab oppreſſione alii; alii peregrinatione; alii a lignatione Viri iſtius, cujus & crimen, & ſuplicium, *Num.* XV. 32. refertur, natum eſſe arbitrantur. Noſtro ſi quid judicio aſſequimur, media ſaltim appellandi ratio, quæ radice צעה *peregrinatus eſt*, *exultavit*, trajectis literis, עציון pro צעיון dici aſſerit, vel ideo ferenda non eſt, quod procacioris exemplum licentiæ iis præbet, qui quidlibet quolibet modo interpretari non erubeſcunt. Nec vero idonea ſatis denominandi cauſa exinde peti videtur, quod *Iſraelitæ* ſtativa ibi *Num.* XXXIII. 35. ſeqq. habuiſſe dicuntur, quum non ille ſolus locus ſit, in quo extorris & exul Iſraelitarum populus olim ſubſtiterit. Illi ergo audiendi potius ſunt, qui prima derivandi nominis rationem cum ultima, tanquam cauſſam cum effectu conjungunt, urbemque vel ab עץ, & lignattine Iſraelitici Viri intempeſtiva, vel ab עצה, quæ vox apud *Chaldæos* opprimendi ſignificationem obtinet, עציון גבר appellatam eſſe, cum *HILLERO* in *Onomaſtico S.* Via V. p. 189. contendunt. *BOCHARTUS* quidem in *Phaleg. Part.* II. L. I. C. XLIV. p. m. 687. ſat ingenioſe, ſi ſat recte, divinat, vocem עציון formam diminutam vocum עצה vel עצי eſſe, & עציון גבר nihil denotare aliud, quam ῥάχιν, ῥαχίαν, rupem in mare longiore dorſo porrectam, ejuſque ſibi ſententiæ vel has habere rationes videtur, quod ἐν τοῖς ἐπάνω, in ſuperiore, ſive intima *Sinus Arabici* parte plures ejus modi rupes exiſtant, quales *Durrachio* infame nomen, Autore *Suida*, & *Etymologici Magni* effectore, conciliarunt. *Arabi* certe *Londinenſi* quid in mentem venerit, ut 1. *Reg.* IX. 26. voces עציון גבר per عيصة والل *ſylvam Val*, transferret, non interpretor. Nec ſatis conjicio, quæ ratio *Chaldæum Paraphraſtam* moverit, ut עציון גבר per כרך תרנגול *arcem* vel *urbem galli* reddendum putaret, niſi forte ea eſt, quod גבר apud *Talmudicos*, nunc tamen, uti *BUXTORFIUS* in *Lex. Talm. Rabb.* p. 384. recte monet, communiter *gallum gallinaceum* deſignat.

II. De appellandi ratione, quantum ſatis videbatur, diximus: conſequitur jam, ut de ſitu urbis עציון גבר diſquiramus. Hunc autem accuratius nobis divinus Author deſcripturus 1. *Reg.* IX. 26. ait, urbem illam (α) את אילות (β) על שפת הים סוף (γ) בארץ אדום fuiſſe collocatam. De vocibus על שפת ſubſequenti §. dicendi locus erit. Jam, quod (α) ad vocabula הים סוף, quorum prius in loco parallelo II. *Chron.* VIII. ſolum, ſine adjectione, legitur, attinet, non fugit nos, CL. Viro, *Hillero*, in *Onomaſtico Sacro* perſuaſum eſſe, non omnem *Sinum Atlanticum*, ſed iſtum modo tractum, qui *Supham* urbem alluit, הים סוף appellari. Veniam tamen nobis dabit Philologus Celeb., ſi cum *FRIDERICO SPANHEMIO Hiſt. Ecclesiaſt.* V. T. Tom. 1. *Epocha* III. §. 7. p. 310. & aliis aſſerere malimus, ab alga, in littoribus fœcundius ſuccreſcente, algoſo mari nomen extitiſſe. *LXX.* certe *Interpretes* ferendi non ſunt, qui 1. *Reg.* IX. 26. commutatis forſan inter legendum סוף & סוף vocibus הים סוף ἐσχάτην θάλασσαν, *extremum mare*, interpretantur. Quanquam, vel ipſius *Spanhemii* judicio l. c. non omnino nulla hujus tralationis rationes habuiſſe videri poterant, quum hoc ipſum mare *Ægyptum* & *Æthiopiam* a meridie dividat, & utrimque imperiorum, terrarumque, limites conſtituat. Sed nec audiendos eoſdem, & *Hieronymum*, putat HADRIANUS RELANDUS *Diſp.* de *Mari Rubro* §. VIII. quando idem mare paſſim θάλασσαν ἐρυθρὰν, *Mare Rubrum*, vocant, idque potius *Mare Interitus*, ſive, ut hodieque ab *Arabibus* nominatur, بحر القلزم *Mare abſorptionis*, appellandum eſſe judicat, propterea quod rex Ægypti *Pharao* cum omni, quem ducebat, exercitu eodem abſorptus eſt. Neque enim ſuo dignam calculo ilam NICOLAI FULLERI *Miſcell. Sacr.* L. IV. *Cap.* XX, JOSEPHI SCALIGERI in *Notis ad Feſtum*, GENEBRARDI in *Comment.* ad Pſal. CVI., DRUSII item, BOCHARTI, STEPHANI MORINI, aliorumque, ſententiam eſſe exiſtimat, qua Mare hoc θάλασσαν ἐρυθρὰν ideo dictum eſſe aſſerunt, quod *Edom*, omniſque ejus poſteritas, ad *Sinus Arabici* littus incoluerit, eidemque nomen *Idumæi*, ſive *Rubri*, dederit. Igitur, ut eam impreſſius labefactet, univerſum illud, quod a littore ad Orientem vergentis *Africæ* ad ultimos *Aſiæ*, qua priſcis nota fuit, fines procurrit, *Arabiamque*, *Perſiam* & *Indiam* præterfluit, mare, quantum quantum eſt, RUBRUM appellatum fuiſſe, *Sinumque* adeo *Arabicum* ac *Perſicum* tantum Sinus

nus ejus, & partes extitisse, asseverat; nec tamen negat, alterutrum horum subinde sigillatim *Maris Rubri* nomen συνεκδοχικῶς retulisse. Quum autem §. 12. docuisset, *Idumæos* diffusa illa & ampla *Arabum*, *Persarum*, & *Indorum* littora nunquam possedisse, sed angustum tantum oræ Arabicæ tractum, quem ipse *Maris Rubri* Sinum esse ait, accoluisse; sibi imperare nequit, ut credat, Veteres ex ea ratione omne istud pelagus אדום, sive *Rubrum*, fuisse appellaturos. Quæ quidem *Relandi* opinio uti nova non est, nec ab ipso primum excogitata, sed ex ARRIANI *Periplo Maris Rubri*, quam ORTELIUS descripsit, atque tabellis *Jansonis*, quibus Veterem Orbem exhibet, collecta, & interpolata, jamque pridem a compluribus excussa ac confutata: ita vel illud hoc loco sufficere nobis poterat, quod ipse RELANDUS, *Sinum Arabicum* sæpissime *Maris Rubri* nomine ἁπλῶς indicari, ultro profitetur. Age autem largiamur *Relando*, vastum illud, quod *Asiam* ab *Austro* alluit, pelagus a Solis, quem sustinet, ardore & ustione ἐρυθρὸν, seu Erythræum, vocari: quid impediet tamen, quin *Sinus Arabicus*, quem ille pro *Maris Erythræi* parte habet, inde etiam dici ἐρυθρὸς possit, quod accolas primos Idumæos sortitus est? Neque enim vim, roburve, argumenti video: Scriptores Sacri Veteris Instrumenti Mare, quod *Sinum Arabicum* vocamus, ים אדום nunquam appellarunt: ergo nec Græci, qui suo illud ævo frequentabant, Ἐρυθραῖον, seu *Idumæum*, ab *Edomo*, primo regionis, ad quam id ipsum pertinet, domino nominare potuerunt. Perplacent hinc nobis ea, quæ FRIDERICUS SPANHEMIUS *in Geogr. Sacra* T. I. *Sect.* 1. §. 6. p. m. 13. de *Mari Rubro* commentatur; *Ab Edomo*, inquit, *Græcis Erythra, seu Erythro, recte nomenclationem arcessunt Maris Erythraei, seu Sinus Arabici, qua de originatione Bochartus: missis fabulis Arabum, vel Græcorum apud Agatharchidem, Arrianum de Nearchi Pariplo, Marcianum Heracleotam, alios, qui hujus Maris Periplum descripsere, & de nomine* ἐρύθρης, *vel* ἐρύθρας, *&* ἐρυθρᾶς θαλάττης, *multa commentantur. Vicini huic mari*, pergit, *fuerunt Idumæi, protensis suis finibus, & parti ejus Maris superioris imperitantes* I. *Reg.* IX. 26. Quibus præstructis strictim quoque eos confutat, qui *Persico* etiam *Sinui Maris Rubri* nomen olim tribuerunt. Sed satis prolixi in his fuimus: deferendum nobis est *Mare Rubrum*, urbisque *Ezion Geber* situs & regio, generatim vocibus בארץ אדום designata, propius contemplanda est. Est vero אדום sive *Idumæa* antiquæ portio *Arabiæ*, ab *Edom*, sive *Esavo*, qui primus eam coluit, cultam in provinciam redegit, redactamque cum imperio ad posteros transmisit, ut ex *Gen.* XXXVI. 8. & XVV. 30. liquet, nuncupata. *Græci* eam *Interpretes* non raro, transcripta voce Ebræa, Ἐδὼμ appellant: at *Novi Instrumenti* conditores non alio, quam Ἰδουμαίας, quod profanis Sctiptoribus commune est, nomine, ut *Marc.* III. 8. designant. Hæc autem *Edom*, vel, si mavis, *Idumæa*, propria & arctiori notione accepta, hinc *Palæstinæ*, illinc *Arabiæ*, quam *Petræam* vocant; olim contermina, ipsius tandem *Arabiæ*, quam diximus, pars esse cœpit, posteaquam *Idumæi*, pulsis *Horæis*, montanas regiones *Seir* occuparunt, suique fines imperii ad *Mare Rubrum* usque protulerunt. Atque his limitibus inter montes *Seir* & *Arad*, quod ex Israelitarum peregrinatione per desertum constat, porrecta tantisper fuit *Idumæorum* provincia, dum ad *Ægyptum* usque, ut auctor est CL. CELLARIUS in *Geographia Antiqv.* pag. 688. armorum successu, propelleretur. Omnem hanc terram, ipsamque adeo, quæ sita in *Idumæa* erat, urbem *Ezion Geber*, quin & ipsum *Mare Rubrum*, certe amplissimum ejus tractum, primus sub Israelitarum potestatem, ut ex II. *Sam.* VIII. 14. patet, *David* redegit. Cujus quidem posteri, summa rerum potiti, *Idumæis* per legatos, quod ex I. *Reg.* XXII. 48. liquet, tam diu imperitarunt, donec *Joramo*, Josaphati filio, imperante, ad quod usque tempus minori major servire debebat Gen. XXV. 23. jugum illi *Judæorum* excuterent, ipsique regem sibi de popularibus præficerent, II. *Reg.* VIII. 20. Nam quanquam *Amazias*, quod II. *Reg.* XIV. 7. traditur, *Edomæorum* decem millia in *Valle Salis* trucidaverat, ejusdemque filius *Asarias*, quod l. c. v. 22. refertur, urbem *Elath*, urbi *Ezion Geber*, ut jamjam demonstrabimus, vicinam, armis recuperatam ædificaverat: parum tamen diuturnum illud II. *Reg.* XVI. 6. fuisse perhibetur imperium, quandoquidem *Rasin*, Syriæ Rex, ejectis ex *Elath* Judæis, suo illam regno adjecit. Atque hæc est *Elath* illa, quæ [γ] situm urbis *Ezion Geber* proprius nobis designat. Maritimam enim, naviumque stationi aptam, urbem *Elath*, sive *Eloh*, fuisse, KIMCHIUS ad II. *Paralip.* VIII. 17. verbis: ולקח אותם הערים ועשה שם אני aperte confirmat: ab ejus tamen mente alienum esse *Arabem*, oportet, censeamus, nisi vocem ولعللا & *destruxit eam*, ita interpretemur: ideo destructam esse urbem, ut magnificentius instauraretur. Erat autem *Elath* illa, si JOSEPHO, ac celeberrimis quibusque Geographis, fidem habemus,

mus, urbs illa *Elana*, quæ a *Græcis*, *Romaniſque*, alias *Elan*, *Hilat*, *Elath*, *Aſtane*, *Ælanon*, *Leæna*, ab *Ebræis* nunc ſingulari terminatione אילה, nunc plurali אילות, *Arabibus* אילה, *Syris* אילה, & in numero plurium אילן *Ailan*, & *Elan*, promiſcue vocatur. Hanc, qua mare alluit, *Sinum Elaniticum*, *Elanitem*, *Ælaniticum*, *Aleniticum*, & *Læniticum* dictum fuiſſe, laudatus jam JOSEPHUS, PLINIUS item Lib. VIII. IX. & XXVIII. ac DIODORUS SICULUS Lib. III. n. 123. prodiderunt. De quo eſt, quod moneamus, quum *Mare Rubrum* duos ſinus faciat, alterum *Horoopoliticum*, qui *Æyptum*, *Heroumque* inprimis urbem, ad littus ſitam, alluit, tutumque Iſraelitico populo, ruptis, murorumque inſtar utrinque ſuſpenſis, aquis, tranſitum præbuit; alterum *Elaniticum*: hunc ipſum ad Solis ortum pertinuiſſe, ac poſt *Elanam*, a qua nomen tulit, verſus Orientem Solem, ut CELLARIUS in *Geogr. Vet.* Lib. I. cap. 14. pag. 688. docet, ipſam urbem *Ezion Geber* vicino littori proximam habuiſſe. Nomen urbi *Elath*, cujus fata SANSON in *Indice Geographico* & BOCHARTUS in *Phaleg. Part.* II. Lib. I. cap. XLIV. pag. m. 686. ſtrictim recenſent, a terebinthis, quæ arbor in iſtis locis frequentior eſt, inditum eſſe, laudatus *Bochartus* loc. cit. auctor eſt, qui identidem aſſerit, ambigui juris oppidum illud, utpote in *Arabiæ*, *Ægyptique*, confiniis ſitum, extitiſſe. Quum vero præter *Hieronymum* EUSEBIUS quoque in *Locis Eloth* χώραν ἡγεμώνων Ἐδὼμ, καὶ τὴν πόλιν Ησαῦ, fuiſſe adſtruat, eandemque clariſſimi quique Arabicarum rerum Scriptores ad *Idumæam* referant; a ſententia hac, divini Spiritus teſtimonio in Libris *Regum* ac *Chronicorum* confirmata, nos dimoveri nunquam patiemur. Abundet ſuo, ſi velit, ſenſu FULERUS, urbemque *Elath* cum *Leucocome*, ſeu *Albo Pago Nabatæorum*, confundendam putet, ſi habet, quod ſententiæ ſuæ arbitro *Bocharto* loc. cit. reſpondeat. Nos de ſitu & regione urbis *Ezion Geber*, divinioris hiſtoriæ auctoritate inducti, cum *Hieronymo*, Patrum facile doctiſſimo, ſtatuimus, qui *Eſſiam*, ſeu, ut EUSEBIUS, (omiſſa itidem poſteriore vocis compoſitæ parte, & priore ad Græcæ linguæ indolem inflexa) habet, Ἄσιαν, haud procul ab *Elana*, quod vel ex *Joſephi* L. VIII. c. 12. diſcere poterat, ſitam fuiſſe exiſtimat. Ad quam ſententiam confirmandam telum haud mediocre eſt particula על nomini אילות præpoſita, quippe quæ, urbem hanc *ad*, *propter*, vel *prope* urbem *Eloth* ſitam fuiſſe ſobinnuit; utut eandem a *Syro* per ܠܘܩܒܠ *e regione*; ab *Arabe* I. *Reg.* IX. 26. quidem per عند *prope*, at II. *Paral.* IIX. 17. per تحاذي *ex adverſo* redditam eſſe videamus.

III. Sed clarius de hoc ipſo nobis ſitu conſtabit, quum de conditione urbis *Ezion Geber*, quam voces על שפת *ad*, *prope littus*, vel *ſuper littore*, ἐπὶ τοῦ χείλους, ut LXX. *Græci* habent, indicant, paulo accuratius diſquiſiverimus. Nec vero eſt, quod dubitemus amplius, urbem *Ezion Geber* non minus, ac vicina *Elath*, maritimam fuiſſe, quando conceptis verbis in ipſo maris *Erythræi* littore poſita dicitur, atque a *Græcis* Interpretibus II. *Paralip.* VIII. παραθαλάσσια appellatur. At illa nobis quæſtio litem fortaſſe movere poterat, utrum hæc ipſa urbs ad illam tantum maritimarum claſſem, in quibus naves ædificantur, inſtruuntur, armantur, referenda, an in portuum, & emporiorum, numero habenda ſit, ex quibus armatæ, exportandiſque mercibus onuſtæ, naves ſolvunt, & in quibus, quæ ex peregrinis terris importanda ſunt, deponunt, & adverſus ventorum ac tempeſtatum injurias tutum quærunt præſidium? Nos quidem, quin prior maritimarum generi accenſenda *Ezion Geber* ſit, ambigere haud ſinit ſacrorum, profanorumque, monimentorum auctoritas. Nam & *Salomo* I. *Reg.* IX. 26. ad *Ezion Geber*, quæ ab *Arabe* II. *Par.* VIII. 17. صبعة الذي كانت تحاذي الوت *oppidum, quod ex adverſo Elath erat*, dicitur, אני עשה, ναῦν ἐποίησεν, & Joſaphat cum Achazia II. Par. XX. 36. verbis ויעשו אניות בעציון גבר, ad eandem urbem naves fabricaſſe dicitur: id quod Joſephus rotundo ore per ἐναυπηγήσατο exprimit. Et ſane, ſi *Voſſio* ad Melam. p. 289. habenda fides eſt, ad *Ezion Geber* cæduæ, quæ ad extruendas naves idonea eſt, materiæ affatim olim fuit. Unde non eſt, quod miremur, *Salomonem*, præterita urbe *Elath*, quæ tamen *Hieroſolymis*, ut ex Iſraelitarum per deſertum itinere, *Deut.* II. 8. deſcripto, haud difficulter colligitur, propinquior erat, primum ad *Ezion Geber* contendiſſe, &, conſtitutis ibi rebus, *Elanam* demum repetiiſſe. Si enim, quod FULLERUS *Miſcell. Sacr.* L. IV. C. XX. p. 566. ſapienter monet, ad omnem navigationem, commerciorum cauſa inſtitutam, duo inprimis requiruntur, navigia apparata, quæ vehant, & merces comportatæ, quæ vehantur: princeps cura navium, quæ ad *Ezion Geber* extruebantur, luſtrandarum *Salomoni* eſſe debuit, antequam in portum *Eloth*, Indicæ navigationis emporium, eaſdem deduceret, deductas, quibus

vel-

vellet mercibus, oneraret, oneratas mari ventoque committeret II. Paralipp. VIII. 17, Quę cum tam sint evidentia, sequiorumque ętatum usu comprobata, ut vix, ac ne vix quidem, aliter se habuisse videri possint: non tamen desunt, qui *Ezion Geber* ęque, ac *Elath*, nulla discriminis superius indicati ratione habita, nunc Navalia, (Gręci ναυπηγεῖα vocant) nunc portus Maris Rubri, appellent. SANSON certe in *Indice Geographico*: *Asion Gaber*, inquit, *locus & portus est ad Mare Rubrum*, cui & JOANNES CLERICUS in *Comment. ad Num.* XXXIII. 35. ubi *Ezion Geber* portum *Maris Erythræi* vocat, pollicem premit, nisi quod ad *Deut.* II. 8. velut oblitus sui, *Eloth* non secus, ac *Ezion Geber*, inter Maris Rubri navalia connumerat, *Bocharti* in Phaleg. I. c. p. *686.* siquid conjicimus, secutus auctoritatem. De cetero, quamvis ex II. *Paralip.* VIII. 17. haud obscure colligi posse videatur, non minus ex *Eloth*, quam ex *Ezion Geber*, expeditionem Ophiriticam susceptam esse; tamen, quod neque I. *Reg.* IX. in quo loco maxime jam innitimur, neque in aliis, ad quę provocavimus, locis, *Elanæ* urbis mentio injicitur, satis caussę nobis visum est, cur solum *Ezion Geber* nomen in Dissertationis rubrica constitueremus.

IV. Restat, ut prius, quam ab urbe *Ezion Geber* discedimus, utrum eadem cum urbe *Berenice*, cujus frequens apud Scriptores profanos mentio fit, fuerit, an secus? dispiciamus. JOSEPHUS quidem, quando Lib. VIII. cap. 2. de Salomonea classe agit: *Classem*, inquit, *rex in Ægyptiaco sinu ædificavit*, *in quodam loco ad mare rubrum*, *qui nominatur Asion Gaber*. *Hæc nunc Berenice vocatur*. Cujus auctoritatem FRANCISCUS JUNIUS in *Comment. ad Deut.* II. 8. & haud ita pridem MATTHÆUS HILLERUS in *Onomast. Sacr.* Via XIV. pag. 585. secuti, animosum præter ceteros nacti sunt antagonistam *Fullerum*, qui l. c. p. 571. *Perabsurdus*, ait, *Josephi hic error est*, *postquam Berenice ab Ezione atque Elana bidui*, *vel tridui*, *navigatione distincta sit*. Pomponium vero Melam, qui L. VIII. cap. 8. Berenices urbis meminit, cum Josepho idem non sensisse, CELLARIUS in *Geograph. Vet.* p. 688. vel inde facile demonstrat, quod, quam MELA commemorat, *Berenicen*, in intimo Atlantici sinus angulo, inter *Heroopoliticum*, & *Strobilum*, promontoria, collocat, multumque adeo ab Arabia, ad cujus oras *Ezion Geber* sita erat, sejungit. Et sane sex olim urbes fuisse, quæ Berenices nomen tulerint, ex STEPHANO de *Urbibus* liquet, qui singularum quidem conditores indicat, de diverso autem cujusque situ nihil omnino commentatur. FULLERUS igitur quanquam non inficiatur, ad *Rubrum Mare* portum quondam, *Berenices* nomine, fuisse celebrem: ad littus tamen non Arabicum, quo *Eloth* & *Ezion Geber* pertinebant, sed Ægyptiacum, propter *Myos Hormos*, portum itidem clarissimum referri oportere contendit. Geminum enim hunc portum astu & potentia PTOLOMÆORUM, portubus *Eloth* & *Ezion Geber* e regione oppositum esse existimat, ut Ægyptus quoque Indorum, Arabumque, commerciis, opum indies, divitiarumque, majora caperet incrementa. Quæ quidem si idoneis rationibus, antiquitatisque confirmata testimoniis fuerint, nostris suffragiis destitui non patiemur. Quod si quædam Berenice *Ezion Geber* olim fuisse censenda est, cum *Cellario* l. c. p. 687. nihil dubitamus, quin ea, quam STEPHANUS condidisse dicitur, quamque secundo loco *Byzantinus Geographus* recenset, præter ceteras extiterit.

V. Salomonem, qui ad oram Sinus Atlantici, urbesque *Ezion Geber* & *Eloth*, extruendæ classis caussa accesserit, ex Israelitis primum fuisse, libris *Regum* ac *Chronicorum* edocemur. Non ergo habet apud *Euseb.* L. IX. Præp. *Eupolemus*, quare, Dividi eam gloriam his verbis tribuat: Ἀκοῦσαντο δὲ τὸν Δαβὶδ πλοῖα ναυπηγήσασθαι ἐν Αἰλάνοις, *audiverunt autem*, *Davidem naves fabricasse Ælanis*. Salomoni nimirum ea instauratorum commerciorum laus, ea regni ditescentis incrementa debentur, quippe qui, comparata ad *Ezion Geber* classe, effecit, ut, quæ terrestri itinere non, nisi sumtu immenso, laboribus infinitis, periculis innumerabilibus, possent, mari facilius, citius, tutiusque, e longinquis Indorum terris, *Elothas* primum, hinc *Petram*, Arabiæ, quæ inde nomen trahit, principem urbem, tandem *Hierosolymam*, *Tyrumque*, merces adveherentur. Nec dubium est, quin consilium hoc, Tyriorum exemplo incitatus, ceperit, quum, rudes rei nauticæ Israelitas hucusque fuisse, vel inde appareat, quod Tyrios, tanquam itineris peritos, non tam comites, sociosve, quam duces expeditionis Indicæ, evocari oportuit. Qua via autem Salomoneis navibus ad *Ezion Geber* se junxerint Tyriæ, vix est, quod disceptemus, si, cum ceteris Geographis, tum *Straboni* inprimis L. XVI. pag. 758. fides est, qui, antiquissimis jam temporibus *Tyrum* insulam, Tyriorum coloniam, in sinu Arabico gentium commerciis floruisse, asserunt, ex quo trajectus ad *Ezion Geber* facilis foret, & expeditus. Quanquam non desunt, qui, quod hanc ipsam

Tyrum

Tyrum insulam, quam alii, teste Stephano, *Tylen* vocarunt, nunc a *Theophrasto* in sinu Arabico, nunc ab aliis in Persico, nunc a *Plinio*, velut geminam, situque diversam, in utroque collocari animadvertunt, affirmare malint, mediterraneo, quod vocant, mari Tyrios ad *Ezion Geber*, classemque Salomoneam, esse delatos. Hi tamen ipsi quum eandem sententiam diversis rationibus oppugnent, eorum inprimis expendenda est opinio, qui *Tyrios*, trajecto Mari Mediterraneo, fretoque Herculeo, & Oceano Atlantico superato, omnem *Africæ* oram, magnumque illud *Bonæ Spei*, *Arabiæque*, quod Aromatum olim, nunc Guardatum vocant, promontoria prætervectos, Maris tandem Rubri augustias ingressos esse existimant. Cui equidem vix quenquam subscripturum crediderim, qui stupendam istius itineris longinquitatem, ac difficultatem, molestamque, ac periculosam ultra columnas Herculis, ultra quas tamen, judice Pindaro, ἄβατον ἅλα, excursionem altius secum reputaverit. Quod ipsum quum probe intelligerent ceteri, faciliorem & expeditiorem Hiramiticarum navium viam commenti sunt, qua lignum, extruendis navibus aptum, ex Isthmo, qui inter Mediterraneum & Rubrum mare interjectus est, camelorum, jumentorumve ope, ad urbem *Ezion Geber* deportatum fuisse videatur. Qui quidem ut aliqua saltem veritatis specie conjecturas suas tueantur, audacter asserunt, & olim a Sultanis *Ægyptiis*, & nostra ætate a *Turcarum Tyrannis*, idem semper factum esse, quoties vel classes reficere, vel novas ædificare oportuerit. Propius tamen veritatem isti assecuti sibi videntur, qui misso illo, quem de SUEZ nostro ævo vocant, *Isthmo*, classem Tyriam *Nilo* flumine in *Rubrum Mare* delatam esse arbitrantur. Nec vero utram sententiarum harum amplectatur HADRIANUS RELANDUS in *Dissert.* de *Mari Rubro* §. XI. invenit, quando de *Argo* navi, ac nautis ejus: *Credat*, inquit, *per me licet*, *Pindarum dicere*, *argonautas ad Sinum Arabicum*, *&* *ulterius*, *esse delatos*, *sed ita*, *ut per Isthmum*, *qui Mare Mediterraneum & Sinum Arabicum dirimit*, *navem Argo portaverint*, *uti nonnulli veterum scribunt*; *vel*, *Nilum ingressi per aliquod ejus brachium*, *quod olim in Sinum Arabicum influxisse quidam memoriæ prodiderunt*, *in illum Sinum pervenerint*. Quodsi, quæ postremo de argonautarum navigatione commemorat, ita evenisse existimanda sunt: vix potest *Relandus*, quin eadem via ad *Ezion Geber* nautas Tyrios contendisse asseveret.

VI. Classis igitur *Tyria*, quocunque tandem itinere profectam putes, cum *Salomonea* tamen conjuncta, nec vero conjuncta modo, sed in *Ophiriticas* etiam terras delegata est. Quid אופיר *Ophir* nomine indicetur, prope est, ut multos quærere, nescire omnes, profitear. Tanta certæ expediendæ rei difficultas, tanta apud omnes ignoratio est, ut, quum nec priscorum monimenta temporum, nec recentioris historiæ conditores, ullius ceteroquin, aut regionis, aut urbis, quæ nomine illo claruerit, unquam meminerint, conjecturis contenderint multi, rem fere assecutus sit nemo. Quid? quod disceptatum huc usque est, in qua terrarum parte quærenda *Ophir* sit? *Americam* peti, an *Africam*, *Asiamque* oporteat? FRANCISCUS VATABLUS quidem præter ceteros eam in *America* sibi reperisse videtur, nec aliam opinatur esse, quam aut provinciam *Peru*, aut *Novam Hispaniam*, sive *Hispaniolam*, aut vicinam quandam *Americæ* insulam. In Peruanam terram inprimis, quod de *Ophir* sacra narrat historia, convenire, vel inde verosimile fieri existimat, quod, trajectis literis, pro *Ophir* facile *Peru* sequioribus seculis dici potuisse videatur, ipsumque aurum Ophiriticum זהב פרוים, *aurum duarum Peru*, majoris nimirum, ac minoris II. *Chron.* III. 6. nuncupetur. Sed quum expeditio *Salomonis* nautica non ex *Joppe*, aut alio maris Mediterranei, unde facile, rectumque, per fretum *Herculeum*, in *Americam* iter ferat, sed ex *Ezion Geber*, Maris Rubri portu, suscepta sit; ipsaque *Peru* provincia, præter aurum, vix quicquam earum rerum, quas classis Salomonea advexit, contineat: non possumus, quin secessionem ab ista sententia faciamus. Neque vero illorum nos movet ratio, qui, quod CHALDÆUS interpres 1. *Reg.* X. 22. & XXII. 47. classem Salomoneam ספינתא & ספינות אפריקא, sive *navem*, aut *naves Africæ*, appellat, terram *Ophir* in ea *Africæ* parte, quæ ad Orientem Solem spectat, collocandam esse arbitrantur. Inter quos cum e Judæorum Doctoribus KIMCHI, e Christianis RAPHAEL VOLATERANUS, & ABRAHAMUS ORTELIUS, tum inprimis DANIEL HUETIUS in erudita de *Navigationibus Salomoneis* Dissertatione, expensis, rejectisque, aliorum opinionibus, eum tractum *Africæ* *Ophir* olim fuisse contendit, qui a *Promontorio Aromatum* ad insulam *Bonæ Spei*, eamque sigillatim regiunculam, quæ SOFOLA audit, porrigitur. At nec ibi tanta auri, argenti, eboris, simiarum, pavonum, thyinique ligni, vel olim, quod sciamus, fuit, vel etiamnum est, copia, quantam ex Ophiritica terra in *Palæstinam*, Salomonis ævo, advectam

vectam esse, memoriæ proditum est. Quodsi *Lusitanorum* quorumque doctissimorum judicio standum est, felicius in *Asia* circa *Gangem* regionem *Ophir* quæsiverimus, nec aliam esse reperiemus, quam quæ *India* nostro ævo appellatur. In hanc enim potissimum expeditionis Salomoneæ rationem quadrare, vel inde demonstrare satagunt, quod intra triennium confici iter ex *Ezion Geber* in *Indiam*, redirique vix potuerit, nec alia ferre terra illarum rerum, quas naves Salomoneæ vexerunt, hac unquam fuerit feracior. Iis autem terminis cum ceteri, qui hujus sententiæ patrocinium susceperunt, tum CASPAR VARRERIUS inprimis in *Comment. de Ophir*, antiquam illam *Ophir* circumscribunt, quibus hodieque provincia *Pegusiana*, maritima *Sinus Gangetici* ora, MALAICA item, sive MALACCA, quam *Chersonesum auream* nonnulli vocant, & SUMATRA Insula, a *Malacca* exiguo freto distincta, continentur. Quibus tamen vel *Strabonis* obesse videtur auctoritas, qui sub initium Lib. XV. raros ex *Sinu Gangetico* mercatores ad *Gangem* usque pervenisse commentatur. Nec incongrue forsan RELANDUS in *Differt.* de *Ophir* §. XV. conqueritur, se assequi haud posse, qui factum sit, quin, siquidem in tam longinquas terras Salomoneæ, Tyriæque, naves toties ierint, redierint, sequiori ævo Judæorum, Tyrique, Reges inita cum Indis commercia sustentarint. Illud enim si fecissent, non præter rationem suspicatur, notories terras illas & *Græcis* olim, & *Romanis*, fuisse futura, quæ tamen, TIBERII etiamnum ævo; adeo ignotæ fuerunt, ut, qui de *India* scribere aggressi sunt, tenebras sibi offundi, eo, quod paucissimi ibidem fuerint, nec quicquam fere certnm sit, conquerantur. Atque hinc haud dubie evenisse contendit, ut in iis, quæ ultra *Gangem* sunt, prisci Scriptores plurimum cœcutirent. His ipsis rationibus BOCHARTUM permotum esse facile crediderimus, ut in *Phaleg. Part.* I. L. 2. c. XVIII. p. m. 141. seq. *Ophir* insulam *Taprobanam*, quæ ut ipse l. c. *Part.* 2. L. I. c. 46. p. m. 691., docet, non *Sumatra*, sed ZELAN, sive CEYLON est, interpretaretur. A quo tamen cur dissentiat RELANDUS in *Differt.* de *Ophir* §. 7. aperit, quando, missa *Tapobrana*, circa *Oupara*, sive Σȣπάρα, urbem, quam alii, ὑππάρα & σȣ́φαρα, scribunt, repertam sibi blanditur *Ophir* in ea *Indiæ* parte, quæ ad Occidentem vergit, & regni DECAN nomine nota est. Et sane videtur habere, quam urgeat, nominum σȣ́παρα & σοφείρ cum notionibus σωφιρὰ, σȣφὶρ, ὄφειρα, & aliis, quibus JOSEPHUS, ORIGFNES, & LXX. *Interpretes*, *Ophiram* exprimunt, affinitatem, maxime quum, ut ait, urbs *Oupara*, cujus locum hac ætate celeberrimum illud *Lusitanorum* emporium GOA tenet, omnibus iis, quas Salomoneæ naves petebant, rebus affluxerit, classiumque ad hæc loca tutior commeatus fuerit, quippe ad quæ ex *Ezion Geber*, vel littora tantum legendo, perveniri potuerit. Verum enim vero non eas esse *Relandi* rationes, quæ *Bocharto* officiant, vel inde liquet, quod vestigia nominis *Ophir*, in quibus fere cardinem disputationis volvi RELANDUS l. c. §. V. affirmarat, perinde in ipsa *Tapobrana* insula, quod BOCHARTUS l. c. p. 692. notat, offendamus, nec *Taprobana* minus, quam urbs *Oupara*, *Chersoneso Indiæ* ultra *Gangem*, utpote a qua angusto tantum isthmo diremta est, confinis habeatur. Accedit, quod laudatus *Belga*, §. XIV. Salomoneas naves non proxime ad urbem *Ouparam*, quam ipse §. XI. auri, argentique, fodinis caruisse adstruit sed in vicinis locis ac regionibus, quorsum & ipsa *Taprobana* insula referenda est, substitisse non inficiatur. Quin imo in *Differt.* de *Ophir* §. XIV. & de *Mari Rubro* §. V. ingenue fatetur, gemmarum proventu insulam *Taprobanam* inprimis fœcundam celebrari. Quid? quod nondum allatum a *Relando* est idoneum argumentum, quo evinceret, regionem integram ab una, celebriore licet, urbe *Ophir* dictam esse? Neque enim exinde colligi quicquam potest, quod *Syrus* 2. *Paralip.* VIII. 18. ܐܘܦܝܪ *Ophir* vocet ܡܕܝܢܬܐ urbem, *Arabs* vero مدينة الذهب *urbem auri*, quum posterior eorum I. *Reg.* XXII. 49. eandem الهند *Indiam* appellat, & I. *Reg.* IX. 28. naves Salomonis الي بلاد دهلك التي من الهند *ad regiones Dahlak*, *quæ sunt ex India*, profectas esse confirmet. Propius igitur est, ut cum FRIDERICO SPANHEMIO faciamus, qui *Hist. Eccles.* V. T. *Tom.* I. p. 366., omnibus ferme sententiis in unam collectis, statuit, classem Salomoneam, superato Mari Rubro, sive Arabico, ad varios nunc *Africæ*, ubi *Zofala* auri & eboris ferax, nunc *Arabiæ Felicis*, ubi *Havilah* & *Ophir* auro fœcundæ *Gen.* XI. II. *Job.* XXII. 4. nunc *Indiæ*, portus, sinusque, prout quidem comparandarum mercium necessitas exigebat, appulisse. Ophiriticam autem expeditionem ideo vocari, & ipse, & BOCHARTUS in *Phaleg. Part. I.* L. 2. c. XXVII. p. m. 140. conjicit, quod forte primum omnium regionem Arabicam *Ophir* naves petierint, perinde atque nostris moribus in *Indiam* navibus, commerciorum caussa, ire dicuntur, qui & *portus Arabicos*, *Sinum Persicum*, *Chinam* & *Japoniam* insulas, adeunt. SANSON interim in *Indice Geographico*

a dicenda ſententia abſtinet, & CLERICUS in *Notis* ad *Sanſonem* profitetur, quod res obſcura & difficilis ſit, de qua unicuique id ſentire, quod maxime arridet, liceat: quibus & SEBASTIANUM SCHMIDIUM ad *Eſ.* c. x. v. 9. ſuo modo aſſociamus, quando: *De Tharſis & Ophir*, ſcribit, *Apud Geographos non exigua lis eſt, ubi fuerit, quam controverſiam noſtram non facimus.*

De *Ophir* hactenus: reſtat ut de תרשיש pauca commentemur. Quanquam enim videbamur facile hac opera ſuperſedere poſſe, propterea quod omnes fere interpretes difficultate deterritos eſſe, quin definire quicquam auderent, deprehendamus: tamen vel illud nobis monendum eſſe cenſuimus, quod 1. *Reg.* X. 22. claſſis Salomonea, omiſſo nomine אופיר *Ophir*, אני תרשיש *navis Tarſis*, nuncupetur, & 2. *Paral.* XX. 36. referatur, *Joſaphatum* ad *Ezion Gaber* naves extrui curaſſe ללכת אל־ תרשיש *ut Tarſin iret*. Has enim rationes eſſe facile conjicimus, quibus permoti ætatis noſtræ Critici non pauci nomen תרשיש certæ proprium ac peculiare provinciæ eſſe contendunt, maxime quum illud ab Interprete *Syro* ترشيش, ab *Arabe* ترسيس, iiſdem literis reddi, & a R. *Salomone Jarchio* v. 22. l. c. אני תשריש per ספינות ספינות אפריקא, *naves Africæ*, quomodo alias, ut §. antecedenter, diximus, naves *Ophir* CHALDÆUS interpretatur, exprimi videant. De תרשיש autem, *Javanis* filio, cujus mentio *Gen.* X. 4. fit, cuique princeps *Ciliciæ* urbs Tarſus (ת in ט mutato, ut LEUSDENIUS in *Onomaſtico S.* habet) nomen debere creditur, ne hic prolixius ageremus, BOCHARTUS nos movere poterat, qui *Phaleg. Part.* 1. *Lib.* III. c. VII. pag. 171. *Tarſin*, ad quam navibus ex *Ezion Geber* itum eſt, *Taprobanæ* propinquiorem, adeoque a *Tarſo* Ciliciæ diverſiſſimam fuiſſe, affirmat. DANIEL contra HUETIUS, ut *Ophiram* in occidentali Africæ littore collocat, ita *Tarteſſum* inſulam, ad Occidentem Hiſpaniæ ſitam, vicinaſque *Gades* תרשיש nomine deſignari, nulla fultus ratione, exiſtimat. SANSONIUS autem in *Indice Geographico*, oraculorum, quæ laudavimus, perſpicuitate ſe convictum retur, ut credat, duas a Salomone claſſes extructas eſſe, quarum altera ex *Ezion Gaber* Ophiram, altera ex *Joppe* Tarſin iret. A quibus tamen omnibus CASPAR VARRERIUS in Comment. de *Ophir* diſſentit: *Locis*, inquiens, *omnibus probe perſpectis apparet, quod ſacra hiſtoria eandem regionem modo Ophir, modo Tarſis, appellet*. Nos ſi quid de ſingulis judicamus, tantiſper ſane *Bocharto* aſſentiendum non eſt, dum, quo jam nomine antiqua illa, & Taprobanæ proxima, *Tarſis*, ab Indis appellatur, idoneis argumentis explicuerit, maxime cum alias *Tarſin* fere *Hiſpaniam*, & adjacentes ſigillatim inſulas, *Tarteſſum* & *Gades*, interpretetur. Neque vero HUETIUS audiendus eſt, quum ne cogitando quidem aſſequamur, qui *Salomo*, regum ſapientiſſimus, ex *Ezion Gaber* in *Hiſpaniam* claſſem miſerit, quum ex *Joppe* maris Mediterranei portu, longe rectior, tutior, brevior, & ab ipſis *Phœnicibus* multum trita, ad *Hiſpanos* via eſſet, nec Hiſpania unquam iis mercibus, quibus onuſta claſſis Salomonea rediit, abundaſſe commemoretur. *Sanſonem* autem, Geographum cetera excellentem, de gemina Salomonis claſſe ſomniaſſe, mirari ſatis non poſſumus, quando vel ex ſolo 1. *Reg.* XXII. ubi *Joſaphat* feciſſe dicitur אניות תרשיש ללכת אופירה *naves Tarſchiſch, ut irent Ophiram*, diſcere poterat, non poſſe תרשיש nomen regioni, in quam navibus eundum foret, proprium, ut ex infra dicendis patebit, indicare. Quo rectius nobis *Lut.*, *Junius*, *Tremellius*, aliique præſtantiſſimi Interpretes, egiſſe videntur, qui תרשיש voce *Oceanum* deſignatum, adeoque per אניות תרשיש *naves Tharſchiſch*, ejuſmodi naves ſignificatas eſſe putarunt, quæ ad itinera in Oceano conficienda habiles forent, ac idoneæ. Cujus quidem denominationis non omnino futilem rationem illam HIERONYMUS ad *Marcellam* ſuggerit, quod mare inſtar lapidis Chryſoliti, quem vox תרשיש itidem denotat, cæruleum eſſe, ejuſque adeo colorem, maxime ubi ſolaribus radiis colluſtratum fuerit, reddere videatur. Explicatior ſane hac illa eſt, qua alii, tropum ex tropo nectentes, *Tarſis*, viri nomen, pro ejus poſteris, hos pro regione, quam incoluerunt, *Cilicia*, hanc pro *Mari Mediterraneo* Ciliciam ambiente, & hoc denique pro *Oceano*, ſive quocunque mari magno, ſumi oportere contendunt. Quo minus autem laudatam *Lut.*, *Juniique* ac *Tremellii* interpretationem deſerendam eſſe ſtatuamus, non illud modo nos movet, quod 1. *Reg.* 9. commate ultimo, & 2. *Paralip.* 8. comm. ult. nullius, quam Ophiriticæ, ad quam claſſi Salomoneæ proficiſcendum erat, regionis mentio injicitur, ſed etiam 1. *Reg.* X. 22. rex *Salomo* אני תרשיש, *claſſem Tarchiſch*, in mari, & *Joſaphat* 1. *Reg.* XXII. 49. תרשיש אניות habuiſſe dicitur, ללכת אופירה, *quæ irent Ophiram*. Quodſi תרשיש nomen terræ, in quam emiſſa eſt claſſis, proprium feceris, inconcinna plane, & incongrua, verborum mens illa futura eſt, *Salomonem* & *Joſaphatum* naves Tarſicas ex *Ezion Geber* Ophiram miſiſſe: quum contra,

ſi quis

ſi quis אניות תרשיש, *naves Oceani*; h. e. majores, & ad iter longum in Oceano conficiendum aptas, interpretetur, perſpicua ſint omnia, & ſuis difficultatibus expedita. Neque obſtat huic noſtræ ſententiæ, quod 2. *Paralip.* XX. 36. *Joſaphat*, naves in *Ezion Geber* extruxiſſe legitur ללכת תרשיש, *ut irent Tarſchiſch*, quum hic non, ut cum Philoſophis loquamur, *terminus ad quem*, ſed *medium per quod*, mare nempe, ſive Oceanus, indicari, iſque verborum ſenſueſſe: *Ut irent in Oceano*: videatur.

VIII. Poſtquam ita, quorſum claſſis ex *Ezion Geber* iverit, vidimus, de mercibus, quarum aſportandarum cauſſa illa a *Salomone* miſſa fuit, ut paucis agamus, res exigit. Eæ non uno omnes loco, ſad variæ, & 1. *Reg.* IX. 28. ac 2. *Paralip.* VIII. 18. quidem ſolum *aurum*, 1. *Reg.* X. 11. præter aurum *ligna Almugim* & 2. *Paralip.* IX. 20., *lapis pretioſus*; 1. *Reg.* X. 22. *aurum*, *argentum*, *ebur*, *ſimiæ*, *pavones*, recenſentur. Ut adeo, his locis accurate inter ſe collatis, facile intelligamus, ſeptem diverſa mercium advectarum fuiſſe genera (1) זהב *aurum*, (2) כסף *argentum*, (3) שנהבים *ebora*, (4) קפים *ſimias*, (5) תכיים *pavones*, (6) עצי אלמגים *ligna thyina*, & (7) אבן יקרה *lapidem pretioſum*. Et auri quidem 1. *Reg.* IX. 28. advecta dicuntur fuiſſe ארבע̄ מאות ועשרים ככר *quadringenta & viginti talenta*, ſecus atque 2. *Paralip.* VIII. 18. ubi ארבע מאות וחמשים ככר *quadringenta & quinquaginta talenta* enumerantur. Quam ſummæ diverſitatem, ut concilient, tollanque Interpretes, alii 1. *Reg.* IX. 28. auri maſſam depurati, rudem autem 2. *Paralip.* VIII. 18. ſignificari ajunt: alii ABENEZRAE, qui ad 1. *Reg.* IX. 26. ita commentatur: כי השלשים ככר זהב הוציאו בהוצאת הדרך & KIMCHI, qui 2. *Paralip.* VIII. 18. eadem verba ſua facit, auctoritate permoti, quadringenta & viginti talenta ad Regem delata, triginta autem reliqua in uſus nauticos inſumta fuiſſe, judicant. Nobis quidem utroque in loco divinus Scriptor ad majorem maxime, & rotundum numerum, minoris ratione æque non habita, attendiſſe, eaque ipſa de cauſſa *Græci* & *Arabs*, Interpretes, ſibi licentiam videntur ſumſiſſe, 2. *Paralip.* VIII. 18. *talenta* tantum *quadringenta* & *quadraginta* definiendi. De כסף ſive *argento*, cujus tanta, imperante *Salomone*, Hieroſolymis fuit copia, ut כאבנים, *lapidum* loco habenetur, ut jam nihil dicamus, vocem שנהבים, quam *Græci*, *Chaldæi*, ac recentiores *Judæi*, perinde ut HIERONYMUS, *dentes Elephantorum*, SYRUS & ARABS vero *Elephantes* interpretantur, haud inepte ex שן & קוהבים deduci ac componi exiſtimamus. Neque enim abſonum eſt, quod BOCHARTUS in *Hieroz. Lib.* 2. *cap.* 23. p. 247. putat, שנהבים; eliſa media litera, dici pro שנקוהבים, quum non tantum multis illud ſimilibuſque vocum compoſitarum exemplis comprobet, ſed etiam ex voce قهب, quæ Arabibus *fuſcum eſſe* ſignificat, *Elephantes* priſcis *Ebræis* קוהבים, propter fuſcum ac nigricantem, quem referunt, colorem dictos eſſe, haud difficulter confirmet. *Indiam* autem Elephantorum, & tantorum quidem, quorum robur & magnitudinem ipſi *Afri* paveant, proventu fœcundam eſſe, vel PLINIUS *Lib. VIII. cap. IX.* & *XI.* & POLYBIUS *Lib. V.* teſtes ſunt. Porro an vox קוף, quam vulgo *Simiam* reddunt Interpretes, a קוף ſive יפק, *ambire*, *circuire*, derivanda ſit, propterea quod animal iſtud frequentibus ſe circulationibus exerceat, ac ſpectatores detineat, non dijudicamus. Quanquam iis aſſentiendum putamus minime, qui *Troglodytem*, maritimam *Æthiopiæ* provinciam, eam fuiſſe rati, in quam claſſis *Salomonea* miſſa ſit, illud ipſum animal קוף non *Indicum*, ſed *Æthiopicum*, ſeu *Troglodyticum*, adeoque non aliud fuiſſe, quam quod GRÆCI κῆβον κῆπον, aut κεῖπον, ROMANI *Cepum* aut *Cephum* appellarunt. Nam nulla omnino apparet ratio, qua hæc ſententia cum iis, quæ de claſſis Salomoneæ ex *Ezion Geber* in Oceano Indico expeditione, ex *Bocharti* mente §. præcedente diſputata ſunt, conciliari poſſit. Quid quod ipſe præterea BOCHARTUS תכיים aves, quas advexiſſe naves Salomoneæ dicuntur, *Indicas* proprie fuiſſe *Hieroz. Part. II. Lib. I. Cap. XX.* p. 137. fatetur: quanquam deinceps, ut ſuam opinionem tueatur, eaſdem, inverſis quaſi literis pro תוכיים dictas כותיים, in *Perſidem* advectas, ac ex *Sinu* demum *Perſico* per Salomoneas naves aſportatas eſſe contendit. LXX. *Græci*, rei fortean difficultate preſſi, vocem hanc ἀνερμήνευτον reliquerunt, quam tamen poſt *Chaldæum*, *Syrum*, *Arabem*, & V. *Vulgatam*, R. SALOMO, R. LEUI, KIMCHIUS aliique, פאוונש reddiderunt. Et quamvis de cetero non deſint, qui cum *Deodatio* & iis, quos JUNIUS ad marginem nominat, תכיים, *pſittacos*, interpretari malint; ac nuper admodum RELANDUS in *Diſſert.* de *Ophir*, ab Arabico تدك *Tedac*, Τέδακος, Τίδδακος, σίττακος, atque hinc tandem ψίττακος deductum eſſe ingenioſe conjectarit: *Bocharti* tamen in judicio, quo a recepta interpretatione, quum graves & idoneæ etiamnum cauſſæ deſint, recedendum non eſſe ſtatuit, dum lis clarius dijudicata fuerit, acquieſcendum eſſe arbitramur. Quod vero

genus lignorum per עצי אלמגים hic indicetur, accurate nemo hucuſque definivit. LXX. Interpretes has voces jam *thyina ligna*, hoc eſt odorata & ad ſuave ſuffimentum idonea, ἀπὸ τῦ θύειν, jam ξύλα πελεκυτὰ, *ligna dolata*, I. *Reg*. X. 11. jam πεύκινα ξύλα, *ligna pinea*, II. *Chron*. IX. 10. reddunt: quorum tamen interpretamentorum primum præter quaſdam virtutes ligno forte אלמגים cum arboribus aliis communes nihil exprimit, cetera vel propterea ferri nequeunt, quod I. *Reg*. X. 12. ejuſmodi ligna, qualia fuere noſtra, deinceps in *Palæſtinam* illata eſſe pernegantur. Neque vero CL. MATTHÆI HILLERI, quam *Onomaſt. S. Via* XI. p. 410. facit, conjectura, & qua vocem אלמגים, quam ab אלגמים recte diſcernit, reſoluta conciſione, & ablata ſyncope אגל מגים ejuſmodi nempe arborem, quæ in *Libano* creſcebat, interpretandam cenſet, quicquam conficit, quam ut ex una duas voces, & ex utraque generalem communemque aliis arboribus ſignificationem eliciat. Denique inter merces Indicas numeratur etiam אבן יקרה *lapis pretioſus*, ſive ut CHALDÆUS, I. *Reg*. X. 11. habet, אבנין טבן, *lapides boni*, vel quemadmodum LXX. *Interpretes*, λίθοι τορευτοὶ καὶ πελεκητοὶ, *lapides tornati* & *dolati*, ſive, ut plurimi volunt, *gemmæ*, quarum copia *Dionyſio Periegete*, aliiſque, teſtibus, ſemper abundavit *India*, quippe quæ non beryllum, non adamantem, non Jaſpin, non topaſium modo, ſed ipſum quoque chryſolitum, quem Ebræi תרשיש vocant, abundanter gignit ac profert.

IX. Hæ vero merces, ut amplæ omnes ſplendidæque fuerunt: ita immenſo ſane ſumptu, incredibilique labore ac periculo petentibus conſtiterunt. Id ſi non aliunde, ex eo ſane colligere poteramus, quod *claſſis Ophiritica* 1. *Reg*. X. 22. & II. *Paralip*. IX. 21. אחר לשלש שנים h. e. *non niſi ſpatio trium annorum* ſuſceptam expeditionem demum confeciſſe dicitur. Rei nauticæ, prout noſtra ætate floret, peritioribus hæc quidem, ſcimus, ægerrime poſſe perſuaderi, propterea quod his temporibus ad remotiſſimas terrarum provincias intra duorum ſpatium annorum navibus iri, indeque rediri, experiundo didicerunt. Igitur, ne, quod aperte rerum uſui & experientiæ repugnare putant, admittere, aut ſacræ fidem hiſtoriæ elevare cogantur, contendunt, non dici a Scriptore divino ad conficiendum unum iter integro triennio opus fuiſſe, ſed, ſingulis tribus annis *claſſem Ophiriticam* ſemel vel iviſſe, vel rediiſſe, potius affirmari. Et ſane SALIANUS, ut *Sanſon* in *Ophir* refert, ſingulis annis iviſſe Salomoneas naves *Ophiram* ac rediiſſe, aſſerere non dubitavit. Quem quidem vel ſolę voces אחר לשלש נישם, ſignificanter clareque in fontibus poſitę, mendacii coarguere poterant, niſi graves pręterea rationes haberemus, cur cum RELANDO in *Diſſert*. de *Ophir* §. IV. integrum ſemper triennium ad unam expeditionem conficiendam, requiſitum fuiſſe defenderemus. Atque earum haud exiguam copiam VARRERIUS in *Comment*. l. c. nobis ſubminiſtrat, qui, licet adverſam ſententiam tantum non aperte amplectatur, argumentorum tamen, quę pro nobis propugnant, farraginem ſuę opinioni, miro conſilio, ſubjungit. Quod ergo retardare iter claſſis Salomoneę poterat, (1) *Sinus Arabicus* valde vadoſus, multiſque ſcopulis inſidioſus eſt. [2] exigua artis nauticę, in tenerrima quaſi tum ętate conſtitutę, peritia, pyxidiſque inprimis nauticę, quę ſeptemtrionalem regionem accurate indicat, ignoratio. [3] frequens ac neceſſaria nauclerorum ob maris ac locorum maritimorum inſolentiam pro diverſitate regionum permutatio. (4) lignationes & aquationes propter navigiorum, commeatus multi incapacium, exiguitatem crebrius inſtituendę. (5) tempeſtates mare Orientale maxime infeſtantes [6] *Manſoræ*, ſive *Eteſiæ Indicæ*, quę teſte ARRIANO *Lib*. VIII. de *Expedit. Alexandri*, a mari terram perflant, & navigationem impediunt, ad quas nautis attendendum eſt (7) nocturnę navigationis intermiſſio (8) morę permutandis mercibus, navibuſque, impendendę. Has ſiquis rationes ponderet accuratius, nę, ille mirabitur minime, quod nunc intra unius anni ſpatium abſolvi poteſt, idem tum iter vix intra triennium perfici potuiſſe. Et ſane cum *Syrus* tum *Arabs* haud exiguum ſententię noſtrę pondus addunt, quippe quorum ille 2. Chron. IX. 21. verbis [Syriac] *ſemel ternis quibuſque annis revertebantur*: hic pariter verbis: سفن تجي وفي كل ثلاثتي & *ternis quibuſque annis revertebantur*; Ebræum textum reddit: quanquam tam ſtricte hæc accipienda haud cenſeamus, ut integrum triennium completum intelligatur, quum Sacra Scriptura paſſim partem anni pro integro ponat, adeoque ſatis aſſecuti mentem ſcriptoris ſacri videamur, ſi credamus, tertio quovis anno claſſem rediiſſe. Sed finge intra unius anni ſpatium confici tantum iter potuiſſe, adeone ſegnem & ſocordem fuiſſe *Salomonem* crediderimus, ut otioſas ad tertium uſque annum naves in portu ſtare pateretur, nec tantis opum, quæ ex iteratis expeditionibus redundare poterant, acceſſionibus locu-

locupletare regnum ſuum, ejuſque gloriam, ſplendorem, incrementa, amplificare, ſacræque inprimis ædis ædificationem & exornationem maturare properaret? Id vero ut nemini, niſi qui ipſe ſegnis ſocorſve ſit, perſuaſum iri arbitramur, ita merito cuivis moveat ſtomachum, quod LXX. *Græci* non veriti ſunt, אחר Ebræum aliquando per vocem *μία* exprimere, quaſi ſcilicet *μία νῆυς* tantum *una navis* intra trium annorum ſpatium, ierit, ac redierit.

X. Quoties autem, imperante *Salomone*, repetita in *Ophiram* ſit expeditio, quanquam accurate ex ſacris literis definiri nequit: ex hiſtoriarum tamen rerumque connexione ſæpius eam ſuſceptam, confectamque eſſe, haud difficulter colligimus. Neque enim credibile eſt, *Salomonem*, qui XL. annis imperavit, in tanto temporum tractu ſemel, iterumve, claſſem in tam opulentas terras, diteſcendi regni ſui cauſſa, emiſiſſe, contentum fuiſſe, præſertim quum ſub ipſa regni primordia fœdus & amicitiam cum *Hiramo*, patris ſui amico, junxiſſe, & ſocietatem commerciorum iniiſſe, haud levibus de cauſſis videatur. Salomone autem fatis functo, mirum eſt neminem Judaicorum regum diu extitiſſe, qui animum ad ſuſcipiendas in *Ophiram* expeditiones applicuerit, niſi de ASARIA *Amaziæ*, qui *Idumæos* debellavit, filio, qui II. *Reg.* XIV. 22. *Elath*, alterum Rubri maris portum inſtauraſſe dicitur, illud quiſquam velit ſomniare. Unus demum I. *Reg.* XXII. repertus eſt *Joſaphat*, rex pietatis laude clariſſimus, qui, ædificatis in *Ezion Geber* navibus, *Ophiriticas* in Palæſtinam *merces* aſportare eniteretur. Quanquam & hunc conatum eventus infelicior fefellit, quum extructa armataque claſſis, ſuborta tempeſtate, ne impune ferret, quod ex conſuetudine cum impiis regibus Iſraeliticis ſigillatim cum *Achazia* Achabi filio, contraxerat *Joſaphatus* ſcelus, divino Numine fluctuum vi confringeretur.



JOA-

xxiii. i. pag. 189. accuratius de hac phrasi ita scribit : " Tarschisch videtur esse „ h. l. non ipsum mare, sed terra, sive insularis, sive maritima, ut naves Tarschisch sint *naves e Tarschisch venientes*.

III. Circumstantiæ porro de nomine Tarschisch in Scriptura S. traditæ non obscure quoque nos docent, esse illud non urbis nomen tantum, ut plerique putant, sed totius potius alicujus regionis. Scilicet inter filios Javanis Gen. X. 4. refertur quoque Tarschisch quidam, cum ergo reliqui in isto capite memorati, *regionum* certarum, non *urbis* alicujus tantum conditores fuerint, idem de hoc filio Tarschisch non sine ratione erit dicendum, præsertim cum loco citato v. 5. expresse addatur, a filiis Javanis, inter quos & Tarschisch erat, fuisse divisas insulas & regiones gentium per terras earum. Tarschisch quoque in Scriptura S. describitur, quod exinde in alias terras variæ merces, e. g. aurum, argentum &c. itemque animalia, ut simiæ, pavones &c. sint deportatæ, quod de sola urbe aliqua dici non poterit; cum terræ montosæ, non urbes, ejusmodi res alant atque promant, conf. §. seq. n. 4. Sine dubio ergo Tarschisch fuit regio aliqua & integer aliquis terræ tractus. Hoc quoque ex eo quam clarissime elucet, quod terræ Tarschisch in Psal. LXXII. 10. reges attribuantur, mentio enim ibi fit תלכי מרשיש regum Tarschisch. Antiquis quidem temporibus reges non semper amplas sibi subjectas habuerunt terras, interim tamen rex sine regione, quantulacunque sit, esse non poterit, unde necessario sequitur, Tharschisch integram fuisse aliquam regionem. Et si ad numerum pluralem loco citato occurrentem (cum dicitur : reges, non rex Tarschisch) attendamus, dicendum fere sine contradictione erit, Tarschisch fuisse magnum terræ tractum, quem tempore Davidis & Salomonis plures reges inter se divisum sub suo tenuerunt dominatu, prout olim in primis sub imperiorum initia minora totam Asiam distraxerunt regna. Idem porro exinde quoque apparere persuasum habeo, quod Tarschisch inter alia enumeretur regna, dum cum regione Lud & insula Phul Esai. LXVI. 19. conjungitur, manifesto indicio, Tarsidis eandem esse rationem ac regionis Lud & Phul. Ex eo vero, quod Tarschisch & Lud l. c. conjunguntur, non poterit concludi, confines fuisse has regiones, Propheta enim maxime dissitas & ab utroque Palæstinæ latere extremas fere ac longinquissimas indicare vult regiones, quorsum missurus esset Deus O. M. quosdam, ut illis suam annuntiarent gloriam. Quod iu antecessum hic erit notandum. Huc quoque pertinent argumenta, sequenti §. adducta, quæ idem facile poterunt probare.

IV. Cum ergo brevissime quidem sed liquido ostenderim, totam aliquam per Tarschisch in sacris literis designari regionem; quæstio nunc remanet, cuinam ergo mundi regioni nomen Tarschisch sit tribuendum? Ego, si omnia, quæ de eo in Scriptura Sacra memorantur, accurate perpendeo, veritati maxime consentaneum esse mihi persuadeo, Tarschisch fuisse regionem istam, quæ nunc *India Orientalis* dicitur, quo nomine secundum consuetum loquendi usum in latiori sensu tam terra continens, Oceano Indico adjacens, quam Insulæ in isto Oceano sitæ comprehenduntur. Evincent hoc sine dubio sequentes rationes ac circumstantiæ. (1) Magna Indiæ Orientalis pars multis constat insulis, ut ex Geographia notum est. Adeo ut non facile, plures simul alicubi terrarum reperiantur. Sic quoque eadem Tarschisch nobis in Scriptura S. depingitur ratione, non enim Gen. X. 4. & 5. solum refertur, posteros Tarschisch, ut ceteros Javanis filios, insulas incoluisse gentium, sed etiam aliis in locis non obscure innuitur, Tarschisch regionem fuisse insularem, dum Jesai. LX. 9. & Psal. LXXII. 10. insulæ cum Tarschisch conjunguntur, ubi forte particula ו hebraica, ceu alias quoque non est infrequens, ut explanativa commode accipienda erit. Jungitur quoque [2] Tarschisch cum regionibus urbibusque Scheba & Dedan, Ezech. XXXVIII. 13. & Psal. LXXII. 10. quæ ad mare Persicum & sic quoque ad Oceanum magnum Orientalem seu Indicum sitæ erant, unde multo commodius Tarschisch ad Oceanum Indicum quærere reperireque possumus, quam ut in Hispania aut Græcia cum aliis indagare regionem illam allaboremus. (3) Situs urbis (seu insulæ) Ophir, ad quam classis Salomonæa fuit missa, quam clarissime in sententia nostra nos confirmare poterit. Scilicet maximus quidem se prodit eruditorum dissensus, ubi terrarum Ophir sit collocanda aut invenienda; accuratiores tamen scriptores, ut *Caspar Varrerius in Commentario de Ophir*, *Bochartus in Phaleg. Part. I. Lib. II. Cap. XVIII. & Relandus in diss. de Ophir.* §. 7. in eo consentiunt, Ophir sitam fuisse in India Orientali. An cum Varrerio ad sinum Gangeticum, an vero cum Bocharto in Insula Ceilon, an denique cum Relando circa Oupara urbem sit reperienda, hic determinare opus non erit, sufficit, in eo viros doctos consentire ac hoc demonstrasse, quod Ophir Indiæ locus fuerit Orientalis

talis

talis. Ad quod versio Arabica quoque in consensum adduci poterit, quæ I. Reg. XXII. 49. pro Ophir omnino *Indiam* habet, & I. Reg. IX. 28. naves Salomonis *ad regiones Dahlak, quæ sunt ex India*, profectas esse ait. Nunc omnes circumstantiæ arguunt, Ophir & Tarschisch eodem terræ tractu fuisse sitas, si enim I. Reg. XXII. 49. cum II. Chron. XX. 36. conferamus, videbimus, Ophir cum Tarschisch plane permutari, cum enim loco priori dicitur: Josaphatum naves fecisse Tarsicas ללכת אופירה *ut Ophiram irent*, in posteriori legitur: ללכת תרשיש, *ut Tarsin irent*. Unde *Varrerius in Comment.* citat. non incongrue ita scribit: „ Locis omnibus probe „ perspectis apparet, quod sacra historia eandem regionem modo Ophir, modo Tarsis appellet. Sponte ergo hinc consequitur, Tarschisch Indiæ Orientalis fuisse regionem, aut ipsam potius totam Indiam. Et si phrasin: אניות תרשיש ללכת אפיר, præter permutationem adductam, accurate inspiciamus, dicendum omnino erit, Ophir fuisse urbem aut insulam, in regione Tarschisch sitam, ut idem hujus phrasis sit sensus, prout nunc e.g. loquimur: Paratur navis Indica, ut mittatur Bataviam, Ceilon &c. Man rüstet ein Schiff zu/ das nach/ Batavia oder Ceilon oder sonsten nach andere Ostindische Oerter gehen soll (4) Legimus I. Reg. IX. 26. seq. X. 11. 22. item 2. Chron. VIII. 17. 18. & IX. 10. & 21. diversa mercium genera a classe Salomonea ex Ophir & Tarschisch fuisse advecta, scilicet *aurum*, *argentum*, *ligna thyina*, *ebora* seu elephantorum dentes, *simias*, *pavones* & *lapides pretiosos*. Cum ergo notum sit, Deum O. M. pro libera sua potestate & sapientia non omnem terram unius ejusdemque rei ac mercis participem reddidisse; sed alteri regioni hanc, alteri vero aliam largitum fuisse benedictionem, ut sic terra Tarschisch & Ophir præ ceteris regionibus memoratas protulerit merces: sequitur, si ostensum fuerit, Indiam Orientalem eadem gignere & genuisse mercium genera, qualia de Tarschisch sunt memorata; hanc & illam eandem fuisse regionem & terram. De India ergo Orientali non tantum hodierna comprobat experientia, sed veterum quoque relationes testantur, proventu talium mercium eam imprimis fœcundam esse & olim quoque fuisse. Namque quod India aurum & argentum proferat, videri poterit apud *Plinium in Histor. naturali* Libr. VI. Cap. XIX. & XX. Licet porro valde sit obscurum, quodnam lignorum genus per עצי אלמגים intelligitur, dubium tamen non est, quin & India ejusmodi lignum aluerit. Communiter quidem lignum thyinum redditur, de quo Apoc. XVIII. 12. legitur; si vero cum Lut. per *ebenum* interpretemur, Indiæ quoque fructus lignum istud cum Plinio l. c. Libr. XII. Cap. IV. foret dicendum. Eboris itidem copiam in India exstare, non est quod dubitemus; cum terra illa elephantorum fœcundissima sit genitrix, teste iterum Plinio Libr. VIII. Cap. IX. & XI. & alibi. Simias quoque ibi magno procreari numero, uti alias constat, sic quoque illi referunt, qui istam peragrarunt regionem. De avibus, (a) תכיים dictis l. c. licet eas pavones aut psittacos reddas, aut qualescunque demum sint aves, a *Bocharto in Hierozoico* Part. 2. Lib. 1. Cap. XX. pag. 137. demonstratum est, eas proprie *Indicas* fuisse aves. Variorum denique generum lapidum pretiosorum gemmarumque [quorsum inter alias chrysolitus, quem Scriptura S. a regione תרשיש vocat, pertinet] copia abundasse Indiam, non tantum Plinius hinc inde, sed & alii superflue nos docent. (5) Ratio hinc reddi poterit, cur in Ezion Gebher, urbe ad littus maris algosi, seu ad sinum Arabicum sita, classem suam ædificaverit, & exinde Tarsin miserit Salomo, uti quoque de Josaphato 2. Chron. XX. 36. legimus. Si enim hanc esse Indiam Orientalem statuamus, facilior, tutiorque, imo compendiosior ad hancce regionem ex Gebher via erat, quam si ex Joppe, Hierosolymis alias multo viciniori portu, eam solvisset. Quod si Tarschisch orientem versus non fuisset sita (ut India Orientalis ea non indicetur) sed alicubi ad Mediterranei maris littus; si e. g. Tarsus Ciliciæ, aut, si cum Clerico Tarschisch quærenda esset in Macedonia: commodius sane ex Joppe aut alio istius maris portu expeditio illa nautica fuisset suscepta. Imo hac ratione nautis Hirami, dum ex *Tyro* suas solverunt naves Tarsicas, ad unum iter conficiendum integro triennio non fuisset opus, uti traditur 1. Reg. X. 22. & 2. Chron. IX. 21. nisi non solum per mare mediterraneum sed totam insuper quoque Africam circumnavigandum illis fuisset. Ad hoc observari hic forte poterit, de expeditione Hirami, ex Tyro sine dubio suscepta, cum qua Salomo unam alteramve navem in consortio miserat, tantum locis citatis dici, quod iter nonnisi trium annorum spatio absolverit; cum contra, ubi 1. Reg. IX. 26. & 2. Chron. VIII. 17. 18. classis Salomoneæ fit mentio, tantum temporis spatium ad expeditionem conficiendam necessarium fuisse non legatur, cum classis hæc, ex Ezion Gebher utpote portu Indiæ Orientali seu Tarsidi multo viciniore, missa, sine dubio minore temporis spatio quam trium anno-

annorum iter absolverit suum. Classes enim Hirami & Salomonis omnino sunt distinguendæ [quamvis fortassis in consortio eas instruxerint] de illius enim classe dicitur locis primo citatis, navem Salomonis missam fuisse *cum nave Hirami*; cum contra locis post citatis de Salomonis clase dicatur, servos Hirami *cum servis Salomonis* fuisse missos. [6] Argumentum porro pro sententia mea peti posse puto ex Psal. XLVII. 8. ubi naves Tarschisch Euro a Deo sæpius confringi dicuntur. Ex quo patet, Tarschisch sub ista mundi plaga fuisse sitam, ubi Eurus vehementior est, quam in aliis terræ locis. Ex multis vero Scripturæ S. locis, quos vide citatos apud Geierum in Commentario ad h. l. apparet, ventum huncce Eurum in orientalibus plagis nimis esse vehementem; unde sequitur, sub orientali Tarschisch quærendam esse plaga. (7) Ultimo loco adjungam *Hieronymi* consensum, ita enim *ad Marcellam* in *Opere Epistolarum* suarum, Tomo ultimo pag. 79. edit. Basil. de anno 1524. scribit: *Quæris si Tharsis lapis chrysolitus sit, aut hiacynthus, ut diversi interpretes volunt, ad cujus coloris similitudinem Dei species scribatur: quare Jonas propheta, Tharsis ire velle dicatur, & Salomon & Josaphat in Regnorum libris naves habuerint, quæ de Tharsis solitæ sint exercere commercia. Ad quod facilis est responsio, homonymum esse vocabulum, quod &* Indiæ regio ita appelletur, *& ipsum mare, quia cæruleum sit &c.* hactenus Hieronymus. Hisce ego omnibus argumentis simul sumtis riteque consideratis, nihil fere dubii hac in re remanere poterit, ut persuasum habeam, quemlibet nunc facile mihi concessurum, Tarschisch fuisse Indiam Orientalem.



JACOBI



JACOBI HASÆI
SPICILEGII OBSERVATIONUM
AD
SALOMONIS & HIRAMI
NAVIGATIONES
OPHIRITICAS & THARSISIAS
DISSERTATIO

De תוכיים *TUCKIIM quos eadem classis in* Phœniciam Palæstinamque *attulisse legitur* 1. *Reg. X.* 22. *&* 2. *Chron. IX.* 21.

ARGUMENTUM.

CAUSA scriptionis. Vocis תוכיים *diversa* ortographia & *variarum* interpretationum *causæ*, & conjecturæ *nostræ*. §. I. de situ *Ophir* & *Tarsis*. Difficultas *etymi* vocis תוכיים. §. II. Bocharti sententia, quod ex כתיים inversis litteris nomen sit, examinatur. Avium nomen a locis *peregrinis*. §. III. aliorum de hac voce conjecturæ minus probabiles. §. IV. Nostra profertur quod תוכיים dicti pro סוכיים & notare *habitatores speluncarum*. סך & סכה pro *spelunca*. Jerem. XXV. 38. versio Græca illustrata. §. V. Hinc *Succhæ* loci in *Troglodytica* origo a סכה. Troglodytarum *Speluncæ*. Bocharti de hoc loco sententiæ minus verosimiles. *Succosii* in Mauritania. §. VI. Locus 2. Chron. XII. 3. de סכיים excussus. *Erembi* in *specubus* habitabant; horum nomen a ערב *nigrore* non ἀπὸ τῆς ἔραν βαίνειν. §. VII. סוכיים & תוכיים idem notant, de *permutatione* literarum S. & T. Vox *Succa* lingua Mauritanica, Phœniciæ affini mutatur in *Tucca*. Ut & in vicina *Africa*. תכיים sunt ex *Africa*. §. Urbium Africæ *Succa* & *Tucca* dictarum nominis origo. §. VIII. *Tuckiim* videri *Simias* esse. Argumentum *primum*. illustratur Græca versio 2. Chron. IX. 21. קפים sunt κῆβοι genus *Cercopithecorum*. De discrepantia των קפים & תוכיים. *Cercopitheci* unde dicti Meer Kutzen. §. IX. Argumentum *secundum*. Simiæ Turcis *Maimon:* Kimchius *antiquissimos* magistros citat. §. X. Argument. *tertium*. πίθηκος est ex תוכיים: de ejus vocabuli cum θηκοι convenientia; πι est articulus præpositivus in lingua *Ægyptia*. Nomina *Pharao*, *Bubastus*, *Piramis*, *Busiris*, *Pihachiroth* elucidata. Articulus in vocibus *peregrinis* ipsis vocabulis junctus & dein duplicatus. §. XI. *Simiæ* degunt in

Speluncis. Diodorus Siculus iilustratus. §. XII. Earum *maxima* copia abundat *Africa* ab Ægypto ad columnas Herculis. Insula *Pithecusa* non a *doliis* sed *simiis* dicta. §. XII. Josephi de classe & mercibus Ophiriticis locus excussus. 'Αἰθίοπες num ibi קפים an תוכיים conveniant? conjectura de origine ejus interpretationis. Josephi mens de *Tharsis* contraria est Huetianæ. §. XIV. An תוכיים sint *Numidæ* & *Mauri*? Hi populi habitant in *tuguriis* quæ Hebr. סכה Mauris תכה. Æthiopibus *mancipiis* utebantur veteres, præcipue *Mauris* qui sæpe *Gætuli* dicti. §. XV. Hariolatio qua ratione per תוכיים possint *Gallinæ Numidicæ* indicari. *Gallinæ* סכות & *gallus* סכוי dictus, & unde? *Numidicæ* olim in *delitiis* ciborum. §. XVI. *Tuckiim* non sunt *meleagrides*, nec aves quas Scylax in *Africæ Occidentalis ora* tantum inveniri docet. Locus Scylacis pessime a Salmasio correctus & Vossio versus. *Meleagrides* debentur *Indiæ*. Idem locus vexatissimus pluribus illustratus. Agitur ibi de *Phœnicoptero* ave, quæ *palustris* est & a *freto Herculeo* tantum petita. Nostra emendatio; unde nomen *Phœnicopteri*. §. XVII. XVIII.

§. I.

Luculentissimis quidem adeo animadversionibus Historia navigationum *Hirami* & *Salomonis* summe omnium commemorabilis a doctissimis illustrata hominibus videri posset, quo & ego & alius quispiam supersedere ex facili ulteriore dilucidatione possemus. Neminem tamen cum perlectis, quas in hanc ipsam rem meditor, *observationibus*, diffideri posse sperem & mihi ex ampliori aliorum messe, aliquid relictum fuisse *Spicilegii*, non est quod longam scriptioni veniam precer. Quoniam autem minime gentium *omnia*, quæ ad illud argumentum apta sunt, cædere vineta animus est, sed subinde *quædam* tantummodo ab aliis vel non recte vel tanta non quam par erat copia, elucidata sunt: Principio deprecamur, ut nemo certum harum animadversionum *ordinem*, qui hic nullus est, nobis postulet, qui, prout commodum erit unoquoque tempore, hanc illamve litteris mandavimus. Hinc quantumvis de terra *Ophir* & *Tarsis* principio differendum videtur, nunc lubet disputare de voce vexatissima quæ 1. Reg. X. 22. תכיים & pauxilla litterarum discrepantia, servata antiquiori littera ו (antiquiori vocalis *Kibbuz* nota) 2. Chron. IX. 21. תוכיים *Tuckiim* consignata est. Quid vero eadem sibi velit, ne *veterum*, lumine litterarum quo nunc gaudemus destitutorum, explicationes ordine recenseamus: quantas & quam varias inter eruditissimos viros, quibus in recondita litterarum omnis antiquitatis adyta penetrandi potestas erat, hoc vocabulum conjecturas extorsit, ut eorum scriptis lectis multo quam dudum sis incertior? *Bocharto* Phalegi P. I. L. IV. c. 29. p. 281. videntur *meleagrides* seu *gallopavones* denotari. At Hierozoici P. II. L. I. Cap. XX. omnino *Pavones* intelligendos esse pugnat majori eruditionis apparatu, nixus nobilissimorum interpretum consensu. *Huetius*, amicus ejus, *Psittacos* intelligit in Comment. de *Navigat. Salomon.* Cap. VII. §. 6. quæ etiam placet sententia celeb. *Relando* in Diss. de *Terra Ophir*, quæ T. I. Miscell. Dissert. IV. exhibetur. Nuper vero clarissimo *Joh. Oldermanno* in eruditissima Dissertat. de *Ophir & Tarsis* Helmstadii Anno 1714. quarto impressa visum fuit sect. I. §. 23. probabile, indicari certas *aves* ex *Africa* allatas in terras *peregrinas*, quæ nullibi nisi in *Africanis* reperiuntur, Scylace teste, regionibus. Harum, & quæ plures sunt, sententiarum unaquaeque nititur ea hypothesi, quam quisque de *situ* terræ *Ophir* & *Tarsis* hariolatus est, cum exinde hos *Tuckiim* in Phœniciam deportatos legamus, probatque in ea, quam suopte placet ingenio Ophir esse, regione reperiri. Adeo ut mirum minime sit tanta hac in re reperiri sententiarum divortia quanta de ipsa regione Ophir. Quicquid vero inter singulos sit discrepantiæ de *certo* avium genere; in eo tamen omnes fere unanimibus conveniunt suffragiis, תוכיים esse *aves* seu *alitum* genus. Neque est quod dissimulem me quondam etiam in ea fuisse sententia, qua tamen & ipsa a ceteris discessi, nihil aliud hac voce quam *Gallinas Numidicas* seu *Africanas*, quæ veteribus adeo erant in deliciis, indigitari. Interea tamen loci mutare sententiam coactus sum, ex quo rem penitius introspexi, neque per תוכיים aliquod *avium* genus sed *quadrupedum* & quidem *Simias* intelligendas esse didici.

§. II. Ratio enim potissima cur hoc nomen variis adeo & a nostra sententia alienis interpretationibus vexatum sit, nulla potior videtur, quam quod nemini hucusque felici adeo esse licuerit, quo in veros vocis תוכיים natales & certum ejus ἔτυμον descenderet, dein vero, quod verus genuinusque terræ *Ophir* & *Tarsis* situs tantum non omnibus delituerit, magnopereque ea propter devinctos nos esse fateamur doctissimo *Oldermanno*, qui nullas alias regiones his indicari nominibus quam *Iberiam*

seu

ſeu Hiſpaniam & *Tarteſſum* pererudita, quam citavimus, oſtendit diſſertatione. In cujus ſententiam omnino pedibus imus, pluribus eandem, fortunante DEO, proxima occaſione illuſtraturi. Ipſe autem Oldermannus, qui recentiſſime poſt tot doctorum labores de his rebus aliquid commentatus eſt, ita de obſcuritate ſenſus vocis תוכיים loquitur in fine ſect. 1. §. 23. *Ceterum cum hactenus* nemo *certo definiverit, quid vox* תוכיים *SIGNIFICATIONE SUA involvat, nec firmari hinc neque labefactari noſtra de Ophir ſententia poteſt*. Idem Mercero videtur, qui nulli adſtipulatur ſententiæ in theſauro. *Vox videtur*, inquit, *peregrina: Etymon enim eſt ignotum*. Liceat proinde quid aliorum ſententiæ, qui hanc vocem explicuerunt nihiloſecius, frugi afferant, priuſquam noſtram proferimus paucula oratione attingere.

§. III. Bochartus, ut ut in his literis princeps, minime nobis ſatisfacit, dum citato loco Hierozoici תוכיים per inverſionem litterarum pro כותיים quaſi *Cuthæos* ſeu *Perſicos* dictos vult, quod *Pavi* ex *Perſia* etiam delati, ſæpius *Medicæ* & *Perſicæ aves* appellentur. Videtur quidem huic ſententiæ patrocinium non deeſſe eo, quod nihil ſit ſolennius, quam avibus *peregrinis* aliiſque animantibus nomen dari a *locis* exoticis unde advehuntur, uti præter *aves Afras*, *gallinas Numidicas*, ab *Africa* & *Numidia: Phaſianas a Phaſide*, *a Garamantibus*, *Garamantidas* aliaſque, quas Bochartus citat, teſtantur *gallopavi* quos hodie vocamus Kalekutiſche Hüner / aut welſche Hauen / quod *Calecuti* magna eorum ſit copia & per *Italiam* olim in has delati regiones. Idem docent ab inſulis *Canariis* dictæ aves *Canariæ* Kanarien-Vögel &c. Non tamen heic id reperio ſolidi quod alias Bochartianum pollicetur ingenium. Nam, (ut Bocharti hypotheſi de terra *Ophir* inhæream, quam ille *Seilan* ſeu *Zeilon* inſulam eſſe vult & veterum *Taprobanen* Canaan. L. 1. Cap. 46. adeoque *Indicam* regionem) minime gentium video, qui *aves* ex hac regione *Indica* in Palæſtinam per mare rubrum allatæ *Perſicæ* aut *Cuthææ* dictæ eſſent, nec potius *Taprobanicæ* aut ſimili nomine a regione *Indica*, unde venerunt petito. Pavi *Indiæ* debent natales, unde in *Babyloniam*, & *Perſiam*, *Mediamque* propagati, quod argumento præterea eſt eos *Indicos* potius vocandos fuiſſe Judæis quam *Perſicos*. Vocantur quidem pavi a Græcis ὄρνιθες μηδικοὶ aut Περσικοὶ, quod erudite ſatis vir ſummus probat. Nihilo tamen ſecius hoc inde factum eſt, quod *Græci* ex *Perſia* eos, ut India ipſa *viciniori* illis regione, nacti ſint. Quid vero hæc ad *Judæos* & *Tyrios*, qui, ut ille cenſet, ipſi *Indos* petiere hac claſſe? Quoinde eas aves *Perſicas* ſimiliter ac quidem *Græci* minime vocare potuerunt, quod eas ex ipſa tum *India* acceperint. Utar iu hac re elucidanda ſimili exemplo. Nos *gallopavones* vocamus Welſche Hüner ſeu *Gallinas Italicas*, ea, quæ ante dicta eſt, de cauſa; At Itali aliæque gentes, quæ illas ex Italia non accepere, vocant *gallinas Indicas* aut *Calecuticas* patriæ nomine. Inquies vero & Salomonis claſſem ad *ſinum Perſicum* delatam eſſe ut viro ſummo l. c. p. 137. probabile videtur; Verum hoc gratuito in hypotheſeos θελείᾳ dici, nulloque argumento probari poſſe, ſaltem non iis quibus Bochartus uſus eſt, bene docuit Cl. Oldermannus Diſſ. de *Ophir & Tarſis* ſect. 2. §. 4. 6. Tum, quamvis Perſica regio trans Tigritana Hebræis כוש & Chaldæis כות dicatur, quæ hodie *Chuſſeſtan*, tamen eodem nomine & *littoralem* ad oceanum *Indicum* indicari, difficile probatu foret. Unde itaque *Chutæorum* iis nomen avibus, quæ non ex *Mediterraneis* illis, ſed aliis *Maritimis* petitæ fuiſſent regionibus? Ne dicam Bochartum in id delabi χρεῖτφυγητὸν, quo eos כותיים non *tempore Salomonis* ita dictos cenſeat, ſed *poſtea* cum per *Chutæos* terreſtri itinere in *Palæſtinam* allati. Quo commento nihil unquam minus veroſimile prolatum fuit, adeo undique perpluit. Dein vero, quantumvis viri ſummi violentiorem litterarum tranſpoſitionem, qua תוכיים pro כותיים dictos vult (cujus ſimilia p. 137. producit exempla) utcunque ſilentio tranſmittamus, nunquam tamen probari poterit hanc litterarum uſitatam fuiſſe in hac ipſa voce metatheſin, ita ut כותיים *Cuthæi* dicti ſint unquam תוכיים. Quapropter, ſi *Perſæ* vel *Cuthæi* nunquam *ipſi* hoc vocati nomine, qui *aves* ex hac regione ob *patriam*, unde advenere, eo dici potuiſſe vel ulla æqua lege concederemus? Si vero ex noſtra ſententia his jungas claſſem Salomonis & Hirami minime *Indiam* ſed *maris Mediterranei* littora *Hiſpaniamque* petiiſſe, quo hæc Bucharti ſimul corruat opinio neceſſe eſt, cujus ea propter ratiocinia pluribus convellere tanti minime videtur.

§. IV. Neque felicior multo aliorum eſt de hoc vocabulo conjectura. Buxtorfius in Lexico Hebraico & Chaldaico eumque ſecutus Coccejus deducunt a תך vel תוך *Toch* quod *dolum*, *fraudem* notat. Qua vero ratione a *dolo* & *fraude* nomen acceperint תוכיים neque ipſi neque alii explicuerunt. Nititur proinde hæc hariolatio tantum convenientia quadam utriuſque vocabuli litterarum, adeoque ut nullo argumento adſtruitur, ita vix ullum eſt quo poſſit refelli. Schindlerus aliique quos III.

ſequi-

ſequitur Huetius de Nav. Salom. Cap. vii. §. multo veroſimilius a תכה derivant, quod in *Piial* habet תכה *Tiicca* hoc eſt *adhærere*, *conjungi*. Exinde tamen *Pſitacos* dictos eſſe תוכיים quod roſtro unguibus que arborum ramis *adhæreant* ut abhinc nequeant divelli, ita ſupponitur ut majori probatione indigeat. Ne dicam *Pſittacos* aves eſſe *Indicas* adeoque id explicationis ea niti ſententia *Ophiram* eſſe *Indiam*, quam & ad *Aethiopiam* uſque extendit Huetius. Merceri ſententiam, qua aves illas per ὀνοματοποιΐαν dictas vult a ſono תוך תוך *Toc*, *Toc*, ſatis confutavit ὁ πάνυ Bochartus loco memorato. Adeo ut in his ſimilibusque etymis nihil ſit quod longiori examinemus diligentia.

§. V. Aliorum itaque conjecturæ, cum rationes nobis ſint cur minus videantur probabiles, experturi ſumus quid alii de noſtra ferent judicii. Cenſemus autem תכיים dictos eſſe pro סכיים *Suckiim* ex frequentiſſima harum permutatione litterarum, illudque nominis nihil aliud *propria ſignificatione* notare quam *habitatores ſpeluncarum & cavernarum*. Hoc ut probemus, principio animadvertendum eſt Hebræis סך *Soch* & סכה *Succa* non modo denotare *tabernaculum tuguriumque*, quod Græci σκηνὴ vocant, ſed & *ſpeluncam*, in quam ſe abdunt vel *feræ* vel *homines*. De *ferarum* & in primis *Leonum* latibulo ſæpius occurrit in ſacris litteris. Jobi XXXVIII. 40. de *Leæna* & *catulis leonum* dicitur *jacent* מעונות *in caverna & ſedent* בסכה *in* SPELUNCA; ubi bene Lut.: Ruhen in der Höle. Alexandrini quidem hanc vocem reddunt ἐν ὕλαις *inſylvis*: verum ſi ſcias leonum latibula eſſe ut plurimum in *montibus*, denſiſſiſſimis arboribus conſitis, nihil eſt quod te heic loci aliqua ex parte moretur. Porro Pſalm. X. 9. *latitat* כאריה בסכה *ut* LEO *in* SPELUNCA *ſua*: Iterum Lut. wie ein Löwe in der Höle. Græci ἐν τῇ μάνδρᾳ, quæ vox de *ovili* aliiſque ferarum *latibulis* uſurpatur; Chryſoſtomus notat alios reddere interpretes ἐν τῷ περιφράγματι αὐτοῦ atque ita de *circumſepto* loco intelligere, quemadmodum monuimus *montes*, leonum *latibula*, arboribus *circumſepta* eſſe. Adde & Jerem. XXV. 38. עזב ככפיר סכו *Dereliquit ut* LEO SPELUNCAM *ſuam* ſeu *latibulum* ut generaliori nomine quidam explicant, & Lut. reddidit ſeine Hütte. Quidam codices Alexandrinorum interpretum reddunt Κατάλυμα, alii vero Κάλυμα. Fruſtra ſunt qui alteram ex altera emendandam cenſent. Utraque vox recta eſt & exprimit Hebraicum סך vel סכה. Κάλυμα enim eſt *operimentum*, *tegumentum*. סכה vero venit a radice סכך quæ *tegere*, *operiri* indicat, quia *tentoriis operiuntur* quæ intus ſunt, feræque hominesque *ſpecubus* pariter *teguntur*. Hinc ita Solinus cap. 44. *Troglodytæ* SPECUS *excavant*, *illis* TEGUNTUR. Κατάλυμα vero notat *diverſorium* ſeu *locum* quemvis commorandi qui æque *feris* ac hominibus tribui poteſt. Vide de hac vocis hujus ſignificatione Luc. II. 7. & Schefferum de re Vehic. L. I. c. 12. Puto & alium Jeremiæ locum Cap. IV. 7. hanc vocis סכה notionem comprobaturum, quem hunc, ne nimis a via aberrem, ob longiorem, qua opus eſt ad eum elucidandum, probationem, miſſum facio.

§. VI. Neque minus סכה *Succa* denotat *ſpeluncam* in qua ex antiquo vivendi ritu *homines* habitant. Plinius L. VI. cap. 29. meminit loci SUCHÆ vel SUCCHÆ in regione *Troglodytarum* non procul ab Adulitis ad littora maris rubri. Ille locus aliunde nomen quam a *ſucca* סכה *ſpelunca* haud potuit nanciſci, quia *Troglodytæ*, ejus incolæ non aliter ac in *ſpecubus*, vivebant. Nam ipſum inde Troglodytarum nomen eſt a τρώγλαις vel τρώγοις *ſpecubus* & δύω *ſubeo* ut notiſſimum. Vide Euſtathium ad Dionyſ. Perieg. v. 180. Ne enim cenſeas hoc nomen *Succhæ* apud Plinium eſſe a *tabernaculis* ex vulgatiſſima vocis סכה notione, quod conjicit Bochartus Phaleg. L. IV. c. 2. p. 212. ſcias *Troglodytis* non fuiſſe tabernacula quæ inhabitarent ut ceteris Africanis Nomadibus, ſed, tantum *Speluncas*. Inpe Plinius L. V. c. 8. *Troglodytæ* SPECUS *excavant*: *hæ illis* DOMUS. Confer eundem L. V. cap. 5. & Solinum Cap. 44. *Troglodytæ* SPECUS *excavant illis* TEGUNTUR, nimirum inſtar *ædium* quarum illis loco ſunt *ſpecus* & *cavernæ*. Multo minus veroſimile illud *Succhæ* in Troglodytica nominis ortum ducere a *Suchæis* סכיים ut dein cenſet Bochartus Phaleg. L. IV. c. 29. p. 281. Contraria potius via *Suchæi* vel *ſuckiim* dicti ſunt ipſi a סכה *Succa* ſeu *ſpelunca* quam inhabitabant, ut σκηνῖται Arabes, Afri, & Schytæ a σκηναῖς. סכיים enim a סכה, non vero hæc ab illo deſcendit nomine. Illuſtrari autem hinc fortaſſe poteſt nomen Σουκκοσίων *Succoſiorum* quos memorat in Mauritania Tingitana populos Ptolemæus L. IV. c. 2. Dicti enim ſunt a סוכות *Succoth* voce vel *tabernacula* vel *ſpeluncas* denotante, unde *Succoſii* ſunt aut *tabernaculorum* aut *ſpecuum habitatores*. Utrumque convenit *Afris* qui vel σκηνῖται & Nomades atque ἁμαξόβιοι erant, vel in *antris* vitam de gebant. Hanno propterea in locis Mauritaniæ vicinis memorat *Troglodytas* ſeu *ſpecuum* habita-

bitatores p. 3. Ed. Oxon. περὶ δὲ τὰ ΟΡΗ κατοικεῖν ἀνθρώπους ἀλλοιομόρφους ΤΡΩΓΛΩΔΥΤΑΣ. Habitari MONTES ejus regionis a TROGLODYTIS (hoc eſt *cavernarum incolis*] *peregrinæ formæ hominibus* : & poſt Cernen inſulam refert conſpici propter littora maris Atlantici ΟΡΗ μέγιστα μετὰ ΑΝΘΡΩΠΩΝ ἀγρίων *maximos* MONTES *ſylveſtribus* HOMINIBUS *magna copia eos* INHABITANTIBUS : ad quem egregium ſcriptorem hac de re aliquando pluribus.

§. VII. Quo minus autem de hac ſignificatione vocis סכה dubitare ulla ex parte poſſimus, adeſt illuſtris locus 2. Chron. VII. ubi v. 3. inter vicinos *Aegyptiorum* populos, qui in exercitu fuere Seſaci Aegyptiorum regis, memorantut סכיים *SUCKIIM*. Hos enim Alexandrini interpretes optime explicuerunt eſſe Τρωγωδύτας ſeu *SPECUUM INHABITATORES* quam hujus nominis interpretationem antea indicavimus. Idem enim eſt cum Τρωγοδύτης. Proinde סכיים nomine *Troglodytarum* celeberrimam indicari gentem optime animadvertit Bochartus Phaleg. L. IV. c. 29. Ut vero Troglodytarum nomen generale eſt, quæ gens magnum habitat Africæ, qua mari rubro & Oceano Indico alluitur, terrarum tractum, ita fortaſſe ſpeciatim heic loci intelliguntur Aegyptiis vicini *Erembi*. Eoſdem enim eſſe Erembos ac qui alias Troglodytarum *Aethiopicorum* veniunt nomine docet nos Euſtathius ad Dionyſ. Perieg. v. 180. *Erembi* quippe, ut ceteri Troglodytæ, habitabant in ſpeluncis, præter ceteros illuſtri loco Periegete Dionyſio v. 963. hoc commemorante.

> Λυπρὸν ΟΡΕΣΚΩΩΝ παραφαίνεται οὖδας ΕΡΕΜΒΩΝ
> Οἱ βίον ἐν ΠΕΤΡΗΣΙ ΚΑΤΩΡΥΧΕΕΣΣΙΝ ἔθεντο.
> *Sterile* MONTICOLARUM *apparet ſolum* EREMBORUM
> *Qui vitam in* PETRIS SUFFOSSIS *poſuerunt*.

Quamquam autem nomen *Eremborum* ex eadem cum illo *Arabum* a ערב origine ſit, ut recte Bocharto obſervatum eſt Phalegi L. IV. c. 3. & 29. nihilo tamen ſecius cum *Erembi* ſint *Troglodytæ*, eos dictos eſſe ἀπό τὴν ἔραν βαίνειν quod *ſub terram eant* domicilii cauſa, Græculi in etymis peregrinarum vocum eruendis nugivenduli, comminiſcuntur, ut præter autorem Etymologici M. Strabo L. I. p. 29. & L. XVI. p. 540. collato Euſtathio ad Dionyſ. Periegeſ. v. 180. *Erembis* autem & *Arabibus* vetuſtiſſima lingua nomen a *faciei* & corporis *nigrore* datum eſt, nomine *nigerrimis* Æthiopibus convenientiſſimo. Æque ערב (*gnereb*) dicta eſt *veſpera*, & ערב (*gnoreb*) *corvus* ob utriuſque *nigredinem*. Scimus enim litteram M. vocibus *Phœniciæ* originis, litteræ, ut Judæi vocant, dageſſatæ anteponi, unde ad Græcos deſcendit ut eandem ſæpius mediis vocibus interſerant, quod magna exemplorum copia illuſtratum eſt potiſſimum ſtudio viri æque peregregia in Deum pietate ac exquiſitiſſima eruditione & in conſervando nobis cum amicitiæ ſtudio inſignis Fr. Ad. *Lampii* de Cymb. Vet. L. I. c. 1.

VIII. Hos itaque סכיים in Chronicorum libro memoratos, in hac noſtra quam de תכיים tractamus cauſa probe animadverti cupio, alteramque vocem cum altera, numne, quoad *ſignificationem*, quod ego quidem cenſeo, eædem ſint, examinari. Frequentiſſima ſane eſt litterarum ſibilantium ס & ש vel ז vel צ [Nam & סך ſcribitur שך Thren. II. 6. uti & radix ejus vocabuli סכך & שכך] cum ש & ת permutatio, quæ millenis poſſet doceri exemplis. Sic תרשיש *Tarſis* eſt *Tarteſſus*, ex בשן *Baſan* fit *Batanea*, & צור *Tzor* eſt *Sarra* & *Tyrus*, אשור *Aſſur* mutatur in אתור *Atur*, hinc *Aſſyria* & *Atyria*. כוש *Cuſch* tranſit in כות *Cuth* unde *Cbutæi* & *Cuſchitæ*. אשא *Iſſa* fœmina dat אתא *Itta*, & quæ plurima his ſunt perſimilia. Pariter Græcis dicitur πάσσαλος & πάτταλος, θάλασσα & θάλαττα, Θεσσαλία & Θετταλία. φασσα & φάττα, νῆσσα & νῆττα, νησσάριον & νηττάριον. Et quid demum opus eſt id docere pluribus? cum ignotum ſit nemini in orientis verſato linguis, voces quas Hebræi per ש vel ס pronuntiant, Syros & Chaldæos ſua dialecto mutare in ט vel ת; tum & *Atticam* Græcæ linguæ dialectum exigere ut Σ quam frequentiſſime cum T permutetur. Ejuſdem permutationis optima quoque teſtis eſt lingua vernacula, qua voces, quas Saxones *ſuperiores* per duplex ſigma efferunt, *inferiores* perpetuo fere mutant in T, uti waſſer / water / Straſſe / Strate / Keſſel / Ketel / weiß / wit groß / grot / innumeræque voces aliæ indicio ſunt. Ut vero huic collationi תכיים cum סכיים quod eædem ſint voces, ſua uberior illuſtriorque conſtet ratio, ſingulari puto animadverſione dignum eſſe, quod *EADEM* plane loca, quæ in *Africæ* regionibus & maxime mari mediterraneo *propinquis*, nomen ab hac ipſa voce סכה *Succa* vel סך *Soch* nacta ſunt, ut plurimum per T. ſcribantur *TICCA* vel *TUCCA*. Itaque lingua Mauritanica, (quam affinem fuiſſe Phœniciæ & Hebrææ contra Ca-

fau-

ſaubonum & Bochartum aiibi oſtendam) vicinorumque Africæ populorum , cum apparebit S. in T. permutatum eſſe non ſolum in aliis ſed & hoc ipſo vocabulo , maxime id noſtra illuſtrabitur hypotheſi , quibus eopſe quod *Ophir* & *Tarſis* eſſe *Iberiam* & *Tarteſſam* cenſeamus, etiam תכיים ex *Africa* delatos , [cujus in itinere claſſis legere littora debuit) dialecto *Africana* pro סכיים Hebræorum dictos eſſe , maxime fit veroſimile . Cum enim *Afri* ſint ut plurimum *Scenitæ* & *ſpeluncarum* habitatores , (coufer. §. 7. & 15.) inde tot loca in Africa a סכה dicta ſunt *SUCCA* vel *SICCA* & vel maxime *TUCCA*. In Mauritania, vicina Ampſagæ fluvio, memoratur *Tucca* Plinio L. V. c. 2. a qua diverſa eſt alia *Tucca* in Nnmidia prope Cirtam a Ptolemæo illic locata , aliaque in Carthaginienſium ditione , quæ ad ceterorum hujus nominis locorum diſtinctionem, dicitur *Tucca Terebinthina* de qua vide Cellarium L. IV. Ant. Geog. Cap. IV. p. 163. *Tucca* autem idem eſſe quod *Succa* docet urbs *Sicca Veneria* quæ pariter a סכה nomen habet, idque nomen convenire cum סכות בנות *Succoth benoth* 2. Reg. XVII. 30. a plurimis obſervatum eſt. Vide cumprimis Seldenum de Diis Syris L. 2. c. 7. Porro diverſas eſſe minime voces *Succa* & *Tucca* docebit apertius celeberrima Cæſareenſis Mauritaniæ urbs *Succabar* dicta , de qua Plinius L. V. c. 2. Nam nomen *Succabar* & in Africa dici *TUCCABAR* patet ex nomine urbis *Siccæ* vel *Tuccæ Terebinthinæ* , quam aliquoties dici *Tuccabor* vel *Thuccabor* , ut ab Auguſtino L. VI. Adv. Donat. c. 24. aliiſque, ſæpe viri notarunt eruditi. Proinde, cum תכה *Tucca* lingua *Mauritanica* reliquaque Africana fere eadem vox ſit quæ Hebræis סכה *Succa* vel *Sicca* , utraque etiam *Speluncam* ſeu *antrum* denotet, סכיים vero ſint *Troglodytæ* , quidni & תכיים qui ex *Africa* delati, *propria* ſignificatione , quod probare intendebamus , *habitatores ſpeluncarum* indigitarent?

§. IX. Enim vero quamvis hæc *generalior* notio ſit hujus vocis qua ii qui *cavernas* inhabitant, denotantur, ita ut non ſolum ad *hominum* ſed & *animantium* varias referri poſſit *ſpecies ;* Nobis tamen cauſæ non deſunt cur his תוכיים præcipue SIMIAS aut certe *ſimiarum* quoddam *genus* innui judicemus. Primo hac in re argumento nobis eſt Alexandrinorum interpretum autoritas, qui utramque vocem cum קופים *Kuphim* tum תוכיים *una* tantum voce πιθήκων SIMIARUM explicuerunt . 2. Chron. tx. 21. Apparet inde eos æque תוכיים ac קופים in cenſum πιθήκων retuliſſe. Bochartus quidem cenſet Hierozo. P. 2. L. 1. in princ. cap. xx. Alexandrinos vocem תוכיים reliquiſſe ἀνερμήνευτον quod eam non intellexerint ; ſed hoc ex ſuo fingit interpretationis modo, quod in eam non inciderit cogitationem cum תוכיים tum קופים genus *ſimiarum* eſſe unaque πιθήκων interpretatione potuiſſe illos complecti . Complutenſis quidem editio voci πιθήκων addit κιθεκίμ , ut appareat qnaſdam verſiones, quod genus πιθήκων ſint תוכיים definire non potuerint, ipſum Hebræum græcis litteris vocabulum adſcripſiſſe . Solemnis enim mos eſt huic editioni, quo ipſas Hebræas exprimat voces , græcas aliis exhibentibus, veluti cum pro סכיים 2. Chron. XII. 3. habet σȣχιίμ plurimis & melioribus editionibus id vocabuli per Τρωγοδύτας, ut vidimus optime explicantibus . Quemadmodum itaque argumentis haud reſpuendis ſummus comprobavit Bochartus Hieroz. P. 1. L. 3. Cap. xxxi. (id qnod tamen dudum ante ipſum vidit in Lexico Schindlerus , & ex eo Martinius in voce *Simia* notavit,) eſſe קפים proprium quoddam *ſimiarum* genus, quod Græci Κῆβως vel Κῆπος vocant & latini *cephus*, quæ voces ex hac ipſa peregrina קופים ducunt originem, & quidem ex Ariſtotelis L. 2. Hiſt. Anim. Cap. 8. & 9. Πίθηκον habentem ȣ̓ρὰν ſeu Κέρκον *caudam*; manifeſte patet קופים eſſe κερκοπιθήκȣς *Cercophitecos*, ſeu *ſimias*, *candatas*. Proinde תוכיים denotabunt vulgare quoddam *ſimiarum* genus, quibus cum *univerſa* Africa, tum multo maximum abundat in modum maximus ille littorum tractus ab Ægypto uſque Herculis columnas, ut §. 13. videbimus. Ne autem putes fruſtra conjungi קופים & תוכיים quod altetutro, ſi unum idemque animalis genus eſſet , ſuperſedere potuiſſet ſacer ſcriptor , ſcias , utut κῆβος ad *ſimiarum* genus referatur , ob quandam cum iis ſimilitudinem ; nihilo tamen ſecius plane *diverſum* ab iis fuiſſe animal. Cum in oras Europæas ſimiarum ſæpius advecta ſit multitudo, tantum opus eſt quo *Cephi* formam deſcribamus, quo exinde ejus a *ſimia* pernoſcatur diſcrepantia . Optime hoc diſcemus ex Agatarchide qui formam ejus delineavit pag. 51. de Mari Rubro Ed. Oxon. inquiens ὁ δὲ κῆπος ἔχει τὸ μὲν πρόσωπον λέοντι , τὸ δὲ σῶμα πάνθηρι , τὸ δὲ μέγεθος δορκάδι ſc. ὅμοιον. *Cepus facie leonem*, *corpore Pantheram* , *& magnitudine dorcadem imitatur* . Quibus ſi addes characteriſticis notis ex Ariſtotele aliiſque *caudam* longiorem qua ornatus Cephus, ſimiæ vero carent , facile utriuſque deprehendes diſſimilitudinem . Pari modo & nos *cercopithecum* , certum ſimiarum *caudatarum* genus , a reliquis vernacula diſtinguimus , haſque vocamus Affen / illos

vero

vero Meer Katzen, quod inde eſt nominis, partim quia *mari* ad nos devehuntur, partim quod ſint inſtar felis *caudati*, eaque in re iis cum fele quædam intercedat ſimilitudo. Sic Latini *Elephantum* vocabant *Bovem Lucam* ob ſimilitudinem cum *bove*. *Afræ aves* dictæ *gallinæ Numidicæ*; *Gallopavones* nobis ſunt welsche Hüner &c. eiuſdem cum *gallina* convenientiæ cauſſa.

§. X. Alexandrinis adſtipulantur veteres Magiſtri Judæorum, quorum nobis ſententiam de hac voce reliquit *Kimchius* in Lexico, teſtatus illos explicuiſſe per גאטו תוכיים *gato maimon* quod Bochartus Hieroz. P. II. L. I. C. XX. in principio reddit *cercopithecum*, Huetius vero Diſſert. de Nav. Salom. Cap. VII. §. 6. in pr. per *felem* μικώ quod μικώ *ſimium* notet, ut appareat veteres Rabbinos in ea fuiſſe perſuaſione תוכיים eſſe genus *ſimiarum*. *Maimon* enim Turcica lingua, ut *Majom* Hungarica, *Simium* notat, quod Martinius in lexico a μῖμον eſſe, quia ſimiæ homines ſoleant μιμεῖσθαι, conjicit, id quod ſuo loco relinquimus. Quanquam autem Kimchius ſuos nomine non laudet autores, iidem tamen, qui ante Kimchium ſeculo XII. viventem doctrinæ laude floruerunt, magiſtri, *obſcurorum* in cenſum referendi non ſunt, prout Bocharto videtur, cum Kimchio nihil ſit ſolennius quam illuſtriſſimos rabbinos citare ſine nomine, eorumque ſententias ex antiquiſſimis excerpere Judæorum monumentis ut Celeb. Relandus in fine Prolegom. ad Analecta Rabbinica monuit, atque ex ipſius Kimchii notis ad Pſalm. I. v. ult. & ad 2. Reg. XVII. 30. atque alibi paſſim pervidebis.

§. XI. Neque ſolum poſſumus autoritatibus pugnare veterum; verum etiam, argumento uti ex ipſa vocis πίθηκος, quæ Græcis *ſimiam* notat, *indole* petito, quam cum illa תוכיים *eandem* eſſe, atque exinde deſcendiſſe omnino nobis vero videtur perſimillimum. Quod cum nemini obſervatum ſit, liceat ea in re paulo eſſe prolixiori, quo res ſit ad perſuadendum aptior. Quemadmodum enim πίθηκος animal *peregrinum* eſt atque ex *Africa* in Græciam per *Pœnos Ægyptioſque* illatum; ita & nomen illud πίθηκος minime Græcum eſſe, ſed *peregrinum* atque *Afrum* aut *Phœnicium Ægyptiumve*, cum tot ſimilia in promtu ſint exempla exoticarum græca civitate donatarum vocum, quis eſt qui diffiteri audeat? Nugantur enim Græculi cum peregrinarum vocum radices in patria lingua ruſpantur, prouti certe turpiter ſe dant, cum πίθηκον dictum volunt παρὰ τὸ πείθεσθαι ὑφ' ὑμῶν qood *hominum* ſimia ſit *imitatrix*, unde illud Ennii apud Ciceronem L. I. de Nat. Deor. c. 35.

Simia quam ſimilis turpiſſima beſtia nobis!

Cum enim πείθεσθαι nihil cum πίθηκος habeat *ſimilitudinis*, ego, quo id credam etymi, ὁ πείθομαι. Πίθηκος autem vel πίθηξ non aliunde deſcendit quam ex πι & θηκος aut θηξ. Ultima vox orta eſt ex ipſa תוכיים *Tuckiim*. Quam in rem obſervandum veteres η pronuntiaſſe ut nos *jota*, unde toties η & i. in Græcæ linguæ ſcriptorum monumentis permutantur, id quod in hac eruditionis luce nemini dubium eſſe poteſt, innumeriſque nuperrime exemplis oſtendit eruditiſſimus longe atque politiſſimus *Roſſallus* in obſerv. de *Chriſto in Chreſtum mutato*, quæ ante biennium circiter Groningæ lucem adſpexit. Dein vero ו vel Kibbuz, quibus vocalibus prima in תכיים ſyllaba ſcribitur, veteribus non ita ut Germanis & Italis *u* pronuntiabatur, ſed prout veteres Latini, hodieque Galli & Belgæ eam vocalem mollius ut *ii* efferunt; unde, qui *Curibus* Sabinorum oriundi dicti *Quirites* ſeu veteri pronuntiatione *Kiirites* &c. Proinde, quemadmodum ex קופים *Kiiphim* eſt ortum Κῆβος *Kibos*, ut antea monuimus, §. 8. ita pariter ex תוכיים *Tiickiim* Θῆκος, *Thicos*, & in plurali θῆκοι. Porro ος & οι ſunt Græcæ terminationes, quas vocibus peregrinis addunt Hellenes. Hinc ex שך *ſoch* vel *ſuch* & תוך *Toch* aut *Tiich* ortum eſt non ſolum θῆκος ſed & θηξ *thix*, uti non modo πίθηκος hoc vocatur animal, ſed & πίθηξ ſine Græca terminatione. Inprimis vero ex plurali ים Græcis fit οι aut αι, לודים *Ludim* Λῦδοι, לבים *Lubim* Λῦβοι, קיכום *Kuphim* Κῆβοι, כרתים *Kerethim* Κρῆται &c. ת autem frequentiſſime per θ ejuſdem organi littera efferri mille exemplis conſtaret, niſi & ipſa Complutenſis Alexandrinorum interpretum editio θεκείμ haberet pro תכיים. Πι vero in πίθηκος cenſemus eſſe ipſum *articulum* præpoſitivum, quo *Ægyptii* viciniqne *Africæ* populi, unde advenere in Græciam πίθηκοι, præponendo vocibus utuntur, quia peregrinis linguarum illarum ignaris cum ipſis ſubſtantivis junguntur. Ita φιȣ̃ρο Ægyptiis notat *regem* unde quidam nomen deducunt *Pharaonis*. Eſt autem ex φι ſeu πι articulo, & ȣρο ſeu *orus* vel *Horus*, notiſſimo vocabulo Ægyptiaco. Celeberrima Ægypti urbs בסת *Beſeth* addito articulo פי *Pi* dicitur פי בסת *Pi Beſeth* Ezech. XXX. 17. Unde Græcorum Βȣβαςὸς & Latinorum *Bubaſtus*. Neque aliunde repetendum eſſe nomen *Piramidum* hariolor, quam ex articulo πι & voce a רום (*rum*) *excelſus fuit* deducta, quod *Piramides* molis excel-

ſæ opera fuerint in Ægypto. Inde & nomen urbis Ægyptiorumque regis *Buſiridis* ex פי & שור vel שחר, illa *bovem* hac *nigredinem* denotantibus vocabulis. Nam & a שחר *nigrum eſſe*, Nilus dictus eſt Κίρις Æthiopibus, teſte præter ceteros Dionyſio Perieg. v. 223. Pariter urbs Ægyptia החירות *Hachiroth* ut ſcribitur Num. XXXIII. 8. vocatur cum articulo Ægyptiaco פי החירות *Pihachiroth* Exod. XIV. 1. unde latinus interpres urbem *Phihahiroth* fecit, Hieronymo autem de locis Ebraicis eſt *Iroth*, miſſo plane Hebræo Ægyptioque articulo. Plura hujuſmodi exempla reperiet, cui Kircheri *Prodromum Coptum* evolvere animus eſt, qui mihi in re præſenti non ad manus fuit, Junge illi Cl. *Oldermanni* Diſſ. qua *Pharaonis* nomen idem cum πίρωμος eſſe probare nuper voluit, quod nominis *Ægyptii* æque eſt ex πι & ρωμος oriundum. Etiam Clariſſ. *Bonjurium* Diſſ. in *Monumenta Ægyptiaca Bibliothecæ Vaticanæ* de hoc egiſſe *articulo* Ægyptio ex Cl. Clerici Bibl. Sel. T. XV. art. IV. §. 3. didici. Memini quidem Doctiſſimum *Vitringam* ejus exemplis, quibus *antiquitatem* articuli *Pi* in lingua Ægyptia probare annifus eſt, quædam oppoſuiſſe in nupera editione Sacrarum obſ. L. I. Cap. VI. §. *9*. p. *67*. ſq. Verum ea tanti non eſſe, ut rem ſubruant, facile oſtenderem, ſi longa adeo digreſſione heic uti liceret. Parum etiam inſolens eſt nominibus peregrinis præponi articulum & cum ipſa voce jungi. Inde enim *ligna* גומים *Gummim* (ſeu *reſina* abundantia τῶ κόμμι quod nobis eſt *Gummi*.) vel מוגים *Mugim* dicuntur præpoſito articulo אלגומים *Algummim* vel אלמוגים *Almugim* 1. Reg. X. 11. 12. 2. Chron. 2. 8. XXVIII. *9*. 11. In hac enim voce אל eſſe *articulum* admodum probabilem in modum obſervat Huetius de Navig. Salom. Cap. VI. §. 4. *6*. Sic urbs Ægypti *Cairus* vocatur nobis *Alcair*, *Chimia* etiam *Alchimia*. *Manach* cum Arabibus notet *Calendarium*, nos addimus articulum vocemuſque *Almanach*, קנה eſt *arundo* & dicitur *Alcanna*. Uti vero Græci dixere ὁ πιθηκος duplicato & proprio & peregrino articulo, ſic nos der Almanach das Alcair, die Alchimie, die Algebra, das Alcala &c. ignari ipſam vocem exoticam illum complecti. Quæ cum ita ſint, nec *Tuckiim* aliud quidpiam quam πιθήκυς ſeu *ſimias* eſſe, nobis, uſque dum meliora doceamur, ſit perſuaſiſſimum.

§. XII. Ex quo vero antea probavimus *Tuckiim* nomen nil aliud propria ſignificatione involvere quam *habitatores ſpeluncarum*, quibus hoc potiſſimum conveniet magis, quam *ſimiis* quarum perpetua vere vivendi ratio eſt in *ſpeluncis* atque *antris* more hominum? Teſtimoniis plena ſunt itineraria Africæ adeo ut in re nota eorum citare ſeriem plane ſupervacaneum ducamus. Memorabilis eſt locus Siculi Diodori, qui a πιθήκοις *tres urbes* τρεῖς πόλεις in *Africa* inhabitari ſcribit, eaſque a *ſimiis* Africana lingua nomen accepiſſe L. XXV. p. 792. Ed. Rhodom. Διελθὼν δὲ [de Dinocratis itinere loquitur] τὴν ὀρεινὴν ταύτην, ἐνέβαλεν εἰς χώραν ἔχουσαν πλῆθος πιθήκων, καὶ πόλεις τρεῖς τὰς ἀπὸ τούτων τῶν ζώων ὀνομαζομένας εἰς τὸν ἑλληνικὸν τρόπον τῆς διαλέκτου μεθερμηνευομένας πιθηκούσας. *Montanis hiſce ſuperatis, regionem Simiis abundantem ingreſſus, ad tres urbes venit, quæ* PITECUSÆ, *ſi Græcæ linguæ more verteris, appellantur*. Tres iſtas urbes non proprie *civitates* fuiſſe, ſod loca *habitationum* conjicere fas eſt, quas *ſimii* incolebant. Eas autem eſſe *ſpecus* non eſt quod dubitemus, cum a ſimiis integrę civitates condi nec ſoleant nec poſſint. Hinc cum illa loca a ſimiis *Africana* lingua nomen nacta ſint, Gręcorum πιθηκοῦσαι ſignificatione reſpondens, quidni illa fortaſſi תוכיות *Tuccoth* a תוכיים dicta fuiſſe conjiceremus? Nam & ſimili modo locum *Succa* ob *Troglodytarum* habitationem in Troglodytica regione vocatum, antea §. *6*. obſervavimus. Ut vero pateat qua ratione *Simii* in *antris* habitent more humano, non poſſum non memorabilem quandam hiſtoriam referre, quam ex *Caſtanedæ* Annalibus Luſitanicis, aliiſque citavit *Job Caſp. Schottus* in Phyſ. Curioſa L. VII. Cap. XIX. P. I. arg. *9*. p. 754. *Cum mulier aliquando ob quoddam crimen in inſulam deſertam navi deportata eſſet, eam ibidem expoſitam* SIMIORUM, *quibus frequens locus erat*, (omnibus *antra* inhabitantibus) *agmen circumſtetiſſe fremebundum: Superveniſſe unum grandiorem, cui reliqui loco ceſſerint. Hunc mulierem blande manu captam in* ANTRUM INGENS *adduxiſſe, eique cum ipſum tum ceteros copiam pomorum, nucum, radicumque variarum appoſuiſſe, & nutu, ut veſceretur, invitaſſe. Tandem a fera coactam ad ſtuprum. Facinus hoc multis diebus continuatum adeo ut duos ex fera liberos pepererit; ita miſeram victitaſſe per aliquot annos* [in ſpelunca cum ſimio] *donec dominus miſertus navem eo Luſitanicam detuliſſet, cumque milites in terram aquatum ex proximo ad* ANTRUM *fonte exſcendiſſent, abeſſetque forte fortuna* SIMIUS; *Fœminam ad inviſos diu mortales accurriſſe, & accidentem ad pedes ſupplicaſſe, uti ſe facinore & calamitoſiſſima ſervitute irent ereptum: aſſentientibuſque & caſum miſerantibus illis, eam cum ipſis navem aſcendiſſe. Sed ecce, tibi, inquit, Simium ſupervenientem inconditis geſtibus & fremitibus conjugem non conjugem revocantem*.

tem. Ut vidit vela ventis data, concito cursu de liberis unum matri ostentat, minaturque, ni redeat, in mare præcipitaturum. Nec segniter fecit quod minatur. Tum recurrit ad ANTRUM & eadem velocitate ad littus rediens ostentat alterum, minatur, & demergit. Atque hæc de *simiarum* in *speluncis* habitatione, ut re nota, satis.

§. XIII. Quando quidem vero tuemur *Ophir* ac *Tarsis Iberiam* & *Tartessum* denotare, classemque Salomonis illuc eundo redeundoque *Africæ* legisse littora quæ *mari* adjacent *mediterraneo*, ibique ejus pariter mercibus *Africanis* & indigenis *animalibus* onustam esse; Observandum hanc in rem, *Africæ* tractum ab *Aegypto* usque ad *Herculis columnas* innumera *Simiarum* copia, quæ *montes* inhabitant, abundare. Fatetur hoc Bochartus Hieroz. P. I. L. III. c. 31. & Oldermannus cit. Diss. sect. I. §. 22. Testatur id ipsum de illo terrarum ambitu, quem *Barbariam* vocamus, Dapperus in descript. Africæ p. 172. So finden sich auch auf den Bergen und in den Büschen vielerhand wilde Thiere, sonderlich NB. eine unglaubliche Menge Affen &c. Id ipsum & alibi passim monet. Ex veteribus docuit hoc Solinus Polyh. c. 27. ubi de regione Cyrenaica & Africa proprie dicta agit. OMNE *autem* LATIFUNDIUM, inquit, *quod inter Aegyptum, Aethiopiam, Lybiamque diffunditur, quacunque lucis opacum est, varium implevit* SIMIARUM *genus*. Et dein: PLEBES SIMIARUM [hoc est *multitudo*: πιθήκων δῆμος] *in his est quas PASSIM videmus, non sine ingenio æmulandi*, quarum varia genera refert ab vulgaribus diversa ut *Cercopithecos*, *Cynocephalos*, *Sphingas* &c. Idem docebunt insulæ πιθηκοῦσαι sitæ prope Naxicas in mari mediterraneo ex adverso Collopis magnæ urbis *Numidiæ*, Scylace autore, Peripli p. 50. Ed. Oxon. Harum enim à frequenti *Simiorum* multitudine nomen fuit, plane uti πόλεσι πιθηκούσαις in *Africa* antea ex Siculo Diodoro commemoratis. Neque minus prope Campaniæ littora insula *Pithecusa* hinc nomen sortita est ut late refert Ovid. XIV. Met. v. 90. sqq. quamvis adversantem habeat Plin. L. III. c. 6. qui a *figlinis doleariorum* nuncupatum vult, qua tamen in re ipse alios refellens notandus est. A πίθος enim, quod *dolium* est, venit quidem πιθοῦσα, πιθάκνη, πιθάκνιον verum minime πιθηκοῦσα, quam ex πίθηκος formatam esse ipsa nominis ostendit ratio. Præterea vero pluribus de *simiorum* in Africa *multitudine* agit Strabo L. XVII. p. 817. refertque ex Posidonio historiam, cui ex *Gadibus Italiam* petenti & ad *Libyæ* hæc littora delato sylvam *mari vicinam* vidisse contigit *simiis plenam*, quorum ridiculas gesticulationes multo non sine risu conspexerit. Isidorus L. XIV. orig. c. 5. de Mauritania: *Regio*, inquit, *gignens feras*, SIMIAS, *Dracones*, & *Struthiones*. Pluribus in re clara non opus esse testimoniis auguramur.

§. XIV. In alia vero omnia potius quam *Simias* nos vocare videtur Josephus A. J. L. VIII. c. 2. ubi de classe hac Ophiritica agit, ejusque merces, quas attulit, referens, ait ἄργυρος καὶ χρυσὸς ἐκομίζετο τῷ βασιλεῖ, καὶ πολὺς ἐλέφας, Αἰθίοπές τε καὶ πίθηκοι: Hæc si conferas cum Sacris accurate satis convenit illis cum Josepho, nisi quod dubium sit de voce Αἰθίοπες. Hinc ea de re Bochartus Phaleg. L. IV. c. 29. p. 281. *In his Josephi* Aethiopum *vox respondet Hebrææ* תוכיים *quam alii pavos exponunt, ut sint iidem qui* שוכיים *permutatis* ש & ת. Verum si ordinem mercium observes, quo sacer scriptor utitur, potius Αἰθίοπες responderent voci קפים quam תוכיים, ultimaque alteri πιθήκων, quos eosdem esse probavimus. Nisi etiam me fallunt omnia Josephus codices habuit in quibus כושים *Cuschim* scriptum fuit pro קופים. Facillimus enim est lapsus scribendis inter ש & פ atque ק & כ ductibus & pronuntiatione non absimiles litteras, idque nemini, cui varia veterum orthographia perspecta, mirum videbitur. Sic קנה arundo scribitur כנה Ps. LXXX. 16. כוש vero reddi a Græcis interpretibus per Αἰθίοψ nemo facile ignorabit, plurimaque exempla in promtu erunt consulenti Kircheri concordantias. Alias ego divinando adsequi non possum, qui vel ex קופים vel תוכיים illud Αἰθιόπων exeudi potuerit. Bocharti quidem elegans est observatio quod videantur תוכיים tum convenire cum illo סכיים 2. Chron. XII. 3. ex mente Josephi; attamen cum סכיים sint proprie *Troglodytæ*, ceu antea vidimus, qui hic generalius nomen occurreret Αἰθιόπων? Id tamen observari velim, quod si vera esset de hoc Josephi locu Bocharti conjectura, eam maxime nostram de origine vocis תוכיים sententiam, quod habitatores speluncarum denotet, comprobare, utut ego eodem antea, quod maxime dubium esset, uti noluerim argumento. Si vero utriusque nostrum lectori displiceat de hoc Josephi loco conjectura, videat num probabilior sit *Huetiana*, cum Ill. Præsul C. VII. de Nav. Sal. §. 7. hæc de *Aethiopibus* a Josepho non ex Sacris litteris hausta, sed vel *ex conjectura*, ut loquitur, sive quod ipsi potius videtur, *ex vetustioribus monumentis*, præter ea quæ S. litteris continentur, addita censet. Attamen, ut verum fatear, cum ceteræ merces, quas retulit Josephus, conveniant illis in Sa-

cris litteris memoratis, & hæc de *Aethiopibus* inde petita esse æque crediderim. Quod etiam Vir Doctiss. addat *hinc certo sciri posse Tharsis Josepho fuisse Africam*, id ea interstinctione concedo, si Africæ *partem* intelligas quæ mari *Indico*, minime vero quæ *mediterraneo* aut *Oceano Atlantico* alluitur. Josepho enim eadem est navigatio tum quæ in *Ophir* tum quæ in *Tharsis* peracta. *Ophir* autem ille collocat ἐν γῇ τῆς Ἰνδικῆς. *In terra* INDIÆ & quidem χρυσῇ *aurea*, præcipue vero vult esse regionem Σωφίραν. Hinc *Aethiopes* minime alios intellexit Josephus nisi qui ex ea *Africæ* parte, quæ mari *Indico* vicina, venire potuerint. Cur itaque Huetius hic servos *Mauros* citat ad Josephi illustrationem, de quibus ille ne quidem per somnium cogitare potuit, quod eorum regio Oceano Atlantico, marique proxima sit mediterraneo? Hoc vero probe notandum duximus, ne Josephi sententiam cum Huetiana, cui Tarsis est *Tartessus* & vicina *Africæ occidentalis* ora, confundamus.

§. XV. Quod si vero תוכיים sunt *homines*, ut Bochartus ex Josepho argutatur, & quidem *Aethiopes*; ego a sacro scriptore non illos ex mente Josephi *Aethiopas* indicari mari rubro proximos, sed plane ex adverso ejus sententiæ *Numidas* & *MAURОS* intelligi crederem. Id vero partim ex hypothesi sententiæ meæ de situ *Ophir* & *Tarsis* conjicerem, partim quod id nominis *Afris* illis non possit videri disconveniens. Tum enim nomen תוכיים non ex ea significatione vocis סכה qua *speluncam* denotat, ut antea, sed qua *tugurium tabernaculum*, quæ omnium pervulgatissima est, deducerem, eaque *habitatores tuguriorum* innui crederem. Etenim ut omnes *Afri* eo tempore, & maximam partem hodienum, sic præcipue *Mauri* & *Numidæ* σκηνῖται erant & ἁμαξόβιοι cum *tuguriis* suis Schytarum more hinc inde palabundi, unde *vagi Numidæ* Lucano L. IV. Pharsal. v. 677. & vicini Masyli ἀγρονόμοι Dionys. Perieg, v. 187. dicuntur. Numidæ hic Græcis νόμαδες. Plin. L. V. c. 3. Numidæ *vero* Nomades a permutandis *pabulis*, mapalia *sua hoc est* domos *plaustris circumferentes*. confer. Isid. L. XIV. orig. c. 12. De tuguriis *Maurorum* vide Servium ad Virgil. III. Æn. v. 339. & ad IV. Æn. v. 259. coll. ad I. Æn. v. 521. indeque *Maurorum attegiæ* Juvenal. Sat. XIV. v. 196. Adde & Isidor. L. IX. or. c. 2. Verum cui illo non dictus Hylas, & quis est qui rei in vulgus notissimæ probationem ampliorem exigeret? præcipue cum inde tot loca Africæ & maxime *Numidiæ*; *Mauritaniæque* nomen *Succa* vel *Tucca* nacta sint, ceu §. 8. monuimus. Optime itaque hi in *tuguriis* habitantes populi a סכה vel תכה dicti fuissent תוכיים. His vero populis Salomon usus fuisset ad *servitia* eaque ut videtur omnium vilissima ad quæ ab omni ævo ad hodierna tempora hæc nigra gens conducta fuit, quapropter tot Æthiopes *servi* memorantur veteribus, ceu pluribus optime probavit citato loco πολυμαθέστατος Huetius. Præcipue vero *Maurusiorum* gens ceteris *serviebat*. Hinc Juvenal. Sat. V. v. 52.

- - - *Tibi* pocula *cursor*
GÆTULUS *dabit aut* NIGRI *manus ossea* MAURI

Pocula enim *dare* erat *servorum*. Pariter *Gætulus Ganymedes* occurrit ibidem v. 59. pro *Mauro* servo & *pincerna*, ut optime vetus scholiastes explicuit. *Mauri* quippe & *Gætuli* sæpius Poetis ponuntur promiscue, velut cum idem Satyricus Sat. X. v. 158. *Gætulam belluam* vocat *Elephantum*, quas *Mauritania* gignebat *belluas*. *Cogisantram* servum *Maurum* habes apud Martialem L. VI. Ep. 39. atque impudicæ *Mauræ* ut vilissimæ *servæ*, meminit Juvenal. Sat. VI. v. 307. Inde Anonymus autor in Expos. totius Mundi p. 268. Ed. Gronov. *Deinde girantem ad Austri terram invenies terram* MAURITANIAM, *homines* BARBARORUM *vitam & mores*, *tamen Romanis subditi*, *quæ provincia vestem &* MANCIPIA *negotiatur*. Referuntur nec minus pueri *Mauri* & *Syri*, qui *servi* erant, & Augusto deliciarum causa undique conquisiti apud Sueton. Aug. c. 83. Experior itaque quam difficile sit vocis quæ ἅπαξ aut δὶς λεγομένη certam indubitatamque significationem judicio discernere, ut dudum me hæc ipsa meditatio de *Mauris Scenitis*, numne alteri de *Simiis* præferrem, suspensum habuerit, atque etiamnum dubius hæream, eaque de causa eruditioris hominis industriæ meditandam discutiendamque hæsitationem illam propinem. Quamvis enim *Mauri* forent תוכיים, potest tamen & *vi significationis* πιθήκων nomen æque esse ex תוכיים, nominibus ex uno passim genere ad plura descendentibus.

§. XVI. Fui etiam quondam in ea sententia per תוכיים GALLINAS NUMIDICAS indicari, quod principio Dissertationis monebam. Ejus mihi hæc constabat ratio, nixa Magistrorum Judaicorum fide tradentium *Gallinæ* inter alia fuisse nomen סכות *Succoth*. Nam celeberrimi Rabini 1. Reg. XVII. 30. סכות בנות *succoth be-*

noth

noth explicant per תרנגולת עם אפרוחיה GALLINAM *cum pullis suis* qua in re Kimchius antiquissimorum magistrorum autoritatem citat, intelligens fortasse Magistros Misnicos, qui in Misna Sanhedrin Misn. VII. fol. 63. b. eodem modo locum eundem explicuerunt. Quanquam autem ego huic sententiæ Rabbinorum accedere quo ad biblici loci sensum nolim, de quo alia viri docti copiose docuerunt, & inter eos præcipue Seldenus de Diis Syris L. II. Cap. 7. Attamen olim *gallinis* nomen סכות fuisse optima ratione exinde constare existimo. Nam & סכוי *Secui* Rabbinis antiquitus תרנגול *Gallum* notavit, ut ex codice Rosch Haschana fol. 26. a & Kimchio ad 2. Reg. XVII. 30. apparet. Inde & Magistri Judaici de *Gallo* explicant locum Jobi Cap. XXXVIII. 36. de cujus sensu ex diversis interpretationibus eruendo hic non est disserendi locus, ne nimis extra oleas vagemur. Juvabit tamen Bochartum Hieroz. P. II. L. I. Cap. XVI. n. 6. consuluisse. Nomen itaque quod *Gallo* fuit סכוי & *Gallinæ* סכות deduco ab ipsa illa voce סכה quam toties produximus. Ea enim ut non modo *tugurium* & *tabernaculum*, sed & quodvis *domicilium latibulumque ferarum* denotare potest, velut antea comprobatum; ita & *cavea* atque ὀρνιθοτρόφιον (ien Huner-Hauß) in quo *gallos gallinasque* cicures alimus, eodem jure סכה vocari potest. Etiam sylvestres gallinæ in סכות seu speluncis montium habitant & nidulantur. Quo circa hoc nomen a *Numidicis Gallinis Gallisque* non usque adeo fore alienum, perspicimus. Quippe ex סכה *Succa* lingua Barbara factum fuisset *Tucca* & hinc *Tuckiim* istiusmodi *cavearum incolæ* dicti fuissent. *Gallinæ* autem *Numidicæ* admodum fuere veteribus in deliciis toties a scriptoribus, cum de opiparis cibis agunt, memoratæ quo ea propter non minus a *Syro phœnicibus* & *Hebræis* ac *Græcis Romanisque* avide in regiones exteras traductæ videantur. Consulendi ea de re pluribus sunt viri docti ad Petronii Cap. 55. & 93. & Juvenalis Sat. XI. v. 142. præcipue vero Bochartus Hieroz. P. II. L. I. Cap. XIX. quorum doctissimis observationibus non est quod addam, nisi hunc Suetonii locum, quo Caligulæ *excogitatissimas* hostias, avesque exteras πολυτιμήτυς Numinibus mactatas, commemorat Calig. Cap. 22. *Hostiæ erant phœnicopteri, pavones, tetraones, NUMIDICÆ, meleagrides, Phasianæ, quæ generatim per singulos dies immolarentur.* Ubi probe nota *Numidicas a meleagridibus* distingui, quas utut variis rebus distinctas, ob magnam similitudinem, scriptores toties confundunt. Adde Martialem L. XIII. Epigr. 73. quod in has *Numidicas* teste titulo composuit.

Ansere Romano quamvis satur Hannibal esset,
Ipse SUAS nunquam Barbarus edit AVES.

Vocat *Numidicas* Hannibalis aves quod ipsi *Poeno*, *Numidisque* vicino olim *domesticæ Carthagineque* Romam delatæ sint, quas Hannibal præ anseribus Romanis fastidivit, Romanis contra Numidicis inhiantibus: Ut domestica spernimus, appetimus peregrina. Augebat vero nostram de *gallinis Numidicis* conjecturam, quod illæ aves *Africæ* propriæ sint, adeoque hinc una cum mercibus ceteris Europæis & Africanis classe *Ophritica* in *Asiam* & *Palæstinam* illatæ videri possent. Hanc tamen conjecturam, quam pariter nondum usque adeo sperno, δεύτεραι φροντίδες de *simiis*, atque antea expositum vocis πίθηκος etymon, minus probabilem reddiderunt.

§. XVII. Sed ut conjecturararum satis sit, eo denique defungamur opere, quo Celeb. Oldermanni de תוכיים sententiam paucis examinemus, præcipue quod ejus hypothesis nostræ de situ *Ophir* & *Tharsis* non absimilis sit. *Tandem*, inquit, *Pinedæ*, Meleagrides *placent. Fuit certe in nostra* Africæ *ora peculiare avium genus, quod alibi nusquam nisi inde exportatum, ut patet ex hisce Scylacis* p.50. quem citat ex pessima emendatione Salmasii: Ita autem legitur *p.* 52. Ed. Hudson. & p. 122. Ed. Gronov. αἱ δὲ ὄρνιθες ΑΙΜΕΛΕΛΙΦΙΔΕΣ ἐνταῦθα ἐστιν, ἄλλυ δὲ ὐδαμῦ, ἂν μὴ ἐντεῦθεν ἐξαχέωσιν. Vertit Isaacus Vossius *Meleagrides aves ibi sunt, alibi vero nusquam nisi inde exportatæ*. Hæc vero versio Salmasianæ conjecturæ non textui adposita est. Is enim corruptæ voci λιμελελιφίδες substituit μελεαγρίδες, & ἐξαχέωσιν mutatio ἐξαχθῶσιν Exerc. in Sol. p. 611. Salmasio enim viventi, cum Scylacem ederet Vossius, mire adulabatur, quem postea mortuum in observationibus ad Melam tot convitiis excepit. Mirum eapropter Vossium non Gronovio heic loci ut toties levioribus de caussis vapulasse. Nos quidem ultimam harum emendationum probamus, priorem vero plane respuimus. Nam *meleagridum* patria non est *Africa* atque cum maxime hæc ejus *occidentalis* ora, sed *India*, unde in vicinas *Asiæ* regiones invectæ, ut pluribus loca veterum testabuntur quæ Bochartus collegit Hieroz. P. II. L. I. C. XIX. ibidemque loci ipse Salmasius. Frequentissimas autem illas esse in quibusdam *maris Erythræi* insulis juxta Troglodyticam sitis præter Strabonem L. XVIi docet Agatarchides de mari rubro p. 54. Ed. Oxon. Qui itaque *meleagrides* a Scylace dici potuis-

tuissent *ſolum* in oceani *Atlantici* lacubus, *Africæ* extra Herculis columnas vicinis, eſſe & nullibi reperiri niſi exinde deportantur? Qui, hinc in *Indiam* delatæ, & in *mare rubrum?* Qua via, precor, Salmaſi, & quo modo tum temporis? Neque etiam in his oris quas Scylax deſcribit ſunt meleagrides niſi contra ex *Aſia* illac deportatæ. Ne tamen exiſtimes *Numidicas* indicare Scylacem quas cum *meleagridibus* ſæpe confuſas novimus, obſtat *locus*, ubi *ſolum* has aves de quibus agit Scylax reperiri, ut nativa *patria*, teſtatur. Is vero eſt ΛΙΜΝΗ μεγάλη *LACUS ingens*, qui vicinus eſt urbi Pontio, quæ adjacet media Κόλπῳ μεγάλῳ *magno ſinui*, qui naviganti extra Herculis columnas atque ἔχοντι τὴν Λιβύην ἐν ἀριστερᾷ uſque ad *Hermæum* exhibetur *promontorium*, ut clariſſime autor exponit. οἱ δὲ ὄρνιθες, inquit dein, ἐνταῦθα ἐστίν. Aes illæ *in eo LACU ſunt* & nuſpiam alibi niſi inde deportatæ. *Numidicæ* autem in univerſo Africæ tractu qui ab Ægypto ad *Guineam* per littus extenditur, maximo numero abundant, unde Francis *Gallinæ Guineæ* vocantur. Hanc præterea ſententiam manifeſto ſubruimus atgumento, quod meleagrides non ſint λιμναῖοι ſeu quod in *paluſtribus* locis non degant, ut has aves diſerte λιμναίους fecit Scylax. Quantum ego conjectura adſequi poſſum, Scylax mentionem heic fecit *PHOENICOPTERI*. Quantumvis enim & de avibus Fortunatarum inſularum, quas hodie *Canarias* vocamus, cogitari poſſit, (nobis Kanarien-Vögel) quæ nullibi niſi in his viciniſque locis ſunt niſi inde alioſum deportentur : non tamen ut alia prætercam, ſunt λιμναῖοι ſive *paluſtres*, atque adeo *perpuſillæ* ſunt ut potius ὀρνιθίων quam ὀρνίθων nomen mereantur: *Phœnicoptero* autem ea conveniunt ſingula quæ de his avibus memorat Scylax. Eſt enim (1) *paluſtris* (2) *nullibi* niſi in his reperitut regionibus, unde *rarius* in ceteras exportatur. Prius clariſſime docebit Ariſtophanes illuſtri loco in Avibus v. 272. ubi inter ceteras alites oſtentans illam, ita fatur.

> Επ. Οὗτος ὁ τῶν ἠθάδων τῶνδ', ὧν ὁρᾶθ' ὑμεῖς ἀεί,
> Α'λλὰ ΛΙΜΝΑΙΟΣ. Πει. βαβαὶ καλός γε καὶ ΡΟΙΝΙΚΙΟΥΣ
> Ε'π. Εἰκότως, καὶ γὰρ ὄνομ' αὐτῷ γ' ἐστὶ ΦΟΙΝΙΚΟΠΤΕΡΟΣ.
> Ep. *Hæc non eſt una illarum familiarium avium, quas videtis continuo*
> *Sed* PALUSTRIS. PI. *Papæ ! pulchra ſane &* PUNICEA
> Ep. *Quidni ? ſiquidem & nomen ipſi ſit* PHOENICOPTERO.

Apparet inde non modo *paluſtrem* eſſe *avem* Phœnicopterum, ſed & *peregrinam* quæ rarius *Athenis* conſpiciebatur. Idem obſervat vetus Juvenalis Scholiaſtes prætereaque regionem, *unde* advecta, indicat ad ea Sat. XI. v. 139. *Et Schyticæ volucres, &* PHŒNICOPTERUS, *ingens ? Genus avis*, inquit, PHŒNICOPTERUS, *quæ habet* pennas *colore* Phœnicio: *in* AQUA *ſemper eſt*, *abundans in* AFRICA. Clarius & propius ad Scylacis illuſtrationem *fretum Herculeum*, unde Phœnicopterus devecta eſt, memorat Suetonius Vitellio c. 13. agens de primæ magnitudinis patina *Clypeus minervæ* dicta, qua luxuriei cauſa immenſam magnitudinem piſcium *aviumque* Vitellius appoſuit. *In hac*, inquit, *Scarorum jecinora*, *Phaſianorum & Pavonum cerebella*, *linguas* PHŒNICOPTERORUM, *murænarum lactes a Parthia uſque* FRETO *que* HISPANIÆ, *per navarchos & triremes petitarum*, *commiſcuit*. Nulla harum avium piſciumque a *Freto Hiſpaniæ* cum petita ſit niſi Phœnicopterus, me monitore haud opus eſt, ea verba *freto Hiſpaniæ* tantum ad *Phœnicopterum* referenda eſſe. Atqui vero aves, quarum apud Scylacem mentio, in lacu commorantur, qui FRETO HERCULEO proximus eſt. Quænam igitur hæ aliæ eſſent, niſi *Phœnicopteri*, qui illud nominis a *rubicundis* nacti ſunt *pennis*. Hinc fortaſſe pro λιμελελιφίδες λιμναῖοι φοινικίδες atque ita locus interpretandus. *Ibi ſunt* [in memorato lacu] *Aves paluſtres coloris rubicundi*, *quæ nuſpiam alibi ſuut* &c. Hæ enim literæ junctim ſcriptæ aliquam cum illis corruptiſſimis ignorantia librarii, habent affinitatem. Nam & avis hæc Ariſtophani eſt φοινικοῦς loco memorato, & Martialis de eadem L. XIII. Epigr. 71. teſte inſcriptione:

> *Dat mihi* PENNA RUBENS *nomen*, *ſed lingua guloſis*
> *Noſtra ſapit* - - -

Pariter avis ab eodem L. 3. Ep. 58. inter *delicatiores* memorata, quæ *nomen debet* RUBENTIBUS PENNIS, eſt *Phœnicopterus*. Sed necdum in emendatione ut quidem in explicatione loci totus mihi placeo.

§. XIX. Neque tamen ut in viam redeamus, metamque attingamus diſſertationis, aut *Phœnicopterus* ut hariolari quiſpiam poſſit, aut *Meleagrides* ſunt תוכיים, ut

Cl.

Cl. Oldermanno, Pinedæ adsentienti, videtur. Ostendendum enim esset qua ratione *Phœnicoptero* nomen illud תוכיים conveniret, quod certe avi *palustri*, quamcunque hujus vocis significationem mediteris, haud appositum est. *Meleagrides* vero cum tanta copia sint in vicinis *Troglodytices* regionibus, ut antea vidimus, quæ *Palæstinæ* proximæ, nescio numne illæ dudum ante Salomonis ævum terræ Judaicæ incolis innotuerint. Saltem hinc multo felicius propiusque, quam *Ophiritica* classe ex *longinquioribus* multo terris peti potuisse videntur. Quibus animadversis, cetera quæ de תוכיים dici possent, cum deduci inde illustrarique posse auguramur, eo nos longioris dissertationis opere sublevari sentimus. Quemadmodum vero hæc ipsa exercitatio, ita & ceteræ, quæ illam, ad *navigationum Ophiriticarum Salomonis & Hirami* illustrationem excipient, solo atque unico *veri* in rebus obscurissimis ex antiquitate retrusiori indagandi studio exarabuntur. Quapropter, ut aliorum sententias sæpe ea relinquere de causa cogimur, ita & lectori erudito hortatores existimus, quo, si quid his melius noverit, a nostra libere faciat divortium, melioraque impertiatur. Utemur ad eandem rem pari incentivo, quo elegantissimus poeta *Joannes Commirius* ab Illustri *Huetio* eruditissimam de *Navigationibus Salomonis* commentationem extorsit.

> Pande viam, ditesque ignota per æquora terras
> Quærentem, scopulos cœcaque saxa, doce.
> Urget amor, VERI sola cupido trahit.
> Cernere si *verum* dederis, non dives *Hiramus*,
> Non *Salomon* nobis se feret ipse parem.



DIS-



HADRIANI RELANDI DISSERTATIO DE OPHIR.

§. I. Primum κριτήριον terræ Ophir.

I. VT aliquid certi statuatur de situ regionis Ophir, existimo observanda esse indicia vel κριτήρια quædam, e quibus agnosci possit; vel conditiones aliquot, quæ necessario ad eam detegendam requiruntur, & quas tum Sacer Codex tum ipsa ratio nobis proponunt. Hypotheses & sententias, quæ iis non satisfaciunt, a vero abire, quæ contra se habet, veram aut veræ proximam esse, judico. Sunt autem hæc requisita, quæ sequuntur. 1. Terra Ophir debet esse talis regio, quæ abundat copia auri, argenti, eboris, simiarum & pavonum, vel psittacorum. Ita legitur 2. *Chron.* 9. 21. *Semel ternis annis veniebant naves Tarsis afferentes aurum, argentum, ebur, simias & pavones*. Quod conferri debet cum 1. *Reg.* 9. 27. ubi diserte eadem profectio classis, & quidem ad terram Ophir, narratur: nec de eo dissentiunt, quod sciam, ulli interpretes, licet, ubi Ophir terra suo nomine memoratur in sacris literis, tantum auri fiat mentio, quod hoc præcipuum fuerit. Ubi ergo aurum, argentum & alia illa non inveniuntur, non potest illa pro terra Ophir haberi. Nec sufficit, ut aliqua regio pro Ophir habeatur, quod ibi auri quidpiam, vel argenti inveniatur, vel simiæ nonnullæ aliquando ibi visæ sint: sed debet doceri, ibi maxima quantitate omnia illa fuisse sic ut operæ pretium fuerit, iter eo instituere. Huic requisito non satisfaciunt Ortelius & illi qui Zophalam Africæ regionem habent pro Ophir, ubi pavones & psittaci non inveniuntur, uti nec in multis aliis locis, quæ pro Ophir ab aliis habentur. Patria enim pavonum & psittacorum India est, uti postea fusius a nobis docebitur. Nec argentum ibi tanta copia est, ut inde peti meruerit.

§. II. Secundum.

II. Altera conditio hæc est. Terra Ophir debet in tali regione collocari, ad quam facilior, tutior & brevior via est ex portu Sinus Arabici quam maris Mediterranei. Quia enim classis Ophiritica solvit ex Ezion geber qui portus est Sinus Arabici, credibile est inde Ophir potuisse tutiori & breviori itinere adiri quam ex portu maris Mediterranei. Nam si ex Japho, aut alio portu, quem ad mare Mediterraneum habebat Salomon, brevius & totius Ophir adiri potuisset, sine dubio pro ea, quæ ceteris mortalibus præstabat, sapientia, classem suam via brevissima misisset. Sapiens enim nihil frustra facit, & quod per pauciora fieri potest, per plura fieri non oportet. Peccant in hanc conditionem, ipsamque adeo celebratam Salomonis sapientiam, qui Ophir in Hispaniola, aliisve insulis Americanis collocant. Ad illas enim recta via

via fuisset & tutissima, addo & notissima Phoenicum navigationibus, per mare Mediterraneum ad fretum usque Gaditanum, & inde porro versus Hispaniolam, non ex Sinu Arabico, ex quo solventes circumvehi universam Africam debuissent, & se infinitis pelagi periculis exponere absque ulla necessitate. Quod uti concipi non potest voluisse Salomonem, ita quoque omnes illas hypotheses rejicio, quæ in Americanis tractibus Ophir quærendam censent. Impingunt etiam vehementer in hoc requisitum illi, qui Africæ regionem aut urbem quandam ad mare Mediterraneum pro Ophir habent, uti Carthaginem; nam quis sana mente præditus, quum ex Japho solvere posset, e Sinu Arabico classem mitteret Carthaginem? Sed hic error natus est, ut jam alii ante nos viderunt, quia אניות תרשיש *naves Tarsis* dicuntur missæ in Ophir, & Tarsis apud nonnullos e veteribus eadem cum Carthagine censebatur.

§. III. Tertium.

III. Tertio, Ophir talis esse regio debuit, ad quam classis tuto pervenire poterat, adeoque propter rei nauticæ peritiam, quam illo tempore habebant exiguam, si cum nostra ætate comparetur, non est in regione nimis dissita, & quæ non nisi cum maximo vitæ discrimine peti poterat, collocanda. Id enim probe notandum est, interdiu Solis, noctu Stellarum, observatione navigationes suas instituisse veteres: magnetis usum, quo septentrionalem plagam indicat, ignotum fuisse; ipsos Græcos & Romanos diutissime post ævum Salomonis litora fere legere consuevisse, hyeme ipsis mare claudi solitum; ultra columnas Herculis mare ἄβατον & invium credidisse; & similia, quæ satis ostendunt non debere Ophir in America quæri, quæ vastissimo pelago & periculosissimo ab reliquo orbe sejuncta est, & in illa quasi peritiæ nauticæ infantia classe adiri vix poterit. Adde quod tota America ignota tunc fuerit; saltem demonstrari non possit, notam fuisse. Idem judicandum censeo de opinione illorum, qui Ophir in Sumatra, insula longissime dissita, quærunt. Vix enim mihi persuadeo, classem illis temporibus eo vehi tuto potuisse; & quidem statis vicibus, singulo triennio, maxime quum illa insula sub vehementissimo æstu Zonæ perustæ sita sit, *quæ interjecta utrique hominum generi commercium ad se denegabat commeandi*, ut ex opinione communi Macrobius in *Somn. Sc. c.* 5. loquitur. Satisfaciunt magis huic requisito, qui Ophir in Africæ regione quadam aut Persia locant, ad quos tractus litora legendo pervenire poterant. Sed & horum opiniones quo minus probari queant, aliis laborant difficultatibus.

§. IV. Quartum.

IV. Quarto, Ophir non debet in regione nimis vicina terræ Israeliticæ collocari, sed in eo locorum intervallo, ut triennium circiter requireretur ad iter eo instituendum, mercaturam exercendam, & redeundum; quæ omnia non sunt censenda juxta rationem nostrorum temporum, sed ævi Salomonæi. Hodie enim nulla in toto orbe regio est, quam non biennii aut minori temporis spatio classis potest invisere. Sed, ut jam monui, non erat tunc ea rei nauticæ peritia nec illa navigandi subsidia, quæ nunc ad manum sunt. Ad hoc non attenderunt illi, qui Ophir volunt esse Sapharam, ad Sinum Arabicum, quod iter non requirit triennii spatium. Dicent quidem nonnulli, in textu sacro non dici, integrum triennium impendisse, classem Ophiriticam navigationi, sed tantum, quod singulo triennio iverit: verum existimo, si minori temporis spatio potuisset illud iter peragi, & Hiramum & Salomonem non exspectaturos fuisse donec elapsum esset triennium, ut aurum & alia ex Ophir acquirerent, & gloriam regni sui, addo & Templi & Sacrorum, quibus id aurum magna ex parte destinabatur, nova continuo accessione augerent.

§. V. Quærendus etiam locus, cujus nomen ad Ophir accedat.

V. Quatuor hisce conditionibus, quas mihi in indaganda regione Ophir proposueram, hoc addidi. Si vestigium aliquod nominis Ophir deprehendi posset in aliquo tractu, cui quatuor modo indicatæ conditiones convenire, id magnum pondus allaturum esse ad confirmationem illius sententiæ. Quare illorum virorum studium in eo laudavi, qui non contenti fuerant aliquam regionem auro argentoque abundantem Ophir dicere, sed apud veteres Græcos, quorum monumenta Geographica ad manus nostras pervenerunt, aut recentiores (quamvis veteres præstent) urbem, regionemve ejusdem fere nominis quæsiverunt, uti, qui Ophir crediderunt esse *Apharam* vel *Sapharam*, Arabiæ, aut *Peru* in America &c. quamvis hoc solum non sufficiat, uti jam monuimus.

§. VI. Ophir est regio circa Ouparam in India, quæ &

VI. Videamus porro, quæ illa regio sit, quæ satisfaciat hisce requisitis, quæque pro *Ophir* haberi possit. Videtur mihi illa in India Orientali quærenda, quod & multi Viri Eruditi censuerunt: non tamen puto universam Indiam cum suis insulis nomine Ophir contineri, eo quod Copti Indiam COΦIP appellent (quod nomen, uti multa alia, Copti non ex veteri lingua Aegyptiaca, sed ex usu recentio-

Suphara dicitur, uti & Ophir, Sophira.

tiorum, ipsorumque Interpretum Alexandrinorum videntur retinuisse, & Indiæ dedisse) aut Chersonesum Malaicam, quam auream multi dixere, sed illam regionem, quæ circa urbem *Oupara* vel Σουπάρα, Sophara, est, quamque Sopharenen appellare possumus. Est ea urbs satis nota ex Ptolemæo, Ammiano Marcellino. Arriano *in periplo*, & sita in Chersoneso Indiæ intra Gangem, & litore ejus occidentali fere circa *long.* 112 ½ *latit.* 15 ½ & illum locum, ubi nunc celebre emporium *Goa*. Aliquando scribitur (quod jam notavit Cl. Salmasius in *Exerc. Plin. p.* 785.) Οὔππαρα, aliquando, Σούπαρα, Suphara: quidam etiam Σούφαρα scribunt, & hanc esse volunt, a qua Episcopus Σουφαρηνῶν Photio dicatur sic ut Σ promiscue adsit, vel absit, quod in Ἀφάρ, Σαφάρ, *Sagaris*, *Agaris*, aliisque nominibus propriis, fieri solet. Quemadmodum & ipsa vox Biblica *Ophir*, Σωφείρ scribitur a Josepho & Origene. Ita & versio Græca pro Ophir *Job.* 22. 24. habet Σωφείρ, ubi alii Σωφίρ. Sic 1. *Reg.* 9. 28. εἰς Σωφειρά. Ubi Hebræus habet אופיר *Ophir*. Et 1. *Reg.* 10. 11. ἐκ Σοφείρ. 1. *Chron.* 29. 4. ἐκ Σουφείρ. 2. *Chron.* 8. 18. Σωφιρά. 2. *Chron.* 9. 10. Σουφίρ. Inde & Hesychius Σουφείρ scribit. Σουφείρ, χώρα ἐν ᾗ οἱ πολύτιμοι λίθοι καὶ ὁ χρυσὸς ἐν Ἰνδίᾳ. *Soupheir, regio, in qua pretiosi lapides, & aarum in India.*

§. VII. Josephi verba de Ophir.

VII. Notandum est quod de Ophir vel Σωφείρ, uti ille scribit, Josepus habet, illam suo tempore dictam χρυσικὴν γῆν, *terram auream*: quæ sententia, cum nostra facile potest conciliari, quia inter veteres aliqui eam regionem, in qua Oupara sita fuit, vel vicinam, χρυσικὴν γῆν appellarunt. Notandum & hoc est, quod χρυσῆ χῶρα, sive χρυσικὴ γῆ, distinguantur apud Ptolemæum, Plinium, & alios ab χρυσικῇ νήσῳ sive *aurea Chersoneso*, vel insula aurea: quamvis multi recentiores eandem faciant auream regionem, & auream Chersonesum. Josephi vestigia premit Procopius *in Schol.* ad lib. III. *Reg. cap.* IX. Σώφορα (ita ille legit אופיר *Ophir*] χώρα τίς ἐστι τῆς Ἰνδίας, ἣν οἱ Γεωγράφοι χρυσῆν ὀνομάζουσι. *Sophora, regio quædam Indiæ est, quam Geographi Chrysen, sive auream appellant.* Licet vero fatear variare Geographos in situ Chryses sive regionis aureæ, id tamen deprehendo, plerumque illam distingui a νήσῳ sive χερσονήσῳ aurea, & Chrysen nobis propiorem statui, auream Chersonesum remotiorem. Hinc Plinius & Solinus extra Indi ostia ocllocant Chrysen, loco satis vicino nostræ *Oupparæ*. Mela autem *lib.* III. *c.* 7. ita describit Chrysen & Argyren, ut nostra Οὔππαρα non longe ab eis distet. *Ad Tamum* (promontorium, τάμαλα Ptolemæi, uti Vossio ad Melam & Salmasio in *Exerc. Plin. pag.* 701. placet) *insula est Chryse, ad Gangem Argyre.* Insulas cum peninsulis sæpe confuderunt veteres. Et Auctor peripli rubri maris Chrysen facit ἤπειρον, continentem, non insulam, distinguitque ab aurea Chersoneso & circa Gangem locat. Quæ omnia suadere videntur Chrysen & Argyren regiones in India fuisse, quarum situs accurate e Veteribus sciri non potest, quia hic magis vicinas nobis, ille a nobis remotiores facit. Et hinc, quum Josephus, Procopius, & alii scribunt Ophir Salomonis eam esse quæ illorum tempore dicebatur χρυσῆ, *aurea regio*, si cum Mela senserunt, in India intra Gangem, & quidem circa Chersonesi litus orientale illam quæri voluerunt, si cum Plinio, Ophir non longe abfuisse ab ostiis Indi voluerunt innuere. Quicquid sit, non puto male Ophir, emporium, vel regionem, mercaura adeo celebrem tempore Salomonæo, ibi collocari, ubi hodieque clarissimum fere totius Orientis emporium est. Goa, quo omne quod India, Persia, Sina, & vicinæ regiones pretiosi & rari habent, maxima copia defertur, & inde in reliquas Asiæ & Africæ, nunc quoque Europæ, partes transvehitur. Maxime cum vetus nomen Οὔππαρα & Σουπάρα cum Ὠφιρά, Σουφιρά, Σοφορά quæ nomina אופיר *Ophir* sunt, ita conveniat, ut vix major convenientia desiderari queat.

§. VIII. Ophir non una urbs sed regio.

VIII. Quod quidem non ita velim accipi, ac si crederem solam istam urbem Οὔπαρον olim *Ophir* dictam, & eo tantum appulisse classem Salomonis; sed oram illam circumjacentem & χῶρον sive *regionem* circa Ouparam nomine Ophir intelligo, & probabile est τῇ Ophir contigisse, quod multis aliis regionibus contigit, scilicet, nominis prisci, quod integras oras & magna terrarum spatia significatione sua complectebatur, vestigia in parte hac vel illa ejus oræ, vel urbe, tantummodo superesse, uti apud nos vetus Cattorum nomen in pagis modo duobus superstes est. Sic ut olim forte tota illa pars Chersonesi Indicæ intra Gangem Ophir fuerit dicta, uti India tota Coptis ΣΟΦΙΡ: cujus tamen nominis vestigia quum nusquam clariora inveniam, quam in Οὔπαρα & eadem Σ præfixo Σούπαρα dicitur, ut Ophir & Σωφείρ; ideo, quantum fieri potest, ab hoc loco recedendum non puto, a quo & hodie aurum, argentum, ebur, simiæ & psittaci peti solent: nam licet hæc omnia hodie ibi ut in natali solo non tam abunde proveniant ac in aliis

aliis Indiæ tractibus , inde non sequitur olim non fuisse , (non magis quam olim Colchida auri feracem non extitisse aut Hispaniam , qua nulla terrarum regio olim & copiosius & purius aurum protulit teste Posidonio & Strabone *lib.* III.] facile illa eo devehuntur , ita ut vix aliquod commodius emporium sit , quo merces Indiæ etiam remotissimæ distribui per Asiæ partes occidentaliores possint . Unde & Goa & Calecut [quo una vice nonnunquam 400. naves solere appellere scribit R. Perizol in *Itiner. p.* 159.) aliæque in illo litore urbes inveniuntur ; quæ mercaturæ exercendæ gratia ita frequentantur , ut nulli emporio in India cedere debeant.

§. IX. Ophir abundat auro, & argento.

IX. Quum itaque nomen Σωφίρ, sive *Ophir*, adeo conveniat vel idem plane sit cum Σουπάρα , restat ut videamus an quatuor illis requisitis , quæ recensuimus , ora illa satisfaciat. Primum postulabat in Ophir copiam auri , argenti , &c. De auro & argento non potest esse dubium quin id magna copia ibi inveniatur. Sane quum Veterum Scriptorum monumenta inspicimus, & in iis illa quæ de India tradunt , deprehendemus illos Indiam ipsis cognitam generatim uti auri & argenti feracem describere , non aut Chersonesum auream , vel aliam partem Indiæ , exclusis reliquis. Ita Diodorus Siculus *lib.* 2. 16. [Ἔχει δὲ ἡ Ἰνδικὴ χώρα) καὶ τῶν ἐλεφάντων ἄπιστον πλῆθος , οἳ ταῖς τε ἀλκαῖς καὶ ταῖς τοῦ σώματος ῥώμαις πολὺ προέχουσι τῶν ἐν τῇ Λιβύῃ γινομένων. ὁμοίως δὲ χρυσὸν, ἄργυρον, σίδηρον, χαλκόν. Πρὸς δὲ τούτοις λίθων παντοίων καὶ πολυτελῶν ἐν αὐτῇ ἐστι πλῆθος . *Habet autem (India) elephantum incredibilem multitudinem, qui & viribus & corporis robore multum præstant Libycis, similiter & aurum, argentum, ferrum, & æs, & lapidum variorum & pretiosorum copiam* . Dionysius Periegetes eodem modo Indiam , non solam auream regionem vel Chersonesum (de qua egerat *v.* 589.) commendat ab copia auri, eboris & gemmarum, uti Ophir in Sacro Codice describitur, *v.* 1114.

Τῶν δ' οἱ μὲν χρυσοῖο μεταλλεύουσι γενέθλην
Ψάμμον ἐυγνάμπτῃσι λαχαίνοντες μακέλῃσιν
Οἱ δ' ἱστοὺς ὑφόωσι λινεργέας. Οἱ δ' ἐλεφάντων
Ἀργυφέους πελσθέντας ὑποξύουσιν ὀδόντας.
Ἄλλοι δ' ἰχνεύουσιν ἐπὶ προβολῇσιν ἀναύρων
Ἤπου βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἢ ἀδάμαντος
Μαρμαίροντ' ἢ χλωρὰ διαυγάζουσαν ἴασπιν
Ἠ' καὶ γλαυκιόωντα λίθον καθαροῖο τοπάζου,
Καὶ γλυκερὴν ἀμέθυστον ὑπήρεμα πορφυρέουσαν.
Παντοῖον γὰρ γαῖα μετ' ἄνδρασιν ὄλβον ἀέξει.

Quorum summa huc redit, aurum apud Indos effodi , ebur parari, beryllum , adamantem , Jaspin & topasum , & omnis generis divitias inveniri . Plura testimonia non recensebo , quæ ex Plinio , Strabone aliisque peti possunt , sed ex Poetis addam, Indiam divitem ideo vulgo dici, uti apud Horatium:

----- *& divitis Indiæ.*

Propertium:

Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos ,
Et freta gemmiferi findere classe maris .

Atqui expeditionem non meditabatur in Auream Chersonesum : & quid est mare gemmiferum, nisi id, quod aut Persiam, Carmaniam, aut loca Ouparæ nostræ vicina alluit?

§. X. Num aurum nuspiam in India quam aurea Chersoneso proveniat.

X. Miror itaque quosdam scribere nullam aliam partem Indiæ aurum gignere præter eam: quod si verum sit, vehementer erro . At contrarium certum esse puto. Omnia enim quæ de auro Indiæ a veteribus sine discrimine narrantur , velle ad auream Chersonesum restringere (de qua & ipsa ejusque situ tanta est inter Criticos contentio, nec mirum) omni veri specie destituitur, quia suo i. e. Hadriani Imperatoris tempore Arrianus *lib.* VIII. scribit paucos illas regiones descripsisse quæ circa Gangem sunt nedum remotiores , & Megasthenem , quem ille ut fidissimum sequitur, exiguam tantum Indiæ partem peragrasse fatetur , & Strabo *lib.* 15. raros ad Gangem usque pervenisse, Indiam a paucis visam , & si qui viderunt , partem ejus solummodo vidisse. An credibile est illos, qui Indis bella intulerunt ob auri & gemmarum copiam, qua abundare eos vere credebant, in animo habuisse pertingere usque ad auream Chersonesum? Id mihi non persuadebitur. Quid? quod expresse meminerint Veteres plurium locorum in India , ubi copia auri & argenti inveniebatur . Plinius *lib.* 6. *c.* 20. *Nareæ deinde , quos claudit mons altissimus Indicorum Capitalia. Hujus incolæ alio latere late auri & argenti metalla fodiunt* , & *cap.* 19. *Fertilissimi sunt auri Dardæ, Setæ vero argenti. Sed omnium in India prope non modo in hoc tractu , potentiam claritatemque antecedunt Prasii , amplissima urbe , ditissima*

ſimaque Palibotra. Atqui ea urbs ad Gangem ſita non tam lungo intervallo diſtat ab Ouppara, quin eo merces ſuas mittere potuerint Indi. Mox & elephantorum meminit, quorum IX. millia regi eorum per omnes dies ſtipendiantur, *unde*, ait, *conjectatio ingens opum eſt*. Et *lib.* 33. Gangem inter fluvios auriferos refert, additque: *nec ullum abſolutius aurum eſt, curſu ipſo trituque perpolitum*. Dionyſius autem Periegetes maximam auri copiam inveniri tradit in regione Gandaridarum, quos ad Gangem multi locant, alii ad Hypanin, & illic Hypanin & Megarſum fluvios aurum deferre, *v.* 1144.

Γανδαρίδαι ναίουσιν, ὅθι χρυσοῖο γενέθλην
Δαιδαλέην Ὕπανίς τε φέρει, θεῖός τε Μέγαρσος
Gandaridæ habitant, ubi auri originem
Pulchram Hypanis vehit & vaſtus Megarſus.

Strabo *lib.* xv. licet fluvios non nominet, ſcribit tamen tradi ab auctoribus in India ψῆγμα χρυσοῦ καταφέρειν τοὺς ποταμοὺς, ὥσπερ τοὺς Ἰβηρικούς. *Fluvios auri ramenta deferre, uti in Hiſpania*: & Scholiaſtes Sophoclis in Antigone ad *v.* 1050. ſcribit eſſe τόπον τινὰ ἐν τῇ Ἰνδίᾳ χρυσοῦ ψήγματα ἔχοντα ὃν ἀνορύττουσι θηρία τινὰ μύρμηκες καλούμενα πτεροῖς χρώμενα ἀφ' ὧν οἱ Ἰνδοὶ μηχαναῖς τισι λαμβάνουσι τὸν χρυσόν. *Locum eſſe in India auri ramenta continentem, quem refodiunt formicæ alatæ, a quibus ope machinarum aurum Indi accipiunt*. De formicis illis etiam Strabo mentionem injicit loco cit. ex Megaſthene & Nearcho. Et hinc forte Job. 22. 24. נחלים אופיר *fluvii Ophir*, ſc. hi auriferi Indiæ, memorantur. Mirum interim videri poſſet, quomodo veteres & Phaſin & Tagum, & Gangem & alios fluvios auriferos fuiſſe ſcribant quum experientia id hodie non confirmet. Sed præterquam quod illas auri venas effœtas eſſe longo temporis intervallo dicere quis poſſet, id a viris fide dignis accepi de Tago, & arenis Hiſpaniæ quibuſdam in locis, aurum revera adhuc nonnunquam inveniri, ſed non omnibus notum eſſe, quæ illa terra ſit, vel quomodo aurum inde extrahi queat, nec tutum eſſe id ſcire aut profieri.

§. XI. Aurum circa Ouparam unde.

XI. Quod ſi hæc omnia contrahamus in ſummam, & Indiam uti patriam auri paſſim celebrari, & Gangem, Hypaninque qui Indo miſcetur, & Megarſum Indiæ fluvios aurum deferre, quod optimæ notæ eſt, quis non videt ad loca quoque maritima, uti Οὔπαραν &c. potuiſſe id vehi, & inde mutatis mercibus a nautis Hirami & Salomonis in Palæſtinam? Non enim requiritur ut probemus in ipſa Oupara fuiſſe fodinas auri & argenti, ſed ſufficit in vicinia magnam copiam fuiſſe. Sæpe enim in regione quadam maxime in emporiis maritimis, ubi frumentum, vinum, aurum &c. non proveniunt, tanta copia tamen inveniuntur, ut mercatura iis exerceri poſſit, & inde petantur ab aliis, cujus rei vel noſtrum Belgium ſufficiens teſtis eſt. Quod ſi plura veterum ſcripta ſupereſſent; aut illi, quorum ſcripta ſuperſunt, diſtinctius & accuratius loca Indiæ deſcripſiſſent, poſſemus forte clariora teſtimonia eruere. Sed, ut omnes fere norunt, adeo confuſe loquuntur Strabo, Plinius, Mela, Ptolemæus, & alii Geographi, de urbibus & regionibus Indiæ, ut conciliatio eorum hodieque crucem figat Philologis. Cum vero negari non poſſit loca Ouparæ vicina, quæ nunc ſub ditione Mogolis ſunt, auri & argenti fodinas habere (de quo vide Kircherum in China illuſtrata *p.* 80. & alios) non puto hac parte quenquam difficilem fore, ut illam regionem pro Ophir accipiat.

§. XII. Elephantes circa Ouparam.

XII. Reſtat, ut videamus an & reliqua, quæ præter aurum & argentum ex Ophir advecta leguntur, ex Sophira noſtra peti potuerint. Sacer Codex memorat שנהבים, quod per *ebur* vulgo redditur: nec repugno. *India mittit ebur*, cecinit Virgilius; & Plinius, aliique, de India ſcribentes, maximam elephantum copiam ibi fuiſſe ſatis oſtendunt. Quamvis autem & in Africa inveniantur [& hæ duæ regiones uti patriæ eboris paſſim memorantur, quare & Græcos inde ebur petere ſolitos ſcribit Pauſanias *lib.* v. *c.* 12.) *maximos tamen fert India*, teſte Plinio *lib.* VIII. *c.* XI. & *cap.* XI. *Indicum Afri pavent: nam & major Indicis magnitudo eſt*. Sunt & validiores Elephanti Indici, uti Polybius *lib.* 5. ſcribit Afros Elephantos καταπεπληγμένους τὸ μέγεθος καὶ τὴν δύναμιν *perculſos magnitudine & robore Indicorum*, & Diodorus Siculus loco cit. Unde, licet ex Africa potuerit, maluit tamen ebur ex India petere Sapientiſſimus Regum Salomo. Quodque in illa etiam Indiæ regione, qua Οὔπαρα olim fuit, & nos Ophir collocamus, plurimi hodieque Elephanti inveniantur teſtantur omnes e noſtris, qui oculati teſtes fuerunt & in illis oris diu habitarunt. Quare ulteriori probatione res ea non indiget. Verum ἐν παρόδῳ non erit hic incongruum inquirere in nomen Elephantis Indicum, *Barro*, unde *barrus* pro Elephante, *barritus* pro ſono ejus, & ni fallor, *ebur* (quod licet dentes ejus notet, eodem, aut certe non multum diverſo ab ipſa bellua nomine dicitur, uti Græce ἐλε-

ἔλεφας utrumque, & elephas & ebur) quandoquidem Cl. Bocharto assentiri vix possum, id a בעיר *Beir*, *Jumento* vel בער *Baar*, homine *stulto* & *bruto* [quod etymon minime convenit elephantibus, quorum ingenium celebratur] arcessente. Ut enim alia prætercam, tutissime etymon nominis inde ducitur unde res ipsæ ortæ sunt. Hinc ex India vocem repetit Isidorus *orig. lib.* XII. *c. apud Indos voce Barro vocatur, unde & vox ejus barritus dicitur*. Ego autem, quum animadverterem linguam Indicam & Persicam sæpe confundi a scriptoribus antiquis, in illam suspicionem incidi, an non forte & hoc nomen *Barro* ex sermone Persico posset deduci. Persis بارو *Barou* notat *castellum*, *propugnaculum*, *turrim*, *murum*. Quod nomen optime Elephantibus convenit, qui in bello turribus erant instructi (de quo multa vide collecta veterum testimonia in Eximio opere, Hierozoicon dico, Bocharti *lib.* II. *c.* 27.) & non tantum procul castellorum & turrium faciunt speciem, & offerentes moenium speciem, uti loquitur Curtius, sed quasi viva propugnacula & turres sunt, unde & in ludo Scachico nomen turris & Elephanti indifferenter isti belluæ a Persis & nobis ipsis tribuitur. Basilius *turrim animatam* πύργον ἔμψυχον vocat, Indi ipsi *Nag* montem, uti & Æthiopes *nage*, Syri ܬܠܐ ܕܒܣܪܐ *collem carnis*, Plinius *l.* 8. *c.* 1. *molem*, & *gradientibus collibus* eos comparat. Sed hæc in transitu.

XIII. Præter ebur, ex Ophir petierunt קופים, *Simias*. Quas in India circa illa loca, ubi nos Ophir fuisse credimus, magna copia inveniri notissimum est ex veterum & recentiorum testimoniis. Cum illis & תכיים leguntur fuisse advecti, quod multi *pavones* putant, ego *Psittacos*. Eo enim non dicit ipsa vox *Psittaci*, quæ in India orta est, ubi ipsa avis invenitur. Admodum enim probabile est nomina animalium ex lingua illius regionis ducta esse, e qua ipsa animalia originem traxerunt. Psittaci autem ex India orti sunt. Quis dubitet? Ovidius:

§. XIII. Simiæ & Psittaci circa Ouparam.

Psittacus Eois ales mihi missus ab Indis.

Ita Ælianus *de Anim. lib.* XIII. *c.* 18. Arrianus de *Exped. Alexandri*, Et alii, quorum testimonia non opus est hic referre. Et ipsum nomen ex vero تذك *Tedac* deflexum est in Τέδακος, Τίδδακος, Σίττακος & hinc ψίττακος. Plinius *lib.* x. *c.* 42. psittacum ab Indis nominari *Sittacen* scribit. Et verum nomen تذك, si ت pronuncietur uti Anglis *th*, est *Setac*, quod addita terminatione fit *Setaces*, vel *Sittaces*. Sed cum T a TS non nisi puncto differat (ت & ث) hinc factum reor Σίττακον legisse quosdam pro Τίττακον. Eodem modo cum uno puncto (ب) legit hanc vocem Ctesias بذك *Bedac*, qui Βίττακον scribit. Arrianus autem & Ælianus Σίττακον, & hinc ψίττακος, Psittacus quibusdam & Σίττας illa avis vocatur, teste Hesychio, demta ultima litera. At sive jam a תך, geminata prima, vel addita similis soni litera, fecerint alii تذك, sive ex *Tedac*, rejecta ob soni similitudinem alterutra priorum literarum, natum sit תך. certe eadem mihi vox videtur. Quod si quis *pavones* malit transferre, per me licet. Nam & pavones, teste Æliano *lib.* v. Indicæ aves sunt, quas Ἀλέξανδρος ὁ Μακεδὼν ἐν Ἰνδοῖς ἰδὼν ἐξεπλάγη *Alexander Macedo in India videns stupuit*, *cap.* XXI. & ταὼς nomen Indicum sive Persicum est, طووس. Quicquid sit, & pavones & Psittaci maxima copia in regione, in qua Ophir nostra collocatur, inveniuntur.

XIV. Sed & ligna quædam ex Ophir advecta sunt, dicta עצי אלמנים I. *Reg.* 10. 11. (quæ & in Libano crescebant 2. *Chron.* 2. 8. si eadem sint cum אלגמים) de quibus vix certo dici qualia fuerint, ideoque nec firmari ex iis nec labefactari potest nostra sententia. Nasci autem in India ligna pretiosissima certum est.

§. XIV. Lingna & lapides pretiosi circa Ouparam.

- - - - *Sola India nigrum*

Fert ebenum - - -

canit Virgilius *Georg.* 2. nec aliæ species desunt, quæ ad nos inde his temporibus adferuntur. Quod vero ad lapides pretiosos attinet, quos ex Ophir delatos narrant sacræ literæ, I. *Reg.* 10. 11. quis nescit mare illud, quod inter Taprobanem & continentem Indiæ est, & vicina nostræ Sophir loca, ipsumque Gangem eos abunde suppeditare? Quare patere arbitror, nostram opinionem, quæ Ophir circa Οὔπαραν collocat, satisfacere primæ conditioni, qua requirebatur, ut illa, quæ ex Ophir Salomo afferri curavit, ostenderemus in hac regione inveniri. Quibus omnibus & hoc addatur, veteres scriptores, quum Indiam intra Gangem describunt (nam ulterioris vix aliquam notitiam habuerunt, ut ipse Arrianus *lib.* VIII. fatetur qui & Megasthenem & Nearchum, quos uti probatissimos scriptores sequitur, non magnam Indiæ partem peragrasse scribit, imo paucos esse scriptores, qui τὰ μέχρι ποταμοῦ Γάγγεω, regiones circa Gangem, descripserint) illa fere ut palmaria narrare, quæ de Ophir sacræ literæ. Memorare enim solent copiam auri & argenti, elephantos, psittacos, simias, & lapides pretiosos. Dionysii descriptionem Indiæ supra exhibui

& Dio-

& Diodori Siculi. Adde hanc Curtii, eadem plane de India referentis quæ ſacer ſcriptor de Ophir, *lib.* VIII. *c. 9. Aves ad imitandum humanæ vocis ſonum dociles ſunt* (en תכיים, *Pſittacos*) *Animalia inuſitata cæteris gentibus niſi invecta. Eadem terra & Rhinocerotas alit, non generat. Elephantorum major eſt vis quam quos in Africa domitant & viribus magnitudo reſpondet* [Ecce שנהבים, *ebur*] *Aurum* [זהב] *flumina vehunt, quæ leni modicoque lapſu ſegnes aquas ducunt. Gemmas margaritaſque* [en אבן יקרה *lapidem pretioſum* I. *Reg.* 10. 11.] *mare litoribus infundit..... Regia auratas columnas habet: totas eas vitis auro celata percurrit: aviumque, quarum viſu maxime gaudent argenteæ effigies* [כסף] *opera diſtinguunt.* Lege præterea quem ſtatim citavi, Arrianum *lib.* VIII. de *Exped. Alexandri*, alioſque ubi de India agunt: ſic ut vel omiſſis aliis rationibus hinc naſci debeat ſuſpicio non alibi quam in aliqua regione Indiæ intra Gangem Ophir eſſe quærendam.

§. XV. Situs Ouparæ ſatis facit tertio poſtulato.

XV. Tertium poſtulatum (nam de ſecundo nihil opus eſt dicere) erat, ne in terra nimis remota Ophir collocaretur, ad quam illo tempore vix tuto perveniri poterat. Et huic ſatisfacit ſitus noſtræ Ouparæ ad quam litora legendo perveniri potuerunt. Erat quoque illa regio non remota ab hominum cognitione aut plane invia: multoque probabilius eſt eo pertigiſſe claſſem Salomonis, quam uſque ad Cherſoneſum Indiæ extra Gangem, aut Sumatram inſulam, vel Javam. Quod ſi enim eo uſque toties ultro citroque iviſſet Claſſis Salomonica, & Tyria, an credibile eſt Reges aut Tyri aut Judææ nunquam poſtea eo claſſem miſiſſe? Quod ſi miſerint, iſtæ oræ & inſulæ magis notæ forent ſcriptoribus Græcis & Romanis, qui adhuc tempore Tiberii conqueruntur, quum de India ſcribunt, tenebras ſibi offundi, pauciſſimos ibi fuiſſe, incerta fere eſſe omnia, & multa ejuſmodi. Et fatendum eſt plane eos cæcutiiſſe in iis quæ ultra Gangem inveniuntur. Rari enim ad Gangem uſque pervenerunt ex iis mercatoribus qui ex Arabico ſinu ſolverunt, ſcribit Strabo *init. lib.* XV. Unde colligere licet naves illas quæ mercaturæ faciendæ gratia iter inſtituebant, in Indiam circa loca noſtræ Ouparæ vicina ſubſtitiſſe, nec proceſſiſſe ulterius quod ſine dubio feciſſent, ſiquidem Tyrii ad auream Cherſoneſum olim pertigiſſent, & inde tantam auri vim detuliſſent: quod ignorare non poterant, ſi verum fuiſſet, quum fama tam celebris navigationis longe lateque debuerit diffundi. Videtur ergo noſtræ Uparæ ſitus magis convenire cum ratione illorum temporum, quibus regiones ultra Gangem ignotas fuiſſe admodum eſt probabile.

§. XV. Satisfacit & quarto.

XVI. Quartum poſtulabamus, ne Ophir in regione nimis vicina Palæſtinæ locaretur, ſed ea, quæ triennii circiter ſpatium requireret ad eundum & redeundum. Hoc non videtur convenire noſtræ Ouparæ, ad quam multo minori temporis ſpatio iter poteſt inſtitui. Sed multa hic obſervari poſſunt, quæ hoc iter retardant, quale eſt imperitia rei nauticæ eo tempore, quo litora legebant, interdiu fere tantum navigabant, ad tempeſtates declinandas, quibus ſufferendis ea navigia paria non erant ut noſtra, ad portus confugiebant: ſæpe ad Eteſias, ἐτήσια πνεύματα (ἅ δὴ τȣ̃ θέρεος τὴν ὥρην πᾶσαν κατέχει ἐν τȣ̃ πελάγεος ἐπιπνέοντα ἐπὶ τὴν γῆν καὶ ταύτῃ ἄπορον τὸν πλȣ̃ν ποιέοντα, *quæ per totam æſtatem ex mari in terram flant, & navigationem impediunt*, ut de hoc Indico mari ſcribit Arrianus *lib.* VIII. *de Exp. Alex.*) attendere debebant. Erant & alia, quæ in mari Indico navigantibus moram objiciebant. *In mari* (ita loquitur Plinius de illo, quod Alexander tranſvectus eſt, circa Indi oſtia *lib.* IX. 3.) *belluæ circa ſolſtitia maxime viſuntur: tunc illic ruunt turbines, tunc dejectæ montium jugis procellæ ab imo vertunt maria, pulſataſque ex profundo belluas cum fluctibus volvunt, & alias tanta thynnorum multitudine, ut magni Alexandri claſſis haud alio modo quam hoſtium acie obvia contrarium agmen adverſa fronte direxerit: aliter ſparſis non erat evadere.* Adde quod aliqua mora requireretur ad permutandas merces, reparandas naves, & in Sacris literis ſæpe partem anni pro integro poni. Quæ omnia ſimul juncta abunde, ut puto, evincent, illud iter ferre triennium poſtulaſſe.



HADRIANI RELANDI DISSERTATIO DE MARI RUBRO SIVE ERYTHRÆO.

§. I. Scopus dissertationis. Mare rubrum vulgo solus Sinus Arabicus.

I. DE Mari rubro scripturus, duo hæc potissimum examinabo, primo, quid pro Mari rubro debeat haberi, deinde unde nomen rubri videatur esse ductum. Ad primum quod attinet, video passim scribi & doceri mare rubrum proprie esse sinum Arabicum, quem sicco pede transiverunt Hebræi, nec ultra illum nomen maris Rubri esse extendendum, qui insignis error est, quem confutare plurimis veterum testimoniis constitui; ne quod in societatem humanam diu irrepsit, in re quoque Geographica altiores radices agat, id est, vera rerum vocabula amittamus. Longum esset omnes enumerare, qui hunc errorem errarunt, vel solæ mappæ, quæ non recentiori tantum Geographiæ, sed & veteri, illustrandæ inserviunt & a variis fuerunt editæ, & in omnium manibus versantur, ut illæ Cluverii, Blancardi, Sansonis, satis ostendunt quam communis hic error sit, quum ad unum ferme omnes soli sinui Arabico nomen Maris rubri adscriptum exhibeant. Nec aliquis inter illos est, qui veterum scripta non legunt, solis recentioribus contenti, qui, quum mentionem fieri audit, vel in concionibus, vel colloquiis, maris rubri, non statim de sinu Arabico cogitet. Quod si dubium alicui suboriatur, & Lexica illa inspiciat, quæ magnifico titulo instructa, omnium doctrinarum & scientiarum compendium lectori suo pollicentur, & ad quæ multi recurrunt, ut ex iis erudiantur, ne cogantur tempus collocare in pervolvendis antiquis scriptoribus, in eodem illo errore confirmabitur. Speciminis loco habe hæc ex notissimo Lexico Hofmanni. *Rubrum mare. Vide Erythræum. Alias sinus Arabicus. Estque inter Arabiam Felicem ac Petræam ad ortum & Æthiopiam & Ægyptum ad occasum. A Sept. in Mer.* 1200. *m. p. longus, latus vix* 250. *mill. Separatur ab oceano Arabico freto Babelmandel.* Quid? quod hæc persuasio nonnullos induxerit, ut veteres ipsos, de mari rubro ita, uti par est, loquentes erroris accusarent, quod illi per mare rubrum non solum sinum Arabicum intelligerent. Scripserat, & verissime quidem, Diodorus Siculus *lib.* 11. Euphraten & Tigrin ἐξερεύγεσθαι ἐς τὴν ἐρυθρὰν θάλατταν, *illabi in mare rubrum*. At Rhodomannus ibi Περσικὴν legendum conjicit, quod per mare rubrum, non, uti ve-

cap.

teres, ſinum Perſicum & vicinum oceanum, ſed ſinum Arabicum intelligeret. Qui varios Interpretes Curtii & aliorum, qui mentionem maris rubri fecerunt, conſulit, multos inveniet in eadem falſa opinione verſatos. *Jacobus Nicolaus Loenſis lib.* II. *cap.* 22. *Miſcellan. epiphill.* quem librum *Janus Gruterus* inſeruit Tomo v. *Theſauri Critici*, ita differit ad hæc verba *Senecæ* in *Troade*,

> ----- *Et qui frigidum*
> *Septena Tanain ora pandentem bibit,*
> *Et qui renatum prorſus excipiens diem*
> *Tepidum rubenti Tigrin immiſcet freto.*

Hecuba, ut mulier locorum & Geographiæ imperita, geminos hic errores in hiſtoria committit, dum Tanain ſepteno oſtio nobilem reddit, & dum Tigrim in mare rubrum ſe exonerare dicit, quod nemo peritus regionum & locorum unquam dixit. Nam neque Tanais ſepteno oſtio nobilis eſt, ſed duobus tantum alveis ſive oſtiis ut Strabo notavit. Tanaim [inquit Plinius] gemino ore influentem incolunt Jaxamati. Eiſdem adſtipulatur & Ptolomæus. Tigris quoque flumen non in mare rubrum influit, ſed ab Euphrate recipitur apud Babyloniam, qui ſeſe in ſinum Perſicum exonerat. Atqui mox præſtantiſſimos ſcriptores veteres ita loqui videbimus.

§. II. Per mare rubrum veteres intellexerunt mare vaſtius & remotius ſinu Arabico.

II. Ad convellendam ex animis hominum opinionem vulgarem, quæ ſolum ſinum Arabicum pro mari rubro habet, antequam ſpeciatim oſtendamus, quid veteres per mare rubrum intellexerint, docebimus eos nimis vaſtum & remotius æquor intelligere, quam ut id ſinui Arabico tribui poſſit. Ita Agatharchides appellat mare rubrum ἄπειρον μεγέθει *magnitudine infinitum*, quod utique de ſinu Arabico dici nequit. Pari modo Ariſtophanes conjungit imperium maris rubri cum imperio totius telluris, quæ inepta fuiſſet collatio, ſiquidem de ſinu Arabico loqui voluiſſet. Quum Cleon in *Equit.* Agoracrito prædixiſſet imperium πάσης τῆς γῆς *totius telluris*, hic reſpondit ſibi revelatum eſſe illum *non terræ tantum, ſed & maris rubri* dominum fore, his verbis:

> Καὶ γάρ ἐμοὶ καὶ γῆς καὶ τῆς Ἐρυθρᾶς γε θαλάσσης.

Cumque mox ſubjiciat mentionem Ecbatanorum:

> Χὤτι γ' ἐν Ἐκβατάνοις, &c.

ſatis oſtendit ſe oculos non habere intentos in ſinum Arabicum. Herodotus *lib.* I. *circa finem*, univerſum Oceanum præcipue in has tres partes dividit, *Mediterraneum*, *Atlanticum* & *Rubrum*, & hoc omne idem eſſe mare affirmat, contra ac *Caſpium* quod cum alio non commiſcetur. Ubi manifeſto apparet per rubrum mare majus æquoris ſpatium, quam ſinus Arabicus complectitur, intelligi debere. Hæc ipſa ejus verba ſunt. Ἡ δὲ Κασπίη θάλαττα ἐστὶ ἐπ' ἑωυτῆς ἐ συμμίσγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. Τὴν μὲν γὰρ Ἕλληνες ναυτίλλονται πᾶσαν. Καὶ ἡ ἔξω στηλέων θάλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη, καὶ ἡ ἐρυθρὴ μία τυγχάνει ἐοῦσα. Ἡ δὲ Κασπίη ἐστὶ ἑτέρη ἐπ' ἑωυτῆς. Ita & Plutarchus, ſinus, quibus Oceanus in terras irrumpit, deſcripturus in *lib. de facie in orbe Lunæ*, unum ait eſſe *mare Mediterraneum* alterum ſinum *Caſpium* quem ex Oceano ducere originem credebant, & dein τουτοὺς περὶ τὰν ἔρυθραν θάλατταν, *illos ſinus, qui ſunt circa mare rubrum*, i. e. ſinum Arabicum, Perſicum, Cangeticum, &c. qui ex magno illo mari, terras ingreſſo, formantur. Hoc ſenſu & Claudianus *de raptu Proſerp. v.* 318. Cererem loquentem introducit, ſollicitam de filia.

> *Non requies, non ſomnus erit, dum pignus ademtum*
> *Inveniam, gremio quamvis mergatur Iberæ*
> *Tethyos, & rubro jaceat vallata profundo.*

Ubi clare duo termini oppoſiti Orientis & Occidentis, mare *Ibericum* & *rubrum*, innuuntur: & propoſitum ſuum ita Ceres executa eſt, quod verbis ingenioſiſſimi Poetarum Ovidii *Faſt. lib.* IV. lubet exprimere,

> *Nam modo thurilegos Arabas, modo deſpicit Indos:*
> *Hinc Libs, hinc Meroe terraque ſicca ſubeſt.*
> *Nunc adit Heſperios, Rhenum, Rhodanumque, Padumque*
> *Teque future parens, Tibri, potentis aquæ.*
> *Quo feror? Immenſum eſt erratas dicere terras.*
> *Præteritus Cereri nullus in orbe locus.*

Nec prætereunda ſunt Conſulis Acilii verba ad milites, Antiochum aggreſſuros, *Aſiam eos, Syriamque & omnia uſque ad ortus ſolis ditiſſima regna imperio Romano aperturos. Quid deinde aberit, quin ab Gadibus ad mare rubrum Oceano fines terminemus qui orbem terrarum amplexu finit.* Hæc Livius *hiſt.* 36. 17. Ubi non ſinum Arabicum, ſed vaſtius & remotius æquor *ad ortus ſolis*, cui opponuntur ab occidente *Gades*, intelligi debere, manifeſtum eſt.

III.

III. Quæ quidem teſtimonia a nobis producta non tantum oſtendunt vaſtius aliquod & remotius æquor, quam ſinus Arabicus eſt, per mare rubrum intellexiſſe veteres, ſed ſuadere videntur totum illud mare, quod Aſiæ litora a meridie alluit, rubrum eſſe appellatum. Nam E. G. quum Herodotus Oceanum in 4. partes dividit, Mediterraneum, Atlanticum, Rubrum & Caſpium, ibi per Rubrum intellexit mare illud quod Aſiam a meridie alluit, vel alias præcipuam Oceani partem omiſiſſe cenſendus eſt. Ita cum Plutarchus illos ſinus, qui ſunt circa mare rubrum memorat, quos poteſt innuere quam Arabicum, Perſicum, Gangeticum &c? Qui ſi ſint circa mare rubrum, utique mare rubrum ingens illud mare eſt, quod cum iis commiſcetur. Quod ſi hæc alicui minus clara videantur, hoc teſtimonium examinet Dionyſii in περιηγ. p. 892. diſerte ſcribentis mare rubrum eſſe illud quod univerſam Aſiam a meridie alluit, his verbis

§. III. Mare, quod totam Aſiam a meridie alluit dicitur veteribus mare rubrum.

------ Αὐτὰρ ἑῷον

Ἰνδικὸς Ὠκεανός. Νότιον δ' ἁλὸς οἴδματ' Ἐρυθρῆς.

At Orientale (latus Aſiæ alluit) Indicus Oceanus: meridionale vero fluctus rubri maris. Viden? totum illud mare, quod Aſiæ litora a meridie verberat, appellat rubrum; atque ita appellat Geographus, fines Aſiæ deſcripturus. Ita ergo exiſtimandum eſt, totum illud mare quod ab Africæ litore Orientali ad ultimos Aſiæ fines, antiquis cognitos, diffunditur, & litora Arabiæ, Perſiæ, Indiæque alluit, omne quantum eſt, rubrum eſſe dictum: ſinum vero Arabicum & Perſicum proprie Sinus magni maris rubri fuiſſe, quamvis & nonnunquam, uti pars ſæpe de nomine totius dicitur, alteruter Sinus ἁπλῶς mare rubrum dicatur: ſed ita tamen, ut proprie nomen maris rubri iis non conveniat, ſed vaſto illi Oceano, cujus ſinus ſunt. Nunc, quoniam generatim vidimus, mare rubrum Aſiæ litora a meridie alluere, reſtat, ut litora illa ſingula Aſiæ perluſtrando oſtendamus, primo mare illud quod Indiam, dein quod Perſiam, vel utramque, Indiam ſc. & Perſiam tanquam patriam gemmarum, tum, quod Arabiam, alluit, denique & Sinus duos Perſicum & Arabicum, ſed eo, quo diximus ſenſu, mare rubrum ſive Erithræum a veteribus appellari. Quæ proferemus, ita ut a nobis ante vel lecta vel adnotata ſunt, non habita accurata ratione temporis, quo ſcriptores vixerunt.

IV. Mari rubro Indiam allui idem Dionyſius teſtatur, qui Indiæ terminum ab oriente Indum, occidente Gangem, a meridie mare rubrum adſignat, *v.* 1133.

§. IV. Mare, quod Indiam alluit a meridie, mare rubrum dictum.

------- νότιον δ' ἁλὸς οἴδματ' ἐρυθρῆς.

Auſtrale [latus] fluctus maris rubri.

Et mare rubrum circa Indiam magis quam alibi dici debere videtur innuere. Agathemeris *l.* II. Ὁ δὲ ὑπὸ τῇ Μεσημβρίᾳ σύμπας μὲν καλεῖται Μεσημβρινός τε καὶ Νότιος Ὠκεανός. Πάλιν δ' αὐτοῦ τὸν μὲν ἀνατολικώτερον Ἐρυθρὰ θάλασσα. *Qua meridiei ſubjacet Oceanus totus quidem Meridianus & Notius Oceanus, dicitur. Rurſus autem hujus pars orienti vicinior Mare rubrum.* Ariſtoteles *lib. de mundo* πρὸς γεμὴν ταῖς ἀνατχέσι τοῦ Ἡλίου, πάλιν εἰσρέων ὁ Ὠκεανὸς τὸν Ἰνδικόν τε καὶ Περσικὸν διανοίξας κόλπον ἀναφαίνει συνεχῆ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν διειληφώς. *Rurſus ad ortum ſolis influens Oceanus Indicum & Perſicum ſinum aperit, mare rubrum complexus*. Ubi attendi meretur vox συνεχῆ, quod ſc. ſub Oceano illo comprehendatur mare rubrum, non uti ſinus [quos diſtinguit] ſed uti ipſum mare quod ab Oceano illo non eſt diverſum. Obſcurius hæc Ariſtotelis expreſſit Apulejus in lib. de mundo, *ab ortu ſolis Oceanus Indicum & Perſicum mare conferens. Hinc pateſcunt finitima rubri maris*. Livius *Hiſtor.* XLV. *c.* IX. *Arabas hinc Indiamque qua terrarum ultimus finis rubrum mare amplectitur, peragravit*. Viden? Indiam finemque orbis cogniti eo tempore mare rubrum alluebat. Idem *Hiſtor.* XLII. *cap.* 52. Perſeum ita inducit milites alloquentem; *animum habendum eſſe, quem habuerint majores eorum qui Europa omni domita tranſgreſſi in Aſiam incognitum famæ aperuerint armis orbem terrarum, nec ante vincere deſierint, quam rubro mari incluſis, quod vincerent, defuerit. At hercule nunc non de ultimis Indiæ oris ſed de ipſius Macedoniæ poſſeſſione certamen fortunam indixiſse*. Ubi iterum Indicum mare innui certum. Curtius *lib.* VIII. *c.* 9. *Indiam nives obruunt, rurſuſque, ubi cetera rigent, illic intolerandus æſtus exiſtit, nec cur, ulli ſe naturæ cauſa ingeſſit. Mare certe, quo alluitur, ne colore quidem abhorret a ceteris. Ab Erythro rege inditum eſt nomen*. Ubi clare illud mare quod Indiam alluit per Erythræum innuitur. *id ibid. Indum & Gangem in rubrum mare ſe exonerare* teſtatur. *Indus gelidior eſt quam ceteri. Aquas vebit a colore maris haud multum abhorrentes. Ganges omnium ab ortu maximus, meridiana regione decurrit & magnorum montium juga recto alveo ſtringit. In eum objectæ rupes inclinant ad orientem. Uterque rubro mari accipitur*. Dionyſius de flumine Indo, in περιηγ. *v.* 1088.

Ὅς ῥα τ' ἐρυθραίης κατεναντίον εἶσι θαλάσσης.

Qui rubro mari adversus in id influit.

& *v.* 597. Taprobanes [quæ hodie Selan incolis, nobis Ceylon] litora allui Erythræo mari scribit:

Κήτεα θῖνες ἔχουσιν, Ἐρυθραίης βοτὰ πόντου.

Cete litora habent, pecora rubri maris.

Ita & Mela *lib.* III. *c.* 7. „ Regio ob æstus intolerabilis alicubi cultoribus egens, „ inde ad principia rubri maris pertinet. Scholiastes Aristophanis ad ὄρνιθας *p.* 373. Ἡ ἐρυθρὰ θάλασσα παρὰ τὸν ἀνατολικὸν Ὠκεανόν. *Rubrum mare esse juxta Oceanum orientalem.* Paulus Orosius *lib.* I. *Hist. c.* 2. *In his finibus India est, quæ habet ab occidente flumen Indum qui rubro mari accipitur.* Poetis nil est usitatius, quam Indicum & rubrum mare pro eodem habere. Sic Virgilius Æn. *l.* VIII. 605. Auroræ populos & litus rubrum & Bactra conjungit.

Victor ab Auroræ populis & litore rubro
Aegyptum, viresque orientis & ultima secum
Bactra vehit. ——

Ad quæ Servius. Litore rubro. Erythræo mari quod est inter Aegyptum & Indiam: & idem ad Georgic. *lib.* IV. *vers.* 373. Victorinus purpureum mare rubrum esse dixit, quod est juxta Indiam. Statius *Theb.* IV. *v.* 387.

Gangen, & claustra novissima rubræ
Tethyos ——

Sic & Horatius Eoas partes & Oceanum rubrum jungens Indicum intelligere videtur *lib.* I. *Carm.* 35.

—— *& Juvenum recens*
Examen Eois timendum
Partibus, Oceanoque rubro.

Quamvis si quis ibi mare Persiam alluens solum velit intelligere ut ad bellum Parthicum referatur, non repugnarem, licet prior explicatio plus gloriæ Augusto tribuat. Claudianus *de bello Gildon. v.* 454.

Jus Latium quod tunc Meroe, rubroque solebat
Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda.
Et cui non Nilus non intulit India metas,
Romani jam finis erit Trinacria regni.

Ubi pro Meroe Nilum, pro rubro aequore Indiam, pro Tyrrhena unda Siciliam substituit, uti & in *Epigram.* 2. *v.* 17. Indos & rubrum mare conjungens.

Proxima cui nigris Verona remotior Indis
Bena cumque putat litora rubra lacum.

& *in Rufin. v.* 242.

Indorum si stagna petas, rubrique recessus
Litoris ——

& *de Magn. v.* 14.

—— *& quicquid Eois*
Indus litoribus rubra scrutatur in alga.

Martialis *lib.* VII. 29.

Navigat a rubris & niger Indus aquis.

Tibullus *lib.* VI. Eleg. I.

Et quascunque niger rubro de litore conchas
Proximus Eois colligit Indus aquis.

§. V. Mare illud, unde gemmæ petuntur, dicitur rubrum.

V. Alii patriam gemmarum, sive illa maria e quibus margaritæ eruntur, mare rubrum appellant: quod quamvis non negem, de India ipsa aut Taprobane, ubi hodieque piscatura frequens gemmarum est, posse intelligi unde & *Indici maris dona* Senecæ appellantur in *Hippolito v.* 39. & ἰνδικοὶ λίθοι Luciano, & Indica gemma Propertio; [Et qui vult, ita intelligat, per me licet, referatque ad sectionem præcedentem; sive enim hoc vel illo modo accipias, evertit vulgarem sententiam & nostram firmat] potest tamen etiam de Sinu Persico & locis ei vicinis intelligi, quod nuspiam, tot & tam bonæ notæ margaritæ legantur. Ita Lucanus *lib.* X.

Plena maris rubri spoliis, colloque comisque
Divitias Cleopatra gerit.

Seneca *in Herc. Oet. v.* 659.

Conjux modico nupta marito
Non disposito clara monili
Gestat pelagi dona rubentis.

Idem

Idem *in Thyeſte v.* 370.

Qui rubri vada litoris,
Aut gemmis mare lucidum
Late ſanguineum tenent.

Propert. *in Cynthia eleg.* 14. *v.* 12.

Et legitur rubris gemma ſub æquoribus.

Et *lib.* III. *eleg.* XI. *v.* 6.

Et venit e rubro concha Erycina ſalo.

Tibullus *lib.* III. *eleg.* 3.

Quidve in Erythræo legitur quæ litore concha.

Et *lib.* II. 4.

------- *Et e rubro lucida concha mari.*

Cludianus de III. *Conſ. Honor. v.* 210.

Vobis rubra dabunt pretioſas æquora conchas.

Et de *Laud. Seren. Reg. v.* 2.

Vile putas donum ſolitam conſurgere gemmis,
Et rubro radiare mari.

In *Ep. ad Seren. v.* 14.

-------- *rubri germina cara maris.*

& *in nupt. Honor.* 167.

------ *baccis diadema ferebat*
Intextum, rubro quas legerat ipſa profundo.

& *de* 4. *Conſ. Honor. v.* 508.

Quis junxit lapides oſtro? Quis miſcuit ignes
Sidonii rubrique maris. ----

Quæ ſatis docent patriam gemmarum dici mare rubrum, quod non de Sinu Araco, ſed locis Sinui Perſico vicinis, vel ipſoque illo Sinu debere intelligi quivis cernit.

§. VI. Sinus Perſicus, mare rubrum nonnullis dicitur.

VI. At non deſunt, qui Sinum perſicum, quem alii Sinum maris rubri appellant, mare rubrum vocant, ſive quod partem de nomine totius vocent, vel alias ob cauſas. Ita Beroſus ubi agit de *Oanne* in Babylon. φανῆναι ἐκ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης κατά τόν ὁμοροῦντα τόπον τῆ Βαβυλωνία ζῶον *Apparere ex rubro mari ad locum Babyloniæ conterminum animal*, &c. Herodotus quoque *lib.* III. ſæpe mare Perſicum rubrum appellat, & expreſſe ab Arabico ſinu diſtinguit. Arrianus *lib.* VIII. κόλπον τόν Περσικὸν, ἥν δὴ ἐρυθρὴν θάλασσαν μετεξέτεροι καλέουσιν. *Sinum Perſicum, quem alii Rubrum mare appellant*. Strabo *lib.* XI. Οἱ Πέρσαι τὴν πλέστην ὄικησιν ἐπὶ τῆ ἐρυθρᾶ θαλάττη κέκτηνται, *Perſæ maxima ex parte rubrum mare accolunt*. Agathemeris initium maris rubri collocat in oſtio Sinus Perſici. Ἐρυθρὰ θάλασσα ὡς περὶ τὰς συμβολὰς κατὰ τοῦ Περσικοῦ κόλπου ςόμα. κεῖται *Rubrum mare Carmanio ibi conjungitur ubi oſtium ſinus Perſici eſt*. Sic & Joſephus *Antiq. l.* 1. *cap.* 2. Εὐφράτης δὲ καὶ Τίγρης ἐπὶ τὴν ἐρυθρὰν ἄπεισιν θάλατταν. *Euphrates & Tigris in Rubrum mare illabuntur*, & diu ante hos idem ſcripſerat Diodorus Siculus *lib.* II. *c.* II. Hos ſequitur Curtius, qui & Tigrin & Euphraten in mare rubrum i. e. ſinum Perſicum ducit. *lib.* v. *c.* 1. *Iidem per Babyloniorum fines in rubrum mare prorumpunt*. Manilius quoque *lib.* IV. *v.* 804. Tigrin & mare rubrum conjungit.

Et Tigris & rubri radiantia litora Ponti.

Claudianus Araxen, Suſa, & rubri maris litus: certo indicio mare Perſidem alluens per rubrum ab iis innui. Ita hic de *bell. Gildon. v.* 31.

---- *non ut proculcet Araxem*
Conſul ovans, noſtræve premant pharetrata ſecures
Suſa, nec ut rubris aquilas figamus arenis.

Suidas, ἐρυθρὰ θάλασσα ἐκλήθη ὁ Περσικὸς κόλπος, *mare rubrum dicitur Sinus Perſicus*.

§. VII. Aliis rectius Sinus maris rubri.

VII. Quidam tamen non ipſum ſinum Perſicum pro mari rubro habent, niſi quis per Synecdochen partis pro toto ita loqui velit, ſed ab eo diſtinguunt, & mare rubrum illud appellant, quod & Perſiam & Arabiam alluit extra Sinum Perſicum, ſic ut & Arabicus ſinus & Perſicus proprie ſinus dici debeant maris rubri. Ita Strabo *l.* XVI. Arabiam ſcribit habere ab auſtro τὴν μεγάλην θάλατταν τὴν ἔξω τῶν κόλπων ἀμφοῖν ἣν ἅπασαν ἐρυθρὰν καλοῦσιν, *magnum mare, quod extra utrumque ſinum eſt* (Arabicum & Perſicum) *quod totum mare rubrum appellant*. Ita & Dionyſius in Περιήγ. *v.* 52. & 54. duos hos ſinus maris Erythræi vocat. Sic Mela *lib.* III. *c.* 8. *Rubrum mare Græci, ſive quia ejus coloris eſt, ſive quia ibi Erythras regnavit* ἐρυθρὰν θάλασσαν *appellant .... Quas ripas inflexerat bis irrumpit, duoſque etiam ſinus aperit.*

rit. *Persicus vocatur*, *dictis regionibus propior*, *Arabicus ulterior*. Atqui ita præstantissimi veterum Geographi Sinum Persicum sinum appellant rubri maris.

§. VIII. Sinus Arabicus nonnullis mare rubrum.

VIII. Non desunt quoque inter Veteres, qui Sinum Arabicum appellarunt mare rubrum, non, ut nostri homines volunt, quod proprie id nomen ei conveniat, & improprie datum mari Indico, Sinui Persico &c. quod nunquam docebunt, sed quod pars sive sinus maris rubri esset, eodem modo, ut & Sinns Persicus, quum vere & proprie sinus tantum sint maris Rubri, quod majoris est diffusionis, uti jam ostendere cœpimus & porro ostendemus. Lucanus *lib.* x.

Qua dirimunt nostrum rubro commercia Pontum.

Eustathius quoque in Comment. ad Dionysum quosdam scribit esse ταυτίζοντας τὸν Ἀραβικὸν κόλπον καὶ τὸν Ἐρυθραῖον, *qui Sinum & Arabicum & Erythræum pro eodem haberent*. At distinguit clarissime, uti Diodorus Siculus *lib.* III. *c.* 38. *init.* & alii. Inter hos recensendi quoque Interpretes Græci veteris Instrumenti, vulgo LXX. dicti, qui ים סוף (i.e. mare *algosum*, *Juncosum*, vel *interitus*, quia in eo perierunt Ægyptii, ut hodie بحر القلزم *Mare absorptionis*, quod ibi Pharao cum suis absorptus sit, dicitur) transtulerunt per θάλασσαν ἐρυθρὰν, quos secutus Hieronymus per *mare rubrum*. Ita & Scriptores Novi Instrumenti quum de hoc mari loquuntur, quod Israelitæ transierunt ex Ægypto profugi, i.e. Sinu Arabico, θάλασσαν ἐρυθρὰν appellant, per Synecdochen partis pro toto, quia versio veteris Testamenti Græca, quæ illo tempore omnium manibus terebatur, ita reddiderat ים סוף. Sic legas *Act.* VII. 36. Mosen miracula fecisse ἐν ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ in mari rubro & *Hebr.* XI. 29. Πίστει διέβησαν τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ὡς διὰ ξηρᾶς. *Fide transierunt per mare rubrum uti per solum aridum*. Præter hæc duo loca nuspiam nomen maris rubri aut in veteri aut Novo Testamento reperias. Proprie tamen illud mare Sinus tantum erat maris rubri: sed συνεκδοχικῶς ita locuti sunt, præeuntibus, quos laudavi, Interpretibus Græcis, quos passim sequebantur Scriptores Novi Instrumenti, etiam in iis, in quibus a Textu Hebraico recedunt, cum quod ad sensum magis quam ad voces & literas attenderent, tum quod Græcæ versioni essent assueti, & versionem minus accuratam in rebus adiaphoris corrigere non semper esset tempestivum, maxime quum res majoris momenti agerentur: uti *Hebr.* 10. *v.* 5. σῶμα κατηρτίσω μοι, citatur ex *Ps.* 40. 7. quemadmodum ibi Græci codices habent: sed Hebræi, *aures fodisti*. 1. *Petr.* 2. 6. citatur dictum *Jesaiæ c.* 28. 16. juxta Græcos Interpretes abeuntes ab Hebræo. Sic *Rom.* 10. *v.* 18. citat Apostolus *Ps.* 19. 5. itidem juxtra Græcos; atque ita fit pluribus in locis.

§. IX. Probantur ante dicta ex scriptoribus, quo de mari rubro ex professo scripserunt.

IX. Hactenus testimonia quædam hic illic sparsa per veterum monumenta adduximus, quæ probant, non Sinum Arabicum sed aliud vastius mare olim proprio nomine rubrum esse appellatum. Quibus si jam addamus illos scriptores, qui unice hoc egerunt ut mare Rubrum describerent, & ibi sententiam nostram mire confirmatam reperiemus. Duo potissimum sunt, qui de Mari rubro scripserunt & quorum labores ad memoriam nostram pervenerunt, Agatharchides & Arrianus, quorum ille, quid per mare rubrum intellexerit (non enim hic inseremus omnia quæ de hoc mari scripsit, quæque anno 1698. Græce Latineque inter Geographos minores Oxoniæ edita ab unoquoque conferri queunt] satis ostendit, scribens θάλατταν οὖσαν ἄπειρον μεγέθη πάντας ἔτι καὶ καθ' ἡμᾶς ἐπονομάζειν ἐρυθράν. *Mare illud*, *magnitudine infinitum omnes ad nostram usque ætatem appellare Rubrum*. Arrianus autem in Periplo Maris Rubri Sinthum fluvium, qui ipse Indus est (Ptolomæus ostium Indi σίνθον vocat) quem accolæ hodieque سند *Sind* vocant, ait maximum esse fluviorum maris rubri. Hæc ejus verba sunt. Ποταμὸς Σίνθος μέγιστος τῶν κατὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ποταμῶν καὶ πλεῖστον ὕδωρ εἰς θάλασσαν ἐκβάλλων, ὥστε ἄχρι πολλοῦ (καὶ πρὶν ἢ συμβάλῃ τῇ χώρᾳ) εἰς τὸ πέλαγος ἀπαντᾷν ἀπ' αὐτοῦ λευκὸν ὕδωρ. *Fluvius Sinthus maximus fluviorum*, *qui se in mare rubrum effundunt*, *& maximam copiam aquæ afferens*, *ita ut longo satis intervallo ab ostiis & antequam ipsam regionem attingas*, *aqua ex illo flumine candida appareat*. Idem mihi de Indo retulerunt αὐτόπται & multis milliaribus ab ostiis ejus in mari dulces ejus aquas & turbato fundo albicantes hauriri. Quo minus dubitare licet Sinthum eundem esse cum Indo: Dein Arrianus pergit ad lustranda reliqua Asiæ litora ad Gangem & ultra, quæ omnia in periplo maris Erythræi exhibet: atque ita non proprie Sinum Arabicum sed vastum illud mare, quod Arabiam Persiam Indiamque alluit se intelligere sub nomine Maris rubri satis ostendit, quod & nos volumus.

§. X. Unde appellatum sit mare rubrum.

X. Postquam docuimus, quid per Mare rubrum intellexerint veteres, videndum est, unde ita dictum sit. De quo non multa colligam, quandoquidem discrepantes circa hanc rem opiniones satis notæ & vulgatæ sunt, ut vix tyro in Philologicis

eas

eas nefciat, fed meam folummodo fententiam exhibebo, & dein illam quæ hodie plurimum recepta eft, quafi ab Edomo ita nuncupatum fit, ad examen revocabo. Quod ad epitheton Rubri attinet, non puto ex lingua Hebraica id peti debere, quia nunquam ab Hebraeis id mare Rubrum appellatur, fed puto Græcos& Latinos effe confulendos. Hi autem voce ἐρυθρὸν, *rubrum*, *rubere*, & affinibus ita utuntur, ut iis fignificent viciniam, ardorem, fulgoremve Solis infigniorem. Lucretius *lib.* VI. 208.

----- Solis de lumine multa neceffe eft
Concipere ut merito rubeant.

Et *lib.* V. 463. de Sole oriente fpeciatim.

Matutina rubent radiati lumina Solis.

Tibullus *l.* 2. *El.* 2.

Eoi quæ maris unda rubet.

Et Sol ipfe, *ruber*, *rubentes Solis equi* apud Claud. *in Gigant. v.* 9. quos inter *Erythreus*; & *Solis rubrum jubar* apud Lucret. *l.* 4. 406. Et regiones illæ rubræ, rubicundæ, peruftæ, ardentes appellantur, quæ illi Zonæ fubjacent, quæ Solis vires maxime experitur. Claudianus in 1. Conf. Stilic. 257.

Et calido rubicunda die fic Africa fatur.

Seneca Hercul. *Aet.* 1701.

Et omnis ardens ora, quam torret dies.

Et ipfa illa Zona, feu plaga torrida, ἐρυθρὰ, rubens, rubra, perufta, calens, &c. dicitur. Conferamus quædam exempla Eratofthenes in defcriptione Zonarum quinque mediam ita defcribit:

Ἡ δὲ μία ψαφαρή τε καὶ ἔκπυρος οἷον ἐρυθρὴ
Τυπτομένη φλογμοῖσιν, ἐπεὶ ῥα ἑμοῖραν ἐπ' αὐτὴν
Κεκλιμένην ἀκτῖνες ἀειθέρεες πυρόωσιν.
Una eft fabulofa & torrida & rubens
Verberata flammis, quia illam partem
Sibi fubjectam perpetuo radii ardentes torrent.

Virgilius eodem modo hanc Zonam defcribit & rubentem vocat:

Quinque tenent cœlum Zonæ, quarum una corufco
Semper Sole rubens & torrida femper ab igni.

Claudianus *de bello Gildon. v.* 145.

- - - felicior illa perufta
Pars Libyæ, nimio quæ fe munita calore
Defendit, tantique vacat fecura tyranni.

id. *de raptu Proferp.* 257.

Addit quinque plagas: mediam fubtegmine rubro
Obfeffam fervore notat. Squallebat aduftus
Limes & affiduo fitiebant ftamina Sole.

id. *in prim. Conf. Stiliconis v.* 336.

Te duce, fufpecto Martis graviore paratu
Aut in arenofos æftus, Zonamque rubentem
Tenderet.

Lucanus *lib.* IV.

At qua lata jacet vafti plaga fervida regni
Diftinet Oceanum, Zonæque exufta calentis.

idem *lib.* X.

---- illos rubicunda perufti
Zona poli tenuit ----

Arnobius *lib.* I. *adv. Gentes*, *igneam Zonam* appellat, & Ovidius fub ignibus pofitas gentes quæ illius partem incolebant,

---- pofitofque fub ignibus Indos:

& 1. *Met.* illam inhabitabilem dicit, per omnia fc.

Quarum quæ media eft non eft habitabilis æftu.

Euftathius & alii διακεκαυμένην ζώνην vocant. Quum igitur conftet Zonam illam *rubram* effe dictam, & regiones ei fubjectas *rubicundas*, *ardentes*, &c. quidni mare illud vaftum eidem Zonæ fubjacens *rubrum* eadem ratione dici potuit?

§. XI. Idem confirmatur.

XI. Aut hæc opinio mea eadem eft, aut certe non multum diverfa ab illa veterum, qui, referente Ctefia apud Strabon *l.* 16. ἐρυθρὰν λέγουσι τὴν θάλατταν ἀπὸ τοῦ Ἡλίου κατὰ κορυφὴν ὄντος, *rubrum appellabant mare, quod Sol ibi fupra verticem effet*, vel eorum, quos memorat Euftathius in παρεκβολ. ad Dionyfii περιήγησιν *v.* 38. Τινὲς δὲ ἐρυθρὰν εἶπον διὰ τὸ πυροῦσθαι μάλιστα τῷ ἡλίῳ τὸ ἐκεῖ κλίμα. Διό, φασί, καὶ Αἰθίοπες οἱ

κα-

κατοικοῦντες λέγονται ὡς κεκαυμένοι τὴν ὄψιν. Quidam mare rubrum dictum ajunt, quod illud Clima, vel illa plaga, plurimum a Sole torreatur. Propterea, dicunt, qui illam inhabitant Æthiopes appellantur, quippe qui facie adusti sunt. Ultima hæc non parum pro nobis faciunt, quia Æthiopes, quasi *rubri* & *Sole adusti* dicti sunt, nam Αἴθοψ id Græcis sonat. Hesych. αἴθοπος, μέλανος, διαπύρου Αἴθοπος, *nigri, igniti*. Auctor Etymologici Magni, quod primum ex Blasti officina a. 1499. prodiit. Αἰθίοψ παρὰ τὸ καίω καὶ τὸ ὤψ ὀπός. Ὃ σημαίνει τὸν ὀφθαλμὸν καὶ τὸ πρόσωπον. Ὁ κεκαυμένην ἔχων τὴν πρόσοψιν. Λέγεται γὰρ ἐκεῖσε σφοδρότερον αἴθειν τὸν ἥλιον. *Æthiops dicitur ab* αἴθω *uro &* ὤψ, *quod significat oculum & faciem, & est ille qui adustam habet faciem. Dicitur enim Sol ibi maxime urere.* Etymologus noster ineditus. Αἰθιόπια παρὰ τὸ αἰθίοψ. τοῦτο παρὰ τὸ αἴθω, καίω. *Æthiopia derivatur ab Æthiops, niger & hoc ab* αἴθω, *uro*. Ita & Eustathius *in Odyss. lib.* 1. *p.* 12. *lin.* 52. *& p.* 13. observat ὅτι μὲν Αἰθίοπες μεμερισμένοι δίχα οἰκοῦσιν ὡς εἴρηται οἱ μὲν δυσομένου ἡλίου οἱ δὲ ἀνατέλλοντος, *Æthiopes esse duorum generum, quorum illi habitant ad occidentem, illi ad orientem Solem.* Eadem enim ratio est ob quam illi, qui vehementissimo Solis ardori expositi sunt, tam in oriente quam occidente, adusti, sive Æthiopes appellentur, & passim apud Homerum permutantur hæ phrases,

- - - - αἴθοπα οἶνον
- - - - οἶνον ἐρυθρόν.

& νέκταρ ἐρυθρόν. *Iliad. T. v.* 38. *Odiss. E v.* 93. 165. 208. M. 327. N. 69. &c. vel utroque epitheto utitur, quo patet non fuisse colores diversos, ut *Odyss.* XII. 19.

- - - - καὶ αἴθοπα οἶνον ἐρυθρόν.

(Unde ἐν παρόδῳ discimus quam falso Hypsicrates dixerit nulla voce Homerum uti quæ in οψ desinat excepto καλαύροψ.) *Iliad.* ψ. *v.* 845. Est igitur αἴθοψ, ἐρυθρός, & (quia ὅμοιόν ἐστιν ἐρυθρὸν εἰπεῖν χρῶμα καὶ φοινικοῦν *idem est sive* ἐρυθρὸν *rubrum sive purpureum colorem dicas* ut Eustathius ait *ad Iliad. v. pag.* 1426.) *purpureus*, & nonnunquam accedens ad nigrum, unde & αἴθοψ per μέλας redditur. Quem colorem Gellius in *noct. Atticis lib.* 2. *c.* 26. *rubidum* vocat. *Rubidus* ait, *est rufus, atrior & nigrore multo mixtus.* Eustathius *in Iliad.* α. αἴθοψ οἶνος ὁ οἶνος ἐπικεκαυμένος τὴν ὄψιν ἤτοι μέλας ἢ ἐρυθρός. Ὁποίαν συνθέσιν ἔχει καὶ ὁ Αἰθίοψ τὸ ἐθνικόν. *Vinum* αἴθοψ *adustum quod ad colorem, vel nigrum, aut rubrum. Ex iisdem vocibus componitur etiam Gentile Æthiops.* Et idem ad *Iliad. pag.* 836. scribit Euripidem alicubi referre unum ex Solis equis αἴθοπα dici (apud Hyginum est *Æthiops, cap.* 183.) & de ejus nomine vinum ita appellari. Sic & Homerus χαλκὸν ἐρυθρὸν & αἴθοπα χαλκὸν inter se permutat: ubi αἴθοψ non nigrum æs, sed rutilum notat. Atque inde Æthiopes dicti, quasi ἐρυθροὶ, μέλανες, rubri & nigri, ut & Indi *rubri*. Silius *lib.* XII.

Lucet in aure lapis rubris advectus ab Indis.

& *nigri*. Ovid. 1. de arte Am.

Andromeden Perseus nigris portavit ab Indis.

Eleganter Seneca Tragicus de his Indis.

Litus intravit pelagi rubentis
Promit hic ortus, aperitque lucem
Phœbus, & flamma propiore nudos
Inficit Indos.

Et Propertius, *lib.* III. *Eleg.* II.

Quos Aurora suis rubra colorat equis.

§. XII. Num appelletur rubrum ab Edom.

XII. Hæc quidem sententia simplicitate sua mihi maxime arridet. At alia est, hodie inter Eruditos maxime recepta, maris rubri etymon ducit ab Hebræo אדום *Edom*, *ruber*, idque ita dictum autumat, quod Edom ejusque posteri ad litus Sinus Arabici habitaverint, unde toti Sinui Arabico non maris Idumæi, sive rubri adhæsit: & ad firmamentum hujus asserti addunt, ipsos Græcos scribere mare Erythræum ita dictum a Rege Erythra, per quem nullus alius intelligi potest quam *Edom*. Quis primus hujus sententiæ auctor sit vix certo dixerim. Cl. Nicolaus Fullerus in Miscell. Sacr. *lib.* IV. *cap.* 20. eam exhibuit, & a nemine Græcorum ac Latinorum animadversam, ut ait, multis firmare annisus est, sed & ante Cl. Fullerum deprehendi illustrem Josephum Scaligerum in notis ad Festum, voce *Ægyptinos*; editis anno 1574. scripsisse: *quum scirent, Edom* ἐρυθρὸν *Græce reddi, ab eo* τὴν θάλασσαν ἐρυθραίαν *appellaverunt sinum Arabicum*, & ante eum Genebrardum in Comm. ad Ps. 106. quos dein Cl., Drusius, Bochartus, aliique Viri magni nominis secuti sunt. Quorum tamen bona cum venia liceat mihi rationes meas promere, quibus prohibeor quominus iis assentiar. Primo quidem Edomæi nimis exiguam portionem litoris in Sinu Arabico, parte maris rubri, possederunt, ut credi possint nomen dedisse

non

non tantum toti huic Sinui Arabico (cujus partem accolebant) ſed & Sinui Perſico, & vaſtiſſimo mari Indico, in quod Ganges & Indus ſe effundunt. Si Idumæi omne illud intervallum terrarum, & longiſſime diffuſa litora Arabiæ, Perſiæ & Indiæ innuiſſent, veri aliqua ſpecies foret, id mare ab iis אדום *Edom*, ſive, rubrum eſſe dictum. Nunc, cum illi exiguam modo oram litoris in Sinu Arabico, ſinu maris rubri, occupaverint, vix id probabile eſt: & eadem ratione credi poſſet, quia Trajectini & Geldri quædam litora in Sinu maris Germanici (quem nos vulgo de Zuyderzee appellamus) poſſident, non hunc ſolum Sinum, ſed & mare illud extimum quod Britannias, Galliam, & Hiſpaniam alluit, Trajectinum aut Geldricum potuiſſe dici, quod ſc. in Sinu quodam illius maris litora quædam tenerent. Quod uti abſonum eſt, ita non magis mihi placet, gentem Idumæam, locis maxime diſſitis nomen ſuum dare potuiſſe. Deinde non conſtat aut e ſacris aut profanis ſcriptoribus olim mare illud, ſive Sinum Arabicum ים אדום *mare Edom* ſive Idumæum dictum fuiſſe. Nuſpiam in V. T. aut N. mentio fit maris *Edom*. Siquidem id vulgo fuiſſet dictum *mare Edom*, credere poſſemus veteres Græcos id mutaſſe in θάλασσαν ἐρυθρὸν, & Latinos in mare rubrum. Nec hodie quoque Judæi illud mare Edom appellant. Non ergo ab Hebræis id nomen ortum eſt. Sed primi qui vocem θαλάσσης ἐρυθρᾶς uſurparunt, fuere Græci, & dein eos ſecuti ſunt Latini, *mare* id *rubrum* nuncupantes. Quod ſi illi vel maxime ab Edomæis Sinum Arabicum appellaſſent mare rubrum, quare id nomen etiam Sinui Perſico & vaſto Oceano Indico tribuerunt? An & hoc ab Edomo? Quæ ſit in eo veri ſpecies equidem non video. Tum ſi ab Edomo mare rubrum dictum ſit, cur per mare rubrum præcipue mare Perſiam & Indiam alluens intelligunt? Debuiſſent proprie Sinui Arabico, cujus litora partim poſſidebant Edomæi, id nomen dediſſe. At e contrario, quum Geographi, nullo excepto, mare rubrum deſcribent, mare illud quod Perſiam & Indiam alluit inprimis ſe intelligere oſtendunt & Sinum Arabicum (ad quem ſiti ſunt Idumæi) Sinum modo rubri maris appellant. Cur autem illum uti Sinum maris rubri conſiderant, quum is vel maxime & κατ' ἐξοχὴν deberet rubrum dici, ſi etymon originem traheret ab Edomæis?

§. XIII. De Rege Erythra, num is Edom.

XIII. Illud porro, quod de rege Erythra filio Perſei & Andromedes, qui nomen dederit mari Erythræo, referunt, tantum abeſt, ut ſententiam Cl. virorum diſſentientium firmet, ut potius evertere cenſendum ſit. Nam vel eo ipſo, quod ille ἐρύθρας dicatur filius Perſei & Andromedes, ſatis diſtinguitur ab Edomo. Si enim iſte Erythras ſit Edom, qui mari nomen dedit, quomodo circa Sinum Perſicum regnaſſe dicitur a Plinio, Mela & aliis? Num ibi Edom imperavit unquam? Attamen & regnavit ibi Erythras & ſepultus eſt in inſula maris Perſici; quamvis nec de inſulæ nomine ſatis coſtet, aliis aliter id exhibentibus. Quæ fabulam redolent. Si enim ab Erythra dictum eſſet id mare, ſemper Erythræum, Ἐρυθραῖον nunquam ἐρυθρὸν vel rubrum fuiſſet appellatum. Sed præterea adeo diverſæ ſunt ſcriptorum relationes de Erythra, ut iis fidere nequaquam liceat, & ne hilum quidem Edomo conveniat, præter ſolum nomen Ἐρυθρȣ. Quidam illum Ἐρυθρὸν, alii Erythram, nonnulli Erythræum appellant. Hic illum in mare cecidiſſe & aquis ſuffocatum tradit, ille, eum in mare poſt mortem projectum eſſe. Ita Etymologici magni actor editus ἐρυθραῖον πέλαγος ἀπὸ Ἐρυθραίȣ τινος βασιλέως. Ἀποθανόντος γὰρ αὐτȣ̃ ἔῤῥιψαν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάσσῃ, ἐπιγράψαντες τῷ τάφῳ, ἔνθαδε τάφος ἁλὸς παμμεδέοντος Ἐρυθρȣ̃. *Erythræum pelagus ab Erythræo quodam Rege. Illum enim mortuum projecerunt in mare, inſcribentes ſepulcro: Hic eſt ſepulcrum Erythræ, toti mari imperantis*: quæ inſcriptio ex iis verſibus formata videtur, quos exhibet Euſtathius in Dionyſ. ad *v.* 606.

Ἀγχιβαθὴς δ' ἄρα νῆσος ἁλὸς κατὰ βένθος ἐρυθρῆς,
Ὤγυεις· ἔνθα δὲ τύμβος ἁλὸς μεδέοντος Ἐρύθρα
Κέκλιται.

& mox Etymologus, ἐρυθρὰ θάλασσα, ἀπὸ Ἐρυθρȣ̃ βασιλέως, πεσόντος ἐκεῖ καὶ πνιγέντος. *Rubrum mare, ab Erythro rege, qui illic cecidit & ſuffocatus eſt*. Suidas. Ἐρυθρὰ θάλασσα ἐκλήθη... ἐκ τινὸς ἀνδρὸς Ἐρύθρα τὴν προσηγορίαν, ἐνδυναστεύσαντος τοῖς δὲ τοῖς τόποις *Mare rubrum dictum eſt.... ab viro quodam Erythra appellato, qui in iis locis principatum tenuit*. Eadem hæc, nonnullis mutatis, tradit M. Stum Etymologicon Bibliothecæ noſtræ Trajectinæ, tribus voll. in folio, quod ajunt, conſtans, quod quia ineditum eſt, ex eo lubentius hæc appono. Ἐρυθρὰ, ἀπὸ τȣ̃ Ἐρυθρȣ̃ τινος βασιλέως ὀνομαζόμενα πεσόντος ἐκεῖ καὶ πνιγέντος, ἢ παρὰ τὸ ἀπὸ τῶν παρακειμένων ὀρεῶν ἐρυθρῶν εἶναι. dein ἐρυθρὰ ἀπὸ τȣ̃ ἐρυθρȣ̃ τινος βασιλέως· ἔῤῥιψε γὰρ αὐτὸν εἰς τὴν θάλασσαν καὶ ἐλάξευσεν ἐκεῖ λίθον καὶ ἔγραψεν οὕτως,

Ἔνθα

Ἔνθα τύμβος ἁλὸς μεδόντος ἐρυθρȣ̃.

Ἐρυθρὸς, παρὰ τὸ ἐρεύθω, τὸ βάπτω· καὶ ἀποβολῇ τȣ̃ ε καὶ πλεονασμῷ τȣ̃ ρ ἐρυθρός· πόθεν ἐκλήθη ἐρυθραῖον πέλαγος ἀπὸ τȣ̃ ἐρυθρȣ̃ τινος βασιλέως ἀποθανόντος γὰρ αὐτȣ̃ ἔρριψαν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐπιγράψαντες τῷ τάφῳ ȣ̃τως,

Ἔνθαδε τύμβος ἁλὸς παμμεδέοντος ἐρυθρȣ̃.

Hæc quod non multum differant ab iis quæ ex Etymologico magno produximus, Latine non reddimus. At metrum in versu non constat. Agatharchides, citatus a Strabone *lib. 16. pag. 39.* aliter hunc Erythram describit, sc. quod Persa quidam, nomine Erythras equorum armentum, quod metu leænæ e Persiæ continente per mare in insulam transnaverat, insequeretur, primus ad illam insulam appulerit, & illam habitabilem videns repleverit colonis, & totum mare de nomine suo appellaverit. Qui vult Excerpta ex Agatharchide ipsa legat quæ Angli *anno 1698. Tom. 1.* Geographorum minorum inseruerunt. Alii autem a Rege quodam, ibi sepulto qui genere erat Erythræus, & cui cum Baccho Jovis filio res fuit, de quo vide Eustathium in Comm. ad Dionys. *v. 606.* Qua veri specie autem Edomo potest tribui, quod de Erythra in Epitaphio, modo exhibito, legitur, illum fuisse παμμεδέοντα ἁλὸς, & mari toti imperasse, quod si vel de mari Persico Indicove intelligi posse concedamus, quis veterum, aut sacrorum aut profanorum scriptorum unquam Edomum, vel ejus posteros Idumæos his regionibus imperasse & maris dominium tam late tenuisse affirmavit? Hic titulus nimis augustus est, & Neptuno, quem Euripides in Hippolyto ποντομέδοντα πορφυρέας λίμνης appellat, melius conveniret. Ego autem, ut dicam quod sentio, illud Epitaphium revera antiquum esse (quis enim illi Edomo Græce scripsisset Epitaphium & versu quidem hexametro?) existimo.

§. XIV. Dissensio circa sepulcrum Erythræ.

XIV. Nec de ipsa insula conveniunt, in qua Erythras sepultus esse dicitur. Nearcus & Orthagoras, [ita testatur Strabo *p. 727.*) dixerunt νῆσον Τυρρίνην κεῖσθαι πρὸς νότον πελαγίαν ἐν δισχιλίοις σταδίοις ἐν ᾗ τάφος ἐρυθρᾶ δείκνυται χῶμα μέγα ἀγρίοις φοίνιξι κατάφυτον. Τȣ́των δὲ βασιλεῦσαι τῶν τόπων καὶ ἀπ' αὐτȣ̃ τὴν θάλατταν ἐπώνυμον καταλιπεῖν, *Insulam Tyrrhinam sitam esse in pelago ad austrum duobus millibus stadiorum a Carmania distantem in qua Erythræ sepulcrum ostenditur, ingens tumulus & silvestribus palmis circumsitus, qui iis locis imperaverat, & mari de suo nomine nomen reliquerat.* Arrianus eam Oaractam appellat, & ita describit *in Hist. Ind.* Ἐς τὴν δὲ ὡρμήθησαν Ὀάρακτα (ἐκαλέετο] Ἄμπελοί τε ἐν αὐτῇ ἐπεφύκεσαν καὶ φοίνικες καὶ σιτόφορος. Τὸ δὲ μῆκος τὴν τῆς νήσȣ στάδιοι ὀκτακόσιοι. Καὶ ὁ ὕπαρχος τῆς νήσου Μαζήνης συνέπλει αὐτοῖσι μέχρι Σȣ́σων ἐθελοντὴς ἡγεμὼν τȣ̃ πλόȣ. Ἐν ταύτῃ τῇ νήσῳ ἔλεγον καὶ τȣ̃ πρώτȣ δυναστεύσαντος τῆς χώρης ταύτης δείκνυσθαι τὸν τάφον. Ὄνομα δὲ αὐτῷ ἐρύθρην εἶναι, ἀπ' ὅτȣ καὶ τὴν ἐπωνυμίην τῇ θαλάσσῃ ταύτῃ εἶναι ἐρυθρὴν καλέεσθαι. *Insula ad quam appulerunt, Oaracta vocabatur, vitium, palmarum, & frumenti ferax. Præses ejus Mazenes sua sponte se comitem iis & ducem adjunxit usque ad Susa. In hac insula dicebant sepulcrum ostendi illius qui primus imperium ejus regionis tenuerat, cui nomen Erythras, unde & mare Rubrum est appellatum.* Plinius Ogyrin vocat *lib.* VI. *Insula in alto objacet Ogyris, clara Erythra rege ibi sepulto.* Quid inde certi colligas? Confuderunt varias insulas Sinus Persici, nec debitum eis situm assignarunt. Cl. Vossius in Notis ad Melam sagacissime odoratus est nomen *Ogyris & Gyris & Gyrine* innuere insulam quæ هرمز *Hormuz* hodie dicitur, in faucibus Sinus Persici sita, quæque olim جرون. *Zjerun* vel *Gerun* dicta fuit, & apud Strabonem pro Τυρρίνην [ut melius cum *Gerun* conveniat) scribendum putat Γυρίνην. At ego nil mutandum censeo, quia certum est ج Persicum non per *G* vel Zj solum sed per *T* nonnunquam pronunciari. Ita herba, quam nos vulgo *Thee* appellamus, scribitur Malaice جا Similiter ex עגל sive عجل *bos, vitulus*, puto deductum esse nomen *Italiæ*, ubi ج per *T* redditum est. Nam a bobus Italiam dictam esse veteres asserunt, quod Græci boves Ἰταλȣ̀ς (unde Romanum *vitulus*) dicerent: quæ vox ea ratione, qua exposui, a עגל Hebræo venit. Ἰταλὸς Hesychio ταῦρος. *Italia a vitulis nominata ut scribit Piso*, sunt verba Varronis *de re rust. lib. 2. cap. 1.* & *cap. 5. Bos maxima debet esse auctoritate præsertim in Italia quæ a bubus nomen habere sit existimata.* Confer & quæ Dionysius Halicarnassæus habet *Antiq. Roman. lib. 1. cap. 4.* Ita & in Paulina Festi *Epitome*. *Italia dicta quod magnos Italos hoc est boves habeat.* Unde etiam *Thurii* dicti a bubus, cum תור *Tur* bos sit, & in nummis Thuriorum hodieque bos conspiciatur: vide Prosperi Parisii rarior. magn. Græc. numism. Cui sententiæ favet quod regio Brutiorum & Lucanorum, in quibus siti Thurii, olim proprie Italia dicta fuerit, quod nomen postea latius extensum est. Mirum hanc ἰταλῶν Etymologiam a nemine hactenus animadversam. Sed rever-

revertamur ad insulam Hormuz. Id nomen lingua vetusta Persica palmetum notare scribit loco m. citato Cl. Vossius : quod ignoro : sed palmæ fructum dactylum voce non multum diversa خرما *Chorma* Persice dici scio : verum longe aliter scribitur هرمز vel اورمز ut alii volunt, quamvis nonnulli hanc scriptionem rejiciant, aliter خرما : & testantur Persæ ab Rege Ormozd [unde Græcum Hormizdas) illam insulam esse appellatam, quod credibile est. De palmis, quæ ibi fuisse olim perhibentur, nil hodie restat : sterile solum est & nullius arboris capax ; adeo salsuginosum & sulphureum est. Ceterum de his insulis videri potest præter Vossium modo laudatum Salmasius *in Exerc. Plinia. pag.* 831. Quæ tamen omnia simul collata satis ostendunt non convenire veteres in assignanda certa insula quæ sepulcrum sit commentitii Erythræ.

§. XV. Mos veterum, qui nomina marium & locorum a nominibus virorum sive veris sive fictis deducere amant.

XV. At nil veri subesse hinc sententiæ quæ ab Erythra mare rubrum derivandum censet, præter ante dicta ostendit consuetudo Veterum Græcorum præcipue, qui plurima nomina fluviorum & regionum a fabulosis quibusdam Viris aut fæminis qui ea loca incoluerunt & reges plerumque vel reginæ singebantur, derivare solent. Qui exempla cupit, Plutarchi libellum de fluminibus perlegat, ubi omnes fluvios ibi recensitos (solo Tigride excepto) ab hominibus idem nomen gerentibus & qui ibi regnaverunt, vel in eo perierunt, [quod ipsum de Erythra narrant uti vidimus] nomina sua traxisse videbit. Sic solebant illi, quum tamen nos contrarium sæpe sciamus e certissimis documentis : uti quod Araxes ab Araxe rege Armeniorum [qui enim nomen suum istius modi fluviis dedere, Reges esse solent, uti & Erythras noster Rex] dictus sit, quum sit nomen Persicum الرس *Arras, fluvius*, quod Euphrates ab Euphrate Arandaci filio in eum demerso sit appellatus, quum verum nomen פרת in Mose habeatur & inde اوفرت *Eu frat* ductum sit, quod Nilus, qui & Melas, a viris cognominibus ita dictus sit, quum ex נחל & שחור multo aptius repetatur, aliaque quæ lector conferat. Adde Ovidii Metamorphoses, ubi ampla exemplorum talium seges est, Apollodori Bibliothecam & alios Mythologos. Ita Persiam a Perseo filio Andromedæ dictam, Mediam a Medo Mediæ filio, Armeniam ab Armenio Rhodio, regionem Gordyæam a Gordye filio Triptolemi, Thraciam a Thrace Rege, Babyloniam a Babylone filio Beli, Joppen ab Jope Cepnei uxore, Ascalonem ab Ascalo, Damascum ab Asco gigante, Illyriam ab Illyrio Cadmi filio, Italiam ab Italo, mare Atlanticum ab Atlante Rege Mauritaniæ, Icarium ab Icaro, mare Jonium ab Jo, Hadriaticum ab Hadria, Ægæum ab Ægæo Thesei patre, Tyrrhenum a Tyrrheno Atyos filio, & multa talia. Sic quoque, quum aliunde nomen Erythræ in fabulis suis nossent, pro more suo, a viro Erythra dicto mare Erythræum deduxerunt.

§. XVI. Sepulchrum Erythræ falso jactatur.

XVI. Verum, dicet aliquis, non videtur commentum esse quod Græci de Ertyhra tradunt, quandoquidem ejus sepulcrum extare & ostendi scribunt. Quasi vero non plura talia de locis remotis fingi soleant; adde quod nullus veterum affirmet se id vidisse, at solummodo se id auditione accepisse. Quid ? Quod si vera scribant illi Auctores qui in mari submersum Erythram volunt, mendacii possit convinci tota illa de ejus sepulcro fabula, nisi quis statuere velit, pisces carnivoros illius maris pepercisse Regi Erythræ, & cadaver ejus in litus esse ejectum, aut Cenotaphium ei structum fuisse. Quod si vel maxime ibi quidpiam pro sepulcro Erythræ ostentaretur, potuit id alterius viri sepulcrum fuisse, quem variis de causis Erythran esse dixerint. Vel, cum insulani illi Principis cujusdam sepulcrum in insula sua haberent, & illum regem nomen dedisse locis vicinis narrarent, Græci jam id mare ἐρυθρὸν vocantes, illum Erythram dixerunt. Aut forte mentiti illi sunt, ut Cretenses, qui Jovis sepulcrum esse penes se jactabant, unde Κρῆτες, uti & alia iis exprobrabantur vitia, quod essent, uti Leonidas loquitur *lib.* III. *Anthol. Epigr.* 65.

Α'ει ληϊςαί, καί ἁλιφθόροι, ȣ̓δὲ δικαῖοι.

Semper latrones & piratæ, & injusti.

Ita etiam dicti fuere, *perpetuo mendaces*, ἄει ψεῦςαι, & scire Callimachus.

Κρῆτες ἀὲι ψευςαὶ κ̀ γάρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο.
Κρῆτες ἐτεκτήναντο. σύ δ' ȣ̓ θάνες ἔσ̓ γάρ αἰεί.

Cretenses semper mendaces sunt. Sepulcrum enim Tuum, o Rex,
Cretenses fabricarunt, quum tu non sis mortuus, sed semper existas.

Quod ipsum false perstringit Athenagoras in *Apol.* pro *Christian.* & Getulicus in Epitaphio Astydamantis, *lib.* III. *Antholog. Epigr.* 12. imitatus est. Quia enim Minois sepulcrum ibi fuerat hac Inscriptione ΜΙΝΩΟϹ ΤΟΥ ΔΙΟϹ ΤΑΦΟϹ, *Minois, Filii Jovis, sepulcrum*, illo ΜΙΝΩΟΣ injuria temporis eraso, restabat ΤΟΥ ΔΙΟΣ *Jovis*, quod inepta & stulta gens pro Jovis sepulcro habuit, non contenta

Jovis incunabulis. Ita testatur Scholiastes Callimachi ad *Hymn.* I. his verbis ἐν Κρήτη ἐπὶ τῷ τάφῳ τοῦ Μίνωος ἐπεγέγραπτο, ΜΙΝΩΟΣ ΤΟΥ ΔΙΟΣ ΤΑΦΟΣ. Τῷ χρόνῳ δὲ τὸ τοῦ Μίνωος ἀπηλείφθη· ὥστε περιλειφθῆναι, τοῦ Διὸς τάφος. Quorum verborum sensum Latine jam dedimus. Lactantius inscriptionem ita refert. Ζεὺς τοῦ Κρόνου. *Jupiter Saturni*. Inscriptionis nominis JOUIS etiam meminit Mela *lib.* II. *c.* 7. *Ibi sepulti Jovis pene clarum vestigium sepulcrum est: cui nomen ejus inscriptum esse accolæ ostendunt*. At alii sat deprehenderunt esse illum ψευδήμονα τύμβον, mendacem tumulum, uti Nonnus *lib.* VIII. Dionys. eum vocat, & hinc inquit *Lucanus lib.* VIII.

Tam mendax Magni tumulo, quam Creta Tonantis.

Simili modo Megarenses ostendebant penes se sepulcrum Empedoclis at falso, siquidem, ut a gravissimis Auctoribus traditum est, ardentem Ætnam insiliit, quod Diogenes Laertius hoc epigrammate tangit:

Ναὶ μὴν Ἐμπεδοκλῆα θανεῖν λόγος. ὡς πόθ' ἁμάξης
Ἔκπεσε καὶ μηρὸν κλάσσατο δεξιτερόν.
Εἰ δὲ πυρὸς κρητῆρας ἐσήλατο καὶ πίε τὸ ζῆν.
Πῶς ἂν ἔτ' ἐν Μεγάροις δείκνυτο τοῦ δὲ τάφος;

Certe mortuum esse Empedoclem sermo est, quum e curru
Excidit, & dextrum crus fregit.
Si vero igneos crateres insiliit, & immortalitatem acquisivit,
Quomodo Megaris ostenditur ejus sepulcrum?

§. XVII. Num Sinus Arabicus præcipue dicatur mare Erythræu.

XVII. Denique nititur ea sententia Cl. Fulleri hoc fundamento Sinum Arabicum ad quem habitarunt Edomæi proprie & primo mare rubrum dictum esse. Ita enim ipse Fullerus *pag.* 635. „ Arabicum Sinum proprie Erythræum h. e. Edomæum vocari apparet. *636.* „ Nominis enim Erythræi principium atque honos non remeavit a Sinu Persico ad Arabicum, sed emanavit potius ab Arabico ad Persicum. Firmamentum quo nitamur, si quæris, validissimum proferimus. I. *Reg.* „ *9. 26.* Naves fabricatus est Rex Salomon Etsione Geberis quæ est prope Elothas „ ad litus maris rubri in terra Edomi. Debile profecto fundamentum. Nam in illo textu maris rubri nomen non legitur, nisi in versione Latina. Nusquam in V. T. *maris rubri* mentio. ים סוף *mare algosum* ubique appellatur non rubrum. Quomodo ergo inde probabitur Sinum Arabicum primo nomen maris rubri habuisse ante Sinum Persicum? Nos supra ostendimus, quum veteres Geographi mare rubrum describunt, nunquam illos Sinum Arabicum speciatim ita appellare, sed eum uti Sinum maris rubri considerare, &, si alteruter horum Sinuum mare rubrum dicendum sit, plurima Veterum testimonia pro mari Persico stare. Nec multo plus Viro Eruditissimo favet, quod putet, quum Hesychius Sidonios appellat non tantum φοίνικας, Phœnices, verum etiam τοὺς τὴν ἐρυθρὰν οἰκοῦντες θάλασσαν, *eos qui mare rubrum accolunt*, ibi per mare rubrum Sinum Arabicum intelligi, quia Sidonii illic mercaturam exercuerunt. Nec enim populi ibi habitare dicuntur, ubi quidam ex iis mercaturam exercent. Uti male hodie, si indicare vellem, qui appellarentur Belgæ, dicerem, cives Provinciarum unitarum &c. & qui habitant in America, in Java, in Siam &c. Ac si quid judico, non illos Sidonios, qui notissimi erant, innuit Hesychius, sed eos qui ad mare rubrum habitabant, eo sensu quo Veteres mare rubrum intellexere, sc. mare Indicum, vel illud quod litora Indiæ & Persiæ alluit. Ibi enim quoque sunt Σιδώνιοι & urbs Σιδώνη, uti in duobus MS tis Florentinis Arriani *hist. Ind.* recte legitur. Sidone oppidum est in litore Carmaniæ. Ὁρμίζονται πρὸς Σιδώνη, πολιχνίῳ σμικρῷ καὶ πάντων ἀπόρῳ ὅτι μὴ ὕδατος καὶ ἰχθύων. *Appulerunt Sidonen urbem exiguam, & omnium rerum inopem præterquam aquæ & piscium*. Strabo tamen, quod miror, etiam illis se opponit, qui Sidonios quosdam ad Sinum Persicum collocant, ita scribens *lib.* I. postquam monuerat multos proferre ea quæ fidem non merentur, ὅμοιοι δ' εἰσὶ τούτοις καὶ οἱ Σιδονίους ἐν τῇ κατὰ Πέρσας θαλάττῃ διηγούμενοι ἢ ἀλλοθί που τοῦ Ὠκεανοῦ *similes iis sunt qui Sidonios in mari Persico vel alibi ad Oceanum locant*.

§. XVIII. Ætas Erythræ & Edomi non conveniunt.

XVIII. Videamus porro an ætas Erythræ ita conveniat cum ætate Edomi ut pro eodem haberi possit. Sunt qui Erythram Persei filium fuisse dicunt, at Perseus ille circa annum 1300. ante Christum vixisse scribitur, juxta computum Petavii aliorumque Chronologorum. Sic ut hic Erythras aliquot sæculis post Edomum vixerit, nec idem cum eo censendus sit. Alii Erythram, a quo mare Erythræum dictum sit, vixisse volunt eo tempore, quo Medi rerum potiebantur, uti videre est in fragmentis Agatharchidis de mari rubro. Quæ tempora multo seriora sunt, quam vit iis Edomus vixisse credi possit. Sed mendacia sibi non constant. Quare nulla quo-

quoque est inter Erytham & Edomum temporis, quo uterque vixit, convenientia.

§. XIX. An ἐρυθραῖος rubrum notet.

XIX. Pro etymo maris Erythræi deducendo ab Erythra quodam sive Edomo & hoc facit, quod multi urgent, vocem ἐρυθραῖος nunquam significare Græcis *rubrum*, sed esse nomen ἐθνικὸν sive Gentile, adeoque ab Erythra debere derivari. Aliud est, dicunt, ἐρυθρὸς, quod rubrum sonat, aliud ἐρυθραῖος. Ἐρυθραῖος, sunt verba Salmasii in *Exerc. Plin. pag.* 741. *non est ruber sed Erythræus. Græci nusquam ἐρυθραῖον pro rubro posuere*. Ita & Tanaquillus Faber *lib.* 1. *Epist.* 9. *pag.* 34. *negamus ἐρυθραῖος rubrum significare, sed Erythræum, id est, qui ab Erythra appellationem duxerit*. At unde colligi potuit ἐρυθραῖον esse nomen ἐθνικὸν, nisi terminatione αῖος, quæ tamen, uti in λιπαρὸς, λιπαραῖος, ἤρεμος, ἠρεμαῖος, ἁγνὸς, ἁγναῖος, δεύτερος & δευτεραῖος, æque patitur ut dicamus sensu convenire ἐρυθρὸς & ἐρυθραῖος. Saltem ego rationem non video cur credere debeamus τὸ ἐρυθραῖος ubicunque legitur magis significare Erythræum, quam λιπαραῖος *Laparæum*, & ἠρεμαῖος *Eremæum*, quum tamen has voces pro appellativis passim usurpari apud Græcos notum sit, nec a quoquam in dubium vocari possit. Quod si veteres Græcos audiamus; quos fas est credere melius linguæ suæ genium & vim vocum intellexisse quam nos hodie, certissime nobis persuadebitur illos non fuisse in illa opinione quam Cl. Salmasius, Faber & alii tuentur, sed & contrario existimasse illos ἐρυθραῖον significare *rubrum*. Cur enim alias etymon πόντε ἐρυθραίε deduxissent a colore rubro illius maris, vel rubedine montium adjacentium, si ἐρυθραῖος nunquam rubrum notaret, quod utique illi scire poterant & debebant, quibus usus ejus linguæ erat familiaris? Quod si eo usque illi suæ linguæ ignari fuissent, ut nomen Gentile, ἐρυθραῖον, Erythræum, inepte confunderent cum appellativo ἐρυθρὸς, ruber, cur non illi scriptores, qui illorum sententiam referunt, qui utique Græce sat erant edocti, errorem tam turpem atro carbone notarunt, dixeruntque adversari hoc linguæ genio, & nunquam ἐρυθραῖος rubrum notare, sed solum ἐρυθρός. Non enim tam ampla disputatione opus fuisset circa etymon maris Erythræi, si illis scriptoribus persuasum fuisset ἐρυθραῖος semper esse nomen Gentile & significare Erythræum. Potuissent breviter dixisse, errasse illos vehementer & confudisse ἐρυθραῖος & ἐρυθρὸς, voces significationis diversissimæ. At quum hoc non præstiterint, sed & contrario istam opinionem, quæ ἐρυθραῖον πόντον uti *rubentem* dictum vult, non pro nomine Gentili habet, uti relatu digna in sua scripta retulerint, nil aliud inde licet inferre quam ἐρυθραῖον & ἐρυθρὸν idem esse & rubrum significare. Juvat audire unum instar omnium, summum illum Grammaticum, Eustathium, qui si inter ἐρυθρὸς & ἐρυθραῖος distinctio quædam collocari debuisset, sine dubio pro ea, qua pollebat, ejus sermonis peritia, id scivisset, & tamen in notis ad Dionysii περιήγ. υ. 38. ita scribit. Καλεῖται δὲ Ἐρυθραῖος ἢ ἀπὸ τῆς ὑποκειμένης τῷ ὕδατι μιλτώδους ἐρυθρᾶς γῆς, ἢ ἐκ τῶν ὑπερκειμένων πισσοχρόων ὀρέων. οἷς ἕωθεν προσβάλλων ὁ Ἥλιος ἐρυθρὰν φαντάζει τῇ θαλάσσῃ ἐπιφάνειαν, ἀνακλωμένης τῆς ὄψεως. Φησὶν οὖν ὁ παρὰ τῷ γράψαντι τὰ Ἐθνικὰ, Οὐράνιος οὕτως ὀνομαζόμενον, ὅτι τὰ παρακείμενα ὄρη δεινῶς ἐρυθρά ἐστι καὶ πορφυρᾶ. Καὶ ἐπὰν βάλλῃ εἰς αὐτὰ ὁ ἥλιος καταπέμπει εἰς τὴν θάλασσαν ἡ αὐγὴ σκιὰν ἐρυθρὰν καὶ ὄμβρῳ δὲ κατακλυσθέντων τῶν ὀρέων εἰς θάλασσαν συῤῥέοντι, τοιαύτη φησὶ, γίνεται ἡ θάλασσα τὴν χροιάν. *Appellatur autem* (*Pontus*) *Erythræus, vel a rubra terra miniata quæ infra ejus aquam est, vel ex montibus rubri coloris ei adsitis, qui cum radiis solaribus verberantur faciem maris rubram efficiunt, per refractionem visus. Uranius autem, citatus Auctori* τῶν ἐθνικῶν, *inde etymon deducit quod adsiti montes insigniter rubri sint & purpurei, & quum sol radios suos in illos emittit, umbram rubram ab iis in mare conjici. Et montes pluvia proluti quæ ab iis in mare defluit eundem colorem mari impertiuntur.*

§. XX. De eodem.

XX. Deinde, si ἐρυθραῖος rubrum non notet, quomodo solis insulam *Erythræam* dictam per *rubentem* transfert Solynus, & Plinius Nympharum cubile rubens? Vix adducor ut credam Plinium Græcæ linguæ tam imperitum fuisse, qui, si ἐρυθραῖος rubrum non significaret, id ignorasset. Quod si vel maxime concedamus ἐρυθραῖον non esse rubrum Græcis, & mittamus vocem *Erythræi*, eadem recurret quæstio, unde θάλασσα ἐρυθρὰ, & mare rubrum dictum sit. Hoc utique negari non potest ἐρυθρὸν esse *rubrum*, & ex neutro horum nominum patere id esse Gentile aut ab *Erythra* derivandum. Et si vel ἐρυθρὰ ab nomine proprio Erythra formari posset (quod tamen Illustr. Salmasius negat in *Exerc. Plin. pag.* 341. & *Faber in Epist. l.* 1. *Ep.* 9.) nunquam tamen Latinis id mare *rubrum* appellare licuisset. Debuissent semper Erythrum vel Erythræum dixisse. Nec enim licet, quia ἐρυθρὸς *rubrum* sonat, pro Erythræo [nomine proprio] substituere vocem rubri ut æquivalentem, non magis quam si litora Italica appellarem litora bovina, quia sc. Italia dicitur ab Ἰταλοῖς i. e. bubus,

bus, aut Liparam, insulam pinguem, & quæ sunt his similia. Unde ergo dictum est mare rubrum, unde ἐρυθρά; Quodque inprimis hic meretur notari adversus eos, qui maris Erithræi nomen ab viro Erythra ducunt, & antiquius & vulgarius nomen est ἐρυθρὰ θάλασσα & mare rubrum, quam ἐρυθραῖα & Erythræum, quantum quidem judicare datur ex veterum monumentis. Et hoc nomen vix uspiam reperias, si paucissima loca excipias, quam apud Poetas, quibus illud *Erythræum* magis ob metrum vel elegantiam vocis, placebat. Atqui si ἐρυθραῖον ab Erythra esset dictum, & hoc verum genuinumque maris nomen fuisset, sine dubio Historici & Geographi veteres potius ἐρυθραῖαν eam appellassent; quippe quod nomen propius exprimeret originem ejus ab Erythra. Sed contrarium fieri videas. Herodotus, Aristophanes, Aristoteles *Meteorol.* 1. 24. & 2. Pindarus, Berosus *in* 1. *Babyl.* Strabo, Arrianus *in Periplo*, Agathemeris in Geogr. Pausanias *l.* 1. *c.* 33. & *6. 26.* aliique passim ἐρυθρὰν vocant, & plurimi Latinorum *rubrum*.

§. XXI. Pindari locus de mari rubro expensus.

XXI. Non abs re erit, hic disquirere quo sensu Pindarus *in Pythiis* scripserit Argonautas ad Rubrum Oceanum pertigisse, quod plane contra omnem verisimilitudinem ab eo dictum videtur. Sive enim per mare rubrum intelligamus mare Indicum, vel Sinum Persicum Arabicumve, nihilominus credi vix potest ad ullum ex hisce maribus sinubusve Argonautas esse delatos. Quibus accedit quod veteres, qui se certatim exercuerunt in describendo hoc famosissimo itinere, non scripserint eos tam longe provectos, nec ex opinione sua id scribere potuerint, quia iis persuasum erat tantum esse ardorem intercedentis plagæ, & adeo periculosam maris Atlantici navigationem, maxime si totam Africam circum vehi debuissent, ut iter ex mari Mediterraneo a columnis Herculeis, ultra quas ἄβατον ἅλα *invium mare* Pindarus appellat, *in Nem. ad* 3. ad Indicum Oceanum institui plane non posset. Quum itaque solus Pindarus illos ad mare rubrum delatos canat, varias expertus est & nunc & olim Criticorum censuras, quorum maxima pars turpissimi erroris notam Nobilissimo vati inurunt, nec dubitare affirmant, hic pessime hallucinatum esse Poetam. Verba ipsa Pindari hæc sunt *in Pyth. od.* IV.

Ἔν τ' Ὠκεανοῦ πελάγεσσι μίγεν
Πόντῳ τ' ἐρυθρῷ Λημνιᾶν
Τ' ἔθνει γυναικῶν ἀνδροφόνων.
Dein vecti sunt ad profunda Oceani
Et mare rubrum, & Lemniarum
Gentem mulierum, qui viros occidebant.

Illud μίγεν verto, uti Scholiastæ id explicant, per προσεπέλασαν & ναυτιλλόμενοι ἐνεμίγησαν τῷ τε τοῦ Ὠκεανοῦ πελάγει καὶ τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. In iisdem illis Scholiis Pindarus primus appellatur qui Argonautas eo usque provectos scripsit. Sed videamus ipsa verba. Προσεπέλασαν δὲ καὶ τῷ Ὠκεανῷ καὶ τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. Καινῶς δὲ ὁ Πίνδαρος εἰς ταῦτα τὰ πελάγη ἱστορεῖ πεπλανῆσθαι τοὺς Ἀργοναύτας. Ἄλλως τὸ ἔν τ' Ὠκεανοῦ πελάγεσσιν, ἔνιοί φασι τὴν πρόθεσιν περιττεύειν τοῦ λόγου. Εἴληφε δὲ ὁ Πίνδαρος τὸ πρῶτον πάντων γενόμενον καὶ ἀντεστραμμένως ἔσχατον τέθεικεν. Εἰς μὲν γὰρ τὸν Ὠκεανὸν καὶ τὴν Ἐρυθρὰν εἰσέβαλον, φεύγοντες ἐκ Κόλχων. Ταῖς δὲ Λημνίαις ἐμίγησαν πρὶν εἰς τὸν Πόντον ἐπιπλεῦσαι. *Delati sunt ad Oceanum & mare rubrum. Novum autem est, quod hic narrat Pindarus ad illa usque maria vagatos esse Argonautas. Alii vero in his verbis superfluam esse propositionem dicunt. Pindarus autem illud quod ordine temporis primum contigit, ultimo loco collocavit: nam ad Oceanum & mare rubrum navigarunt fugientes ex Colchide: cum Lemniis autem mulieribus rem habuerunt quum versus Pontum navigarent.* At profecto Hesiodus [de quo mox] & Homerus jam Pindaro præiverant, de quo Strabo *lib.* V. καθάπερ τὸν Ὀδυσσέα εἰς τὸν Ὠκεανὸν ἐξέβαλε, παραπλησίως καὶ τὸν Ἰάσονα. *Uti Ulyssem in Oceanum exisse fecit, ita & Jasonem.* Atqui illum Oceanum appellat Pindarus mare rubrum, quamobrem statim videbimus. Diodorus Siculus ex relatione multorum inter veteres *lib.* IV. *cap.* 58. tradit, Argonautas in ipso Oceano Atlantico diu fluctuasse, quidni & idem Poetæ Pindaro dicere licuit? En verba Diodori. Οὐκ ὀλίγοι γὰρ τῶν τε ἀρχαίων συγγραφέων καὶ τῶν μεταγενεστέρων (ὧν ἐστι καὶ Τίμαιος) φασὶ τοὺς Ἀργοναύτας μετὰ τὴν τοῦ δέρατος ἁρπαγὴν πυθομένους ὑπ' Αἰήτου προκατειλῆφθαι ναυσὶ τὸ στόμα τοῦ Πόντου, πρᾶξιν ἐπιτελέσασθαι παράδοξον καὶ μνήμης ἀξίαν. Ἀναπλεύσαντας γὰρ αὐτοὺς διὰ τοῦ Τανάιδος ποταμοῦ ἐπὶ τὰς πηγὰς καὶ τόπον τινὰ τὴν ναῦν διελκύσαντας καθ' ἑτέρου πάλιν ποταμοῦ τὴν ῥύσιν ἔχοντος εἰς τὸν Ὠκεανὸν καταπλεῦσαι πρὸς τὴν θάλασσαν. Ἀπὸ δὲ τῶν ἄρκτων ἐπὶ τὴν δύσιν κομισθῆναι, τὴν γῆν ἔχοντας ἐξ εὐωνύμων, καὶ πλησίον γενομένους Γαδείρων, εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς θάλασσαν εἰσπλεῦσαι. *Non pauci vero & veterum & recentiorum scriptorum, inter quos Timæus est, tradunt Argonautas, post raptum vellus aureum quum scirent ostium fluminis ab Æeta esse navibus præoccupatum, mi-*

rum

rum facinus & memoria dignum edidisse. Tanaim enim ingressos adscendisse ad ejus fontes, & navi per spatium aliquod protracta per aliud flumen in Oceanum se effundens ad mare devenisse; & tum ab septentrione versus occasum ita cursum flexisse, ut a sinistra continentem haberent, & tandem juxta Gades in mare nostrum invectos. Quibus adde testimonium Scymni, quem citat Scholiastes Apollonii ad *lib.* IV. *v.* 284. Ὁ μὲν γὰρ Σκύμνος αὐτοὺς διὰ Ταναΐδος πεπλευκέναι ἐπὶ τὴν μεγάλην θάλασσαν ἐκεῖθεν δὲ εἰς τὴν ἡμετέραν θάλασσαν ἐληλυθέναι. *Scymnus (ait Argonautas) per Tanaim navigasse usque ad mare magnum & inde pervenisse in mare nostrum.* Et ne quis excipiat Tanaim non influere in mare magnum, quidam navem Argo per siccum aliquo spatio tractam, ope instrumentorum, referunt. Quamvis id necessarium non fuit, siquidem Medea artibus magicis in sicco aquas excitare ubique potuit, ut lepide Scholiastes Lycophronis ad *v.* 887. Sed & ante Pindarum Hesiodus in Oceanum Atlanticum Argonautas deduxerat. Scholiastes Apollonii ad *lib.* IV. *v.* 259. Ἡσίοδος δὲ καὶ Πίνδαρος ἐν Πυθιονίκαις καὶ Ἀντίμαχος ἐν Λυδῇ διὰ τοῦ Ὠκεανοῦ φησὶν ἐλθεῖν εἰς Λιβύην καὶ βαστάσαντας τὴν Ἀργὼ εἰς τὸ ἡμέτερον πέλαγος γενέσθαι. *Hesiodus autem & Pindarus in Pythionicis* (is hic textus est quem examinamus) *& Antimachus in Lyde dicunt per Oceanum* (i. e. mare Atlanticum) *eos venisse in Libyen & portata aliquo usque navi Argo in nostrum* (i. e. mediterraneum) *mare esse delatos.* Scholiastes Lycophronis ad *v.* 887. per Phasin eos deducit ad Oceanum, & διὰ τῆς ἔξω θαλάσσης καὶ τοῦ Ἀδρίου, *per mare externum & Hadriam eos navigasse scribit.* Quum itaque hinc pateat plurimis inter veteres persuasum fuisse Argonautas ultra columnas Herculis mare Atlanticum navigasse, quidni Pindarus recte canere potuit illos ad rubrum mare fuisse delatos, quandoquidem & Poetæ Latini illud mare Hesperium quod extra columnas est, & in quo Sol occidere credebatur [quemque ibi in mare cadentem & obrutum aquis non sine quodam horrore Decimus Brutus deprehendit, ut Florus loquitur *l.* II. *c.* 17.] a rubore, quo id perfundebant ultimi solis radii, id mare rubrum appellarunt. Ita Virgilius.

Præcipitem Oceani rubro lavit æquore currum.

& Seneca Tragicus,

---- quo ferens Titan diem
Lassam rubenti mergit Oceano rotam.

Vel an licuit Latinis Vatibus id mare rubrum appellare, Græco nequaquam id πόντον ἐρυθρὸν dicere? Cur ergo in Pindaro id erroneum & falsum & novum dicitur, quod in Virgilio & aliis absque incommodo fertur? Putamus itaque summo jure juxta Mythologiam Græcorum scripsisse Pindarum, Argonautas ad mare rubrum pertigisse: at non intelligimus id quod proprio nomine mare rubrum dictum est, illud sc. quod Indiam Persiamque & Arabiæ litora alluit, sed Atlanticum, Hesperium, extra fretum Herculeum, quod ex opinione veterum solem occidentem excipiebat. Leve est, quod video mihi objici posse in explicatione verborum Pindari, si ἐρυθρὸς Πόντος mare Atlanticum fuerit, bis idem dixisse Poetam, quia Ὠκεανοῦ πελάγη paulo ante memorat, per quæ sine dubio Atlanticum Oceanum intelligit, & distinguendum propterea videri inter Ὠκεανὸν & πόντον ἐρυθρόν. Quis enim nescit ἓν διὰ δυοῖν sæpissime a Poetis dici? Quod si quis plane non acquiescat iis, quæ ad interpretationem loci Pindarici attulimus, credat, per me licet, Pindarum dicere voluisse delatos, sed ita ut per Isthmum, qui mare mediterraneum & Sinum Arabicum dirimit, navem Argo portaverint, uti nonnulli veterum scribunt, vel Nilum ingressi per aliquod ejus brachium, quod olim in Sinum Arabicum influxisse quidam memoriæ prodiderunt, in illum Sinum pervenerint. καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

§. XXII. Locus Silii expensus.

XXII. Dum hæc de mari rubro commentabar, diu quoque me sollicitum habuit hic Silii Italici versus *lib.* XVI. quo Gades ad litora Erythræa collocat.

Nam repeto Herculeas Erythræa ad litora Gades.

Per quæ litora mihi intelligenda esse videbantur litora occidua Hispaniæ, quæ quod luberent tincta ultimis Solis occidentis radiis, rubra & ἐρυθραῖα dici potuisse mihi persuadebam. Quidni, ita mecum disputabam, uti magnum illud mare quod sub Zona torrida est, & litora Asiæ a meridie alluit, rubrum & Erythræum dictum est, ab ardore Solis cui subjacet, & hoc Hesperium mare, quod rubrum, licet appellative, Virgilius, & rubens Seneca, vocant, & Pindarus ἐρυθρὸν, potuit Erythræum dici ab Silio? At postea dum de hoc ipso argumento confabulabar cum *Joan. Corn. Pauwio*, viro harum literarum amantissimo, peritissimoque, convertit animum meum ad opinionem veterum quorundam, qui ipsam insulam Gadium ἐρύθειαν appellarunt, & Phoenices ibi & vicinis in locis habitantes ab Erythræis ortos credebant. Ita Eustathius ad Dionys. περιηγ. *v.* 558. ἄλλοι νῆσον ἐρύθειαν εἶπον αὐτὰ

τὰ

τὰ Γάδειρα τῷ Διονυσίῳ ἐ συντρέχοντες, οἱ δὲ νῆσόν τινα Ἐρύθειαν ἔπον παραβεβλημένην τοῖς Γαδείροις, πορθμῷ ςαδιαίῳ διειργομένην. *Alii Insulam Erythiam esse ipsas Gades statuunt, Dionysio non dantes assensum, alii vero insulam Erythiam dicunt, ei adjacentem & intervallo stadii ab ea remotam.* Strabo *lib.* III. Ἐρύθειαν δὲ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ Φερεκύδης ἐν ᾗ τὰ περὶ τὸν Γηρυόνην μυθεύουσι. *Erythiam ipsas Gades videtur appellare Pherecydes, in qua illa accidisse ferunt quæ de Geryone narrantur.* Plinius *lib.* IV. c. 22. *Insula est longa* III. *mill. passuum, mil. lata in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro & Philistide Erythra, a Timæo & Sileno Aphrodisias, ab Indigenis, Junonis.* Solinus *cap.* 23. *In capite Bætidæ, ubi extremus est noti orbis terminus, insula a continenti septingentis passibus separatur, quam Tyrii a rubro profecti mari Erythræam, Pœni lingua sua Gadir, id est, sepem nominarunt.* Salmasius ibi notat libros exhibere *Erytran*. Plinius, licet distinguat Gades ab Erythia, hanc tamen ita dictam testatur, quoniam Tyrii aborigines eorum orti ab Erythræo mari ferebantur. Quod & Dionysius in περιήγ. *v.* 905. scribit.

> Οἱ δ' ἁλὸς ἐγγὺς ἐόντες, ἐπωνυμίην Φοίνικες,
> Τῶν δ' ἀνδρῶν γενεῆς οἱ Ἐρυθραῖοι γεγάασιν.

> *Alii autem qui mare accolunt, cognomento Phœnices,*
> *Ex illorum stirpe qui Erythræi sunt.*

Quia itaque Phœnices ab Erythræis orti credebantur, appellavit Silius ea litora, quæ Phœnices suis coloniis nobilitaverant, Erythræa. Nec videtur id mutandum in Erythea, ut quidam voluerunt, aut insula quædam Erythia vel Erythræa a Gadibus distincta statui. *Nulla in hoc tractu insula*, exceptis Gadibus, *vel nunc vel olim fuit*, scribit Vossius ad Melam, *pag.* 250. Ego quoque non capio, si Ἐρύθεια fuerit sita inter Hispaniam & Gades, ut scribunt, ubi ea esse potuerit, non enim ibi ullum est spatium conveniens: tam arcte conjunguntur Gades litoribus Hispaniæ. Vel dicendum est Gades veteres mari obrutas latere, & insulam, quam nos Gaditanam vocamus, esse veram Erytheam: quo & hæc Strabonis nos ducunt *lib.* III. Ἐοίκασι οἱ παλαιοὶ καλεῖν τὰ Γάδειρα καὶ τὰς πρὸς αὐτὴν νήσους ἐρύθειαν. *Videntur veteres appellasse Gades & adjacentes insulas Erythiam.* Et *p.* 252. notat Insulam Gadium dictam Erythræam a colore, *quod rubeat, & præsertim adsita utrinque litora & tota illa ora collibus e rubrica & minio sit conspicua.* Quare etiam suspicari quis possit a rubro colore ea litora a Silio Erythræa esse dicta, siquidem Poetæ licuit vocem *Erythræi* pro *rubro* usurpare.

§. XXIII. Usus harum observationum de mari rubro.

XXIII. Quæ cum ita se habeant, puto evidens esse nomen maris Rubri non esse proprium Sinui Arabico, sed convenire vasto illi Oceano qui ab extremis Indiæ litoribus usque ad Orientale latus Africæ se extendit, sinumque Arabicum & Persicum mare Rubrum dici, quatenus ejus partem constituunt, & errare omnes illos seu scriptores, seu oratores Sacros, qui mare rubrum descripturi, solum describunt Arabicum Sinum, contenduntque ab Edomo universum mare rubrum esse appellatum. Multis equidem non videbitur operæ pretium hæc tam accurate distinguere: sed mihi sat est, laborem meum probari ab iis, qui experti sunt quanta confusio & quam crassi errores ex neglectis istiusmodi animadversionibus nati sint, & cum Judæis fatentur, non esse vel unam in sacro Codice literam, a qua non res maximi momenti dependeant. Quicquid sit, vera rerum vocabula perdere non oportet. Ut exemplo quodam dicta mea confirmem, volo attendi ad mare Jonium, cujus Sinus nunc Hadriaticus appellatur, olim Sinus Jonius. Falluntur ergo illi, qui non tantum Sinum Adriaticum totum pro mari Jonio habent, quum Sinus tantum maris Jonii fuerit; sed & isti, qui partem exiguam maris Jonii, quæ litora Græciæ alluit, mare Jonium appellant, uti Laurenbergius in mappa Græciæ Jonium pelagus solummodo id vocat, quod Acarnaniam alluit, & inter gradum *latitud.* 38. & 39. est: quasi ulterius se non extenderet. At hæc proprie maris Jonici pars est. Atque ita fere Blancardus, & alii nonnulli, qui id nomen maris Jonii parti cuidam fecerunt proprium, & vero mari Jonio abstulerunt. Et sic mari Jonio videmus idem contigisse quod mari rubro. Uti enim Sinui Arabico nunc proprie nomen maris rubri datur, & vasto illi mari rubro, quod Indiæ Persiæ & Arabiæ meridionalia litora alluit, negatur; ita quoque mare Jonium vero nomine privatur & Sinui aut exiguæ parti ejus id solum privatimque tribuitur. Nata videtur hæc confusio ex eo, quod Poetæ & alii scriptores, qui Rhetoricos loquendi modos amant, promiscue &

mare

mare & Sinum Jonium appellaverint *aquas Jonias*. Ita Propertius de victoria Actiaca in mari Jonio *lib.* IV. *6.*

- - - - Sceptra per Jonias fracta vehuntur aquas.

Et Claudianus de Sinu Jonio, in quem se Athesis effundit de VI. Conf. Honor.

- - - - inimicaque corpora volvens,
Jonios Athesis mutavit sanguine fluctus.

At ex veterum testimoniis nihil est certius quam distinguendum esse Sinum Jonium i. e. Hadriam a mari Jonio, & τὸ Ἰόνιον πέλαγος *esse* εἰς ὃ ἐκδίδωσιν ὁ Ἀδρίας, ut verbis utar schol. Apollon. ad *lib.* IV. 308. quem vide. Sed manum de tabula.



P. D. HUETII,

EPISCOPI ABRINCENSIS,

TRACTATUS

DE SITU

PARADISI TERRESTRIS

Ad Academiæ Francicæ Socios.

PRÆFATIO.

I. Occasio & argumentum operis. II. Modus tractandi. III. De Paradisi terrestris situ sententiæ diversæ. IV. Sententiæ de iis, quæ ad eum situm aliquo modo pertinent. V. Sicut & de aliis capitibus ad Paradisum spectantibus, quæ sunt extra institutum nostrum. VI. Bochartus, cui propositum hoc argumentum persequi, non tamen cogitationes suas luculenter satis exposuit. VII. Situs Paradisi, nisi ex verbis Mosis, non potest deprehendi.

I. NON oblitus sum, ut videtis, Domini, promissi, quo ab aliquo jam tempore ad hunc Tractatum componendum me vobis obstrinxi. Cum enim magno satis numero die quodam essemus congregati, horam consuetis laboris expectantes, incidebat de Paradiso terrestri sermo, idque occasione Voluminis sacri, quod tunc in tabula jacebat apertum, ipso capite Geneseos secundo sese offerente. Dixi tum vobis sententiam meam, & cum ejus ex me peteretis rationes, egoque ad eas reddendas promtus essem, accidebat, ut hora ipsa, quæ sonabat, hoc interrumperet colloquium. Vos vero, cum discederemus, istud saltem adjiciebatis, nondum vos me plane dimisisse; at ego libenter me hoc debito onerari, illudque tardius citius exsolvere me velle, subjiciebam. Id quod nunc facio, Domini, daturus operam, ut id fiat moneta bona. Sed ut verum fatear, multo minus in hac re satisfacere obligationi meæ, quam inclinationi conor. Postquam enim per tantum temporis spatium hoc me honore dignamini, ut vester sim socius, quem tam grata & favoris plenissima ratione recepistis, paratus sum admodum ad gratum vobis animum meum, & quanti mihi ducam in orbe honori, Academici titulum gerere, publice declarandum. Sed promtior adhuc sum ad venerationem meam vobis exprimendam, qua Societati tam illustri ob tantas virtutes, honestatem atque elegantiam, ob tantam politiam animi & eruditionis libens assurgo, quæque pluris fieri meretur ob ornamenta, longe eadem supra impetum calumniæ atque invidiæ potentia, quam ob eminentes dignitates, quibus maxima pars effulget, qui eandem componunt.

II. Cæterum nolite, quæso, Domini, sermonis hic elegantiam, aut cognitionum venustatem requirere; ex adverso præparate vos ad lectionem sterilem atque siccam; ad investigationem spinosam, & tædium citationum, denique ad loca aliqua Græca atque Hebraica perlustranda. Res enim tam obscura, ut hæc est, non potest, nisi hisce subsidiis, illustrari. Obscuram appello; quamvis enim non temere alia ingenium atque eruditionem Patrum Ecclesiæ, Interpretum sanctæ Scripturæ, & omnis generis eruditos exercuerit, immensumque operum cumulum produxerit, vix tamen, quod certum est, in iisdem deprehenditur. Unde & tantus ipsorum numerus meum conatum excusare, & si rem acu non tetigero, exempla mihi conciliare veniam jure meritoque debent.

III. Nihil vero melius ostendere potest, quam parum notus sit Paradisi situs, quam opinionum diversitas eundem investigantium. Fuere, qui collocarent eum in tertium cœlum, in quartum, in cœlum Lunæ, in ipsa Luna, in montem cœlo Lunæ vicinum, in media aeris regione, extra terram, super terram, subter terram, in loco abdito & a notitia hominum remoto. Alii eum collocarunt sub Polo Arctico, in Tartaria eo in loco, ubi nunc visitur mare Caspium. Alii porro in extrema Meridiei reposuerunt, in Terram ignis. Plures posuerunt eum in Orientem, idque vel ad ripas Gangis, vel in Insulam Ceylan, derivantes Indiarum nomen ex verbo Eden, quod ipsum Provinciæ nomen est, ubi situs erat Paradisus. Fuere, qui in Chinam eum collocarent, imo trans Orientem, in locum inhabitabilem. Alii in Americam, alii in Africam sub Æquatore, alii ad Orientem æquinoctialem, alii super montes Lunæ, a quibus Nilum oriri crediderunt; Plurima pars in Asia; aliqui tamen in Armenia majore, alii in Mesopotamia, vel in Assyria, vel in Persia, vel in Babylonia, vel in Arabia, vel in Syria, vel in Palæstina. Inventi etiam sunt, qui hunc honorem nostræ Europæ vindicare voluere, & quod limites absurditatis excedit, fuere, qui eum ad Hesdinum Artesiæ oppidum figerent, fundamentum opinionis in convenientia hujus vocabuli cum voce Eden quærentes. Non plane nulla spes est, fore aliquem tam temerarium atque absurdum, ut audeat eum ad Houdanum ponere, saltim ut nobis propinquiorem facit.

IV. Et hæc quidem ſententiarum diſcrepantia non circa ſitum modo Paradiſi occurrit, ſed in iis etiam, quæ eo aliqua ratione pertinent, Phiſon, qui brachium fluvii erat eum alluentis, ſecundum plurimos Ganges eſt; ſed ſecundum alios, eſt Nilus; eſt Hyphaſis, eſt Cyrus, eſt ipſe Danubius; eſt denique alveus orientalis, per quem Tigris & Euphrates, poſtquam ſe conjunxere, in ſinum Perſicum ſe exonerant. Volunt aliqui regionem Chavilah, per quam labitur hic fluvius, eſſe Indias; alii eſſe Suſianam; adhuc alii, eſſe partem Arabiæ. Divortium etiam opinionum de Bdellio eſt, ibi progerminante; neque ſciunt ſatis, num gummi ſit aromaticum, an lapis pretioſus, an margaritarum genus. Non minus circa Onychem diſſenſio eſt, re incerta, an Onyx, an Sardonius, an Beryllus, an Carbunculus, an Cryſtallus revera fuerit. Gehon, qui aliud ejuſdem fluvii ex Paradiſo egredientis erat brachium, ſecundum communiſſimam opinionem Nilus eſt; ſed ut alii volunt, Gehon eſt fluvius prope Hieroſolymam, quem alias Scriptura Siloam appellitat; alii contendunt, Araxin eſſe; & alii acutius videntes, nondum ſatis tamen, oſtium eſſe volunt Tigridis occidentale, cum Euphrate conjuncti. Nec conſentiunt in univerſum omnes, regionem, quam præterfluit Gehon, quæque Chus in fonte Hebraico, & in verſione Vulgata appellatur, Æthiopiam Africæ eſſe, aliquibus eandem eſſe Arabiam exiſtimantibus.

V. Prætermitto alias quæſtiones, quæ paſſim in Theologorum libris, imo & apud Patres ſunt obviæ, ut eſt, quam proponit ſanctus Auguſtinus, an nempe Paradiſus ſpiritualis ſit, an materialis, an utrumque? & alia; numquid ante mundum ſit conditus? quemadmodum ſanctus Hieronymus poſt antiquos Hebræos & Auctorem quarti Libri, Eſdræ vulgo attributi, videtur crediſſe? an tertio die cum plantis terræ ſit creatus, an vero eo ordine, quo Moſes de illo loquitur? ut porro illa, quouſque ſe extenderit? quod nonnulli interpretes tam certo definivere, ac ſi eundem dimenſi fuiſſent; ita enim aliqui eum toti Orienti; alii Aſiæ atque Africæ ſimul ſumtæ; alii univerſæ terræ adæquare gaudent: & Thalmudiſtæ quidem, qui nullum ineptiendi finem faciunt, ſexaginta vicibus eum majorem faciunt; An ibi fuerint animalia? quod quidem aliqui negarunt, obliti Serpentis ſeductoris, nec admittentes quidem avem paradiſiacam; an Enoch, Elias & ſanctus Joannes Euangeliſta in eum veluti aſylum contra mortem tranſlati fuerint, & ad finem uſque mundi ibi ſubſiſtant? Omnes iſtæ quæſtiones extra meum argumentum ſunt, cui unice in ſitum Paradiſi inquirere conſtitutum eſt.

VI. Bochartus, jampridem defunctus, quem unum ex viris eruditiſſimis hujus ſeculi fuiſſe exiſtimo, perſequi hoc argumentum ſibi propoſuerat. Id ipſe alicubi locorum ſuis in operibus teſtatur, ita hujus rei mentionem faciens, ac ſi opus hoc perfectum jam fuerit, & Phaleg ipſius non niſi continuatio quædam illius fuerit. Audivi tamen ex ipſius hæredibus, ſe præter operis delineationem eamque ſatis rudem in libraria ejus ſupellectile nihil inveniſſe, ex qua ne quidem, quæ ipſi de hac re mens conſtiterit, cognoſci queat. Nos id eo facilius credimus, quod in eodem libro Phaleg, (lib. 3. cap. 17.) citat librum ſuum De animalibus; quaſi opus jam abſolutum, cum ipſum huic lucubrando diu intentum longo poſt tempore viderimus. Optandum eſſet, ut quod molitus fuerat, effectui dediſſet; cum nemo ad eam rem tum propter ſacrarum Literarum inſignem intelligentiam, per longam induſtriam ſibi comparatam, tum propter linguarum orientalium notitiam, tum denique propter ingentem literarum profanarum uſum ac conſuetudinem, quam ipſe, magis fuerit idoneus. Aperuit quidem hac de quæſtione hinc inde in operibus mentem ſuam, ſed rationibus plane diverſis, quæque ſibi contradicere videntur; nam in [1] Phaleg Paradiſum circa Babylonem ponit; at in libro De animalibus ſacræ Scripturæ Calvini opinioni videtur acceſſiſſe, eundem ad ripas Tigridis atque Euphratis jam conjuncti, idque in Chaldæa, inter urbem Apamiam & Sinum Perſicum, conſtituentis. Nepotem quidem ipſius, virum clariſſimum, ſæpe audivi cum diceret; certo ſe ſcire, atque ab avo ſuo accepiſſe, ter eum ſuper ſitu Paradiſi terreſtris mutaſſe ſententiam. Quicquid hujus rei ſit, per tam longum temporis ſpatium incertus ambiguuſque, an demum hæredes Bocharti in Muſeo opus iſtud invenerint, ad eum perfectionis gradum adductum, quouſque perfectum ab ipſo eſſe credere poteramus; obſervationes meas colligere ſemper ego diſtuli. Cum vero videam, poſt annos viginti & quatuor, ex quo vir doctiſſimus e vivis exceſſit, nullam nobis ab illa parte ſpem relinqui, mihi fas erit, hoc argumentum pauliſper illuſtrare.

[1] Boch. Phal. Lib. 1. c. 4. Hieroz. part. 2. lib. 5. cap. 5.

VII. Enimvero cum unicum fundamentum, cui inniti aliquis poſſit, verba Moſis ſint, quibus Paradiſi terreſtris ſitum deſcribit, ipſa ante omnia recenſenda & de verbo ad verbum ex fontibus huc transferenda ſunt.



CAPUT PRIMUM.

Textus Mosis, & opinionis nostræ expositio in summa.

I. Textus Mosis, in quo Paradisi situs est descriptus. II. Opiniones, quæ hucusque evulgatæ sunt, non conveniunt cum verbis Mosis, quæ eum exacte designant. III. Nostra opinio sola ipsi convenit. IV. Brevis opinionis nostræ explicatio. V. Nulla opinio magis ad nostram quam Calvini & Scaligeri accedit.

I. GEN. cap. II. vers. 8. *Et Dominus Deus plantavit hortum in Eden, versus Orientem, & in eum collocavit hominem quem formavit.*

Vers. 9. *Et Dominus Deus produxit ex terra omnis generis arbores, quæ visu pulchræ, & ad edendum bonæ erant; & arborem vitæ in medio horti, & arborem scientiæ boni & mali.*

Vers. 10. *Et fluvius egrediebatur de Eden, ut irrigaret hortum, & inde dividebat se, & erat in quatuor capita.*

Vers. 11. *Nomen unius est Phison; is est, qui circumit totam terram Chavila, ubi est aurum.*

Vers.

Verſ. 12. *Et aurum hujus terræ bonum eſt ; hic eſt Bdellium & lapis Onyx.*

Verſ. 13. *Et nomen ſecundi fluvii eſt Gehon ; is eſt , qui circumit totam terram Chus.*

Verſ. 14. *Et nomen tertii fluvii eſt Chiddekel ; is eſt qui vadit verſus Aſſyriam: & quartus fluvius eſt Euphrates.*

Verſ. 15. *Et Dominus Deus ſumebat hominem , eumque collocabat in hortum Eden, ut eum coleret & cuſtodiret.*

II. Situs terreſtris Paradiſi tam accurate per hunc locum mihi videtur deſignari, ut miratus ſim ſæpe , Interpretes ad eadem clauſiſſe oculos , ſeque tam multis eiſque vàriis conjecturis , tamque parum iiſdem convenientibus , torſiſſe . Quod ſi enim , exempli gratia , ex iis , qui in Syria eundem prope Damaſcum ponunt , quærere inſtituas , ubi ſint quatuor illi fluvii & regio Chavilah atque Chus ? nihil , quod reſpondeant , habebunt . Si ex iis quæras , qui in Meſopotamia , aut in Babylonia ſupra confluentem Tigridis atque Euphratis eum collocant , ubi ſint regiones Chavilah & Chus ? in ejuſmodi eas locis ponere coguntur , qui contra ſe teſtimonium totius antiquitatis habent . Si illis objicias , qui Nilum volunt eſſe Gehonem , & Gangem eſſe Phiſonem , ipſorum fontes & inter ſe & a Tigridis atque Euphratis fontibus tanto intervallo diſtare , a miraculis defenſionem petunt , aut a fictionibus , allegantes , quid credant fieri poſſe , loco ejus , quod eſt , & ſine omni probatione ſtatuentes , originem quatuor iſtorum fluviorum revera in Paradiſo fuiſſe ; ſed cum locum hunc deliciis pleniſſimum irrigaverint , terram ingreſſos eſſe alioſque in fine mundi per alveos ſubterraneos exitus quæſiviſſe . Ita nempe ſolet animus humanus devius hinc inde errare , cum ſemel veritatis veſtigia ex oculis amiſit.

III. Sed ne profligandis iſtis opinionum minutiis nos detineamus , noſtram proponere ſufficiet , atque oſtendere non duntaxat , quod deſcriptioni a Moſe ſuppeditatæ & Geographiæ antiquæ accurate reſpondeat , ſed & unicam eſſe , quæ reſpondeat , & quicunque aliam quærat , eum in perplexitates non ſuperabiles incidere.

IV. Ajo itaque Paradiſum terreſtrem ad alveum , quem Tigridis & Euphratis confluens efficit , ſitum fuiſſe , inter locum ubi conjunguntur , locumque , quo ipſorum fluenta , antequam in Sinum Perſicum ſeſe evolvunt , iterum ſeparantur . Et quia alveus iſte per anfractus quoſdam provolvitur , ut rem quam accuratiſſime exhibeam , Paradiſum , ajo , terreſtrem ſitum fuiſſe ad unum ex his anfractibus , & probabiliter ad brachium meridionale unius ex maximis , in Tabulis Geographicis Ptolemæi ab Agathodæmone notati , cum fluvius iſte verſus Orientem regreditur , poſtquam diu ad Occidentem deflexerat , ad trigeſimum ſecundum gradum & trigeſimum nonum minutum latitudinis ſeptentrionalis , & ad octogeſimum gradum & decem minuta longitudinis , ſecundum delineationem Agathodæmonis , in eo prope loco , ubi Araccam ponit , quæ eſt Erech Scripturæ . Non inquiro jam , an iſta Ptolemæi poſitio ſit legitima , ſufficit , me cogitationes meas expoſuiſſe . Illud adhuc adjicio , quod Tigris atque Euphrates ante conjunctionem , & duo illi alvei , per quos mari illabitur , poſtquam ſe diviſere , quatuor hujus fluvii ſint capita ; quod occidentalior iſtorum alveorum ſit Phiſon , quod regio Chavilah , quam ſecat , pars ſit felicis Arabiæ , & pars Arabiæ deſertæ ; quod Gehon ſit ex duobus iſtis , de quo locutus ſum , alveus orientalis ; ac quod denique regio Chus ſit Suſiana.

V. Ex omnibus , qui circa hanc inveſtigationem operam aliquam inſumſerunt , nemo propius ad hanc , quam proponimus ſententiam , quam Calvinus accedit in Commentario ſuper Geneſin [1] . Joſephus Scaliger preſſe ipſum ſecutus eſt , & poſt eum Theologi Lovanienſes , ac ſic porro infiniti alii ; ſed non attenderunt ad brachium iſtud meridionale magnę valde flexurę , quam facit hic fluvius , quamvis verba Moſis , ut oſtenſuri ſumus , expreſſe id poſtulent . Gehonem poſuerunt ad Occidentem , Phiſonem ad Orientem , & quod exinde conſequitur , regiones Chus & Chavilah ſuo moverunt loco ; id quod in cauſa eſt , quod iſta opinio ab ea , quam nos tuemur , totò cœlo differat . Sed ut per ſolidas ipſa probationes ſuffulciatur , utque convenire eandem omni ex parte cum deſcriptione Moſis demonſtremus , operę pretium eſt , ipſa verba cum cura expendere.

[1] Calvin. in Geneſ. 2. Scalig. de emend. temp. lib. 5. & Epiſt. lib. 4. Ep. 441.

C A-

CAPUT II.

Èxplicatio oćtavi verſus ſecundi capitis Geneſeos.

I. *Obſcuritas & ambiguitas oćtavi hujus verſiculi*. II. *Quid ſignificet vox Eden. Multi eam pro nomine appellativo accipiunt*. III. *Alii variant : ſed longe maxima pars pro nomine loci accipit*. IV. *Diſtinćtio frivola Rabbinorum inter* עדן *quinque punćtis ; &* עדן *ſex punćtis notatum*. V. *Præpoſitio, voci Eden addita, probat eam nomen eſſe loci*. VI. *Plures loci nomine Eden gaviſi ſunt*. VII. *Situs regionis Edenis, ubi erat Paradiſus*.

I. VErſ. 8. *Et Dominus Deus plantabat hortum in Eden, ad latus Orientis, & ponebat in eum hominem, quem formaverat*. Plures ſunt ambiguitates, quę verſum hunc reddunt obſcurum, locumque infinitis explicationibus totidemque opinionibus, plane diverſis, faciunt. Id quod nolim iis diſpliceat, qui Scripturam ſe ipſam explicare propugnant. Hebręi nonniſi unico pręterito gaudent, quo Pręteritum imperfećtum, Pręteritum perfećtum, Pręteritum pluſquam perfećtnm & Aoriſtum exprimunt. Quod hoc in loco per Aoriſtum reddidi, *plantavit*, *formavit*, ut & Septuaginta reddidere, ἐφύτευσεν, ἔπλασεν, aliique poſt ipſos Interpretes, a maxima parte transferentium per Pręteritum pluſquamperfećtum redditum eſt, qui verſionem ſuam opinioni ſic ſatis probabili voluere accommodare, quaſi Deus Paradiſum die tertio Creationis plantaverit. Nos vero qui perſuaſi ſumus, quod & alio loco oſtendimus, verſionem, ſi fidelis eſſe debeat, repręſentare debere, ſi fieri poteſt, archetypi etiam ambiguitates, putavimus eam, quę in Hebraico eſt., in verſione Gallica retinendam eſſe.

II. Verſ. 8. *Hortum in Eden*. En novam ambiguitatem majoris momenti, quam fuit præcedens. Verbum Hebręum *Eden* ſumi poteſt vel pro nomine appellativo, quod idem ſignificat, ac *voluptas*, *deliciæ*, vel pro nomine loci proprii. Hoc in loco, de quo nos agimus, Symmachus, vetus Scripturæ Interpres, citatus a ſanćto Hieronymo [1], Severianus, Epiſcopus Gabalitanus, qui Chryſoſtomi temporibus vixit, & Poeta Leonius, in priori ſenſu vocem hanc accepere. Symmachus tranſtulit vocem Eden, *hortum deliciarum*, *hortum floridum*, confundens, ut aliqui poſt ipſum, Edenem cum Paradiſo. Citatur & in hujus explicationis defenſionem Catena aliqua Græca, quam nonnulli Interpretes multo recentiores, & inter alios, Aućtor Gloſſæ ordinariæ ac Theologi Lovanienſes ſecuti ſunt ; & iſthæc ſignificatio, prout noſtra fert opinio, originem pretioſis illis hortis præbuit, quos Orientis Principes, hortum illum Edenis repræſentaturi, fieri curaverunt. Ejuſmodi erat hortus aureus, quingentis talentis æſtimatus, quem Ariſtobulus, Judæorum Rex, Pompejo in donum offerebat, quemque Pompejus poſtea in triumpho præferebat, Jovique in Capitolio conſecrabat. Hortus hic appellabatur τερπωλὴ & τερπνὸν, hoc eſt, ut rem proprie efferamus, *Eden*, *voluptas*. Sic & vocum convenientia, *hortus Eden*, & *hortus Adonis*, in occaſionem inſervire potuit hortorum Adonidi conſecratorum, quos Græci, Ægyptii, Aſſyriique in vaſculis terreis, & calathis argenteis plantabant, ut vel iiſdem domos ſuas exornarent, vel in ſuis proceſſionibus eos circumferrent : quamvis non ignorem, Mythologos, per fabulas ſuas hiſtoriæ veritatem obſcurantes, originem hortorum Adonidis ad laćtucam, in quam Venus corpus ejus recens occiſum abjecit, referre.

[1] Hieronymus Quęſt. Hebr. in Geneſ. Sever. Hom. 5. in Hexum.

III. Septuaginta & Vulgata in ſignificatione vocis *Eden* variant, videnturque approbare utrumque ſenſum ; hoc eſt, eandem veluti nomen proprium ac veluti nomen appellativum aſſumere. Nam Septuaginta pro nomine loci accipiunt in eo ipſo loco, quem examinamus : ſed in verſiculo ſequenti decimo quinto, inque aliis locis, ut nomen appellativum accipiunt. Contra Aućtor Vulgatæ in duobus his locis & pluribus aliis *Eden* pro nomine appellativo accipit, poſtea vero Geneſeos capite quarto, verſu decimo ſexto, pro nomine proprio alicujus traćtus habet. Sed omnes alii Eccleſiæ Patres, Græci & Latini, omnes Scripturæ Interpretes, antiqui & hodierni, conſtanter in eo conveniunt, Edenem eſſe nomen locale, a pulchritudine loci illius deſumtum ; ut Placentia apud Latinos, Callichorus & Callicolona apud Græcos ; Beauvau, Beaumanoir, Beaumeſnil apud nos ; Hypſa, Enna, Jalyſus, & campi Elyſii a Phœnicibus ita appellati. Ac iſte quidem tam univerſa-

lis

lis hominum præstantissimorum consensus primæ nobis, quam proponimus, probationis loco est, ut confirmemus, Edenem esse nomen loci.

IV. Scio quidem, nonnullos Rabbinos & aliquos post ipsos Interpretes, ut subtiles hic viderentur, vocem עדן *Eden* quinque punctis notatam, a voce עדן *Eden* sex punctis notata distinxisse, statuentes, vocem quinque punctis notatam Paradisum terrestrem, vocem autem sex punctis notatam alios locos significasse. Sed præterquam quod Rabbinorum, textum Hebraicum Scripturæ sacræ punctis suis induentium, auctoritas non magnum momentum habeat, & distinctio isthæc, ut video, ab hodiernis Grammaticis non approbetur, nos quoque, in situm regionis Edenis inquisituri, falsitatem ejus ostensuri sumus.

V. Secunda, qua utimur probatio, ut monstremus, *Edenem* esse nomen loci, in Textu Hebræo fundatur, qui Deum ait plantasse hortum בעדן *in Eden*: quæ præpositio, per literam ב expressa, clare admodum ex proprio & naturali usu situm horti in Edene arguit. Novimus particulam hanc in Scriptura multos obtinere significatus, & aliquando per Genitivum transferri, id quod Uulgatus videtur secutus, cum vertit *Paradisum voluptatis*. Sed præterquam, quod maxima locorum pars, ubi ista præpositio per Genitivum redditur, aliter transferri possit, hoc in loco, per alias particulas & prępositiones, in Scriptura voci *Eden* adjunctas, hujus particulę significationem cognoscere licet. Sicuti in versiculo decimo capitis secundi Geneseos: *Et fluvius egrediebatur* מעדן *ex Eden*. Et in versu decimo sexto capitis quarti: *Cain habitavit in terra Nod* לקדם עדן *ad orientalem plagam Edenis*. Et in Jesaia [1]: *& ponet desertum ejus* כעדן *sicut Edenem*. Quemadmodum igitur loca ista non possumus ita transferre: *Et fluvius egrediebatur ex Voluptate: Cain habitabat ad Orientem voluptatis: ille ponet desertum ut voluptatem*: ita neque in isto loco, de quo queritur, vox *Eden* potest per vocabulum *voluptatis* transferri.

[1] Jes. 51. 3.

VI. Tertiæ probationis loco exemplum est plurimorum aliorum locorum, quæ propter amœnitatem suam idem nomen Edenis gesserunt. Ejusmodi erat, de quo loquitur Propheta Amos [2], diversus & remotus admodum ab eo, de quo Moses loquitur. Is erat pulchra vallis, in Syria inter Libanum & Antilibanum sita, cujus Damascus erat metropolis. Hæc vallis nomen *Eden* aut potius *Beth-Eden*, hoc est, *domus deliciarum*, propter fertilitatem atque amœnitatem suam reportaverat. Quæ causa fuit, cur aliqui crediderint, hoc in loco terrestrem Paradisum quærendum esse; neque dubitarunt hac de re, cum in vicinia oppidum reperirent, cui nomen Paradisus, a Plinio & Ptolemæo celebratum [3]. Illic & locum quæsiverunt, ubi Adamus fuit creatus, & ubi Cain fratrem suum occidit, crediderunt que, se isthæc omnia ibidem invenisse. Sed istæ quidem conjecturæ statim evanescunt, cum ad locum Mosis, & omnes ab eodem notatas circumstantias applicantur; cum ibi neque Phison, neque Gehon, neque Chavilah, neque Chus deprehendantur. Ejusmodi erat etiam Adana urbs Ciliciæ, propter circumsiti agri bonitatem, & amœnitatem situs hoc modo appellitata. Ejusmodi porro hodie est vicus Eden prope Tripolin in Syria, ubi ad Libanum iter est, quorsum aliqui Paradisum terrestrem collocarunt. Et ejusmodi est denique celebris portus Adana sive Aden, a pluribus seculis tantopere frequentatus, qui cum esset locus deliciarum plenissimus in regione deliciosissima, Arabiam dico felicem, ipse nomen felicis Arabiæ accepit, quasi qui omnes regionis hujus venustates in se conclusas haberet; quamvis præter hanc Adanam, alia adhuc mediterranea in hac ipsa provincia fuerit, quæ & eodem nomine & ex eadem causa gavisa est. Non est itaque, quod demiremur, si Arabes, hanc regionem incolentes, existimaverint, Paradisum situm apud se fuisse.

[2] Amos 1. 5.

[3] Plinius l. 5. c. 23. Ptolem. Asiæ Tab. 4.

VII. Postquam igitur, ut nobis videtur, satis confirmavimus, nomen Edenis proprium fuisse loci, opera jam danda erit, ut ejus inveniamus situm, & ita porro cognoscamus, ubi situs ipsius Paradisi fuerit, quippe qui nobilissimam ejus partem constituerit. Legimus libro quarto Regum, & in Jesaia [4], Sennacheribum Assyriæ regem, cum timorem Ezechiæ, contra ipsum rebellanti, incutere vellet, sese jactasse, quod regionem Gozan, Haran, Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar, devastaverit. Ubi in eo conveniuut eruditi, quod Gozan sit Gauzanitis, Mesopotamiæ Provincia; quod Haran & Reseph sint Carrhæ & Rescipha, urbes ejusdem Mesopotamiæ, ex quibus prior a clade Crassi celebritatem adepta est; quod Eden sit ipsa illa Provincia, in quam Moses Paradisum posuit, & quod Thalassar Talatha sit, urbs Babyloniæ, a Ptolemæo ad alveum, quem Tigris cum Euphrate communem habet, collocata; cumque Stephanus [5], Geographus, de urbe aliqua, cui nomen Adana, quæ suum ad Euphratem situm habuerit, locutus est, vix dubitan-

[4] 4. Reg. 19. 2. Jes. 37. 12.

[5] Steph. in Ἄδανα.

bitandi locus relinquitur, quin recessum quendam penitiorem incolarum regionis Edenis intellexerint, nomen inde sortitum. In vaticinio Ezechielis [1], quod de exitio Tyri habuit, cum populorum enumerationem institueret Propheta, cum quibus urbs ista potentissima commercia exerceret, Haran etiam ponit, & Chene, & Eden. Vides, ut iterum Haran & Eden conjungantur, id quod indicio est, eadem loca, quæ in præcedenti textu aderant, esse intelligenda; hoc est, Carrhas in Mesopotamia, & regionem Edenem, cujus a Mose facta est mentio. Et hac quidem in re nulla Interpretum est dissensio. Cum vero in duobus hisce locis vox עדן *Eden* sex punctis notetur, satis patet, quam parum soliditatis habeat distinctio, quam Rabbini effinxerunt de עדן *Eden* quinque punctis & de עדן *Eden* sex punctis notato, de qua supra aliqua diximus. Regio Eden extendebat se infra, & forte etiam supra conjunctionem Tigridis atque Euphratis, & bonam partem magnæ hujus regionis occupabat, quæ postea Babyloniæ nomen accepit. Babylonia ab initio terminabatur eo in loco, ubi Tigris & Euphrates se conjungunt. Regio, quæ infra hunc confluentem est, usque ad Sinum Persicum, ab Alphergano, qui communiter Alphraganus audit, ab Abulfeda & aliis Geographis Arabibus Irachia dicitur; a nomine Erech, quæ cum Babylonia aliisque locis *principium regni Nimrod fuit* [2], ut verba ipsissima Mosis habent. Erech urbs erat, juxta communem Tigridis & Euphratis alveum posita; Babylonia ad Euphratem supra conjunctionem sita erat. Duæ istæ urbes duabus provinciis nomen imponebant; Babylonia se extendebat usque ad fluviorum confluentem; & provincia Erech seu Irachia ad communem duorum horum fluviorum jam conjunctorum alveum a dextra & sinistra, usque dum se in mare evolveret, protendebatur. Tempus has res immutavit. Irachia complexa est Babyloniam, Assyriam & Mediam, ipsisque suam appellationem addidit; Babylonia vero ex sua parte in possessionem totius antiquæ provinciæ, quæ Irachia fuit, invasit. Jam igitur dicimus, Paradisum terrestrem in parte Edenis situm fuisse, Provinciæ Babyloniæ, vel Irachiæ, quæ per longum tractum ad communem duorum fluviorum rivum se extendebat, prope locum, ubi antiqua urbs Erech aut Aracca fuit, quemadmodum Ptolemæus ista posuit.

[1] Ezech. 27. 23.

[2] Gen. 10. 10.

CAP. III.

Continuatio explicationis Versiculi octavi.

I. *Nova ambiguitas in hoc versu quoad vocem* מקדם. II. Mikkedem *utrumque & tempus & locum significare potest*. III. *Probationis loco allegari posset consuetudo Christianorum antiqua, templa sua versus Orientem ædificandi*. IV. *Moses semper hoc verbo* Mikkedem *in significatione loci usus est*. V. *Moses hoc in loco voluit verbo* Mikkedem *significare, Paradisum in parte Orientali regionis Edenis fuisse positum*.

I. VErs. 8. *Versus Orientem*. Vocabulum Hebraicum מקדם, quam transtulimus, *du coste*. Versus Orientem, infinitarum ambiguitatum novarum, diversissimarumque explicationum fons & origo est. Uti enim & tempus & locum significare potest, Auctor Vulgatæ, qui hac in parte non alius quam sanctus Hieronymus est; Interpretes Græci, Aquila, Theodotion & Symmachus; Paraphrastæ Chaldaici, Onkelos & Jonathan, Interpretesque, quibus Vulgatæ inhærere propositum est, in priore sensu id acceperunt, vertentes *a principio*. Sed hæc ipsa versio æquivocationi est obnoxia: nam aliqui ita verba accipiunt, quasi ante mundi creationem hic hortus plantatus jam fuerit; in qua sententia sunt Auctor quarti libri Esdræ, Paraphrastes Jonathan, & ipse sanctus Hieronymus, ut superius dixisse me memini. Alii contenti antiquitate sunt, quæ cum mundi ætate paria facit; & plurima ex parte volunt, tertio creationis die eum fuisse plantatum. Qui vero existimant, verbum מקדם *Mikkedem* locum, non tempus significare, & ipsi in diversas abeunt partes, aliquibus persuasis, id extremum Orientis significare; aliis vero, quorum longe major est & numerus & auctoritas, confirmantibus, nomen Orientis in sacris Scripturis nusquam ad eas regiones, quæ ultra sinum Persicum sunt, sed iis duntaxat, qui inter hunc Sinum & Judæam sunt, Arabiam inquam, Chaldæam, Mesopotamiam & Persiam applicari; quorum argumentis istud adjicio, Chaldæos, versus inferiorem

Euphratis partem habitantes, ab Arabibus & Judæis, *Sabios*, hoc eſt, Orientales appellatos, ipſorumque De agricultura librum, toties a Rabbi Maimonide citatum, *Librum Orientalem* vocatum fuiſſe; & Chriſtianos ſancti Joannis circa Baſſoram, partem veteris Chaldææ incolentes, idem nomen adhuc hodie obtinere. Præterea & illud addo, præter illas regiones, quas jam nominavimus, ab Auctoribus ſacris Oriens dictas, iſtas etiam, quæ ad orientalem Tigridis ripam ſitæ erant, ſpecialiori adhuc ratione nomen proprium קדם *Kedem*, *Orientis* portaſſe. Et id ipſum occaſionem Poetis dedit fingendi, Memnonem Auroræ filium fuiſſe, quippe in Suſiana natum, provincia ad provinciam Edenem pertingente. Uti vero orientalis Tigridis ripa appellabatur *Oriens*, ita occidentalis contra appellabatur ערב *Ereb*, *Occidens*, unde Arabia ſuam duxit appellationem. Hac ratione cum vox *Orientis* terminus eſſet relationem involvens, & unus idemque locus orientalis & occidentalis propter diverſos reſpectus eſſe poſſet, Arabia, ut aliæ provinciæ ipſi, reſpectu Judææ, vicinæ, Oriens; & in reſpectu ad Tigridem, Occidens eſt appellata. Regrediamur jam ad diverſas explicationes, quæ in locum, de quo agimus, datæ ſunt. Aliqui putaverunt, Moſen, iſthæc verba in Arabia Petræa ſcribentem, reſpectum ad proprium ſitum habuiſſe, Orientemque, quod ejuſmodi erat intuitu loci, ubi hoc tempore commorabatur, nuncupaſſe. Alii volunt, eundem, uti genti Hebrææ ſcribebat, futurum tempus, quo ipſa in terra ſibi promiſſa fixam ſedem habitura eſſet, reſpiciens; ita ad eam tantummodo regionem oculos direxiſſe. At maxima pars iſta verba *ad Orientem* ſecundum regulas Grammaticæ ad verba immediate præcedentia *plantabat hortum in Eden* referenda eſſe ſtatuit; ut Moſes dicere voluerit, hortum illum in regione Edene partem orientalem occupaviſſe. Nos vero exiſtimamus, Provinciam Edenem a duobus fluvii lateribus ſeſe extendentem Suſianam uſque pertigiſſe, ac quod exinde conſequitur, partem, quæ trans flumen eſt, de nomine proprio *Kedem*, *Oriens*, ut omnes regiones, quæ ſupra ripam orientalem erant, participaſſe, Moſemque, cum dicit, hortum fuiſſe *ad Orientem*, innuere voluiſſe, ipſum in ea parte regionis Edenis, quæ trans flumen eſt, quæque *Kedem*, *Oriens* appellabatur, fuiſſe. Sunt aliqui inter Commentatores, qui animo præditi ad conciliationem proclivi, duas illas & temporis & loci ſignificationes, quæ textui Hebraico applicantur, & revera inter ſe non pugnant, approbant, diverſas ſignificationes conciliare inter ſe ſtudentes, & ſanctum Spiritum aſſerentes, terminum hunc ambiguum inſpiraſſe, ut intelligerent homines, Deum hortum in Oriente, & a principio quidem mundi, hoc eſt, tertio Creationis die plantaſſe.

II. Non repugno huic ſententiæ, neque impedio, quo minus per vocem מקדם *Mikkedem* tempus, quo creatus eſt Paradiſus terreſtris, ſignificetur, ſi modo mihi concedat quiſpiam, eandem primo & principaliter ejus ſignificare ſitum. Et profecto id nobis perſuadent omnia; quod ſi enim ſuffragia numeranda ſint, opponemus, quos allegavimus, pro ſignificatione temporis ſtantibus, Septuaginta Interpretes, quos Patres omnes Græci & plurimi ex Latinis, Rabbini, Aben Eſra, David Kimchi, & Salomo Jarchi cum Davide de Pomis; Translatores orientales; & longe maxima pars Interpretum ac Grammaticorum hodiernorum ſecuti ſunt. Ipſius Vulgatæ auctoritati opponemus verſionem antiquam Italicam, ex qua, ut apparet, ſanctus Hieronymus locum, quem examinamus, deſumſit, hoc modo, quo eum in quæſtionibus retulit, translatum; *Et plantavit Dominus Deus Paradiſum in Eden, contra Orientem*. Apparet certe, ipſum ex ſola reverentia erga tres antiquos Interpretes, Græcos, Aquilam, Theodotionem, & Symmachum, verſionem Italicam hoc in loco mutaſſe, & ex verbis, quibus uſi erant, collegiſſe, Paradiſum a Deo ante cœlum & terram a Deo fuiſſe creatum. Interim hæc verſio Italica, unde noſtra Vulgata hoc in loco depromta eſt, ab ipſa Chriſtianiſmi nativitate, & longe ante ſanctum Hieronymum & diu poſt ipſum in Eccleſia Romana & omnibus Italiæ Eccleſiis recepta, ac omnibus aliis verſionibus prælata. Et cum ipſa ad ſeptuaginta-viralem verſionem ſit concinnata, & locus a ſancto Hieronymo citatus ad verbum ipſos ſequatur, non caret fundamento mea ſuſpicio, ipſum ex antiqua hac verſione deſumtum eſſe.

III. Ad demonſtrandum conſenſum univerſalem, quo Eccleſia locum hunc in ea ſignificatione, quam nos defendimus, acceperit, conſuetudinem poſſumus allegare, quæ diu admodum in uſu fuit, neque nunc abolita eſt, ut Eccleſiarum ædificia verſus Orientem excitentur; Chriſtianis hoc ipſo ſitu obligatis, ut inter precandum ad Orientem ſe convertant. Primaria ratio, quam hac de re ſuppeditant Patres, in eo conſiſtit, ut recordemur, mundi partem, in quo locus hic amœniſſimus ſitus erat, intuentes, beatitudinis, quam per peccatum primi parentis amiſimus, & ejus curæ, quæ in ea recuperanda nobis habenda ſit. Sed probabilius mihi videtur, Eccleſiam hanc

hanc consuetudinem propterea secutam esse, ut se a religione Judæorum distingueret, quorum templum Occidentem versus jacebat. Quemadmodum Judæi in hanc partem illud exstruxisse videntur, ut se a vicinis, maximam partem Idololatris, & Solis adoratoribus, & suas preces ad Orientem effundentibus, separarent. Quod Idololatriæ genus & in populum Dei irrepserat, & ab Ezechiele [1] damnatum est. Annotatione vero dignum est, quod uti vetus religio, Judaicam dico, voluerit, ut preces ad Occidentem fierent, & Christiana postea consuetudinem hanc mutaverit, preces ad Orientem fieri præcipiens; ita parem in modum veteres Romani Templa sua ad Occidentem construxerint, id quod postmodum tamen ita emendaverunt, ut Templa ad Orientem idque etiam ante Augusti tempora collocarint, ut ex Vitruvio [2], tum temporis in vivis existente, & ex Hygeno [3], agrorum dimensore, sub Trajano regulas Artis suæ scribente, addiscimus.

[1] Ezech. 8. 16.

[2] Vitruv. l. 4. c. 5.

[3] Hygen. de limitib. constit.

IV. Estne autem adhuc dubitandi locus, Mosen [4] vocem מקדם *Mikkedem* in alio, quam quem ipsi eidem dedimus, significatu usurpasse, cum videamus ipsum in tota narrationis suæ serie nonnisi in eodem sensu eam adhibuisse? Ut quando dicit, Deum, cum Adamum e Paradiso ejecisset, eum ad plagam Orientis collocasse. Quæ verba quamvis sanctus Hieronymus transferat, *Ante Paradisum voluptatis*, non minus tamen Orientem designant, qui ex genio Scripturæ pars mundi anterior est. In eodem sensu hac voce utitur, cum linguarum confusionem refert, dicitque, qui ad Turrim [5] Babelicam exstruendam se accinxerint, ex Oriente profectos in terram Sennaar esse. Præterea duabus vicibus eandem ponit, cum situm montis describit, ubi Abraham, Sichemo abiens, tentorium suum fixerat, ut significaret, urbem Hai huic monti ab Oriente, montem autem urbi Bethel ab Occidente fuisse, ipsam vero urbem Bethel ad mare jacuisse, Orientem hac ratione Occidenti opponens. Non minus eadem utitur, cum separationem Abrahami atque [6] Lothi refert, ultimum hunc dicens versus Orientem recessisse. Denique in eodem sensu Numerorum libro [7] eam usurpat, cum innuere vellet, Riblam urbi Ain ad Orientem fuisse. Prætermitto multos Auctorum sacrorum locos alios, ubi vox hæc eundem usum obtinet. Sufficiunt isthæc, ut ostendam, eum, ut ita dicam, descriptionibus topographicis consecratum fuisse.

[4] Gen. 3. 24.

[5] Gen. 12. 2. Gen. 12. 8.

[6] Gen. 13. 11.

[7] Num. 34. 11.

V. Sed nondum omnis sublata est ambiguitas: quantumvis enim מקדם *Mikkedem* hic nomen loci sit, Orientem designans, dubium tamen est, an Moses simpliciter nobis indicare voluerit, Paradisum sui respectu, cum ista scriberet; & respectu terræ promissæ, cujus incolis hæc scribebat, Orientalem fuisse: an docere voluerit, quod in parte Orientali regionis Edenis fuerit. Sed mihi videtur, paucos fuisse, situm Paradisi ignorantes, postquam Moses Paradisum in regione *Edene* esse dixisset: regio autem illa Arabiæ Petrææ, ubi tum versabantur Israelitæ, tam propinqua esset: sufficiebat enim significasse, Paradisum fuisse in regione Edene, ut ostenderet ipsum, tum respectu sui, tum respectu terræ promissæ ab Oriente fuisse: potius necesse habebat significare, in qua regionis Edenis parte Paradisus fuerit. Quænam enim hic verisimilitudinis adesse potest species, quod Moses, cum tam exacte horti hujus situm describere instituerit, quem & in sequentibus tam accurate & *univoce*, ut sic dicam, designat, postquam dixisset, quod in regione Edene situs fuisset, regionis partem, ubi situs esset, neglexerit addere, ut de tempore Creationis illius loqueretur, quod clare satis annotaverat illa narratione, quam capiti primo de Creatione plantarum fecerat? Magisne erat necessarium scire, in quot brachia fluvius, Paradisum alluens, se divideret, & in quas regiones se btachia ista extenderent, & quæ mercimonia ex istis regionibus exportarentur, quam scire, in qua parte Provinciæ, cui Auctores nonnulli magnam satis amplitudinem attribuunt, amœnissimus hic hortus esset? Dignumne esset, boni Historici diligentia, expugnationem Neapolis Malvasiæ, a Venetis Turcis paulo ante ereptæ, describere cupientis, dicere, urbem hanc ad Moream pertinere? Et numquid non addendum erat, ipsam in parte Orientali hujus Provinciæ sitam esse?

CAPUT IV.

Explicatio versus decimi.

I. *Ambiguitas vrrsus decimi*. II. *Fundamentum opinionis, juxta quam quatuor Paradisi fluvii ex uno fonte profluxerint, & , postquam subierint terram, alibi renati fuerint*. III. *Opinio, statuens fluvium ex Edene egredientem & Paradisum irrigantem extra Paradisum & regionem Edenem fontem suum habuisse, firmiori fundamento gaudet*. IV. *Nititur descriptione ipsius Mosis*. V. *Exactius Paradisi situs cognosci incipit*.

VErs. 9. *Et Dominus Deus produxit ex terra omnis generis arbores; quæ visu pulchræ, & ad edendum bonæ erant, & arborem vitæ in medio horti, & arborem scientiæ boni & mali*.

Vers. 10. *Et fluvius egrediebatur de Eden, ut irrigaret hortum, & inde dividebat se, & erat in quatuor capita*. Versiculi noni verba nihil quicquam rei cum situ Paradisi habent, & extra operis hujus argumentum sunt. Sed quę sequiuntur, omnium quę in hac descriptione occurrunt, exactissime Paradisi situm repræsentant, si modo aliquis cum studio eadem legerit, quę tamen adeo ab iis intellecta non sunt, qui negligentius eadem legerunt, ut potius eosdem a veritate longissime abduxerint, nescientes videlicet expedire se difficultatibus, non minori, quam in præcedenti loco, se numero hic offerentibus. Cum enim Moses dicit; *quod fluvius egrederetur ex Eden, ut irrigaret hortum*, nesciunt, an dicere voluerit, fluvium ex terra egressum esse, & fontem in provincia Edene habuisse, unde postea in hortum defluxerit; an dicere voluerit, quod fontem in ipso horto habuerit, qui erat in provincia Edene; an significet tantum, eum, postquam hanc provinciam ingressus esset, ex eadem ad irrigandum Paradisum egredi. Omnes hi sensus suos tum inter antiquos, tum inter recentiores, adstipulatores habent. Magnus eorum est numerus, qui per verbum *egrediebatur*, idem ac *nascebatur*, *egrediebatur ex terra* significari volunt. Et quoniam iste fluvius in quatuor alios dispescebatur, quorum capita longum a Provincia Edene distant, nonnulli ductus subterraneos commenti sunt, per quos fontis hujus aquę exitus remotos quęrerent, ut inde Gangem, Tigridem, Euphratem & Nilum efficerent. Est ea opinio illorum, qui fontem signatum, quem eum esse volunt, qui adhuc hodie inter Bethlehemum & Hebronem conspicitur, & de quo Salomo in [1] Cantico Canticorum loquitur, quatuor fluviorum fontem; & hortum conclusum, quem eundem in locum ponunt, Paradisum terrestrem fuisse, suspicantur. Sanctus [2] Jo. Damascenus animo sibi finxit, Oceanum hunc fontem, & quod exinde sequitur, universam terram fuisse Paradisum. Sic aliqui arbitrati sunt, quamvis *fluvii* vox hoc in loco in numero singulari fuerit adhibita, non minus tamen significationem plurium & collectivam obtinere, quatuor fluviis sub se comprehensis. Hoc posito fundamento, cum deprehenderent, Tigridis atque Euphratis fontes in magna Armenia satis invicem sibi vicinos esse, fontem etiam Phisonis & Gehonis in finitimis locis quæsiverunt, & nominum aliqua convenientia decepti, aut quod aliquid levem modo huc respectum habere posset, in diversas inciderunt conjecturas, quæ tandem omnes defectu aliquo circa rem ipsam laborant, neque nisi parti descriptionis a Mose suppeditatę respondent. El-Idris Geographus [3], quem male Nubiensem appellant, cum satis appareat subditum ipsum natum esse Rogeri secundi, regis Sicilię: Hic, inquam, Geographus, quum ex concepta quadam mentis opinione crederet, fluvii fontem, de quo loquitur Moses, in Paradiso existere, Paradisum ad Chamdan, fluvium in China magnum, posuit.

II. Quamvis vero absurda hæc tota sit sententia, quatuor hos fluvios, ex uno fonte prodeuntes, terram postmodum simul fere, ut orti sunt, subire, ut in locis remotioribus rursus erumpant; non minus tamen fidem invenit apud ipsos etiam ethnicos, idque eo magis, cum magna inter hos fluvios deprehendatur convenientia. Habent iidem, quamvis ex causis diversis, exundationes certas & constantes; Euphrates equidem & Tigris, ut Padus aliique plures, a nivibus montanis, appropinquante Sole liquescentibus; Nilus & Ganges, & omnes sub Zona torrida, a pluviis, ibi, cum Sol est supra verticem, decidentibus. Eadem, quæ in Nilo, animantia reperiuntur in Gange, & aliis in India fluviis, ut sunt Crocodili, imo & hippopotami, si Philostrato & Onesicrito [4] credere volumus. Quamvis vero Strabo huic ultimo contradicat, verum tamen est, non solum esse inter fluvios Nilum,

[1] Cant. 4. 12.

[2] Jo. Damasc. de Orthod. fid. libr. 2. cap. 9.

[3] Geograph. Nubiens. Clim. 2. part. 10.

[4] Philostr. Vit. Apol. lib. 6. cap. 1.

Nilum, qui hæc animantia producat. In fluvio Petzora & omnibus, qui Samojetiæ, regioni versus fretum Waygatz, adjacent, animal reperitur amphibium, a Moscis Morss appellatum, quod revera species est hippopotami. Hæc ratio inducere potuit eosdem Auctores, ut crederent, Nilum & Gangem eundem fontem habere; siquidem Alexander, cum Crocodilos in Indo fluvio & fabas, fabis Ægyptiis similes, in litore Acesinis, qui alius est fluvius, in Indum se effundens, reperisset, nullus dubitabat, quin Nili fontem deprehendisset. Nam universa antiquitas, ut parum Geographiæ gnara, etiam post Marci Pauli Veneti, ante quadringentos annos viventis, tempus credidit, Æthiopes Indis vicinos esse, quos & sæpe confudit: & Nilum ex Oriente venire, fontemque apud Indos habere. Virgilius [1] hoc clare innuit: quin & Gratius Poeta, Augusti temporibus æqualis, scriptum reliquit, Reges Ægypti nardum ad ripas Gangis procrescentem demessuisse. Credebant insuper, referentibus Pausania [2] & Philostrato [3], Nilum Euphratis ramum esse, qui cum suis aquis in paludes se submersisset, in Æthiopia sub nomine Nili renasceretur. Denique ex Lucani Poetæ [4], & Boethii [5] testimonio novimus, credidisse aliquos, Euphratem & Tigridem unam habuisse originem. Vides igitur, ut secundum Geographiam antiquam fontes Gangis, Nili, Euphratis & Tigridis conjuncti iterum & reuniti sint; licet & falsum id sit, & ridiculum, quodque ad sustinendum errorem verba Mosis, a nobis explicata, male intelligentium, multum contulit.

III. Major illorum est numerus, majorque auctoritas, qui hunc fluvium, ad irrigandum Paradisum ex regione Edene egredientem, fontem extra Paradisum & provinciam Edenem habuisse sustinent, quodque vox *egrediebatur*, non significet *nascebatur*, sed profluebat ex provincia Edene in Paradisum. Verbum *egrediebatur*, quo utitur Vulgata, & ἐκπορεύεται, quod Septuaginta abhibuere, cui & versiones orientales respondent, cursum fluvii alicujus, non originem & fontem indicat. Ipsa vox יצא, quæ in textu Hebræo est, eundem hunc sensum generat. Quamvis enim alibi locorum, & apud ipsum Moysen occurrat, ut nativitatem aquarum significet; nihilominus cum hi loquendi modi sint figurati, nec vox ista in narrationibus historicis adhibeatur, non videmus, quid inde pro significatione ejus propria concludi possit. Habent insuper Hebræi multa alia vocabula magis propria, hanc rem significantia, sed non habent, quam יצא *Jatza*, magis idoneum, quod in sensu egrediendi adhibeant, ubi res aliqua ab uno loco descendit in alterum.

IV. Res ipsa, quæ a Mose describitur, si probe consideretur, ad hunc sensum nos ducit. Cum enim Provincia Eden & Paradisus loci diversi sint, ut ostendimus, [diversos intelligo, ut totum est a sua parte,] & sacer Auctor indicare voluerit, fluvium ab uno descendisse, ut percurreret alterum; duos hujus cursus sistit terminos, Edenem Provinciam, & hortum, verbaque & particulas ad rem hanc significandam maxime convenientes ac idoneas adhibet; nam יצא *Jatza*, ut diximus, in significatione propriissima idem vult dicere ac exire, egredi; & particula מין *min*, quod præfigitur voci עדן *Eden* in verbo מעדן, designando loco, unde egressus iste contingit, inservit. Septuaginta eandem optime per particulam ἐξ, & Uulgata per particulam *de* reddidere. In voce sequenti, להשקות *lebaschcoth*, *ad irrigandum* particula, per literam ל expressa, quæ ordinarie gerundium format, causam finalem hujus egressus significat: denique particulæ sequentes את-הגן *eth-haggan* hortum, terminum localem hujus cursus, innuunt. Quod si per hæc verba *Et fluvius egrediebatur de Eden, ut irrigaret hortum*, dicere Moses voluisset, fluvium ex terra in Edene prodiisse, manifestum est admodum, narrationem ejus aliqua ex parte defecisse, cum nihil de cursu fluvii dixerit: & ut compleretur, his fere verbis opus fuisse, & fluvius fontem suum in regione Edene habebat, unde ad irrigandum hortum progrediebatur.

V. Hanc si recipimus explicationem, jam paulo clarius & distinctius Paradisi situm videre incipimus. Paradisum diximus ad Tigridis & Euphratis confluentem intra ipsorum conjunctionem atque divisionem situm fuisse. Iste alveus hodie *Schat-el-Arab*, hoc est, *fluvius Arabiæ* vocatur. Nempe iste est fluvius, de quo hic loquitur Moses. Cum enim Paradisus partem provinciæ Edenis orientalem occuparet, ut solidissime probatum nos dedisse opinamur, cumque fluvius, qui eam irrigabat, hanc percurreret provinciam, prius quam Paradisum illaberetur, non potest non Paradisus ad aliquam hujus fluvii flexuram, ab Occidente ad Orientem tendentis, jacuisse. Quod si aliquis adhuc exactius quippiam velit, magnum illum anfractum, quem fluvius Occidentem versus, intra coniunctionem atque divisionem suam efficit, ab Agathodæmone in Ptolemæi chartis repræsentatum intelligere,

Onesicrat. Strabon. lib. 15.

[1] Virgil. Georg. lib. 4.
[2] Pausan. Corinth.
[3] Philostr. Vit. Apoll. lia. 1. c. 14.
[4] Lucan. lib. 3.
[5] Boeth. Consol. lib. 5. Metr. 1.

ligere, dicereque possumus, Paradisum in parte extrema orientali brachii meridionalis in hac flexura positum fuisse: unde consequitur, falsos fuisse omnes, qui eundem in partibus, ubi fluvius versus Occidentem, aut Meridiem labitur, collocaverunt. Sane in Paradiso alium paulo habuisse cursum, postmodum autem versus Meridiem eundem resumere poterat. Josephus memorat, ipsum terram hanc deliciarum circumdedisse, πᾶσαν ἐν κύκλῳ τὴν γῆν περιῤῥέοντος. Id quod non nisi ex parte crediderim, persuasus, partem horti maximam ad ripam orientalem Tigridis fuisse: Ubi rogamus Lectorem, ut observationem istam probe attendat, cum ad rem, quam inquirimus, multum faciat.

CAPUT V.

Continuatio explicationis versus decimi.

I. *Nova in hoc versu ambiguitas; Fluvius extra hortum se dividebat*. II. *Quatuor capita, in quæ dividebatur fluvius, quatuor fluvii erant diversi*. III. *Cur quatuor isti fluvii appellati fuerint capita*.

I. VErs. 10. *Et inde dividebat se & erat in quatuor capita*. Postulant Grammaticorum regulæ, ut particula *inde* ad id, quod ultimo loco nominabatur, nempe ad hortum, se referat. Moses, cum præter alias notas, quas circa Paradisi situm suppeditavit, eundem & per amnes & alveos, in quos magnus ille fluvius eum alluens dividitur, designare constituerit, necesse est, ut descriptio, quam de his alveis suggerit, ad hunc hortum sese referat. Interea, cum Paradisus pars fuerit provinciæ Edenis, Edenem & Paradisum in descriptione quatuor istorum brachiorum conjunctim considerare possumus, divortio extra utrumque contingente. Satis id dilucide indicavit Moses, quum dicit, fluvium ex Edene egressum esse ad irrigandum hortum. Innuunt enim verba ista, non nisi unicum in horto & provincia Edene fluvium, & proinde divisionem ibi non factam fuisse. Nihilo secius nimia Interpretum subtilitas sedula fuit, ut & hic aliquid, in quo se exerceret, investigaret. Nonnulli enim dicunt, particulam illam *inde* se referre ad Edenem, & fluvium, priusquam hortum intraverit, in eadem se in quatuor alveos dividere. Alii volunt divisionem in ipso aditu horti factam esse. Illi vero, qui fluvium in Edene se dividere contendunt, iterum inter se divisi sunt; aliquibus existimantibus, eum in quatuor alveos iu Edene se dividere, qui omnes in Paradisum ingrediantur; aliis non nisi unum in Paradisum recipientibus, &, quod reliquum illorum est, in Provinciam Edenem distribuentibus. Sunt adhuc acutiores, qui statuunt, ab initio quidem fieri fluviii divisionem in duo brachia, & paulo infra unumquodque brachium in duo alia, ita, ut fiant quatuor, dispesci. Muhammedus homo, vi imaginandi promta & fœcunda præditus, tantas minutias non consectatus est, cum suo obsecutus gustui atque genio, ideam commentus est Paradisi, a quatuor fluviis, uno aquam puram, altero lac, tertio vinum & quarto mel vehente, irrigati. Quamvis sectatores ipsius non nisi trium posteriorum meminerint, aquam nullo numero habentes. Melior & sanior Interpretum pars persuasissima est, divisionem extra hortum ipsum factam esse.

II. Vers. 10. *Et erat in quatuor capita*. Plures ex Interpretibus neglexerunt has duas voces, *& erat*, ipsas suis in versionibus non repræsentantes. Inter quos Septuaginta sunt, & verisimile est, Vulgatam ex antiqua Italica omissionem hanc retinuisse, quæ ad Septuagintaviralem expressa erat. Admiratione etiam dignum est, sanctum Hieronymum, ipsam alias verborum in Scriptura collocationem mysterii aliquid habere arbitratum, defectum hujus loci non supplevisse. Quod si vel maxime fidelitas, quam verbi divini Interpretes Publico & Prototypo huic sacro debent, ipsos inducere non potuisset, ut earum vocum haberent rationem, vel sola ipsius rei, hoc est, situs Paradisi illustratio, eos, ut ei studerent, adigere debebat. Quando enim Moses, cum dixisset, fluvium post suum ex Paradiso egressum se dividere, adjicit, *& erat in quatuor capita*, ostendere nobis, ut nos quidem existimamus, voluit, hanc divisionem quatuor alveos formasse, in quatuor abeuntes fluvios, diversos atque separatos, nec unquam se iterum conjungentes. Idem igitur est, ac si dixisset, Et inde dividebat se, & in quatuor capita fiebat; ut primo divisionem, & deinde effectum ac partes divisionis indicaret. Hic est sensus, quem phrasis Hebraica

ca importat; non aliter, ac cum in secundo Samuelis [1] libro, cum dicendum foret, *Estote fortes*, Hebraicum habet, *Estote in fortes*. Sic cum sanctus Matthæus [2] dicere vellet, *Et duo erunt una caro*, Hebraicam dicendi rationem, quæ apud Mosen est, retinuit, *Et duo erunt in unam carnem* [3]. Pariter etiam sanctus Joannes, cum dicendum esset, *Et tres sunt unum* [4], ut Hellenista locutus est, hoc est, Hebraico dicendi modo, sed verbis Græcis usus est, *Et tres sunt in unum*.

III. Vers. 10. *In quatuor capita*. Vox *capita*, qua usus Auctor Vulgatæ est, Hebraicum ראשים *Raschim* ad literam transferens, plures ex Commentatoribus decepit. Cum enim in Horatio, Propertio, & sæpissime in Vitruvio, aliisque Auctoribus Latinis vocem *caput* in significatione *scaturiginis*, *fontis* invenirent, eundem etiam hoc in loco ipsi affinxerunt sensum, existimantes, fluvium hunc quatuor fluviorum, quos Moses enumerat, fontes producere. Sed revera falsi sunt; Voces enim ראשים *raschim* & *capita* metaphorice hic sumuntur; non quidem juxta nonnullorum Interpretum explicationem, ut fluvios significet, qui capita sint & principes aliorum in ea regione fluviorum, eo sensu, quo Virgilius [5] dixit, *Fluviorum rex Eridanus*; & cum de Tibri ipsi esset sermo, *Hesperidum regnator aquarum*; nam in hac significatione si sumta fuisset vox ראשים *raschim*, addi debuisset rei nomen, cujus hi fluvii capita fuissent, ut in locis e Virgilio a nobis allegatis, & semper fere in Scriptura nomina ejusmodi adduntur: sed adhibita est vox illa, ut significet *initia*, *primos aditus*, *id quod primo occurrit*. Septuaginta optime hoc vocabulum per vocem ἀρχὰς expressere. Vox *testes* apud Gallos frequentissima pari ratione usurpatur: & errorem hic utique commiserunt Severianus & Glycas [6], cum vocem ἀρχὰς, quæ est Septuaginta Interpretum, per πηγὰς, fontes redderent. Non minus vero in pluribus Scripturæ locis vox ראש metaphorice usurpata extat, ut *ingressum viæ* significet, ubi a Septuaginta per vocem ἀρχὴ & a Vulgata per *caput* transfertur. Alibi pro *cuneo militum* accipitur, in quo sensus iterum Septuaginta per vocem ἀρχὴ eandem vertunt. Latine commodissime per vocabulum *agmen* redderes, id quod fortasse haud male loco, quem nos expendimus, conveniret. Virgilius [7] enim dixit, *Venit agmen aquarum*. Et videtur in ea significatione Interpres Samaritanus vocem ראשים per *nezolin* exprimere, quæ Hebræorum נזלים *nozolim*, hoc est, *ductus aquarum*; non vero *Insulæ*, ut habet versio Polyglotta Anglorum, respondet. Sed sensus propriissimus & maxime naturalis hic est, fluvium in quatuor capita, quatuor principia, quatuor aditus se divisisse. Ut adeo proprie satis de aliquo, qui sub exitum ex Horto in fluvium descenderit, diceretur, eum, postquam per aliquod tempus navi vectus fuisset, Phisonem aut Tigridem ingressum esse. Hæc cum ita sint, magnus ille fluvius cum quatuor brachiis, non respectu cursus aquarum suarum, sed ratione alvei sui, qualem ille situm habuerit, considerandus est. Considerare ipsum oportet, uti consideraretur via aliqua regia, quæ per sylvam duceret, & quæ inde in quatuor vias abiret, sive divisio illa in superiori, sive in inferiori sylvæ parte accideret. Sic neque Moses memorat, an fluvii illa divisio supra an infra Paradisum fiat; neque aut proprius an remotius contingat. Satis erat simpliciter hoc dicere, hoc est, quatuor illos alveos, ut rivos, ex hac divisione enascentes, nominare. Nam quatuor isti fluvii, in locis ubi Moses scribebat, tum & personis, quibus scribebat, tam erant noti, ut sufficeret nominare eosdem, cum vellet, ut ipsos dignoscerent. Quo tamen non contentus, cum prævideret, futura secula & gentes remotas, ad quas etiam operis institutum atque scopus pertinebat, aliqua explicatione opus habituras esse, tam clara ad fluvios hos cognoscendos indicia apposuit, ut nemo, nisi qui nullam attentionem attulerit, circa eosdem aberrare, & non videre possit, quatuor fluvios, magnum Paradisi fluvium dividentes, a parte superiore Euphratem & Tigridem extitisse; & a parte inferiore duo brachia, quæ communem alveum Tigridis & Euphratis dividunt, antequam in Sinum Persicum illabitur; id quod in sequentibus patebit.

[1] 2. Sam. 13. 28.
[2] Matt. 19. 5.
[3] Gen. 2. 24.
[4] 1. Joh. 5. 7.
[5] Virg. Georg. 1. & Æn. 8.
[6] Sever. Gabal. Hom. 5. in Hexam. Mich. Glycas Ann. Part. 1.
[7] Virgil. Georg. 1.

CA-

CAPUT VI.

Explicatio versus undecimi.

I. *Idea generalis cursus Euphratis & Tigridis.* II. *Facies regionis, quam præterfluit Euphrates & Tigris a Mosis tempore magnopere immutata est.* III. *Euphrates in principio non nisi unum alveum habebat cum Tigride se conjungentem, postmodum autem alii plures exinde deducti sunt.* IV. *Alii porro alvei ex Euphrate derivati.* V. *Aliæ mutationes, quæ in his tractibus cotingerunt.* VI. *Nonnulli sine ratione inficiati sunt, Tigridem & Euphratem, postquam se conjunxissent, se separare iterum, antequam in mare ingrediuntur.*

I. VErs. 11. *Nomen unius est Phison; is est, qui circumit totam terram Chavilah, ubi est aurum.*

Vers. 12. *Et aurum hujus terræ bonum est; hic est Bdellium & lapis Onyx.* Antequam de Paradisi fluviis speciatim agamus, necesse est, ut ideam Lectori de cursu Euphratis & Tigridis ante oculos ponamus, sine qua difficulter, quæ a nobis dicenda sunt, intelligi possent. Euphrates fontem in Armenia magna habet, in parte Septentrionali montis Abos, qui ramus est Tauri. Tigris suum etiam fontem in eadem regione ad latus meridionale montis Niphatis, qui alius Tauri ramus est, agnoscit. Duo hi fontes ab invicem plus quam centum leucas distant. Euphrates a latere occidentali, Tigris a latere orientali cursum auspicatur: amboque Mesopotamiam, unam ex celeberrimis & fertilissimis terræ regionibus, includunt. Pluribus se postmodum alveis conjungunt, veterem Babyloniam complexi. Dein versus Meridiem decurrentes non nisi unum alveum efficiunt, & antequam in Sinum Persicum se evolvunt, denuo se separant, brachioque suo ingentem insulam, quæ olim Messena, nunc Chader appellatur, concludunt.

II. Tempore Mosis facies hujus regionis plane alia erat ab ea, quam succedentibus temporibus accepit, & quam nunc præ se fert: sic enim industria hominum, potentia regum Assyriæ, Babyloniæ, Ægypti, Persiæ, Græcorum principum, & Calipharum diversis vicibus his regionibus imperantium; diuturnitas temporis, violentia maris, & exundationes fluviorum, magnarum in ea mutationum causæ extitere. ex quinque alveis, quia quam ex Enphrate in Tigridem & diversos lacus transferunt, hominum labore quatuor sunt effecti; solus ille nativus erat, qui per Babylonem fluebat. Videtur id quidem aliquorum veterum Auctorum opinioni non congruere, Euphratem scribentium a latere occidentali per ostium ipsi proprium, & a duobus, quæ postea ipsi cum Tigride communia fuere, diversum, in mare allabi. Unde colligere licet, Euphratem tempore Mosis cum Tigride se non conjunxisse. Adjiciunt Auctores isti, alveum istum, cum ab Arabibus Scenitis hinc inde derivationibus variis averteretur, ut regionem ipsorum siccam atque sterilem humectaret, tam imbecillem tamque tenuem profluxisse, ut cursum suum usque ad mare continuare nequaquam potuerit, cujusmodi aliquid & Rheno, ob sectiones frequentes ab Hollandis tentatas, contigit.

III. Sed tam magnus fluvius, qualis est Euphrates, pluribus fluminibus turgidus, & singulis æstatibus nivibus liquefactis & aquis e monte Tauro profluentibus increscens, quidni duobus alveis in istis principiis sufficere poterat; cum tam multis aliis postea sufficeret? Ea quibus quidem aliqui non nisi ad exundationes, agris perniciem inferentes, referendas facti sunt. Auctus postea eorum est numerus, ut campos aqua carentes irrigarent. Nebuchodonosor, magnus sane Princeps, & ingentia molitus opera, hisce operibus se celebrem reddidit, utque fluenta Euphratis, damno regionem maximo mactantia, ex eadem deduceret, alveos inde primarios derivabat; & ut siccitati inde orituræ præveniret, ingentia ipse receptacula cum cataractis extruebat, indocilem fluvium, aquarumque incommoditates perdomiturus. Quamvis autem hæc aquarum abundantia a principio alveo, tum in Tigridem se præcipitanti, tum versus Arabiam decurrenti & mare intranti, potuisset sufficere; nihilominus magis est credibile, Euphratem non nisi unicum alveum naturalem habuisse, illum nempe, qui ipsum cum Tigride conjungebat; & illum alterum, ad Occidentem Euphratem deducentem, Arabum opus fuisse. Omnes antiqui, & illi etiam, qui hos alveos manu factos accuratissime descripserunt, tam asseveranter tamque constanti testimonio Euphraten cum Tigride per naturam conjungi, illosque,

qui

qui alios alveos fodiſſent, naturæ indicium ſolummodo ſecutos eſſe, affirmant, ut ſine temeritate contrarium nemo ſtatuere poſſit. Legimus in antiquo Abydeni fragmento, ab Euſebio [1] citato, totam hanc regionem aquis ab initio tantopere fuiſſe coopertam, ut mare eandem appellaverint. Hoc niſi ex emiſſionibus Euphratis eſſe non potuit, utpote cujus alveus valde attollebatur; adeo quidem, ut cum ipſum perrumpi contingeret, naturalis eum proclivitas in Babyloniorum campos deferret, quos poſtquam operuerat, in Tigridem eundem illabi neceſſe erat, quippe qui in proximo eſſet, alveumque haberet humiliorem. Et ſitus iſte in cauſa erat, quod Trajanus mutaret animum, quum novam foſſam ex Euphrate in Tigridem derivare conſtituiſſet, ut naves, ex quibus pontem ſuper Tigridem facturus erat, eo ducere poſſet. Metuebat enim, ne nimis multum aquæ ex Euphrate alio deflueret, & ipſe navigari amplius non poſſet.

1 Euſeb. Præp. Evang. lib. 9. cap. 41.

IV. Cum inundationibus iſtis per foſſas (quas facile admittebat regio iſta, pinguis & mollis, ſed quas ſæpe inſtaurari oportebat,) & aggeres remedium eſſet allatum, ad exemplum hoc Arabes, ut malo contrario ſe defenderent, a ſiccitate, inquam, terræ, quam habebant arenoſam, aquas Euphratis verſus ſuum latus vertere aggrediebantur; & cum regionem ſuam potaſſent, quod ſupererat, in mare evolvi patiebantur. Sed & ipſum poſtea per novas ſectiones exſiccabatur; fortaſſe etiam ductus iſte non niſi torrens erat, durante æſtate in mare dimanans, Euphrate ſe exundante. Quicquid hujus rei ſit, Aſſyrii atque Babylonii, quibus longa poſſeſſio has aquas veluti proprias reddiderat, huic furto ſe opponebant; unde magnæ inter has gentes contentiones ortæ. Sed videtur Alexander contentionibus hiſce finem adferre, & Babyloniis, quod ipſis proprium erat, reſtituere voluiſſe, cum Euphratem veteri alveo reſtitueret, alveo, cui Pallacopas nomen, quique in cauſa erat, ut alio deflectendus ipſi curſus eſſet, obſtructo. Qui foſſam iſtam faciebant, non aliud in mente habebant, quam quod habuerant, qui alias deduxerant, ſcilicet impedire hujus fluvii eruptiones æſtate contingentes, eo ipſo, dum fluenta ejus in ſtagna & lacus abducerent: ſed cum agri Babyloniorum per reliqua anni tempora ſicci exiſteſterent, in Arabum agros inde utilitate redundante, in priorem ſtatum Alexander reponere res conſtituerat; ut & Satrapa aliquis Babylonius jam antea iſtud conatus erat. Inchoabatur opus, ſed mors principis hujus obſtabat, ut tum temporis ſic, ut antea, non perficeretur. Alexander plures iſtorum ductuum ipſe introſpiciebat, alios repurgari curabat, alios aperiebat, alios obſtruebat, & nonnullos novos fieri jubebat. Complures Principes idem tentavere. Viſuntur adhuc hodie ad alveum, quem Tigris & Euphrates communem habuere, a dextra & ſiniſtra plures alii alvei manu facti. Perſæ in arte navigandi & commercio atque bello maritimo rudes, & ſibi ab invaſionibus, quæ per Tigridem & Euphratem in ſuas regiones fieri poſſent, metuentes, in pluribus hujus fluvii partibus cataractas atque aggeres excitaverant. Alexander ipſos in naturalem ſtatum reſtituebat, ita quidem, ut naves uſque ad Opim & Seleuciam per Tigridem, & uſque ad Babyloniam per Euphratem aſcendere poſſent. Cumque hac ratione ars pugnaret contra naturam, omnis iſta regio deformata fuit.

V. Cæterum mare, quod magno cum impetu apud anguſtias Armuziæ in ſinum Perſicum ſe effundit, cujuſque æſtuantis undæ uſque ad triginta leucas in Euphrate aſcendunt, acerrime iſtud latus diverberat, multaſque eidem clades infert. Hi vero violenti æſtus cum rapiditate Tigridis ingruenſque aliqua tempeſtas Trajanum cum legionibus, verſus inſulam, e diviſione Tigridis & Euphratis ortam, in magnum adducebant periculum. Regio iſta, quæ plana eſt, per aggeres aliquibus in locis defenditur. Sed cum in pluribus aliis liber undis marinis aditus pateat, per ſalem, quem acrem ſecum vehunt, fructus terræ internecioni dant, eamque reddunt ſterilem & infœcundam. Ipſe ille Nebuchodonoſor, cujus ſuperius memini, qui tam grandia molimina effectui reddebat, per moles validiſſimas mare hoc domabat, quemadmodum & Euphratem domuerat; Arabumque, magnorum in hoc tempore prædatorum, latrocinia reprimebat, urbe Teredone in aditu regionis illorum exſtructa. Proxime abhinc Orientem verſus fluviorum undæ tam multum in oſtia limum invexere, ut mare retroire coactum ſit; adeo quidem, ut propugnaculum Spaſini ad latus inter oſtium orientale Tigridis & Eulæi ſitum, quod olim nonniſi paulo plus quam dimidium leucæ a mari diſtabat, Plinii [2] tempore, ad quinquaginta leucas receſſerit, qui & affirmat, nullibi locorum tam magnum incrementum idque tam cito factum fuiſſe. Continere me tamen vix poſſum, ne credam, errorem in numero accidiſſe, id quod in libris antiquorum ſæpiſſime ſane evenit. Novi eundem Plinium [3] poſt Theophraſtum dicere, Euphratem & Tigridem nequaquam limo onu-

2 Plin. lib. 6. c. 27.

3 Plin. l. 18. c. 17. Theo-

phr. de caus.plant. l. 8. c. 7.

onustum esse, sed hoc nonnisi de undis ipsorum, quæ fontibus proximæ sunt, intelligi potest. Omnes enim fluvii, quibus exundationes frequentes sunt, necessario fiunt lutulenti, sicuti & qui hodie his in locis peregrinantur, aquas Euphratis mari appropinquantes valde referunt esse luteas atque cœnosas. Adde, quod propugnaculum Spasini non ad Euphratis & Tigridis, neque Eulæi ostia, sed ad marginem maris inter ostia horum fluviorum constituatur. Succedens tamen tempus mare in juris sui possessionem restituit; qui enim nunc regionem hanc incolunt, istis in partibus locum magnæ urbis ostendunt, infra aquas existentem. Præter omnes istas mutationes secundum Euphratis & Tigridis ripas plurimarum earumque pulchrarum urbium rudera conspiciuntur, quarum ab antiquis Historicis opulentia atque magnitudo extollitur.

VI. Mirandum est utique, Viros eruditissimos, Cardinalem Bellarminum, Patres Malvendam & Bonfrerium, negare potuisse, Tigridem atque Euphratem, postquam se conjunxerint, priusquam ingrediantur mare, se iterum separare. Quid faciamus ergo magnæ isti Insulæ ex ipsorum separatione exortæ, quæ a Philostorgio tam eleganter describitur, quæque hodie Chader appellatur, quum a Messeniis eam habitari, & ex parte aquis marinis, ex parte aqua dulci duorum fluviorum magnorum, quos Tigris, antequam in mare ingrediatur, se dividens producit, circumdari memorat? Neque exaggerationis loco habendum est, quod de magnitudine duorum istorum alveorum refert, cum Tigridis & Euphratis in unum alveum confluentium latitudo geminam Sequanæ, qualis est Parisiis, latitudinem cum dimidia æquet; totam vero leucam, cum mari fiunt proximi. Adjungamus Philostorgii testimonio Asinii etiam Quadrati, apud Geographum Stephanum [1], testimonium, hanc regionem, quæ Messena vocatur, memorantis inter Tigridem atque Euphratem esse inclusam. Præterea jam addamus Ptolemæi [2] testimonium, duo Tigridi ostia attribuentis, unum orientale, & occidentale alterum, urbemque Teredonem in medio ponentis. Sed numeri, quibus urbis hujus positus designatur, sine dubio laborant in hoc auctore aliquo defectu; urbs enim ista nequaquam in insula, sed ad ripam Arabicam alvei occidentalis posita fuit, cujus & hodie rudera commonstrantur. Subjungamus prærerea suffragium Xiphilini [3], Trajanum narrantis, subjecisse sibi insulam, Messenam nomine, quam Tigris prope ostium suum efficit; subjungamus ulterius testimonium Martiani Heracleotæ, qui de ostio aliquo Tigridis orientali loquitur, occidentale aliquod utique supponens. Addamus denique peregrinantium hujus temporis testimonium, & maxime Teixeiræ [4] Lusitani, & Thevenotii [5] Galli, qui duorum alveorum horum videre atque descripsere divisionem.

[1] Steph. in Μεσσήνη.
[2] Ptolem. l. 6. c. 3.
[3] Xiphil. Trajan.
[4] Teixeir. Relat. de son Voyag. chap. 3.
[5] Theven. Tom. 2. lib. 3. chap. 4.

CAPUT VII.

Continuatio explicationis versus undecimi.

I. *Communissima est opinio circa Phisonem, ipsum esse Gangem.* II. *Hujus opinionis fundamentum.* III. *Quæ non satisfacit objectionibus.* IV. *Alii credidere Phisonem esse Indum; alii, Hydapsen, alii, Hyphasin.* V. *Haython, Oxum;* VI. *Complures Rabbini, Nilum;* VII. *Alii, Phasin;* VIII. *Nonnulli, Danubium.* IX. *Alii, Nabarmalcam.* X. *Et alii denique, alveum orientalem ex duobus istis, in quos Tigris atque Euphrates conjuncti ambo se dividunt.* XI. *Ostenditur, Phisonem esse alveum occidentalem ex duobus illis, in quos Tigris atque Euphrates, postquam conjuncti fuere, dispescuntur.* XII. *Origo vocis Phison ad rem hanc probandam inservit.* XIII. *Plurimi virorum eruditorum habuere aliquam cognitionem, quid Phison sit.* XIV. *Phison suum postea nomen aliis fluviis communicavit.*

I. VErs. II. *Nomen unius est Phison.* Subintelligi hoc loco oportet nomen *fluvii*, quod postea exprimitur, cum de reliquis sermo est. Iste ex quatuor illis est, in quos magnus ille fluvius ex provincia Edene & ex Paradiso egrediens dispescebatur. Magni moliminis opus, & fastidium Lectori, multoque magis mihi creaturum esset, speciatim recensere tum diversas opiniones, quæ circa hunc fluvium foventur, tum Auctorum ista proponentium nomina, tum & rationes, quibus confirmandæ sententiæ suæ usi sint; magni & tædii esset istis examinandis atque oppugnandis me occupari. Saltem obiter easdem attingam, persuasus, optimam easdem con-

confutandi rationem fore, diligenter atque sollicite ipsam inquirere veritatem, atque operam dare, ut postquam ipsa inventa fuerit, solide confirmetur; hoc enim ubi factum fuerit, quicquid ab eadem discesserit, per semetipsum concidet. Omnium antiquissima & universalius recepta opinio est, Phisonem esse Gangem. Josephus [1] primus in eadem videtur fuisse, quam postmodum Eusebius, sanctus Ambrosius, sanctus Epiphanius, sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus, plurimi ex Ecclesiæ Patribus, & maxima Interpretum atque hodiernorum Theologorum pars sequuntur. Sectati & eandem sunt Indi ipsi, utpote quibus rationem præbuit, ut crederent, sanctum esse Gangem, peccata ipsorum delere, eosque, si in eodem abluantur, sanctificare; & post mortem salvaturum, si corpora sua in eundem demergantur.

II. Hæc opinio maxime in pulchritudine, divitiis atque commoditatibus hujus fluvii, quarum libri Peregrinantium pleni sunt, fundamentum habet. Quamvis enim Arrianus [2] scripserit, Indos, apud quos bellum gerebat Alexander, auro caruisse, nihilominus tamen aurum in ipsorum ditione extabat; Mosesque ad regionis indolem, non ad habitantium mores respexit. Certum est, Gangem in arena, & ad ripas aurum vehere; uti & certum est, eundem inter fluvios gemmas atque pretiosos lapides ferentes primo loco collocari; certum denique est, regna, Golcondam & Bisnagariam, quæ sunt a parte occidentali sinus Bengalæ, in quem Ganges se exonerat, margaritis atque gemmis abundare; & cum non probabile videatur, mediocres fluvios e loco ab ipsa Dei manu præparato atque exornato prodire, nonnisi celebrioribus in orbe fluviis honor hic attribui poterat. Sic itaque Gangis pulchritudo atque divitiæ induxere homines, ut ipsum e Paradiso egredi crederent, unde persuasio ipsis, cur sanctum eum esse existimarent. Sed porro, cum illi, qui Phisonem volunt esse Gangem, velint etiam Gehonem esse Nilum, ratio affertur alia, cur in istam sententiam iverint. Est locus Ecclesiastici [3], ubi de Deo dicit, *quod implet omnia sapientia, uti Phison & Tigris in diebus novorum. Quod replet intellectum, ut Euphrates & Jordanes tempore messis: quod splendere faciat doctrinam, ut lucem, & uti Gehon tempore vindemiæ*. Cum Patres locum istum legerent, persuaserunt sibi, Auctorem fluviorum istorum enumerationem ab Oriente inchoasse, & in Occidente finisse. Hebræorumque secutum esse consuetudinem, in descriptionibus Geographicis Orientem respicientium, & adeo Septentrionem a sinistra, Meridiem ad dextram ponentium; cumque hac ratione Phison orientalissimus ex quinque istis fluviis esset, existimarunt, illum non alium, quam Orientis nobilissimum fluvium esse potuisse, qui est Ganges. Post hunc est Tigris, utpote ex quatuor reliquis maxime orientalis; post eum Euphrates; deinde Jordanes, & denique Gehon, quem celeberrimum fluviorum in Occidente esse, ut Gangen inter eos, qui ad Orientem jacent, statuebant; neque hic, quem Nilo præferrent, inveniebant. Sed nihil est, quod urgeat, ut sanctum Auctorem illum, hoc ordine fluvios istos collocantem, huc respexisse, & non potius eosdem, ut forte inciderant, nominasse credamus.

III. Hoc fundamento posito, Phisonem esse Gangem, non multum facessere sibi putabant negotii, quod circa distantiam fontis ejus reliquorumque fluviorum ex eodem loco provenientium, objici ipsis poterat; hoc enim Hortum tam magnum fere, ut terram, fecisset. Sed hic ad conjecturas frivolas, aut ad commenta sine probatione, aut ad miraculum confugerunt, quod ordinarium illis est refugium, qui ratione tueri se non possunt, & secura, opiniones absurdissimas defendendi, ratio. Audierant, falso aliquos statuere, Tigridem atque Euphratem ab uno prodire fonte; audierant insuper, quod verum est, ipsos proxime hunc fontem se in terram submergere, & paulo post de novo erumpere. Cum itaque non satis examinassent, quam longus hic in abscondito sit cursus, enorme spacium spacio paucorum milliarium assignarunt; statuentes scilicet, fontem hunc, quem comminiscebantur, in quatuor fluvios fluenta sua divisisse, & hos quidem fluvios postea sub terram se abscondisse, cumque per secretos atque ignotos anfractus sub diversis regionibus atque maribus se devolvissent, in fine mundi iterum renasci. Cum hæc principii loco posuissent, fluvios elegerunt pro lubitu, ex quibus Phisonem atque Gehonem facerent. Et in libera utique fluvii qualicunque electione, non poterant melius, quam Gangem eligere.

IV. Qui apud Indum, ne tam procul abirent, vel apud Hydaspen, se eidem, ut quidam putant, conjungentem, aut ut alii, proprio ostio in mare se effundentem, subsistunt, easdem fere commoditates, quas alii in Gange, invenerunt. Hydaspes aurum fert atque gemmas, præterea Philostorgius [4], ut Hydaspen probaret esse Phisonem, ferre illum affirmat arborem, cariophylla proferentem, quem re-

[1] Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 2. Euseb. de locis Ebr. Ambros. de Parad. cap. 3. Epiphan. Ancor. c. 58. Hieron. Epist. 4. ad Rust. c. 1. & Quæst. Ebr. in Genes. Augustin. de Gen. ad liter. lib. 8. cap. 7.

[2] Arrian. Exped. Alex. lib. 5.

[3] Eccl. 24. 35. & seq.

[4] Philostorg. l. 3. c. 10.

regionis incolæ arborem Paradisi esse persuasi sint ; quodque ipse in uno momento febre laborantes , & in ipso æstu se in eundem fluvium immergentes , sanitati restituat.

V. Sed rationem divinare non possum , quam Haython Armeniæ princeps & ex ordine Præmonstratensi Religiosus , quamvis in Orientis rebus valde versatus , habuerit , ut Phisonem magnum illum fluvium Oxum , in mare Caspium a parte orientali cadentem , appellaret , cum tamen omnes inter Arabes scriptores eundem appellent Gehonem , persuasi hunc ipsum esse fluvium , a Paradiso egredientem.

VI. De cætero complures magni nominis iique antiquissimi Rabbini cum Arabibus , ac inter alios Interpres Scripturæ in Anglia excusæ , Nilo titulum Phisonis attribuerunt , ex iisdem fere considerationibus , quibus alii eundem Gangi assignarunt.

VII. Qui eum statuerunt esse Phasin , ex reportato aureo Vellere tantopere celebratum , nequaquam multum laborarunt , ut in eodem aurum reperirent . Fons ipsius non multum a fontibus Tigridis atque Euphratis distat . Aquæ ipsius exquisite bonæ sunt . In proximo mari inveniuntur uniones , sed tam fulvi , ut incolæ eosdem colligere haudquaquam dignentur . Sed ubi Onychem aliasque gemmas & Bdellium reperturi sint , non video ; multo minus , quomodo ex Colchide regio Chavilah fieri possit.

VIII. Cæsarius , sancti Gregorii Nazianzeni frater , & Severianus Episcopus mabalitanus , non cogitarunt sane de rebus omnibus hic concurrentibus , cum statuere haud sunt veriti , Danubium esse Phisonem . Quamvis enim fuerint aliqui inter Auctores vetustiores , Danubium inter fluvios , aurum atque gemmas vehentes , reponentes ; & Hungaria , quam perlabitur , ac Buhemia , quæ est in proximo , res istas suppeditare eidem potuerint , non puto tamen unquam in ipso aut margaritas aut Bdellium fuisse inventum , aut Germaniam unquam hunc sibi honorem , quod Chavilah sit , arrogavisse . Permulti sane inter ævi antiquioris eruditos , cum in rebus cæteris essent versatissimi , in Geographia rudes admodum fuere . Sic & Cæsarius , modo a nobis allegatus , eundem Phisonem , quem Danubium esse credit , non minus etiam Gangem atque Indum esse ; fluviumque hunc , postquam Æthiopiam & Elymaida , quam regionem Chavilah esse fingit , percurrerit , versus Gades in Oceanum cadere , existimat.

IX. Sed qui putarunt , ipsum Naharmalcam , unum ex alveis, Euphratem cum Tigride conjungentibus , esse potuisse , neque de rebus istis ; quas hic concurrere diximus , neque de natura hujus alvei , a Nebuchodonosore facti , & propterea a Chaldæis *Nahar malca* , a Græcis *Fluvius regius* nuncupati , cogitarunt . Inde enim consequitur , ipsum haudquaquam tempore Mosis , & multo adhuc minus , tempore Adami extitisse . Melius sane fecissent , si partes , ingenue fatentium , se ubi situs hic fluvius fuerit , ignorare , fuissent amplexi.

X. Inter omnes , qui circa investigationem hanc decepti sunt , illi maxime sunt excusandi , minusque omnium a veritate aberrarunt , qui Phisonem ex duobus illis alveis , Tigridem & Euphratem prope Apamiam conjunctos , iterum , antequam mare ingrediuntur , dividentibus , orientalem fuisse censent . Calvinus , sicuti jam supra annotavimus , hujus opinionis primus auctor est ; quam Scaliger & laudavit valde , & ipsam amplexus est , atque hunc postmodum secuti sunt alii plures . Et potuerunt sane in margine fluvii uniones , gemmas atque aurum reperire ; sed profecto regionem Chavilah hoc in loco nequaquam invenerunt.

XI. Postquam itaque ostendi , quid Phison ille non sit , superest , ut ostendam , quid sit . Diximus jam , ipsum occidentalem ex duobus illis alveum fuisse , in quos Tigris atque Euphrates postquam conjuncti fuere , se iterum dividunt . Ut persistamus conveniamusque in hac sententia , necesse est, ut memores simus , Mosen Pentateuchum suum in Arabia Petræa scripsisse , & inter quatuor fluvios , de quibus locutus est , hunc alveum proximum ipsi fuisse ; Unde naturalis utique ordo requirebat , ut primo loco illum nominaret . Qui post eum occurrebat , alveus erat orientalis ; nosque monstraturi sumus , istum alveum , quem ipse secundum appellat , revera fuisse Gehonem . Cum aliquis hoc alveo superato , ad sinistram conversus esset , ut eum in locum , a quo egressus fuerat , rediret , obvium primum Tigridem habebat , & postea Euphratem ; atqui hic ipse est ordo , quem Moses secutus est . Ut si ego Lutetiæ existens , quatuor illorum fluviorum , quos Gallia habet maximos , enumerationem instituere vellem , cum initium fecissem a Ligeri & per Garumnam pergerem , naturalis exigeret ordo , ut Rhodanum trajicerem , & ut qualemcunque hunc circulum perficerem , in Sequana finirem . Ob-

ser-

servandum porro est, Mosen plures ad dignoscendum Phisonem, quam ad ullum ex reliquis suppeditasse characteres; cum isto probe cognito, in reliquis tam facile aliquis hallucinari non possit. Addidit igitur nonnulla duobus sequentibus indicia, Gehoni & Tigridi, nullum addidit Euphrati, de quo dubius esse nequit, qui trium reliquorum habuerit notitiam.

XII. Ulterius ipsa vocis *Phison* origo nonnihil ad eundem a reliquis distinguendum conferet. In eo enim plurima Grammaticorum Hebræorum pars consentit, ipsam a verbo פוש *pusch* descendere, quod est *circumfluere*, *in abundantia esse; augeri*, *multiplicari*; aut a verbo פשה *pascha*, quod significat *se diffundere*, quoniam, ut superius jam memoravimus, tam violenti in hac extremitate Sinus Persici sunt æstus, tamque alte ascendentes, ut quamvis aggeres ipsi objecti sint, nihilo tamen minus late satis agros, utpote molles atque humiles, invadant. Sic itaque, Strabone [1] observante, totum istud latus lacubus, paludibus atque sabulo plenum est. Credibile autem est, tempore Mosis, cum nondum ars aliquid his invasionibus opposuisset, longe majores, quam nunc sunt, ibi locorum exundationes fuisse. Quare haud quicquam alveo istiusmodi tam frequentibus exundationibus obnoxio, convenientius quam *Phisonis* nomen imponi potuit; Sicuti & Josephus [2] apte satis id ipsum per nomen πληθὺς explicavit, quod est *abundantia*; Et adhuc melius Scaliger [3] per πλημμύρα, quod significat *exundationem æstus*, *fluxum maris*. Allusit ad hanc originem Auctor Ecclesiastici [4], cum de Deo dicit, quod *omnia sapientia implevevit*, *sicut Phison*. Novi quidem plures hujus vocis Etymologias alias allegari; sed quam nos exhibuimus, auctoritate atque suffragio Grammaticorum præstantissimorum nititur.

XIII. Schickardus, in Germania Professor, eximia linguarum atque rerum orientalium notitia illustris, veritatem ex parte vidisse videtur, cum in Commentario in Tarich Regum Persarum se persuasum esse scribit, fluvium Phisonem in Arabia esse quærendum, omnesque Paradisi fluvios in Sinum Persicum per ostia evolvi, quorum unum alteri sit satis propinquum. Steuchus [5] clarius adhuc de re ista loquitur, cum Phisonem ex Euphrate egredi, cursumque suum versus Arabes Chavilateenses extendere memorat. In eo tamen fallitur, quod Phisonem fluvium non a Tigride atque Euphrate, jam conjunctis, sed ex Euphrate ante conjunctionem prodire faciat. Arabes autem acu rem tetigere, contendentes, Phisonem Euphratis fuisse alveum, prope Bassoram præterfluentem. Nonnulli quidem istorum nomen hoc, ut alias a nobis annotatum est, Nilo dederant; sed alii acutius videntes, evitato errore, veritatem agnovere. Consulendus hac de re est Giggejus [6] & Golius [7]. Nescio vero an Pater Kircherus [8], Jesuita, chartam Geographicam, quam descriptioni turris Babelicæ inseruit, ab Arabibus, aut a propria eruditione, quæ diffusa fuit admodum, habuerit. In hac tabula quatuor fluviorum, Phisonis, Gehonis, Tigridis atque Euphratis cursum repræsentat, nomenque Phisonis alveo occidentali, & nomen Gehonis rivo orientali, Tigridem atque Euphratem conjunctos dividentibus, imponit; Bochartus [9], qui se accuratius atque diffusius in Paradisi terrestris descriptione mentem suam declaraturum super hac re prommittebat, eandem tamen suam declaraturum super hac re promittebat, eandem tamen divinandam tantummodo relinquit, cum in libro de animalibus Sacræ Scripturæ in transitu veluti atque obiter ait, Phisonem eum Euphrati ramum esse, quem Teixeira [10] in Relatione de itinere suo ab India in Italiam, se in Sinum Persicum ad Catipham prope Bahreinam præcipitare affirmat. Catipha urbs est ad latus Arabiæ orientale, unde Sinui Persico nomen maris Elcatiphi, quod hodie frequentatur, adhæsit. Bahreina insula est ejusdem Sinus, ab eadem Catipha decem circiter milliaria distans, de qua fortasse in sequentibus dicendi redibit occasio. Hunc alveum in Relatione suorum itinerum describit Thevenotius [11], eundem memorans inter terram firmam Bassoræ Insulam Chader procedere, & recta in Meridiem tendere; alveum orientalem idem nomen gerere ac Tigridem atque Euphratem conjunctos, appellarique *Schat-el-Arab*, hoc est, *Rivus Arabum*, & duo ista brachia insulam grandem Chader formare, cui Teixeira plus quam octoginta milliaria in longitudinem attribuit. Credo ipsum milliaria intellexisse Hispanica, quæ centum & viginti nostrorum conficerent. Alveus ab Occidente hanc insulam claudens, is esse videtur, quem Alexander fieri jusserat in terra petrosa atque solidiore, quam alvei naturalis, per quem versus Arabiam navigari poterat, quique ab alveo Alexandri vix duabus leucis distabat. Ultimus hic, qui ipse est, de quo loquitur Moses, facile per refluxum maris occludebatur, cum fundus ipsius lutulentus, quique facile turbari poterat, non admodum resisteret. Et hic erat proprie ille, qui Phison appellabatur: sed quoniam alveus

ab

[1] Strab. lib. 16.
[2] Joseph. Antiq. lib. I. c. 2.
[3] Scalig. de emend. temp. l. 5.
[4] Eccl. 24. 35.
[5] Steuch. Cosmop.
[6] Gig. Lex. Arab. T. 3. p. 1056.
[7] Gol. Lex. Arab. pag. 1839.
[8] Kircher. Tur. Bab. l. 1. c. 5.
[9] Boch. Hieroz. Part. 2. l. 5. cap. 5.
[10] Teixeir. Voyag. des Indes en Ital. chap. 3.
[11] M. Thevenot. T. 2. lib. 3. chap. 9. & 11.

ab Alexandro confectus, illi successerat, illique tam proximus erat, nomen istius retinere eundem permittimus, consuetudinem vulgatam secuti, quæ fluviorum nomina haudquaquam mutat, cum cursus ipsorum aut ostia mutantur, non magis quam urbium nomina, cum in alium locum transferuntur.

XIV. Nomen itaque Phison Mosis tempore occidentali huic alveo, versus Arabiam progredienti, proprium erat; sed postmodum Tigridi cum Euphrate permixto, commune factum est: unde porro de nominibus Phisonis & Tigridis nomen Pasitigridis factum est, quod & alveo Orientali tributum est; adeo ut nomina Tigridis, Euphratis, & Pasitigridis omnibus fere Euphratis partibus promiscue imposita sint, quæ inter conjunctionem ejus cum Tigride, & mare habentur. Quemadmodum hodie nomen *Schat-el-Arab*, hoc est, *Fluvius Arabicus*, his omnibus partibus inditur: utque tantò magis confusio augeretur, Alexandri exercitus ab Oriente rediens, fluvio Oroati Susianam ab Oriente finiens, nomen Pasitigridis, eandem ab Occidente terminantis, imponebat; sive errorem hac in re committebant, sive id ex industria faciebant, decus affectantes, quasi locis, quibus arma sua inferebant, illustria darent nomina, hoc ipso victorias suas multo celebriores reddituri. Sic Caucasi nomen monti Paropamissi, nomenque Tanais fluvio Orexarti dabant. Cum postea Historici victorias Alexandri juxta militum horum relationes conscribere aggrederentur, neque falsum Pasitigridem, hoc est, Oroatem, a vero, hoc est, a Tigride distinguerent, Pasitigrides fecerunt non solum ex fluviis istis duobus, sed etiam ex Eulæa, qui idem est, ut aliqui putant, ac Choaspes; quique secundum alios eundem suum tantummodo in rivum recipit: cumque ipsi nomen Pasitigridis dedissent, ipsum porro Tigridis atque Euphratis nomen eidem gerere dederunt. Tigrin quidem appellat Benjamin Tudelensis (Itin. pag. 86. & 203.) cum suspicari quoque liceat sic dictum fuisse ex nomine Tiritiri, quod posterioribus temporibus fluvio huic adhæsit. Nisi quis dicat vocabulum Tiritiri ex ipso Tigridis nomine esse detortum.

CAPUT VIII.

Continuatio explicationis versus undecimi.

I. Diversæ opiniones circa terram Chavilah. II. Verus terræ Chavilah, quam percurrebat Phison, situs ostenditur.

I. VErs. 11. *Is circumibat terram Chavilah*. Tutissima ad agnoscendum Phisonem indicia apposuit hic Moses, cum ipsum dicit terram Chavilah alluisse; in hac regione bonum aurum & margaritas & Bdellium & lapidem Onychem inventum fuisse. Quod si itaque demonstravero, characteres istos unice fluvio, quem Phisonem esse contendimus, convenire, non erit, quod aliquis adversus sententiam nostram controversiam moveat. Et hic incipiendum illis erat, qui hujus fluvii situm, de quo opiniones tam discrepantes retulimus, investigarunt. Quod si enim regionem aliquam Chavilah deprehendissent, fertilem auri, margaritarum, lapidumque pretiosorum, reperissent ibidem etiam fluvium, qui aliqua parte cum Gehone, Tigride atque Euphrate conjunctus fuisset, facileque fuisse inde colligere, fluvium istum Phisonem esse debere. Sed cum hoc debuissent facere, Phisonem potius eum in locum, qui ipsis arridebat, & ferme ut casus tulit, posuero, postmodumque illam regionem, quam elegerant, in quam Phisonem ponerent, Chavilah appellarunt. Et quemadmodum ex istis, quas attulimus, opinionibus duæ istæ communiores sunt, Phisonem esse Gangem, aut ex duobus alveis, Tigridem atque Euphratem post ipsorum conjunctionem iterum dividentibus, orientalem: sic quod ad regionem Chavilah attinet, duæ istæ feruntur opiniones communiores, aut ipsam Indiarum quas Ganges percurrit, partem esse, ut maxima pars ex Patribus credidit; aut Susianam, quæ respectu hujus alvei Orientem prospectat. Josephus, [1] quem Hieronymus, [2] pluresque alii secuti sunt, aliam in Africa Chavilah ab Occidente commentus est, Getuliæ istud nomen attribuens, ut tamen hujus rei nullam afferat rationem. Nec aliam ego video, quam convenientiam, quæ inter vocabula Chavilah & Getuliæ, si literæ paulullum trasponantur, intercedit. Quod si hæc probatio locum invenit, recipienda erunt omnia anagrammata, veluti argumenta, quibus contradici nequaquam oportet.

[1] Joseph. Antiq. l. 1. cap. 7.
[2] Hieron. Quest. Ebr. in Gen.

II.

II. Ut itaque inveniamus Chavilah, vestigia sequenda sunt, ab ipsis sacris Scriptoribus signata. In capite decimo Geneseos [1], in quo dispersio gentium, quæ post confusionem Babelicam facta est, accuratissime descripta est, & ubi nomina Patriarcharum atque gentium auctorum, fere iisdem, quibus nationes ipsæ, gaudentium nominibus, referuntur, duo Chavilah inveniuntur; unus, filius Chus, & alter, filius Jectan. Bochartus, qui eruditissime in Phaleg hoc caput interpretatur, ostendit, ultimum hunc Chavilah gentis conditorem esse, quæ regionem Chaulan incoluit, ad latus orientale Sinus Arabici, ad occidentem vero respectu Arabiæ felicis, sitam. Hæc regio nihil quicquam commune habet cum illa, quam nos investigamus; sed bene altera, quæ nomen a Chavilah filio Chus accepit, quemadmodum nos idem docet Bochartus. Moses [2] Auctorque libri Samuelis [3], perspicue satis atque clare situm hujus terræ Chavilah indicant, cum duas Arabiæ, terrę sanctæ vicinę, exprimere cupientes extremitates, Chavilah & Sur nominant. Sur desertum erat in aditu Ægypti, versus extremitatem Sinus Arabici. Necesse itaque est, ut Chavilah ab altera parte Arabiæ jacuerit, versus extremitatem Sinus Persici, hoc est, incipiens ab Occidente ostii illius alvei, quem nos volumus esse Phisonem; & pertingens versus Meridiem juxta latus occidentale ejusdem Sinus, usque ad Catipham. Et Josephus [4], cum hæc eadem facta, quæ in locis Mosis & Libri Samuelis exponuntur, referre, & eosdem distantiæ hujus fines designare vellet, pro Sur Pelusium, urbem principalem, quæ e Palęstina in Ægyptum tendenti occurrit, juxta Mare se extendens, & pro Chavilah mare Rubrum seu Erythræum ponit, his ipsis verbis perspicue sane situm regionis Chavilah designans. Neque incolæ ipsius profanis Auctoribus ignoti fuere, quippe quos Chaulothæos, Chablasios, & Chavelæos appellitant, nominibus manifeste a nomine Chavilah, (aut, ut in statu constructo id nominis scribitur, Chavilath) derivatis, eosque inter Nabathæos & Agræos, populos origine Ismaelitas, Arabiam desertam prope extremitatem Sinus Persici inhabitantes, collocant. Complures recentiorum eruditione florentinum, & inter alios Steuchus, Beroaldus, Grotius, Hornius & Bochartus, Chavilæ hunc situm agnovere, satis pervidentes, hos, quos modo nominavi, populos & nomen & situm inde accepisse. Fortasse & Calathua Arabiæ desertæ urbs, quam Ptolemæus circa eadem loca collocat, aliqua ratione huc pertinet.

[1] Gen. 10. 7. Gen. 10. 26. & seq. & 1. Par. 1. 23.

[2] Gen. 25. 18.

[3] 1. Sam. 15. 7.

[4] Joseph. Antiq. l. 6. c. 8.

CAPUT IX.

Continuatio explicationis versus undecimi & initium explicationis versus duodecimi.

I. *Aurum Arabiæ.* II. *Et cumprimis aurum Chavilæ.*

I. NOndum exhausta sunt omnia: superest, ut aurum hic, idque bonum aurum, inveniamus. Sed hoc difficile non erit. Non enim sacri duntaxat Auctores, sed & profani aurum atque divitias Arabiæ maximopere extollunt. Diodorus auctor est [5], in Arabia aurum inveniri genuinum, colore tam vivido, ut ignis splendori quam simile sit; & tam purum, ut neque coctione neque expurgatione opus habeat. Versus occidentem hujus provinciæ in regione Alilæorum & Cassanitarum tam ingenti copia aurum reperiebatur, ut minori id pretio quam argentum, cuprum atque ferrum æstimaretur. Quantas copias Sabæi aliique Arabum possederint, ex muneribus, quæ Regina ex Saba omnesque Arabiæ reges Salomoni offerebant, aliisque Scripturæ testimoniis; denique & ex eo, quod scripsit Agatharchides, Sabæos Syriam auro implevisse, judicari potest. Multi vero ex Arabiæ populis nomen Sabæorum gerebant. Sed ut accedamus Chavilah, ad latus Occidentale & Meridionale Sinus Persici jacentem, dubitari non potest, quin [6] de populis in eodem latere commorantibus sermo sit, cum Tyrum, Civitatem, allocutus, mercatores Arabiæ, Dedan & Kedar commeatum atque annonam ipsi suppeditare memorat; & quod negotiatores ex Saba & Rhegma auro atque lapidibus pretiosis & omnis generis aromatibus mercaturam ibi facerent; quod Haran, Chene & Eden; Saba, Assur & Chelmad pretiosas ex omni genere merces ipsi venderent. Omnes istæ nationes magnum inter se per Euphratem atque sinum Persicum exercebant commercium: ubi inprimis observandum est, Prophetam Edenem, regionem, ubi situs erat

[5] Diodor. lib. 2. & 3.

[6] Ezech. 27. 20. & seqq.

erat Paradisus, cum Saba, Chavilæ vicina, conjungere. Et ista etiam est Saba, ad quam spectant verba, quibus David [1] sub persona Salomonis Christum in Psalmo Prophetico septuagesimo secundo compellat, prædicens ipsi, Reges ex Saba [2], munera atque aurum ex sua regione ipsi apportaturos esse; quod vaticinium tum temporis impletum fuit, cum Magi, ut communissima fert opinio, ex Arabia venientes, Domino nostro aurum, thus atque myrrham offerrent. Rhegma etiam, de qua loquitur Ezechiel, urbs erat Arabiæ, ad eundem Sinum consistens, atque auri & lapidum pretiosorum fertilis.

[1] Psalm. 72. 10. 15.
[2] Matth. 2. 1. 11.

II. Cum itaque Arabia divitiis & maxime auro eoque optimo adeo abundaret, quis ambigat, ipsam auri commercium cum provinciis vicinis ad Euphratem, quæ regio cæterarum omnium frequentissima erat, exercuisse? Præterea cum Provincia Chavilah in confinio harum regionum sita esset, necessum erat, ut præter quod ipsa ferebat, ex aliis adhuc provinciis magnam auri copiam atque vim suis in emporiis atque apothecis propter frequentes transitus atque appulsus, quos mercatores istis in locis faciebant, possideret.

CAPUT X.

Continuatio explicationis versus duodecimi.

I. *Diversæ opiniones de significatione vocis Hebrææ* ברלח Bedolach. II. *Duæ maxime sunt probabiles, altera, quæ Gummi Aromaticum fuisse vult; & altera, quæ margaritas fuisse contendit.* III. *Celeberrima, quæ sit in mundo, margaritarum captura, fit prope Chavilah.* IV. *In eadem ragione multum etiam inveniebatur Bdellii.*

I. VOx Hebræa ברלח *Bdolach*, quam per *Bdellium* reddidimus, diversimode ab Interpretibus translata fuit. Septuaginta volunt, eandem hic Carbunculum significare, & capite undecimo Numerorum, Crystallum. Et istos quidem in prima illa explicatione maxima Patrum Græcorum atque Latinorum pars secuta fuit. Sanctus Hieronymus post Josephum [3], & tres illi Interpretes Græci, Aquila, Theodotion, & Symmachus reddunt hoc verbum per *Bdellium*, quod gummi est odoriferum, & quod aliqui putant id esse, quod nos vocamus l'Anime. Sunt tamen, qui Ebenum vel Piper vel Cariophyllum esse volunt. Interpres Persicus Beryllum fuisse contendit. Arabici & Syrus Interpretes, Rabbini aliqui, interque illos inprimis Sadias Gaon & magnus, qui ipsos sequuntur, hominum eruditorum numerus, margaritas esse sustinent. Alii Rabbini Crystallum, alii Adamantem, alii Jaspidem, alii Smaragdum, aut alium lapidem pretiosum, fuisse censent.

[3] Joseph. Antiq. lib. 3. c. 1.

II. Ex omnibus istis opinionibus duæ sunt maxime probabiles, quæ & eruditos in partes abire fecerunt, una, quæ *Bedolach* de gummi aromatico, & altera, quæ de margaritis explicat. Locus ex Numerorum libro [4], qui ad probandam ultimam hanc opinionem allegatur, mihi rem ipsam tam clare decidere videtur, ut non videam, quid contra eundem excipi possit; cum enim Moses Mannam vellet describere, semini Coriandri similem, & coloris bedolach fuisse dicit. Constat autem ex alia Mannæ descriptione, quæ in Exodo occurrit [5], eam secundum versionem Septuaginta Interpretum candidam fuisse & albicantem; id quod in margaritas, non minus quam rotunditas mannæ, & nequaquam in Bdellium, convenit. Unde est, quod Thalmudistæ [6], quemadmodum erudite observavit Bochartus [7], cum hanc Mannæ descriptionem ex Numerorum libro referunt, non dicant fuisse eam coloris bdellii, sed coloris margaritarum fuisse asserant. In ista controversia non est, cur ad has vel istas partes accedam. Sufficit pro instituti ratione ostendere, Hebræum *Bedolach* sive pro margaritis, sive pro bdellio accipiatur, utrumque regioni Chavilah convenit.

[4] Num. 11. 7.
[5] Exod. 16. 14.
[6] Thalm. Joma, c. 8.
[7] Boch. Hieroz. Part. 2. l. 5. cap. 5.

III. Quod enim ad margaritas spectat, certum est, nullum in mundo esse locum, ubi pulchriores & in majori quidem copia, quam in mari capiantur, quod circa Bahreinam est, Sinus Persici insulam, decem leucis ab urbe Catipha distantem; hoc est, in mari, quod latera regionis Chavilah verberat, ac ubi ostium Phisonis conspicitur. Non replebimus opus istud infinitis citationibus, ut ostendamus, quanta sit margaritarum in Sinu Persico multitudo, & quanto in pretio tum apud Auctores antiquos, tum recentiores habeantur. Ampliter satis atque fuse jam olim in Observatio

vationibus nostris in Origenem hac de re, allegatis ex Antiquitate testimoniis, scripsimus. Sed quia verendum est, ne in eam opinionem descendat Lector, nos fidem tantummodo postulare, cum non habeamus, unde debito ipso nos exolvamus, aliqua saltem, quorum auctoritas fidem dictis facile conciliare potest, allaturi sumus. Nearchus, unus ex Alexandri duobus, qui classem ipsius ab India usque ad intima deducebat, de insula, quæ in hoc Sinu est, margaritarum pretiosissimarum fertili loquitur. Isidorus Characenus [1], qui paulo post vixit, idem dicit. Ita Plinius [2] cum margaritas prædicasset, quæ iu Indorum maribus reperiuntur, præcipuam laudem illis deberi dicit, quæ versus Arabiam, in Sinu Persico capiuntur; alioque in loco Insulam Tylos, quam plurimi credunt esse Insulam Bahreinam, celebrat, ubi hæc captura instituatur. Arrianus, Auctor Peripli maris Rubri, Arabiæ margaritas unionibus Indicis præfert. Ælianus [3] accurate satis rationem modumque capturæ, &, in quo habebantur, pretium describit. Origenes [4] auctor est, margaritas Indicas omnes alias pretio superare, & inter margaritas Indicas, quæ in mari Rubro capiuntur, reliquis esse præferendas. Quæ verba ostendunt, eum mare Persicum maris Indici partem fecisse; cujusmodi verbis & Plinius utitur [5]. Et sane omne istud mare magnum, quod latus Asiæ & Africæ meridionale circumfluit, in duo maria dividebatur, in mare Indicum atque Æthiopicum: & mare Indicum, ea etiam parte, ubi Indiam contingit, mare Rubrum seu Erythræum nuncupabatur. Unde concludere licet, laudes, quas Veteres margaritis Indicis attribuerunt, margaritis Arabicis convenire posse; sed non pariter, quod dictum est de margaritis Arabiæ, commune margaritis Indicis fieri posse; quod enim ad totum spectat, habita proportione, unicuique parti competit: sed quod unicuique parti convenit, non toti statim convenit. Rabbi Benjamin Navarrus, qui ante annos quingentos & quinquaginta in vivis fuit, cum Catiphæ esset, circa margaritarum capturam, quæ singulis annis instituitur, & de ratione illius erudiri se faciebat, cujus rei narrationem Itinerario suo, quod nobis reliquit, ipse inseruit. Teixeira Lusitanus [6], alius Peregrinator, capturam istam accuratius adhuc descripsit. Refert enim, margaritas hujus maris pulchriores esse & pondere graviores, quam aliorum locorum, & singulis annis in Insula Armuzia plures longe, quam pro quingentis millibus ducatis, vendi. Quibus adjiciendum, aliorum recentium peregrinatorum testimonium, Balby [7], Linschoti [8], Vincentii Blanci [9], celeberrimi Tavernerii [10], atque Thevenotii [11], itineribus suis atque scriptis satis ostendentis, quam eo quod gerit, nomine dignus sit. Præter capturam prope Bahreinam, eam etiam, quæ prope Carek fit, aliam ejusdem Sinus Insulam, quæ videtur esse Ichara, sive Icaria veteribus memorata vicinior ostio Phisonis est, descripsit. Multa hujus maris loca alia, imo totum Arabiæ latus, a Mascato usque ad Catipham, margaritas ferunt. Postremus hic locus ad Emirum Arabem pertinebat; sed Bacha Bassoræ eundem sibi subjecit. Bahreina vero Persarum regi subjecta est.

IV. Qui Bedolac Bdellium esse sustinent, id quoque in Arabia inveniunt. Habemus hac de re clarum Dioscoridis [12], Bdellium Sarracenorum Bdellio Indico præferentis, testimonium; in qua sententia videas etiam esse Isidorum [13] & Sylvaticum [14], ita & Galenus [15] Bdellium Arabicum cum Scythico, hoc est Indico (pars enim Indiæ Meridionalis Scythia & Indo-scythia appellata fuit) comparans, ejusmodi prærogativas Arabico attribuit, quas posteriori haudquaquam adscribit. Plinius [16] pluris facit Bdellium Bactrianæ, quam Arabiæ; sed Arabiæ reliquis omnibus præfert. Arborem istam in arenis Sinus Persici, quam maris fluxus suis undis cooperit, nasci commemorat; nec scio satis, annon hoc istud fuerit, quod Strabo [17], Nearchum, quamvis eum non nominet, secutus, commemorat, quum nasci idem in insulis ante Euphratem sitis, habere odorem veluti thuris, ejusque radices disruptas succum odoriferum præbere refert. Sed è quocunque demum Arabiæ loco veniat, oportebat sane, ut regioni Chavilah importaretur, quicquid in regiones ad Tigridem & Euphratem, & quodcunque modo reliquum est in Asia Septentrionali, transferendum erat. Indeque est, cur Arrianus dicat [18], in urbe Diridotis, quæ ipsa est Teredon, cujus hodierno etiam die versus ostium Phisonis conspiciuntur ruinæ, magnum aromatum omnisque generis medicamentorum exerceri commercium.

[1] Isid. Characen. ap. Athen. l. 3.
[2] Plin. l. 6. c. 28. & lib. 9. c. 35.
[3] Ælian. de anim. l. 10. c. 13. & l. 15. cap. 8.
[4] Orig. in Matth. 13. 45.
[5] Plin. l. 9. cap. 35.
[6] Teix. hist. Ormuz. c. 19.
[7] Balby To. 2. Ind. Orient. de Bry. Part. 7. c. 15.
[8] Linschot. cap. 5.
[9] Vincent. Blancus par. 1. c. 10.
[10] Tavern. Tom. 1. l. 2. c. 9. l. 4. c. 2. To. 2. l. 2. cap. 20.
[11] Thev. To. 2. l. 3. c. 11. & To. 3. c. 11.
[12] Dioscor. l. 1. c. 81.
[13] Isidor. Etym. lib. 17. c. 8.
[14] Sylvat. Pandect. in Bdellium.
[15] Galen. de Simplic. medic. fac. lib. 6.
[16] Plin. l. 12. c. 9.
[17] Strabo lib. 16.
[18] Arrian. Indic.

C A P. X I.

Continuatio explicationis verſus duodecimi,

I. *Diverſæ opiniones ſuper ſignificatione vocis Hebrææ* שהם Schoham. II. *Arabia olim regio erat maxime omnium gemmis abundans.* III. *Perſuaſi fuerunt antiqui, Onychem in Arabia tantum inveniri.*

I. VErſionem Vulgatam ſecuti ſumus, cum vocem Hebræam שהם *Schoham* per vocem *Onyx* reddidimus; quamvis fortaſſe optima non ſit, & ipſam ex iiſdem rationibus per vocabulum Berylli tranſferre poteramus. Conſentiunt in eo homines eruditi, nominum Hebræorum, gemmis impoſitorum, ignorari hodie ſignificationem, obſervatumque eſt, ex gemmis, quæ in Rationali Summi Sacerdotis erant, non niſi Sapphirum & Jaſpidem fuiſſe, ſua nomina retinentes. Sed aſſeveraverim, non ſatis nos certos eſſe, gemmas, quas Hebræi Sapphirum & Jaſpidem nominant, illas ipſas eſſe, quæ hoc nomine hodie veniunt. Si enim nomina plantarum Græca tam inſignibus æquivocationibus ſunt ebnoxia, Hebraica Gemmarum nomina tanto magis iiſdem laborabunt. Cujus rei vox [1] *Schoham*, de qua nunc agimus, elegans præbet exemplum. Septuaginta eandem hoc in loco per *Praſinum* reddentes, aliis in locis per *Onychem*, aliquando per *Smaragdum*; modo per *Beryllum*, modo per *Sappihrum*; & modo denique per *Sardum* transferunt. Tres reliqui Interpretes Græci, Aquila, Theodotion, & Symmachus, Onychem; Philo [2], Smaragdum, Septuaginta viris [3] hac in parte inhærens; & [4] Joſephus denique, Sardonychen eſſe volunt. Cum ſanctus Hieronymus verſionem hanc refert, reſpondere eandem verſioni Aquilæ, & ipſi fonti Hebræo ait. Unde conſequitur ſanctum [5] Hieronymum cenſuiſſe, Hebræum *Soham* Onychem ſignificaſſe, & Onychem atque Sardonychem rem eſſe eandem. Sic igitur, cum iſtam vocem hoc in loco *Onyx* in Vulgata tranſtuliſſet, in libro Jobi [6] eandem *Sardonyx* transfert. Saadias videtur eandem foviſſe opinionem, cum lapidem, ait fuiſſe pretioſum, candidum atque nitidum. [7] Aben Ezra eundem allegans, ſuam hujus rei confitetur, ignorantiam. David de Pomis, & omnes fere Dictionariorum Hebraicorum concinnatores & ipſi pro Onyche ſentiunt. Sed Interpretes Chaldæi. Onkelos & Jonathan, Interpres Arabs & Syrus, Moſes Barcepha [8] eundem, ut erat Syrus, ſecutus, Soham pro Beryllo accipiunt. Ut iſtas opiniones tam diſcrepantes conciliaret Arias Montanus [9], Beryllum Onychis ſpeciem eſſe cenſet. Verſio antiqua Italica [10], Euſebius [11], Severianus [12], ſanctus Ambroſius [13], ſanctus Auguſtinus [14] & plures Eccleſiæ Patres alii ſequuntur hic Septuaginta, vertentes hanc vocem ſicuti iidem *lapidem Praſinum*. Sanctus tamen Epiphanius [15], ut Interpres Chaldæus, Beryllum vertit.

II. Hanc opinionum diſcrepantiam ex ea ratione allegamus, ut oſtendamus ſcilicet, nihil certi de lapide Soham proferri poſſe; & quod inde ſatis nobis eſſe debeat, ſi demonſtremus, quam olim Arabia gemmis fœcunda fuerit. Olim dixi, nam hodie res iſta non ſe amplius ita habet, magno eorundem commercio in Oriente ſeſe exercente. Primo inter probationes loco ponamus locum Ezechielis [16], jam ſupra a nobis citatum, ubi Propheta iſte in recenſione præcipuarum mercium ex Saba & Rhegma, locis Arabiæ felicis, & ad latus Orientale non procul a Chavilah ſitis, in quibus Arabes cum Tyriis faciebant commercium, venientium, aromata ponit omnium pretioſiſſima, gemmas atque aurum. Nearchus, qui Sinum Perſicum navigaverat, referente Strabone, affirmat, plures fuiſſe in iſto ſinu inſulas, gemmas ferentes, quæ magnum fulgorem emiſerint. Idem Strabo [17], divitias Arabiæ, ait, in gemmis atque præſtantiſſimis odoramentis conſiſtentes, quorum negotiatio multum ipſi aurum atque argentum, præter quod regio ipſa ferebat, attrahebat, Auguſtum induxiſſe, ut eo Ælium Gallum mitteret, hos populos ſibi conciliaturum, & ex ipſorum divitiis lucra facturum, aut eoſdem ſub jugum miſſurum. Diodorus [18] prolixus eſt admodum in recenſendis præcipuis Arabiæ muneribus, & maxime gemmis; hanc regionem affirmans eaſdem omnis generis ferre, quæ & propter varietatem & propter ſplendorem in coloribus admodum æſtimandæ ſint, ipſeque præterea in cauſas naturales hujus rei inquirit. Plinius, qui ultimum librum integrum in hujus argumenti illuſtrationem impendit, quique ſatis curioſe gemmarum regiones annotat, ex Arabia provenire ſtatuit, quæ æſti-

[1] Job. 28. 16. Exod. 28. 9. & 35 25. & 39. 5. Exod. 28. 20. & 39. 5. Ezech. 28. 13. Exod. 35. 9.
[2] Phil. de Monarch. lib. 2.
[3] Exod. 28. 9.
[4] Joſeph. Antiq. l. 3. c. 8. & 9. de bell. Jud. l. 6. c. 15.
[5] Hier. Epiſt. 128. ad Fabiolam, de veſte ſacerdotali.
[6] Job. 28. 16.
[7] Aben Ezra in Geneſ. 2. 12.
[8] Moſ. Barc. c. 21. & 28.
[9] Arias Mont. in l. Aaron.
[10] Ital. verſ. ap. Hieron. Quæſt. Ebr. in Geneſ.
[11] Euſeb. de locis Ebr.
[12] Sever. Hom. 5. in Hexaem.
[13] Ambroſ. de Parad. cap. 3.
[14] Auguſt. de Geneſ. ad liter. l. 8. cap. 7.
[15] Epiph. de XII. gemm.
[16] Ezech. 27. 22.
[17] Strab. l. 16.
[18] Diod. l. 2.

æstimatissimæ sunt. Quamvis vero multo ibi hodie sint, quam tum temporis, rariores, cum lapidum pretiosorum fodinæ non aliter ac metallorum, diuturnitate demum temporis exhauriantur, Peregrinatores tamen, rerum naturalium Investigatores & Gemmarii nonnullos illic inveniunt. Giulfal enim & Bahreina nonnihil, ac plus etiam Arabia ipsa subministrat.

III. Quod si tamen locum Mosis nihilominus ad Onychem velit aliquis restringere, habebit pro se testimonium Plinii, antiquos, inquientis, persuasos fuisse, Onychem non alibi, quam in Arabiæ montibus inveniri.

CAPUT XII.

Explicatio versus decimi tertii.

I. *Duæ communissimæ opiniones de Gehone feruntur; una, quæ vult, quod Nilus sit; & altera, quæ vult, quod sit rivus occidentalis ex duobus istis, in quos Tigris atque Euphrates conjuncti se dividunt.* II. *Fundamentum opinionis, quæ Gehonem vult esse Nilum.* III. *De Nomine Hebræo* שיחור Schichor, *quod Jeremias imponit Nilo, quodque Septuaginta reddiderunt per* γηῶν. IV. *Quare creditum fuit, Nilum & aliquos alios rivos ex cœlo venire.* V. *Confuderunt Oxum, atque Nilum.* VI. *Fundamentum opinionis, quæ vult, Gehonem esse rivum occidentaliorem ex duobus istis, qui Tigridem atque Euphratem conjunctos dividunt.* VII. *Gehon est rivus orientalis ex duobus confluentem Euphratis & Tigridis dividentibus,* VIII. *Origo vocis Gehon hujus rei inservit probationi.* IX. *Quare Moses non ita, ut Phisoni, signa aliqua Geboni apposuerit, & quare creditum fuerit, Nilum egredi ex Euphrate.*

I. VErs. 13. *Et nomen secundi fluvii est Gebon: is est, qui circumit totam terram Chus.* Fluvius Gehon non minus quam Phison sententiis diversis laborat. Ab aliquibus pro Gange, ab aliis & præsertim ab Arabibus pro Oxo habetur. Fuerunt, qui eundem pro Araxe; pro Naharmalca, uno ex alveis manu factis, Euphratem Tigri jungentibus; pro Naharsare, maxime inter hos rivos occidentali, & denique pro torrente ejusdem nominis Gehon, qui proximus est Hierosolymæ, haberent. Prætermitto alias adhuc opiniones, ut ad duas illas veniam, quæ plurimos habent fautores; illam dico, quæ Gehonem Nilum esse; & istam, quæ esse ipsum rivum maxime orientalem ex duobus, Tigridis & Euphratis confluentem dividentibus, sustinent, quem nos monstravimus esse Phisonem.

II. Istarum opinionum prima, quæ Gehonem vult esse Nilum, Josephi [1], & maxima ex parte Patrum Ecclesiæ, magnaque multitudine sacræ Scripturæ Interpretum. Abessyni valde hac sibi sententia placent, non agnoscentes Nilum, quam sub nomine Gichon, simili errore, qualis est ille, qui ipsos induxit, ut Reginam de Saba sua in regione imperasse, suosque reges ex Salomone atque ipsa ducere originem; ac Memnonem suum fuisse popularem dicant. Opinio hæc fundata ab initio in loco Ecclesiastici [2], supra a nobis allegato; ubi sicuti in enumeratione quinque fluviorum, Phisonis, Tigridis, Euphratis, Jordanis & Gehonis Auctorem existimarunt ab Oriente cœpisse, & necesse adeo esse, ut Phison esset Ganges; ita crediderunt etiam, ipsum finiisse in Occidente, & propterea Gehonem esse Nilum; imo persuaserunt sibi ulterius, id ipsum sensisse Septuaginta, quoniam in secundo capite Jeremiæ [3] vocem Hebræam שיחור *Schicor* per γηῶν reddiderint.

[1] Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 2.

[2] Eccles. 24. 35. seq.

[3] Jer. 2. 18.

III. Meretur sane locus iste, ut paulum expendatur. Exprobrat Deus Israelitis, quod obliti fiduciæ sint, quam in se collocare debebant, præsidio Ægyptiorum atque Assyriorum implorato. *Quid tibi vis*, inquit ad ipsos Deus, *in via Ægypti, ut bibas aquam Nili?* Septuaginta reddiderunt, ὕδωρ γηῶν, *aquam Gehon*: sanctus vero Hieronymus, *aquam turbidam*. *Schichor* tamen proprie non significat *turbidum*; sed *nigrum*; quod nominis Nilo impositum est, quoniam undas habet nigras. Ex hac ratione Ægyptii ipsum pingebant colore nigro, sub persona Osiris, Græcisque appellabatur μέλας, *niger*, & Latinis *Melo*; unde volunt aliqui, vocabulum *Nilus* effictum esse. Falluntur tamen. Hoc enim nomen a *Nuchul* descendit, quo nomine ipsum appellabant, qui ad ripas ejus habitabant, ut docet nos geographus Æthicus. Nuchul vero idem est, quod Hebræum נחל *Nuchul*, quod *torrentem* significat, uti sa-

cri Scriptores, propter inundationes ordinarias ex pluviis ortas, frequenter eum nuncupant. Sicuti autem de *Nachal* aut *Nuchul* formatum eſt vocabulum *Nilus*; ita de *Schicor* formatæ ſunt voces *Siris & Sirius*, quæ nomina Nili ſunt; & poſtremum quidem caniculæ datum eſt, quoniam exundationes Nili in diebus canicularibus contingunt. Interea, cum aqua hujus fluvii nigra tantum ſit, quia plena eſt cœno Ægypti, cujus terra nigra eſt, id quod in cauſa fuit, ut epithetum μελάμβωλος ipſi adjiciatur, ſancti Hieronymi verſio, qui per *turbidam* vertit, ſubſiſtere quidem poteſt, ſi effectus accipiatur pro cauſa. Fortaſſe Septuaginta Interpretes eodem intuitu ſcripſerunt ὕδωρ γήϊον, *aquam terream*, *aquam cœnoſam*, quod poſtmodum degeneravit in γηῶν. Id quod tamen ego pro certo non affirmaverim, quoniam nonnulli antiqui Interpretes Verſionis Septuagintaviralis & Patres Eccleſiæ, hunc locum allegantes, conſtanter γηῶν legunt.

IV. Cum itaque Nilus pro Gehone haberetur, Ægyptii, gens admodum ſuperſtitioſa, imo & ipſi Gymnoſophiſtæ, Philoſophi magnæ exiſtimationis, cultui, quo ipſum venerabantur, nullos conſtituerunt limites. Non enim arbitrati tantum ſunt, fontem ipſius ſacrum eſſe; non ſolum eum, ut Deorum maximum, ſub nomine Oſiridis, quod nominis, uti dixi, a Schichor derivatum eſt; & ſub nomine Oriac Jovis adorarunt invocaveruntque; non ſolum in ipſius honorem dies feſtos, quos celebrarunt maxime ſolennes, inſtituerunt, & ei Sacerdotes conſecrarunt, ſed commenti ulterius ſunt, ex cœlo ipſum deſcendiſſe. Turcæ atque Judæi, verbis ipſorum ſine ſcrupuloſo examine fidem habentes, perſuaderi ſibi paſſi ſunt, hanc aquam eſſe ſanctam; idque eo magis, quoniam fons Nili ipſis erat ignotus. Homerus [1], in Ægypto ſtudiorum gratia peregrinatus, ibi doctrinam iſtam hauſerat, cum Nilum vocat διϊπετῆ, hoc eſt, a Jove delapſum. Et id quidem, ut annotarunt Strabo [2] & Euſtathius [3], ſenſu aliquo verum eſt: ejus enim exundatio non niſi a pluviis eſt, de quibus Poetæ commenti ſunt, Jovem eaſdem diſpenſare; quod quidem Antiqui non ignorarunt; ut hac quidem ratione διϊπετῆ Homeri in hoc ſenſu proprie ſignificet, *quod ex nubibus delapſum eſt*. Reſpexiſſe etiam ad epitheton Homeri Nilumque deſignaſſe videtur Plautus [4], quum de fluvio, quem tamen non nominat, commemorat, quod ſuum fontem in cœlo ſub throno Jovis habeat. Nam licet fluvios omnes Græci appellent διϊπετεῖς, & a Diis genus ducere putent, Nilo tamen id tribuebant præcipuo quodam jure, cui cœleſte Deorum domicilium imminere fingebant: ut eſt apud Nonnum Ægyptium [5]. Æthiopes vero Nilum vocaverunt *Aſtapum*, id quod in ipſorum lingua ſignificat *aquam e tenebris profluentem*; Sed ex alia ratione, videlicet, aut quod locum ignorent, unde fons ejus oriatur; aut quod aliquibus in locis ſub terram ſeſe occultet. Quamvis Ægyptii, Nilum e cœlo venire dicentes, ut rerum naturalium periti loqui potuerunt, quaſi qui hac ratione naturam ejus vellent exprimere, locuti quoque ſunt, ut Theologi, indicaturi, Nilum venire ex Paradiſo, qui eſt in cœlo, non diſtinguentes illum ab eo, qui eſt in terra. Idem dicunt Brachmanes de Gange, eundem *fluvium cœleſtem* nuncupantes, ut Nilus *fluvius delapſus a Jove* appellatus fuit: ſicut & Muhammedani ex eadem ratione originem iſtam Oxo, quem Gehonem appellitant, Tigridi & Euphrati attribuunt. Eandem & attribuunt Jaxarti, quem Sichon nominant; qua in re quidem non video aliam ipſis fuiſſe cauſam, quam fluviorum & ramorum eorundem vicinitatem, qui quidem populis illis perſuaſerunt, ut crederent, ipſos ex eodem fonte profluere, & proinde unum non poſſe ex cœlo deſcendere, niſi & alter id perinde faciat. Fortaſſe confuderunt hunc Sichon cum alio hujus nominis fluvio, qui eſt in Cilicia, is nempe, quem antiqui Geographi Græci Cydnum appellare ſolent. Alius quidam in eadem Provincia fluvius, qui Gehon nominatus eſt, multum ad errandum hunc errorem fecit. Eſt vero is antiquorum Pyramus, perlabiturque urbem Adanam, qua de ſuperius nos dixiſſe meminimus. Nomen Adana idem eſt, quod nomen Edem. Satis hoc fuit, nec requiſitum eſt aliquid amplius, ut perſuaderetur genti, hanc Edenem locum eſſe, ubi Paradiſus ſitus fuerit, fluvioſque iſtos inde profluxiſſe. Abulfeda, Geographus gente Arabs, falſo credidit, duos iſtos fluvios prope Adanam ſe conjungere, & conjunctos in mare ingredi. Præterea audiverant aliquid de alio fluvio ejuſdem Provinciæ, quæ Paradiſus audiebat. Plinius id obſervavit, & cum illo adhuc alii. Cum igitur præter ſtupiditatem ingenii, qua laborant, hæc omnia confunderent Muhammedani, nihil mirum, ipſos dixiſſe fluvium Sichon venire ex cœlo.

V. Porro veritatis ignorantia Nilo atque Oxo non tantum nomen Gehonis, ſed rem etiam memoratu digniſſimam, quæ in Nilo contigit, communem fecit, illa nimirum, quæ Moſi evenerunt, cum in eodem eſſet expoſitus. Teixeira ſimilem caſum de

[1] Hom. Odyſſ. δ.
[2] Strab. l. 1.
[3] Euſtath. in Homer. Odyſſ. δ.
[4] Plaut. Trin. Act. 4. ſc. 2.
[5] Dionyſ. l. 1. & 2.

de Darabo, Rege Persarum, narrat. Memorat enim ejus matrem coactam fuisse eundem in cunis in Oxo exponere, unde ab homine, quem ejus elegantia ceperat, & fortuna commoverat, subductus, ab ejusque uxore nutritus fuerit, demum rebus feliciter gestis ad suum regnum perveniens.

VI. Venio nunc ad alteram opinionem, quæ magis ad veritatem accedit, & ista quidem Gehonem accipit pro alveo maxime occidentali inter duos, quos Tigridis atque Euphratis confluens efficiunt, cum iterum se fluvii isti separant, mare ingressuri. Sunt in ista sententia Doctores Lovanienses, Scaliger, & maxima pars hodiernorum Interpretum, omnes in isto capite Calvinum sequentes. Præcipua ipsorum ratio eadem est, quam habuerunt, cum alveum orientalem pro Phisone sumerent. cum enim hoc semel posuerant, consequebatur utique juxta ipsorum systema, ut dicerent, Gehonem esse alveum occidentalem. Habuerunt tamen rationem aliam, sed magis particularem, cum provinciam Chus, quam fluvius iste præterlabitur, pro Arabia acciperent, nullamque hujus nominis aliam, quam Arabiam atque Æthiopiam agnoscerent. In quo tamen quantopere hallucinati fuerint, monstrabimus, id quod ad eorum opinionem subvertendam sufficiet.

VII. Sed ratio datur, qua securius multo possit ostendi, Gehonem esse alveum orientalem inter duos illos, qui confluentem Euphratis atque Tigridis in duos ramos dividunt. Quemadmodum enim ex systemate, Phisonem pro alveo orientali accipientium, pronissime sequitur, Gehonem esse occidentalem, sic & ex nostro, qui Phisonem alveum esse statuimus occidentalem, & Chavilah, quam Phison alluit, primam regionem ab occidente ostii Euphratis sese offerentem, non minus consequitur, Gehonem esse alveum orientalem, & provinciam Chus, quam Gehon percurrit, primam esse, quæ ab Oriente ostii Euphratis offertur.

VIII. Hic alveus ex Euphrate egrediens, quemadmodum Phison, & in mare illabens, iisdem incrementis atque exundationibus est obnoxius, non tam ingentibus tamen, cum ripæ ejusdem non sint tam humiles. Istæ exundationes occasionem dederunt, ut ipsi nomen Gehonis, aut quemadmodum scribunt atque pronunciant Hebræi, Gichon imponeretur, a verbo גיח *guach*, quod *erumpere*, *prodire* significat. Amniculus ille Hierosolymæ vicinus ex eadem causa idem nomen habuit, quoniam hortos proxime adsitos irrigabat. Alias appellabant ipsum Siloe שלוח [1], quod verbum Evangelium per vocem *ἀπεσταλμένος* שלוח *Schaluach* explicat, hoc est *missus*, *elapsus*, *derivatus*, *deductus*, ut agros irriget. Unde est, quod Paraphrastes Jonathan, cum vocem Gehon in textu Hebraico libri primi Regum [2] invenisset, eam per verbum *Siloah* transtulerit. Non detinebimur nunc in recensendis Etymologiis istius vocabuli aliis, quas Patres, Interpretes, atque Rabbini commenti sunt. Illi saltem inhærebimus, quæ a Josepho [3] affertur. Nam Gehonem explicat *τὸ ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον*, *qui productus est*, *qui defluit ex Oriente*. Addidit, eundem Nilum esse, antiquorum errorem, Indias atque Æthiopiam confundentium, & ipsas fontem Nilo ab Oriente Ægypti præbere putantium, secutus. Ostendit vero hac in parte, quemadmodum in multis aliis, quod licet Judæus esset, non eo tamen magis in Hebraicis eruditus fuerit. Nam vocem Gehon derivat a verbo נגה *nagah*, quod significat *lucere*, *splendere*, unde descendit נגה *nogah*, *lucifer*, *stella matutina*; & נגהי *noghi*, *lumen diei*; & גיה *giah*, *fulgor*, *splendor*, ac Syriacum מנהא *aurora*, *mane*. Sic de גיה *giah* Josephus credidit formari vocem גיהון *Gihon*, nesciens, quod vox Hebræa sit גיחון *gichon*, & non גיהון *gihon*; aut si istud noverit, nesciens tamen, quod גיחון *gichon* originem habeat naturalem magis & minus coactam. Quicquid hujus rei sit, si ista origo locum invenit, confirmabit sententiam nostram, & situm hujus alvei a parte orientali respectu ad Phisonem, qui erat a latere occidentali, designabit.

IX. Superius jam diximus, Mosen minus signorum Gehoni, quam Phisoni apposuisse, idque propterea, quia cum postremus ille notus esset, situs reliquorum sufficiebat solus, ut & ipsi agnoscerentur. Si enim Phison, respectu Arabiæ Petrææ, ubi Moses scribebat, primus se offerret, secundus, qui Gehon erat, non poterat esse alius, quam ille, qui post hunc sequebatur, nempe alveus orientalis, ex duobus Euphratem dividentibus: nam ultra adhuc eundem quærere velle, id vero esset Mosis verbis vim inferre, expresse annotantis, hunc fluvium in Paradiso cum tribus reliquis fuisse conjunctum. Et hac de re tam certi esse videbantur, ut nihil, mea quidem sententia, plus ad opinionem illam contulerit, Nilum oriri ex Euphrate, quemadmodum Pausanias [4] & Philostratus [5] certiores nos faciunt, id creditum fuisse, quam opinio, quæ obtinuerat, Gehonem esse Nilum; quodque alias constanter Gehon putaretur esse ramus Euphratis. Fortasse Gehon magis ex vestigiis

[1] Joh. 9. 7.
[2] 1. Reg. 1. 33.
[3] Joseph. Antiq. l. 1. cap. 2.
[4] Pausan. Corinth.
[5] Philostor. vit. Apoll.

giis nominis, si posteritas eadem conservasset, potuisset cognosci; sed cum nomine Phisonis & Pasitigridis obscuratum & ipsum fuit, quippe cum ista sese extenderint, istudque involverint, uti monstravimus.

CAPUT XIII.

Explicatio versus decimi tertii.

I. *Nomen* Chus *imponitur Æthiopiæ, Arabiæ & Susianæ. Hic agitur de posteriori.* II. *Quæ in Scriptura* Cutha, *& hodie* Chuzestan *appellatur.* III. *Inveniuntur vestigia nominis* Chus *in nominibus* Cossæorum *&* Cissiorum *populorum Susianæ*. IV. *Quare dictum fuerit Memnonem fuisse Æthiopem*. V. *De statua Memnonis, quam locutam fuisse ferunt, cum a Sole oriente illustraretur*. VI. *Veritas historiæ de Memnone*. VII. *Confirmata testimonio nonnullorum antiquorum*.

I. VErs. 13. *Is est, qui circumit totam terram Chus*. En signum primarium, quod ad agnoscendum Gehonem suggerit nobis Moses. Verum signum hoc, cum, ut dicam, *univocum* sit, nobis loco mille aliorum est. Istud ut ostendamus, necessum est, ut explicemus quid *Chus* sit. Tres reperio hujus nominis regiones, Æthiopiam, Arabiam ac Susianam. Priores illæ duæ diviserunt inter se nomen *Chus*, quod generale est, complectens regiones, a duobus lateribus Sinus Arabici, communiter mare Rubrum dicti, existentes. Ubi Bochartus [1] quidem in Phaleg existimat, Æthiopiam in nullo Scripturæ loco *Chus* fuisse nominatam: sed a nobis Observationibus in Origenem contrarium rationibus invictis demonstratum tum esse confidimus. Hæc igitur regio *Chus* sive Æthiopiæ in duas divisa erat oras, juxta duo Sinus Arabici latera, imo & ultra ipsius ostium, hodie Babelmandel appellatum: in oram orientalem, quæ partem constituebat magnæ peninsulæ Arabiæ; & occidentalem, quæ est inter hunc Sinum atque Nilum. Homerus [2], Herodotus [3], & alii ex ratione hac Æthiopes hanc regionem incolentes, & vicinos Ægypti in orientales atque occidentales diviserunt; docetque Eustathius, antiquos verba Homeri ita intellexisse. Exinde est, quod Homeritæ, Arabiæ populi, ad latus meridionale siti, a Stephano [4] Geographo Æthiopes nominentur. Ubi quidem Holstenius, quantumvis eruditissimus, hujus rei ignarus, insigniter hallucinatus est, mutatis Stephani verbis, & voce ἀράβων pro αἰθιώπων posita; laudabili nempe Criticorum more, omnia quæ non intelligunt, in scriptis antiquorum depravandi. Pars illa provinciæ Chus, quæ est ad latus Arabiæ, non multum recedebat a Sinu & mari, quod ultra ostium Sinus est, nec aliud quam angusta ora erat; essetque temeritas, si eandem aliquis usque ad latus Arabiæ orientale, & ad ostium Euphratis occidentale extendere velit, ut color aliquis opinioni, ostium hoc pro Gehone habenti, concilietur. Nemo unquam ad hos terminos Chus Arabiæ extendit, id quod solidissimum argumentum est contra opinionem, quam de Gehone aliqui foverunt. Quemadmodum e contrario, si probavero, Susianam id nominis gessisse, & adhuc hodie gerere, erit id argumentum invictum, Gehonem esse ostium orientale Euphratis.

II. Omnes Peregrinantium relationes docent nos, Susianam hodie *Chuzestam*, nomine composito ex *Chus* & terminatione Persica, appellari. Benjamin Navarrus magnam, ait, provinciam Elam, in qua Susa urbs capitalis est, quamque præterlabitur Tigris, hoc nomen habere: Hæc provincia Elam Elymais est, ab Oriente ostii Euphratis usque ad latus Sinus Persici sese extendens. Geographus Nubiensis & alii Arabes eandem appellant *Churestan*; sed error, ut apparet, a descriptoribus est, non distinguentibus inter literam Arabicam *r* & *z*, nonnisi uno puncto differentes. Incolæ hujus regionis eandem etiam, si Mario Nigro [5] credimus, simpliciter Chus nominant. Hæc eadem regio, pro diversitate illa dialectorum, in libris Regum [6] appellatur *Cutha*: Et inde est, unde ex parte Salmanasar coloniam deduxit, locum Samariæ incolarum, decemque Tribuum, quas aliorsum transportaverat, occupaturam. Nova ista colonia, postmodum sub nomine Samaritanorum innotescens, suæ originis nomen retinuit, & Cuthæi appellata fuit. Scaliger quidem, quamvis de cætero inexhaustæ vir esset eruditionis, crassissimum tamen errorem hic commisit, quum Samaritanos ab urbe Cholchidos, cui Citææ nomen, quorsum Salmanasar Tribus illas decem deduxisset, Cuthæos fuisse appellatos, affirmat. Samaritani enim a pro-

[1] Boch. Phaleg. l. 4. c. 2.
[2] Homer. Odyss. α.
[3] Herod. Polym. c. 69. 70.
[4] Steph. in Ομηρῖται.
[5] Mar. Nig. Comm. 5.
[6] 4. Reg. 17. 24.

provincia Cutha, unde venerant, nuncupati sunt Cuthæi; neque decem Tribus in Colchidem, sed in Assyriam fuerunt asportatæ; & si vel maxime in Colchidem delatæ fuissent, ridiculum est tamen cogitare, Samaritanos denominationem suam ab urbe sibi desumsisse, ex qua neque venerant; nec in qua habitaverant; sed exinde solum, quod decem Tribus, in quarum locum successerant, eandem incolerent. Nescio vero, ubi Josephus [1] fluvium istum Cuthum invenerit, quem originem præbuisse refert nomini *Cutha*, quod huic Persiæ regioni fuit impositum. Vocabulum *Cutha*, aut *Cuth* a voce Chus formatum est, mutantibus postremam literam in *t* aut *th* Chaldæis, & duriorem paulo sonum, minusque sibilantem eidem conciliantibus, quemadmodum id Dion [2] annotavit. Sic *Thor* dixerunt, pro *Sor*, *Atyria*, pro Assyria. Non credendum interim est, quod aliqui putarunt, nomen Susorum, hujus regionis primariæ urbis, a Chus descendere; cum nomen suum a liliis, magna copia in terra ista prognascentibus, potius traxerit; lilia autem in lingua Hebraica vocantur שושן *Susan*. Non ignorarunt Græci originem istam, plurimis inter illos eandem observantibus.

III. Sed plura adhuc vocis *Chus* in Susiana deprehenduntur vestigia. Inveniuntur ibidem Cossæi Uxiensium vicini, ut quidem Plinius [3], Ptolemæus [4] atque Arrianus [5] eosdem collocant. Fallitur Schickardus [6], Cossæos istos provinciæ Chuzestan nomen indidisse, existimans. Nomen enim *Chuzestan* & *Cossæorum* ex eodem fonte, nimirum a nomine *Chus*, non unum ab altero descendit. Cissia etiam & Cissii inde derivantur. Ipsa parva in Susiana erat regio, unde nomen omnibus Susianis adhæsit. Eretriensium coloniam ex Eubæa in eam transtulit Darius. Æschylus [7] Poeta & ipse de urbe aliqua hujus nominis in eadem provincia sita loquitur; & quod notatu dignum est, eandem a sua antiquitate extollit. Memnonis etiam matrem, Auroram videlicet, Cissiam appellat. Memnon filius Tithoni erat atque Auroræ. Tithonus frater Priami, regis Trojani; cui urbis Susorum, quæ capitalis est in Susiana, extructio adscribitur. De nomine Memnonis, filii ejus, castellum, Memnonium, Palatium & mænia Memnonia, Susaque ipsa urbs Memnonis ex veneratione, qua ipsum prosequebantur, nominata fuit. Is vero est Memnon ille, qui subsidio Trojanis, a quibus & originem ducebat, adveniebat, quique ab Achille interfectus est. Quando vero Græci finxere, ipsum Auroræ fuisse filium, significare voluerunt, ex Oriente eundem venisse, secutique sunt phrasin in lingua Hebraica usitatam, & Prophetis, orientales *filios Orientis* vocantibus, familiarem. Istæ enim regiones, quas Euphrates prope ostium suum percurrebat, proprie vocabantur Oriens. Plures sunt Interpretes, qui eodem sensu Jesaiam putant Nebuchodonosorem, aut Balthasarem appellasse *Luciferum*, *filium Auroræ*.

IV. Novi quidem, maximam antiquorum Auctorum partem affirmasse, Memnonem fuisse Æthiopem. Inde autem istorum error originem traxit, quod Chus, quod regionem Susianam significat, cum altero Chus, quod terras ad littora Sinus Arabici sitas, Æthiopiam, inquam, atque Arabiam significat; & Gehonem cum Nilo confuderunt. Ita error post se trahit alium, & cum quis semel viam regiam deseruit, quorsumcumque modo pedem tulerit, aberrabit. Vel inde etiam provenisse errorem possumus suspicari, quod Veteres Æthiopiam vel confundentes, vel conjungentes cum India, utramque ad ortum locabant. Unde Virgilius,

Eoasque acies, & nigri Memnonis arma.

Ægyptii quidem atque Æthiopes haud difficiles ad adoptandum hunc Heroem erant, persuasi, honori sibi esse, tam illustrem virum habere sibi popularem. Sed cum nihil quicquam de ipso in tabulariis suis & historiis invenirent, personam, nomen, actiones ipsi ex suis regibus, quorum vita majorem paulo cum istius habebat convenientiam, attribuebant. Amenophis maxime videbatur idoneus, qui hanc sustineret personam, quamvis multo ipse antiquior, quam bellum Trojanum, esset. Bellum gesserat in Asia, fuerat in Phrygia, & Susis erat commoratus. Hæc convenientia, & quod similitudo quædam inter nomina Memnonis & Amenophis intercederet, sufficiens esse videbatur ratio, ut utrumque dicere possent fuisse eundem. Extruebant ipsi in diversis locis templa, & cum primis in urbe magna, Thebis; offerebant ipsi sacrificia, eumque divinis honoribus prosequebantur. Monstrabant in hac urbe & aliis in locis palatia, quæ Memnonia dicebant, qualia monstrabantur & Susis. Atque hic locus est ille, ubi admirandam ipsi erigebant statuam, quæ radiis Solis icta lætum atque vocalem sonum reddebat, nocte appeten-

[1] Josephus Antiq. l. 9. cap. 14.

[2] Dion Xiphil Trajan.

[3] Plin. l. 6. c. 27.

[4] Ptolem. l. 6. cap. 3. Tabul. 5. Asiæ.

[5] Arrian. Exped. Alexand. l. 7.

[6] Schickard. in Tarich. reg. Pers.

[7] Æschyl. Pers. & Choeph. Strab. l. 5.

tente , querelas effundere atque lacrymas videbatur . Complures crediderunt , in honorem Amenophis factam eandem esse ; quidam & Sesostris , etsi is Memnone recentior fuit . Sed refert quippiam in sui itineris descriptione Rabbi Benjamin , quod mihi persuadet , Æthiopes hanc statuam ad imitationem Susiorum erexisse . Catipha se ait esse digressum , & septimo die Haoulam venisse : Sunt aliqui inter viros doctos , qui Haoulam Insulam Ceilan , sed contra omnem verisimilitudinem , esse statuunt , cum iter istud septem diebus confici non potuisset . Addit , sitam eandem esse in aditu ad hanc regionem , ubi posteri Chus adorant Solem , habere eosdem super altaria sua circulos & globos Solis globo similes ; & oriente hoc astro magno sonitu istos globos se circumvertere . Ex ista relatione colligimus , populos istos , Susios , aut eorum posteros fuisse ; illosque artem ab iisdem didicisse imagines solares effingendi , quæ species erant Talismanorum , quæ aliqui putarunt eadem fuisse quæ Scriptura חמנים *Chammanim* appellitat , neque dubitari potest , Memononis statuam unam ex genere isto fuisse.

V. Nemo ignorat , in quanta veneratione Sol fuerit apud Persas, Assyrios , Babylonios & in primis Sabios ; de quibus alibi locuti sumus . Habebat hic populus in more positum , ut statuas in honorem Solis aliorumque Planetarum effingeret . Credebant enim , astra influentiis suis facultatem ipsis communicare inelligendi & sermone hominibus res prædicendi futuras . Nomen ipsorum *Sabiorum* significat in Arabico *orientales*, id quod exinde probatur, quoniam liber ipsorum de Agricultura , quem Rabbini allegant sub nomine *Libri Orientalis* , titulum præ se ferebat העדורה הנבטיה *Habadoda Hannabathiia*, *Agricultura Nabathæa*, hoc est, *orientalis*, teste versu hoc Ovidii:

Eurus ad Auroram , Nabathæaque regna recessit.

Sabii Orientales appellabantur , quoniam omnis , quæ inter Sinum Persicum & Judæam est regio, Oriens dicebatur, ut paulo ante docuimus. Ab initio in Chaldæa habitabant, feruntque ipsorum libri, unum ex regibus ipsorum , Abrahamum, origine Chaldæum , persecutum esse, eo quod receptæ se religioni opposuerit, Solemque adorare recusaverit. Habitabant etiam inferius ad ripam Euphratis, ubi nominis sui vestigia reliquerunt : adhuc hodie enim *Sabbi* appellatur Christiani sancti Joannis circa urbem Bassoram, quæ anno secundo Hegiræ ab Omar Calipha secundo exstructa fuit, quæque duorum circiter dierum itinere infra confluentem Tigridis atque Euphratis jacet, parique distantia a mari, elevationemque habet triginta graduum cum dimidio. Quæ minime ad locorum situs, in tabulis Ptolemaicis , nostraque adeo designatos exigenda sunt , cum facies regionis tractu temporis valde mutata sit . Sabii postea per omnem Orientem se diffuderunt , nomine ipsorum sectæ potius quam nationis facto ; quæ quidem secta cum veterum Chaldæorum eadem erat. Eruditus ille Rabbi Moyses filius Maimon , cum dicere vellet , Abrahamum in regione Sabiorum educatum fuisse , memorat , educatum fuisse in terra Chuta , hoc est , in terra Chus , quæ est Susiana. Quodsi Æthiopibus , quia pariter adorarunt Solem , verba Benjaminis applicare vellemus, locorum distantia repugnabit; qua ratione enim septem diebus Catipha in Æthiopiam proficisci potuisset ? ut nihil dicamus, quod , quæ sequitur , narratio ejus ostendat , ipsum versus Orientem esse progressum , Æthiopia autem ab Occidente sita est. Strabo [1] eximia judicandi vi præditus , & optima fide , cum in comitatu Ælii Galli usque ad Thebas Ægypti penetrasset , vidit atque audivit hanc statuam in exortu Solis . Non audet tamen in honorem patriæ asseverare, aliquem assistentium hunc sonum non effinxisse. Sic & Germanicus eandem vidit. Plinius [2] , ait, factam eandem fuisse ex lapide, quem Ægyptii Basalten nominant, eo quod colorem & duritiem ferri habet. Vocabulum istud sine dubio ab Hebraico ברזל *barzel* , quod ferrum significat, derivatum est : lingua enim Æthiopica cum Hebraica aliquam habuit affinitatem.

[1] Strab. l. 17.

[2] Plin. l. 3. c. 7.

VI. Quod omnium probabilissime de expeditione illa Memnonis dici debet , ex Diodoro [3] & aliis nonnullis colligi potest. Regnum Troadis ab imperio Assyrio dependebat. Tithonus frater Priami, qui possidebat hoc regnum, in aulam se Regis Assyriæ recipiebat , qui Susianæ ipsum cum imperio præficiebat. Et hic quidem , cum senex jam esset , matrimonium inibat ; quoniam vero uxor ipsius ex regione erat, quæ ab Oriente Græciæ atque Troadi sita erat, Græci, omnem alias historiam in fictiones convertentes, commenti sunt , ipsum auroram duxisse in matrimonium . Memnon & Emathion ex hoc matrimonio provenerunt. Etsi me non fugit, quam parum constent sibi veteres Genealogi , in hac stirpium serie describenda. Cum vero postea bellum Trojanum incidisset , Priamus subsidia a rege Assyriæ, Teutamo , petebat. Qui quidem ipsi viginti millia virorum , & ducentos currus militares submis-

[3] Diodor. l.2. & 4.

missurum se spondebat. Ubi Diodorus ait, auxiliares has copias ex decem mille Æthiopibus, & decem mille Susiorum constitisse, in errorem vulgarem elapsus, ac Chus Susianæ confudit. Ut autem suppetiæ istæ tanto majorem utilitatem afferrent, in istas imperium Teutamus Memnoni, juveni principi ex stirpe Trojana, injungebat, hoc intuitu conservationem Trojæ curæ cordique habituro. Tithonum apud se retinebat, idque ob ejus prudentiam, quæ in suppeditandis consiliis necessarium eundem domi reddebat, & ætatis causa, quæ ulterius jam processisse videbatur, quam ut hanc expeditionem suscipere posset. Memnon vero in itinere inveniebat, qui ipsi obsisterent. Solymi inter alios, qui postmodum Pisidæ appellati sunt, transitu ipsum prohibere volebant, quos tamen & quicquid se ipsi alias opponebat, profligabat facile atque superabat. Omnes ille transitus repurgabat, exturbatis, qui eosdem obsidebant, vias reparabat, per longum hoc atque periculosum iter dignum se reddens, ut via ista ejus acciperet nomen, Memnonia appellata. Magna cum fortitudine Græcorum insultus ad Trojam sustinebat, tandem tamen ab Achille occidebatur. De loco sepulturæ illius varie disputant: ut enim nihil de Philostrato [1] dicamus, qui nullum habuisse ipsum sepulcrum, mutatumque in lapidem mirabilem fuisse, contendit, Troas, Phœnicia, & Susiana hac de re certant, & maxime Æthiopia: quamvis nullo alio ad sepulturam non minus quam nativitatem sibi vindicandam jure valeat, quam quod homonymia vocis *Chus* ipsi suppeditat.

VII. Sed quacunque demum obscuritate homonymia ista historiam hanc involvat, Philostratus [2], Georgius Syncellus [3], hoc est, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Coadjutor, & Suidas [4], qui bonos Auctores & legerat, &, quamtumvis sæpe exiguo cum judicio, transcripserat, veritati testimonium dicere non neglexere; primus quidem, cum Memnonem Æthiopicum, hoc est, Amenophin nunquam Trojam venisse, eumque male cum Memnone Trojano confusum fuisse refert; non intelligere se dicens, quomodo Memnon Trojanis e tam longinquo subsidia adducere, & quo casu Tithonus in Æthiopiam profectus, ibi fortunarum suarum sedem ponere, & in regem ejusdem se erigere potuerit: secundus, cum accurate inter Amenophin, regem Thebarum in Ægypto, qui pariter Memnon appellatus est, & Lapidem loquentem Memnonis, Tithoni Filii, quem in numerum regum Assyriæ ponit, distinguit: denique Suidas, cum Memnonem affirmat, non Æthiopem fuisse, sed Susium. Pausanias [5], quamvis penetranti admodum atque acuto polluerit judicio, non nisi dimidia ex parte confusionem hanc explicavit, Memnonem, dicens, Æthiopem, non ex Æthiopia ad Trojam, sed ex Susis venisse. Eustathius [6] & Scholiastes Pindari [7], cui Triclinii nomen est, Memnonem & Emathionem, fratrem ipsius, in medio istorum Æthiopum, solos fuisse albos scribunt, quamvis Virgilius [8] aliique Memnonem nigrum faciant. Ista observatio confirmat mentem nostram: quamvis enim Poetæ & fabularum Romanensium concinnatores libertatem fingendi sibi sumserint, Andromedam & Charicleam apud nigros natas fuisse candidas, istud tamen ordinario naturæ cursu tam singulare est, ut potior sit ratio, credere, Memnonem fuisse album, quoniam revera ipse non erat Æthiops.

[1] Philostr. Imag. l. 1.

[2] Philostr. vit. Apoll. l. 6. c. 3. & Heroic.

[3] Georg. Syncell. p. 72. 151. 155. 166.

[4] Suid. in Μέμνων.

[5] Pausan. Phocid.

[6] Eustath. Dion. Perieg. vers. 248.

[7] Schol. Tricl. adscrip. in Pind. Olymp. Od. 2.

[8] Virgil. Æneid. l. 1.

CAPUT XIV.

Explicatio versus decimi quarti.

I. Chiddekel, Diglath & Tigris *eadem nomina sunt, & iidem fluvii*. II. *Vanæ antiquorum conjecturæ circa originem nominis & fluvii Tigridis*. III. *Vera hujus nominis origo*. IV. *Chiddekel non est Naharmalca*.

I. FLuvius iste tertio loco eo in ordine occurrit, quem Moses sibi præscripserat, quique situi, ubi iste descriptionem hanc adornabat, optime conveniebat; ordo hic, & nomen, quod fluvius adhuc gerit hodie, ad distinguendum eundem a reliquis satis sunt; nomen enim *Chiddekel*, quod Moses ipsi imponit, nomen *Tigridis*, quod eidem dant Europæi, & nomen *Diglath*, quod ipsi in Oriente, res sunt eadem. Hoc mirum videbitur illis, qui artem non intelligunt Etymologiarum, artem inquam, in bonarum literarum tractatione absolute necessariam, quæque multum eruditionis postulat, & cujus studium Quintilianus [9] disertis commendat verbis. Ajo igitur, ab Hebraico חדקל *Chiddekel* derivatam esse vocem *Tigris*; Et vide mo-

[9] Quintil. lib. 1. c. 4. & 6.

do, quomodo id factum sit. Prima litera, quæ fortis est adspiratio, concidit, uti factum est in voce *Chaboras*, nomine fluvii in Mesopotamia, cujus Ptolemæus [1] meminit, quemque Strabo [2] appellat Aborras; quemadmodum & contigit in voce *Cham*, nomine natu minoris inter infantes Noachi, unde formatum est nomen Ægyptiacum *Ammun*, & Græcum *Ammon* quod Jovi dederunt; uti etiam factum est voci Græcæ Χλαῖνα, ex qua Latini fecerunt læna. Cum itaque istæc adspiratio è voce *Chiddekel* sublata est, superet *dekel*, in quo *d* mutatum est in *t*, id quod frequenter, ut inter literas ejusdem instrumenti accidit. Ita fecerunt *Azotus* ex voce Hebraica אשדוד *Asdod*; *jota* ex יוד *iod*: *artaba*, ex Syriaco, *ardab*, *Atergatis* ex *Derceto*; tenebræ ex δνοφερόν. *K* in *Dekel* mutatum est in *g*, uti ex אכבר *Acbar*; factum est *Agbarus*; ex *Derceto*, *Atergatis*, quod paulo ante allegavimus; ex *Acragas*, *Agrigentum*, ex *Cajus* & *Cnejus*, *Gajus* & *Gnejus*; ex *curculio*, *gurgulio*. Postrema litera in *Dekel* produxit *r*, uti ab Hebræo *Belial* Græci fecerunt Βελιάρ: ut ex Chaldaico *Sarbal* fecerunt *Sarabara*; uti Borax indifferenter vocatus est *Tincal* & Tincar. Denique versus iste antiquus Græcus,

Ὀλῷς θέωλος τ̃ κεφαλῶ κόλακος ἔχει [3].

satis ostendit, quæ affinitas inter *l* & *r* intercedat. Istæ literarum permutationes portæ veluti sunt, per quas voces originales & derivatæ sua inter se exercent commercia. Cum itaque aspiratio ex voce *Chiddekel* sublata fuit, remansit vox *dekel*, cui Syri induerunt personam *Diklat*; Josephus vero & Paraphrastæ Chaldæi, Arabes, & Persæ *Diglath*; alii orientales hodierni *Degil* & *Degela*; Plinius, sive illi, qui id eum docuerunt, *Diglito*; & Græci, qui omnia nomina peregrina ad linguæ suæ indolem inflectebant, *Tigris*.

[1] Ptolem. l.5.c.18.
[2] Strab. l. 18.
[3] Aristoph. Vesp.

II. Hæc evidenter ostendunt, quam vanæ sint Antiquorum circa originem vocis *Tigris* conjecturæ. Aliqui putarunt, dictum ita fluvium hunc esse propter cursus velocitatem, pernicitati animalis ejusdem nominis similem. Alii derivant fluvii atque animalis nomen a sagitta, quæ, ut addunt ipsi, apud Armenios, Medos atque Persas, appellabatur *Tigris*. Confidentius de hac origine, si veteris linguæ Persicæ ad nos usque notitia pervenisset, pronuntiare possemus. Multæ sunt tamen voces, quæ ex veteri illa in hodiernam transierunt, & nescio sane, annon voces تير *Tiir*, & كير ex illo sit numero. *Sagittam* & sagittæ spiculum significat. Et profecto ista origo non est improbabilis; neque enim cum aliqua re melius, quam cum sagitta comparare possemus Tigridem, pernicissimum inter omnia animantia, & Tigridem, velocissimum inter omnes fluvios. Videntur Antiqui rapiditatem hujus fluvii studio exprimere voluisse per voces ὀξύτης & ὀξὺς, quæ *acutum* & *levem* significant; quasi qui originem vocis *Tigris* notare vellent, a sagitta petitam, quæ velox est & acuta. Et hoc eodem respectu Diodorus [4] Nilum sagittæ propter rapiditatem comparavit. Sic & Siciliæ fluvius Acis nomine, quod *cuspidem sagittæ* significat, propter pernicitatem cursus, dictus fuit. Videtur porro eadem ratio fuisse, quod Tigridi impositum fuerit nomen *Sollax* sive *Sulax*, ut ab aliquibus Auctoribus notatum est, id quod explicant per κατωφερὴς, hoc est, *qui descendit cum præcipitatione*. Sed hæc vox, ut ego conjicio, ex eodem fonte est, ex quo venit nomen torrentis Siloæ, nimirum a voce שלוח, hoc est, *ejectus*, *missus*, *propulsus ut jaculum*; Vox enim שלח, quæ ejusdem originis est, *jaculum* significat. Vox Arabica تيار *Taijaron*, quæ prope admodum accedit ad Persicum *Tojor*, quod modo in medium afferebamus, significationem habet, optime rei, de qua agimus, convenientem; profluentem enim significat, imo & *amnem*, *qui fluit cum rapiditate*: id quod ad naturam Tigridis aptissime quadrat. Error vero Plinii [5], & qui in compendium eundem redegit, Solini [6], inter omnes notatu dignissimus est, cum dicunt, Tigridem appellari *Diglito* ab initio cursus, cum adhuc tardius procedit, & cum incitatiori cursu ferri incipit, vocari Tigridem. Nam & a fonte usque, asseverante Strabone [7], Tigris appellatur; & nomen *Tigris* & *Diglito* unum idemque sunt.

[4] Diodor. l. 1.
[5] Plin. l. 6. c. 27.
[6] Solin. c. 37.
[7] Strab. l. 11.

III. Sed nihilominus conjecturas istas vanas esse dicimus. Vera vocis *Tigris* radix in voce Hebraica *Chiddekel* quærenda est; & ista quidem vox composita est ex duabus vocibus Hebraicis חדה *Chadda*, *acutus*, quod derivatur a verbo חדד *chadad*, esse *acutum*, & ex קל *Kal*, *celer*, *levis*, quod derivatur a verbo קלל, *Kalal*, *esse velocem & levem*. Et hanc potius, quam ullam originem aliam videntur respexisse Græci, cum fluvii hujus rapiditatem expresserunt per vocem ὀξύτης. Josephus eandem ex parte agnoscit, cum dicit, Διγλὰθ, ἐξ ὃ φράζεται τὸ μετὰ στενότητος ὀξύ; qui locus emendandus est, & legendum, ὃ ἐκφράζεται: hoc est, *Diglath*, *quod explicatur*, *angustus & levis*. Sed perfecta linguæ Hebraicæ notitia a Josepho expectanda non est. Multo accuratius locuti Rabbini sunt, vocemque hanc ad verum fontem retulerunt.

lerunt. Quem Moses Barcepha [1] aperit, non contemnendus est; vult enim, *Chidekkel* a Chaldaico דקל *dekal* venire, quod significat, *ebullire*. Et fortasse referendus eo est locus Hesychii, τίγρις, ὁ τȣ̃ ποταμȣ̃ ῥοῖζος, hoc est, vocem *Tigris* strepitum significare, quem vehementior fluvii alicujus impetus facit. Alii adhuc, præter hunc, fluvii nomine *Tigris*, &, ut probabile est, ex eadem causa dicti sunt.

[1] Mos. Barc. de Parad. c. 18

IV. Frustra itaque est, quod homines docti illi quidem, sed pertinaciores, cum præjudicia sua cum statu rerum conciliare non possint, conantur res ad anteceptas opiniones suas accommodare. Voluerunt itaque; id, quod Moses appellat hoc loco *Chiddekel*, Naharmalcam esse, unum ex rivis, per quos Euphrates se cum Tigride conjungit; rivum scilicet manu factum longe post tempora Mosis. Ut nihil dicam, undas Euphratis, quæ altiores multo, ut monstravimus, undis Tigridis sunt, probare, rivos istos, seu naturales sint seu artificiales, cum nihil sint aliud, quam emissiones ex Euphrate, non potuisse haberi pro Tigride; & neminem id sumere sibi posse, ut sine rationibus persuadere nobis velit, non esse Tigridem.

CAPUT XV.

Continuatio explicationis versus decimi quarti.

I. *Verbum Hebraicum* קדמת Kidmath *hoc in loco non potest significare* ad Orientem.
II. *Quonam sensu capiendum sit, Tigridem ire versus Assyriam.*

I. VErs. 14. *Is vadit versus Assyriam*. Duæ in hunc locum sunt opiniones. Versatur utrumque circa vocem קדמת *Kidmath*. Aliqui volunt, præpositionem esse, & significare *versus*, *ad latus*. Alii volunt, esse Adverbium loci, quod significet *ad Orientem*. Septuaginta & omnes fere illi, qui versionem eorum secuti sunt, & sanctus Hieronymus in Vulgata, stant pro sententia priori. Paraphrastæ Chaldæi, plurima pars Rabbinorum & literas Hebraicas consectantium, stant pro secunda. Commentatores hodierni parti, quæ optima sibi videtur, accesserunt. Miror sane hanc diversitatem; si enim ad situm Assyriæ & cursum Tigridis respexissent, facile difficultas omnis sustolli potuisset. Assyriæ vox duobus modis, vel in sensu strictiori, vel in sensu latiori magis intelligi potest. In stricto, Assyria provincia erat, angustis satis terminis circumscripta, in qua Metropolis erat Ninive: & ista est provincia, quæ Adiabene postea dicta fuit. Sed in sensu latiori magis Assyria plures easque magnas provincias complectebatur, regi Assyriæ subjectas, & ejus imperium constituentes. Accidit vero huic imperio, quod Galliæ, ut antiquissima regni pars nomen imposuerit reliquis, ipsi successu temporis adjunctis. In quocunque demum sensu Assyria accipiatur, certum est, Tigridem ejus respectu non fuisse ad Orientem. Nisi pro Syria accipiatur, ut Auctores quidam Græci & Latini; sed valde rudem aliquem oportet esse in historia antiqua, qui Mosen in hoc sensu eandem sumsisse credere velit; quum multo recentius Syria nomen sit, a nomine Hebraico Tyri formatum, quæ urbs in eadem capitalis erat, & Græcis omnium notissima; cum e contrario nomen Assyriæ ab Hebraico Assur descendat. Vere itaque dici potest, Tigridem percurrisse Assyriam, cum sub nomine Assyriæ, Mesopotamiam, Syriam & partem Arabiæ comprehendimus; sed ista nominis hujus porrectio longo post Mosen tempore facta est, qui proinde sub nomine Assyriæ non potuit nisi exiguam valde terræ partem circa Niniven intelligere. Et istud credibile est, Interpretem Arabicum notare voluisse, cum dicit, Tigridem vadere versus Orientem respectu Mausali. Mausalum vero urbs est Mesopotamiæ, ad ripam Tigridis ex adverso loci illius, ubi erat Ninive vetus, constituta: & ita verum est, Tigridem versus Orientem hujus urbis fluere. Sed falsus est, cum Mausalum posuit pro Ninive; quamvis enim frequentissime urbes istæ confundantur, nihilominus una ad Orientem hujus fluvii, & altera ad Occidentem conspiciebatur. Non video igitur, qua verisimilitudinis specie dicere aliquis possit, Tigridem ad Orientem respectu Assyriæ progressum esse.

II. Sensit pondus hujus objectionis Calvinus, quam ut eluderet, ita transtulit verba: *Hic versus Orientem & Assyriam*, contra fidem textus Hebraici, ubi de conjunctione ista nihil apparet; non magis quam de præpositione, quam aliqui inseruere, ita verba transferentes: *ad Orientem*, *versus Assyriam*. Recurrendum ita-

itaque ad versionem Septuaginta viralem est, & vertendum, *qui vadit versus Assyriam*. Neque putandum, Mosen dixisse, Tigridem intuitu fontis hujus fluvii, aut cursus undarum illius versus Assyriam ire; sed intuitu situs Paradisi terrestris, & pro dispositione alvei Tigridis. Quemadmodum cum dixit, *fluvius egrediebatur de Edene, ut irrigaret hortum, & inde dividebat se, & erat in quatuor capita*, respectus eosdem, & ad situm Paradisi & ad dispositionem alvei Tigridis, habuit.

CAPUT XVI.

Continuatio explicationis versus decimi quarti.

I. *Origines falsæ nominis Euphratis*. II. *Vera hujus nominis origo*. III. *Virtus undis Euphratis adscripta*.

I. VErs. 14. *Et quartus fluvius est Euphrates*. Nullam Moses distinctionis notam huic fluvio apposuit, eo quod confundi non poterat cum reliquis, quos jamjam dignoscendos exhibuerat; quemque magnitudo sua, ac vicinitas & locis & populis, pro quibus scribebat, satis celebrem reddebat. Iste fluvius, melius sane quam reliqui, suum retinuit nomen. Error est, credere velle, nomen Euphratis compositum esse ex nomine Hebræo פרת *Perath*, & pronomine הו *hu*, quod additum in hoc loco ipsi deprehenditur: id quod tamen plures ex doctissimis viris censuerunt. Græci *Perath* mutarunt in *Euphraten*, accommodantes hoc verbum, ut omnia verba peregrina, suæ linguæ genio, quasi derivatum sit a verbo εὐφραίνειν, quod *exhilarare* significat, propter amœnitatem, quam Euphrates omnibus, quos præterlabitur, locis conciliat. Hæc etymologia a pluribus, ut sanctus Ambrosius observat [1], recepta est. Fieri etiam potuit, ut cum Euphratem propter fœcunditatem ita nominari legissent, ad nomen εὔφορος, quod *fœcundum*, *fertilem* significat, ipsius originem retulerint, nomenque ejus eidem accommodaverint. Fortasse etiam plane ad has Etymologias non respicientes de *Perath* fecerunt *Euphrates*; uti de *Tabor* fecerunt *Atabyrius*; de *Derceto*, *Atergatis*. Sic ex *Coptos* factum est *Ægyptus*; sic ex *Pen*, *Apenninus*. Sic & lingua Gallica, pariter ut dialectus Æolica, plures voces incipit ab e, quod non deprehenditur in radice. De στέγη facimus *etage*; de *spiritus*, *esprit*. Ipsi Hebræi præposuerunt *u* voci *Paz*, quod nomen regionis Ophir est, eandemque *Uphaz* dixerunt.

II. Vera radix nominis Euphratis est Hebraicum פרה quod *augeri*, *crescere* significat; & in conjugatione hiphil, *fœcundum reddere*, quoniam fluvius iste, cum augetur, per inundationes suas omnibus locis a se irrigatis fertilitatem adfert. Ita sentiunt sanctus Hieronymus [2]; plurimi ex Patribus, Interpretes Scripturæ & Rabbini. Transeo plures alias vocis hujus origines, quas hinc inde afferunt Auctores, ut illi Josephi [3] paulisper inhæream. Hebræum nomen ipse scribit φορὰ, & ad modum Arabum pronuntiat, atque per σκεδασμὸν ἢ ἄνθος, *dissipationem aut florem*, explicat, eandemque a verbo פור *pur*, quod inter alia significat *dissipare*, propter effluxus illos, aut ut sic dicam, dissipationes undarum Euphratis, derivat; aut a verbo פרח *parach*, *florere*, *germinare*, quoniam ipsius undæ florere & germinare terras faciant, quas alluunt. Admiratione dignum esset, Judæum origines tam longinque petitas & coactas arcessere, cum in proximo habeat verbum פרה *parah*, tam sponte se offerens, nisi aliunde jam notum esset, ipsum in lingua Hebraica profundam scientiam nusquam ostendisse.

III. Cæterum, ut populi Gangi & Nilo virtutem attribuerunt sanctificandi animas; sic Euphrati virtutem attribuerunt restituendi corporibus sanitatem. Et Arabes quidem tam bene de undis hujus fluvii sentiunt, ut ad levandos omnis generis morbos easdem bibant, & infallibile contra pestem credant esse medicamentum; idque ex virtute, quam in Paradiso terrestri assumserint. Et quoniam eundem effectum fluvio Hyphasi tribuunt, Philostorgius exinde probare conatur, ipsum Phisonem fuisse, & ex Paradiso profluxisse.

[1] Ambros. de Parad. cap. 3.

[2] Hieron. de nomin. Ebr.

[3] Joseph. Antiq. lib. 1. cap. 2.

CAPUT XVII.

Aliæ de ſitu Paradiſi terreſtris probationes, quam quas in medium attulimus.

I. Probatur ulterius Paradiſum terreſtrem eo in loco, quem deſignavimus, ſitum fuiſſe, ex fertilitate & vetuſtate hujus regionis. II. *Et quoniam prima habita eſt.* III. *Vera vocis Hebraicæ* נוד Nod *ſignificatio.* IV. *Quid Columnæ poſterorum Sethi fuerint.* V. *Poteſt de ſitu Paradiſi ex eo ulterius loco conjectura fieri, ubi Arca Noachi ſubſtitit.*

I. POſtquam Paradiſi terreſtris ſitum in deſcriptione a Moſe hac de re nobis tradita inveſtigare conati ſumus; alia adhuc indicia invenire poſſumus, ad eundem pernoſcendum nobis inſervitura. Et hunc in locum reponenda eſt regionis fertilitas, bonitaſque terræ, quæ reliquias adhuc benedictionis divinæ, hic ſe diffundentis, retinere videtur. Hæc enim fertilitas, partim ſupernaturalis, partim naturalis erat. Docet Moſes [1], Deum, ut formaret Paradiſum, omnis generis arbores progerminare feciſſe, pulchras viſu & ad veſcendum ſuaves, cumque alio in loco [2] amœnitatem atque fertilitatem agri Sodomitici, qua ante ſumptum ab ipſo ſupplicium conſpicuus fuit, deſcribere vellet, eum cum Paradiſo Dei comparat: ſive non niſi hortum excellentis pulchritudinis, Hebraiſmo in ſacris Libris frequentiſſimo, ſignificaturus, quæ aliquorum ſententia eſt; ſive Paradiſum terreſtrem intelligens, ut communis fert opinio. Neque dubium eſt, locum hunc ſupernaturaliter a Deo formatum exemplar fuiſſe, ad quod Poetæ profani fortunatas ſuas Inſulas, campos Elyſios, prata Plutonis, hortos Heſperidum, Adonidis, Jovis atque Alcinoi effinxerint. Uti & Xenophon pulchros iſtos hortos, quos Paradiſos appellat, delineaturus, non aliis loquendi modis utitur, quam quos Moſes in deſcribendo Paradiſo terreſtri adhibuit. Sed præter ornamenta illa, quibus ipſa Dei manus excellentiſſime eundem condecoravit, nemo cum ratione exiſtimare poteſt, Deum, cum primum hominem in locum aliquem deliciarum collocare vellet, terram inamœnam, atque ſterilem, aut horridum aliquod deſertum potius, quam regionem beatam, & jam a mundi nativitate ornatam decore atque locupletem elegiſſe. Certum vero eſt, non Meſopotamiam duntaxat atque Cœle-Syriam, ſed præterea Babyloniam, uſque ad Sinum Perſicum, & bonam partem Syriæ ſe extendentem, tum temporis amœniſſimas & divitiſſimas in mundo regiones fuiſſe; & id quidem uſque adeo, ut fertilitas hortorum in Syria, populi iſtius in iiſdem colendis ſtudium, leguminum atque oleorum ipſorum copia in proverbium abierit. Teſtis eſt Herodotus Babyloniæ campos, ex uno tritici grano ducenta edidiſſe. Atque ut ab ea regione, in quam Paradiſum collocavi, non diſcedam, a conjunctione Tigridis atque Euphratis, quæ juxta Ptolemæum prope urbem Apamiam contingebat, uſque ad ipſorum oſtium, litora atque ripæ iſtæ tam a parte Suſianæ, quam Arabiæ nulli regioni in Aſia pulchritudine atque fœcunditate cedunt. Nolo jam dicere, reperiri ibidem delicias a manu Dei ad formandum Paradiſum veluti effuſas: nec dicere volo, reperiri ibidem delicias, quaſcunque modo labor hominis induſtrii comparare poteſt: id ſaltem adjicio, fundum atque tellurem ibidem eſſe admirabilem, quemque natura ad quamcunque culturam reddidit idoneam; quamtumvis verum ſit, raras ibi eſſe pluvias, eandemque omnem fœcunditatem telluri atque irrigantibus ſe fluviis debere. Id ſane docent nos Hiſtorici atque Geographi, antiqui atque recentes: & ut multas hic allegationes ne coacervemus, dicere ſufficiat, ejuſmodi fuiſſe delicias atque veneres, quæ nomen *Edenis*, hoc eſt, *voluptatis*, provinciæ, ubi fuit Paradiſus, acquiſiverint. Nomen Inſulæ Chader, quam Phiſon atque Gehon efficiunt, ejus pulchritudinem; خضر & خضير *Chadiron*, in Arabico, *viridans*, *aſpectu amœnum*, ſignificat. Altera inſula Gezair, hoc eſt, *inſula* per excellentiam nominata, & immediate ſupra Tigridis atque Euphratis confluentem ſita, nequaquam pulchritudine inſulæ Chader concedit. Neſtoriani ipſi nomen Edenis impoſuerunt, ſive propter amœnitatem ſuam, ſive quod non neſcii eſſent, proviuciam Edenem in hac fuiſſe regione, & ad iſtanc inſulam ſeſe extendiſſe. Invenio porro in hoc tractu tertiam inſulam, ob delicias ſuas celebratam. Ager nimirum eſt Baſſoræ adjacens, duobus rivulis manufactis incluſus. Unus appellatur rivus Abulla, & alter, rivus Mocali. Habent Aſiæ populi quatuor locos, quos propter amœnitatem *hortos mundi* vocant, idemque ſunt apud ipſos, quod

[1] Geneſ. 2. 9.
[2] Geneſ. 13. 10.

quod Tempe Thessalica apud Græcos. Unus in Persia est, diciturque *Rivus Bavan*; alter in Bactriana prope Samarcandam; Tertius pomarium Damasci; & quartus denique est regio Bassore, quem vocant *rivum Abulla*. Atque hæc revera insula est, quam Indus Pilpay in libro de luminibus repræsentat circa Bassoram, valde deliciosam, amœnissima sylva umbrosam, suavissimo gaudentem aeris clementia, & a pluribus fontibus irrigatam, cujus undæ in omnes partes flexuosæ sese effundant. Omnis ista regio inter insulas Chadar & Gezair, quæ ipsa est regio Paradisi terrestris, haudquaquam ipsis est amœnitate inferior. Affirmant enim, qui peregrinati istis in locis sunt, Turcarum Imperatorem non habere terras meliores, quam quæ inter Bagdad atque Bassoram sitæ sunt; ita ut si hinc inde pars aliqua inculta est, solitudini regionis istius aut ignaviæ incolarum id imputandum sit.

II. Quam hactenus de Paradisi terrestris situ exposui sententiam, solidissime porro exinde probatur, quod ista regio primo omnium inhabitata fuerit, cujus rei quamvis pauca supersint indicia, quæ tamen supersunt, id egregie probant. Prima, quam Cain condidit [1], urbs ad Orientem Edenis erat, cui a filio suo Enocho appellationem addidit. Ptolemæus in descriptione Susianæ, eodem plane ad Orientem loco, ubi Paradisum constitui, urbem notat Anuchta vocatam. Ubi notum est, Syllabam tha, vocem hanc terminantem, usitatam in lingua Chaldaica esse nominum fœmininorum terminationem, neque partem ipsius nominis facere. Superest igitur tantum *Anuch*, quæ citra difficultatem id ipsum, quod Enoch est. Vides igitur urbem, ex constanti opinione in mundo antiquissimam.

[1] Genes. 2. 16. 17.

III. Sed nulla vocis *Nod* relicta sunt vestigia, quod nomen volunt esse regionis, in quam se conferebat Cain; & ubi hanc urbem Anuchtham ædificabat. Sic neque constat, verba textus Hebræi ita verti debere, & habitavit in terra *Nod*, aut secundum Septuaginta, *in terra Naid*; & quod de vocabulo נד *nad*, quod *errantem* vertunt, qualem volunt fuisse Cainum, terram, in quam se conferebat ipse, nuncupatam fuisse; uti commenti sunt, Latium hoc nomine a verbo *lateo* dictum esse, quoniam Saturnus in ea se abscondebat, cum e cœlo ejiceretur. Ego potius in eadem cum Sancto Hieronymo essem sententia, hanc versionem rejiciente, credamque libenter *nod* illud hoc in loco significare tantummodo *fugitivum*, *expulsum*, id quod ad statum, in quo erat Cain, exprimendum facit. Non adderem tamen, quod facit sanctus Hieronymus, huic expositioni σαλδόμενος, *errans*; neque enim ista conditio in eum satis convenit, qui sedem suam aliquo in loco fixit, urbe etiam ædificata, quam incolat; præsertim cum vox נע *nah*, quam Moses adjicit voci נד, & quæ in Vulgata reddita est, *vagus*, idem esse possit, ac *perturbatus*, *intus commotus* ac agitatus, sicuti eam & Septuaginta intellexere, cum transtulerunt, στένων καὶ τρέμων, *suspirans & tremens*; Et fortasse sancti etiam Hieronymi illud σαλδόμενος nihil aliud significat.

IV. Refert Josephus, posteros Sethi, cum ex prædictionibus Adami cognovissent, mundum prima vice aqua, & postmodum igne periturum, cumque ad posteros, quod in Astronomia primi cognovissent, propagare voluissent, duabus id columnis insculpsisse, quarum una ex lapide, ut aquæ; altera ex cocto latere fuerit, ut igni resisteret, easque in Syriade erexisse, κατὰ τὴν συριάδα. Equidem fui aliquando sollicitus admodum, ut pervestigarem, quidnam appellet ipse Syriada. Sed felicior quam ego, fuit Vossius [2], qui ostendit Josephum Syriada appellare locum, qui in libro Judicum [3] vocatur Sehirath. Erat locus iste in Galgal, in ditione Jericho, ubi figuræ aliquæ insculptæ conspiciebantur. Istiusmodi figuræ in Hebræo appellabantur הפסילים *Happesilim* & apud Septuaginta τὰ γλυπτά. Videntur omnino sculpturæ istæ Tabulæ fuisse Astronomicæ, quas posteri Sethi lapidibus incidisse dicebantur, unde & colligi posset, quod complures Ecclesiæ Patres crediderunt, Adamum atque posteros in Judæa habitasse, quod tamen ad nostram sententiam minus quadraret. Sed fabula est, fabricam harum columnarum ad posteros Sethi referre, easque antiquiores, quam diluvium, facere. Erant potius opus veterum terræ Canaan incolarum, Astronomiam intelligentium, ad exemplum & ex institutione Ægyptiorum atque Chaldæorum, qui vicini ipsis erant populi, quosque regionis natura, plana atque patens, ad Astrorum contemplationem invitaverat, longusque usus in eadem peritissimos reddiderat. Factum id & ad exemplum Ægyptiorum est, scientias suas saxis insculpentium, ut memoriam pariter atque usum earundem posteris relinquerent. Et istæ quidem Cananæorum pariter, & Ægyptiorum inscriptiones occasionem multis fabulis dederunt. Quare ex istis columnis nihil quicquam concludi potest, unde de habitatione primorum hominum judicari aliquid possit.

[2] Voss. de ætate mundi cap. 10.
[3] Judic. 3. 27. 19.

V. Saltem de ea re conjecturam aliquam facere possumus ex loco, ubi post dilu-

luvium subsistebat Arca Noachi. Moses id in monte Ararat factum dicit, hoc est, juxta præstantissimos Interpretes, in Montibus Gordianis, qui proximi fonti Tigridis & magnæ Armeniæ erant, per longum tractum versus Orientem atque Meridiem sese extendentes. Sed quoniam pluviæ non sola Diluvii causa erant, sed & exundatio Oceani, ut docet nos Scriptura [1], cum fontes magni abyssi fuisse ruptos dicit, exundatio ista, a mari Persico existens, quod alioquin vehemens atque violentum in sinu hoc esse solet, a Meridie veniens, & Arcam ea circum loca, ubi Paradisum posuimus, inveniens, deferebat ipsam ad Boream, versus montes Gordianos, cujus Meridianus non distat valde a Meridiano Paradisi. Quibns si violentiam ventorum pluviosorum Meridiei, quos tum flasse, & aquarum motus adjuvasse probabile est, sine difficultate comprehendere possumus, Arcam, ut erat ipsius figura ad navigationem, & ipsa propter gravitatem multum aquæ attrahentem, parum idonea, non nisi unam leucam cum dimidia singulis diebus ad Boream processisse. Hanc rationem si sequamur, inveniemus, eam ex loco, ubi Ptolemæus collocat urbem Araccam, qui is ipse locus est, ubi fuisse existimamus Paradisum, egressam, in montibus porro Gordianis in fine centum & quinquaginta dierum, quibus duravit Diluvium, substitisse.

[1] Genes. 7. 11.

CAPUT XVIII.

Respondetur Objectionibus.

I. *Objectio prima*. II. *Objectio secunda*. III. *Objectio tertia*. IV. *Objectio quarta*.

I. RESpondendum jam est ad Objectiones, quæ adversus opinionem Calvini atque Scaligeri, in quantum cum nostra convenit, afferuntur, quæque adversus me adferri in medium possunt. Fuere igitur, qui objecere primo, fluvium ex confluente Tigridis atque Euphratis ortum, quem hodie Fluvium Arabum appellant, non nisi per unum ostium in Sinum Persicum effundi; unde consequens est, duos illos, quos divisi rursus efficiunt, alveos, quos ego statuo esse Phisonem atque Gehonem, confictos esse. Sed nos auctoritate veterum Scriptorum & Peregrinantium hodiernorum ostendimus, quam falsa sit illa objectio. Causa erroris fuit, quod iste fluvius, cum dividitur, magnum regionis tractum complectatur, quem olim Messenam, nunc Chader appellant. Quod si itaque terra ista veluti insula consideratur, in medio ostii fluvii hujus posita, verum erit, fluvium hunc non nisi uno gaudere ostio. Sed magis tamen cum vero consentiet, si dicimus, ostium hoc, per magnam divisum insulam, quæ teste oculato Teixeira, plus quam octoginta milliaria longa, & plusquam unum gradum lata est, juxta delineationem Tabularum Ptolemæi brachiis valde a se invicem distantibus componi, quorum unum quodque ostium habet peculiare. Ut hac ratione pro diversa consideratione magnus hic fluvius unum & duo habeat ostia. Unum quidem, sed quod per magnam insulam separatur; duo autem, nempe duo illa brachia, quæ ipsum dividunt.

II. Objicitur postmodum, duo ista brachia non esse diversos a Tigride atque Euphrate fluvios, quoniam ex undis illorum facta sunt, ac proinde nos non designare quatuor istos fluvios e Paradiso egredientes, ut verba Mosis postulare videntur. Sed manifestum est, non esse quæstionem nisi de nomine, neque novum est, fluvium, cum dividitur, aliud nomen recipere. Recte enim dicere aliquis de Colonia possit, ipsam a fluvio allui, in quatuor capita se dividente, quæ sunt Mosella, Rhenus, Isala atque Vahalis.

III. Tertia objectio magis adhuc, quam superior inanis est atque frivola. Dicunt enim, id quod Moses *capita* appellat, de fontibus quatuor fluviorum, non de ipsorum extremitatibus circa ipsorum confluentem atque separationem, intelligendum esse. Sed haudquaquam assentimus, vocem Hebraicam ראשים *Raschim*, qua utitur Moses, vocem ἀρχαί, qua utuntur Septuaginta, & vocem *capita*, qua utitur Auctor Vulgatæ, fontes significare. In istis enim linguis suppetunt ad fontes significandos verba propria; neque ratio dici potest, cnr Moses ejusque Interpretes, sepositis istis verba ambigua adhibuerint. Ergo quibus sunt usi, novos in diversos fluviorum alveos, in respectu ad Paradisi terrestris situm, ingressus significant. Sed ista jam satis a nobis exposita superius sunt.

IV.

IV. Transeamus ad objectionem ultimam, quæ contra nos afferri potest, quæque omnium optima ratione nititur. Affirmant antiquiores Auctores, Euphratem olim in mare per ostium peculiare sese evolvisse, sed Arabes Scenitas, pluresque alios populos ad ejusdem ripas habitantes & ipsum per incisiones infinitas suas in ditiones derivantes, adeo eum imminuisse atque invalidum reddidisse, ut in paludibus se perdiderit, nec mare ipsum attingere valuerit. Habebat ipse cursum suum ad latus Occidentis, Arabiam versus, inter locum, ubi Moses suum scribebat Pentateuchum & alveum, quem Phisonem nuncupamus. Unde infertur, Mosen, de Euphrate loquentem, non nisi alveum istum potuisse intelligere, qui tum revera Euphrates erat, nondum sectionibus istis exhaustus, quique non poterat pro uno ex quatuor capitibus haberi, de quibus ipsum locutum esse existimamus. Infertur etiam inde, in quatuor fluviorum istorum enumeratione, quam juxta nostram opinionem ab eo auspicatus est, qui proximus ipsi erat, ab Euphrate inchoandum ipsi fuisse. Hanc objectionem jam occupavimus, cum valde vero diximus esse consentaneum, alveum istum Euphratis, qui peculiari ostio mari illabebatur, non nisi emissionem aquarum fuisse, quas Arabes ad irrigandas terras suas ex hoc fluvio deduxerint, istosque populos, latrocinia sua continuantes, ductum hunc exsiccavisse; & sic, arte opus artis abolente, res in eum statum, in quo Mosis tempore erant, rursum devenisse. Fortasse etiam non nisi torrens erat, ex effusionibus Euphratis enatus, qui aliquando usque ad mare pergebat, aliquando tamen in via subsistebat. Usque ad mare pergebat, cum istæ exundationes sectiones atque paludes, ex collectionibus aquarum per istas sectiones factas, replerent: in via autem subsistebat, cum exundationes Euphratis desiissent. Verum si alveus ille tam antiquus esset, ut Paradisus terrestris, siquidem aliunde certi essemus, ut sumus profecto, nixi testimonio antiquitatis, & situ naturali locorum, Euphratem se conjunxisse Tigridi, nostra opinio subsisteret. Quamvis enim brachium hoc Euphratis situm fuerit inter Arabiam Petræam, ubi Moses scribebat, & alveum, quem statuimus esse Phisonem, fieri tamen potuit, ut eo non respexerit, & nonnisi quatuor fluvios ad descriptionem suam pertinentes consideraverit.

CAPUT XIX.

Totius Tractationis hujus repetitio.

I. *Deus hortum in Edene ad orientem plantabat*. II. *Fluvius egrediebatur ex Edene, ut irrigaret hortum*. III. *Ille se dividebat, & erat in quatuor capita*. IV. *Primus erat Phison*, V. *qui alluebat terram Chavilah, fœcundam auro*. VI. *unionibus & Bdellio; onyche & omnis generis gemmis*. VII. *Secundus fluvius est Gehon, qui alluebat terram Chus*. VIII. *Tertius est Tigris, qui vadit versus Assyriam: & quartus est* Euphrates. IX. *Omnia illa indicia, quibus Moses Paradisi situm designare voluit, nulli conveniunt, nisi quem nos proposuimus*. X. *Quæstio de Paradisi terrestris situ non attingit fidem*.

I. EXistimamus satisfecisse nos instituto nostro, solidissimeque probasse, Paradisum terrestrem situm fuisse ad fluvium, quem confluens Tigridis atque Euphratis producit, quemque hodie fluvium Arabum appellitant, inter hanc divisionem, quam facit hic ipse fluvius, antequam se in mare Persicum præcipitat. Sed quoniam argumenta a me allata paulo latius dispersa sunt, & inde fortasse minus in Lectorum animis vim suam exerunt, magis persuadebunt, si collecta uno veluti intuitu conspicienda exhibeantur. Narrat itaque Moses. *Deum hortum plantasse in Edene*. Invenimus vero hujus nominis provinciam ad hujus fluvii littora & versus eum locum, quem nos designavimus. Hæc provincia nomen *Edenis*, *quod voluptatem* significat, ob amœnitatem fertilitatemque habuit. Quamvis vero ipsa inculta hodie jaceat, nihilominus tamen liberalis Dei manus indicia, ipsa terræ suæ bonitate, præ se ferre videtur. Iste hortus situs erat *ad Orientem*, hoc est, a parte orientali regionis Edenis, duas fluvii ripas occupantis. Significare etiam potest ripam orientalem, quæ quousque modo Tigridis cursus extenditur, nomen *Kedem*, hoc est, *Orientis* ut proprium, non ut nomen appellativum, portabat; Non aliter ac ditiones ad ripam occidentalem nomen proprium *Ereb* habebant, hoc est, *Occiden-*

dentis, unde traxit nomen suum Arabia. Ut adeo significare nobis voluerit Moses, Paradisum, saltem majori & principali parte, situm ad ripam hujus fluvii orientalem fuisse. Sed præter naturalem hujus regionis bonitatem, Deus eandem ad formandum hunc Paradisum insolito more exornaverat, cum *produceret è terra omnis generis arbores*, *quæ visu pulchræ*, *& ad vescendum bonæ erant*.

II. *Iste fluvius egrediebatur ex Eden*, *ut irrigaret hortum*, hoc est, postquam percurrisset hanc regionem, ingrediebatur hortum: qui cum esset ad Orientem Edenis, necesse erat, ut fluvius in eo loco, ubi hortum illaberetur, cursum suum ab Occidente versus Orientem institueret; & ipse proinde ad anfractum aliquem hujus fluvii, hoc cursu profluentis, situs fuerit; cumque a sua conjunctione usque ad suam divisionem non aliam flexuram efficiat, quam magnam illam, in Tabulis Ptolemæi conspicuam, apparet omnino, Paradisum ad extremitatem orientalem rami meridionalis hujus anfractus situm fuisse. Equidem chartæ non repræsentant eandem hodie; sed cogitandum est de mutationibus, quas ars in cursibus fluviorum istorum effecit; istum vero notant, qui paululum ab Occidente ad Orientem divertit, inter confluentem Tigridis atque Euphratis, & urbem Bassoram. Quodsi aquarum cursus a tempore Paradisi terrestris hoc modo, & non secundum Chartas antiquas sese habuisset, descriptioni Mosaicæ adhuc conveniret.

III. Iste fluvius intuitu horti, juxta alvei sui dispositionem, & non secundum cursum aquarum consideratus, *dividebat se*, *& erat* partitus, non in quatuor fontes, ut multi credidere Interpretes, sed in *quatuor capita*, hoc est, in quatuor brachiorum diversorum initia & aditus. Ista quatuor brachia quatuor fluvii erant; duo supra, in respectu ad cursum aquarum, nimirum Euphrates atque Tigris; duo infra, nempe Phison atque Gehon.

IV. Moses, qui res istas in Arabia Petræa consignabat, horum fluviorum enumerationem instituturus, eandem a *Phisone* auspicatus est, quem nos statuimus, alveum occidentalem fuisse ex duobus illis, in quos fluvius, antequam mare ingreditur, dispescitur: ille enim loco, ubi scribebat, proximus erat, & se primus ejus offerebat, ut oculis atque pedibus, si ab hac se parte in viam aliquis dedisset, sese obtulisset. Atque uti ex hujus fluvii cognitione aliqua ratione dependet cognitio cæterorum, ipsi etiam plura, quam reliquis, indicia adjecit, ut possit cognosci: ac notæ istæ propriæ ipsi sunt, neque in ullum alium, quam in ipsum solum convenire possunt.

V. Primum indicium est, quod fluvius iste, *is est*, *qui circumit totam terram Chavilah*. Cognitio hujus regionis dependet a cognitione Phisonis, neque dubitari potest, eam hanc ipsam esse, quæ est ad partes extremas Septentrionis a parte orientali Arabiæ, hoc est, ad ripam occidentalem ostii Euphratis atque Tigridis. Illius situm accurate designat Scriptura, cum notat Chavilah & Sur, ut partes duas extremas Arabiæ, terræ sanctæ vicinæ. Cum enim Sur in aditu Ægypti jacuerit versus Sinus Arabici partes extremas, sequitur Chavilah in altera parte Arabiæ in partibus extremis Sinus Persici extitisse. Addamus iis, quæ dicta sunt, testimonium Auctorum ethnicorum hoc ipso in loco populos ponentium, quos Chaulasios, & Chaulothæos appellarunt, nominibus sine dubio a nomine Chavilah derivatis. Sane omnes istæ notæ, quas Moses ad dignoscendam Chavilah suggessit, accuratissime in regionem a nobis designatam conveniunt. *Est aurum*, *& aurum hujus terræ bonum est*, ut David [1] & Ezechiel [2] testantur, atque colligere ex donis licet, quæ Magi Domino nostro obtulerunt.

VI. *Hic est Bdellium*, sive margaritas hoc verbo quispiam, ut in Hebraico scriptum est; sive gummi aromaticum intelligat. Maxima omnium, quod scitur, in mundo unionum captura fit prope Insulam Bahreinam, quæ est in Sinu Persico, prope latus regionis Chavilah, & in quam ducit Phison. Auctores, tam antiqui quam recentiores, loquuntur de his margaritis, quod omnibus aliis in mundo præferantur: & sane, omne istud latus a Mascato usque ad Catipham unionibus fertile est. Sed non minus Arabia Bdellio abundat, gummi pretioso, quod hodie l'Anime appellitant. Non minus etiam fœcunda erat *lapide onyche*, qui ex narratione Plinii [3], non nisi in montibus Arabiæ reperiebatur. Cæterum, cum quæ Tigridi atque Euphrati adjacebant regiones, & hominibus frequentissimæ & potentissimæ erant; cumque merces ex omnibus partibus eo apportarentur, mercimonia etiam Arabiæ, ad luxum & voluptatem necessaria, credibile est, non fuisse omissa; & cum regio denique Chavilah media in via occurreret, ubi deponi merces istę poterant, necesse sane erat, ut lapides omnis generis pretiosi atque aromata, quę possidet modo Arabia, magna in eadem reperirentur copia.

VII. Postquam igitur ordinem Mosis secuti, alveum occidentalem, ubi Tigris atque

1 Ps. 72. 10. 15.
2 Ezech. 72. 20. & seq.
3 Plin. lib. 36. cap. 7.

que Euphrates conjuncti in mare illabuntur, transmisimus, alveus occurrit orientalis, qui ex consecutione necessaria *Gehon* est. *Is circumit totam terram Chus*, hoc est Susianam, antiquum hoc nomen retinentem, utpote quam *Chuzestan* hodie appellant: & hæc ipsa est, quam [1] Scriptura alias vocat *Cutha*, idque juxta dialectos diversas. De nomine hoc Chus derivata sunt nomina Cossæorum & Cissiorum, populorum Susianæ, quorum mentionem faciunt Auctores profani; Id quod & occasionem ipsis præbuit, ut dicerent, Matrem Memnonis, principis Susianæ, Cissiam fuisse.

[1] Reg. 17. 24.

VIII. *Tertius fluvius Chiddekel, qui vadit versus Assyriam*, est Tigris. Hoc nomen ipsum monstrat, quod si enim de *Chiddekel*, prima saltem litera, quæ non nisi aspiratio est, sustollatur, superest *Dekel*, unde nomina *Diklath*, *Diglath*, *Degil*, *Degela*, *Diglito* & *Tigris* formata sunt. Si eo ex loco, quorsum nos collocavimus Paradisum terrestrem, dispositionem alvei, quem fluvius iste occupat, videre aliquis posset, observaret profecto, eundem ire versus antiquam Assyriam, cujus metropolis est Ninive. Et denique *quartus fluvius* est *Euphrates*, is qui nomen suum usque ad præsens tempus retinuit.


IX. Si quis itaque sine antecepta opinione indicia hęc omnia observaverit, quibus Moses Paradisi terrestris situm notum facere voluit, inveniet, non tantum, ea accurate in eum, quem nos designavimus, quadrare, sed etiam in nullum alium, neque ex illis, quos hucusque effinxere, neque in alios, qui mente possunt concipi, convenire posse. Neque enim aliæ provinciæ Chavilah & Chus sunt, quam illæ, quas notavi, ubi Phison aliquis atque Gehon inveniri posset: non est Tigris alius, qui vadit versus Assyriam: non est alius Euphrates, de quo dici possit eum esse unum ex quatuor capitibus, in quæ fluvius, Paradisum terrestrem irrigans, dispescatur; & denique non alius est locus, quam is, in quem possimus Paradisum, qui a fluvio in quatuor alios, quos nominavimus, diviso, irrigetur.

X. Quod restat, causa non est, cur animæ piæ nova opinione a Patrum sententia tantopere distante, offendantur. Ostendimus enim statim ab initio hujus Tractatus, illos ipsos in diversissimas longe opiniones distrahi, & neque inter ipsos, neque in Ecclesia hoc de argumento uniformem doctrinam & traditionem haberi. Et post omnia sanctus Augustinus [2] verbis declarat apertis, quæstionem de Paradisi terrestris situ fidem, quæ nos Christianos constituit, nequaquam attingere, & posse de ipsa vel verum vel falsum sine periculo hæreseos aliquem credere.

[2] August. de peccat. Orig. contra Pelag. & Cœlest. l. 2. c. 23.



H A-



HADRIANI RELANDI DISSERTATIO DE SITU PARADISI TERRESTRIS.

§. I. Paradisus in Armenia quærendus.

I. Licet multorum insignium virorum industria occupata fuerit in indagando situ Paradisi terrestris, quem descripsit Moses *Gen.* 2. 10. *&* *seqq.* non tamen illorum omnium diversas circa hoc argumentum opiniones recensebo, nec quenquam eorum refutabo; quod & nonnulli ex iis amicitiæ nexu mihi juncti sint, quam fovere omni ope adnitor, & contentus sim sententiam illam, quæ mihi aut vera aut veræ proxima videtur, exponere, & idoneis, ut mihi apparent, rationibus firmare, ne tædio sim lectori meo & in nimiam molem hæc Dissertatio excrescat. Quod si illa omni modo non satisfaciat, & suis laboret difficultatibus, quod non nego, existimo tamen eas pauciores numero in hac hypothesi quam in ulla alia inveniri. Puto itaque in Armenia fuisse olim Paradisum terrestrem, & eo quidem loco, qui medius est inter fontes quatuor fluviorum, Phasidis, Araxis, Tigridis & Euphratis, quos esse illos credo qui a Mose describuntur nominibus Phisonis, Gihonis, Chiddekel, & Phrath; qui olim ex uno fluvio, post ea cum omnibus Paradiso contentis deperdito, ortum traxerunt. Nunc rationes, quæ mihi hanc sententiam probabilem reddiderunt, accipe.

§. II. Quatuor diversi fluvii, ii que ex uno profluentes, indagandi.

II. Quatuor *fluvios* נהרים memorat Moses, a se invicem distinctos, unde & ראשי ἀρχὰς unicuique adsignat, & primum, secundum, &c. appellat. Quumque ea vox in textu Codicis Hebræi soleat fluvios integros, eosque naturales, significare, non video cur a simplici & consueta notione recederem, vel ad exiguos quosdam ramos & arte humana factos Tigridis vel Euphratis hic attenderem, qui ex ipso Euphrate & Tigri egrediuntur, non ex communi cum iis origine, fluvio illo uno Edenico. Ideoque fluvios ipsos hic quæro, quales Hiddekel & Phrat (quos inter omnes fere constat esse flumina Tigridis & Euphratis) eosque a Tigri & Euphrate distinctos, uti ipse Moses distinguit, & ex uno profluentes. Et profecto, si quis liber a præconceptis opinionibus verba Mosis, ut extant, legit, quæ loquuntur de fluvio uno, qui ex Edene profluit, & hortum irrigans, inde dividitur, ut ex eo fiant quatuor capita, vix quidquam aliud inde potest colligere, quam ex uno illo fluvio quatuor alios procedere & elabi, qui quatuor distinctos & a se, & ab flumine Edenico, fluvios efficiant. Adde quod voces ראשי *Capita* & נהרים

נהרים *fluvii* idem hic notent : quum *Gen.* 2. *v.* 11. dicatur , *Nomen primi* ſc. *Capitis* , quod proxime præceſſerat , & v. 13. *nomen fluvii ſecundi* . Atque ita diſtincte recenſentur nomina & curſus illorum quatuor fluviorum , ut non poſſint non pro diſtinctis fluminibus haberi . Uti enim Euphrates flumen eſt , uti & Tigris , &c , quando de iis ſermo eſt , integra flumina concipio , ſic quoque Phiſon & Gihon concipi debent , quæ eodem nomine *fluvii* & ראש *Capitis* deſcribuntur . Præterea dicitur ille egredi יצא ex Edene , & inde משם dividi vel ſeparari aut abire (quod cum יצא junctum curſum vel lapſum fluvii indicat) ita ut inde fiant 4. capita ſive ἀρχαὶ , fluvii ſc. inde profluentes : qui curſum ſuum continuantes dicuntur הולכים & סובבים *euntes* verſus has vel illas , & *circumeuntes*, regiones, juxta fluvii proceſſum , uti ſemper hæ voces in S. S. accipi ſolent : quales 4 fluvios ex communi origine procedentes in brachiis Tigridis aut Euphratis fruſtra quæras. Nec deſcriptio terrarum , quas alluunt , כל ארץ החוילה *univerſæ terræ Chavilæ* & כל ארץ כוש *univerſæ terræ Cush* videtur ramis quibuſdam Euphratis aut Tigridis , qui omnes admodum exigui fuere , convenire poſſe . Et quidni Moſes ſcripſiſſet , ſiquidem per Phiſonem aut Gihonem innuere voluiſſet ramos Tigridis vel Euphratis ; Phiſon & Gihon ſunt nomina alveorum , qui ab Euphrate & Tigri , poſtquam confluxerunt , abeuntibus a ſe invicem formantur & in mare ſe effundunt : vel , Gihon & Phiſon ſunt rami Euphratis Tigridiſque , qui inter utrumque flumen intercipiuntur , aut ſimili modo ? Quorſum illa terrarum deſcriptio quas alluebant & mentio lapidum , quum multo brevius ea & clarius dicere potuiſſet , ſi mens Moſis fuiſſet ibi Paradiſum collocare , ubi pleræque Virorum Eruditorum hypotheſes illum hodie in Meſopotamia vel Parapotamia deſcribunt ? Erunt itaque ut emphaſi verborum Moſis ſatis fiat Phiſon & Gihon flumina ab ipſo Euphrate & Tigri diſtincta & ex eodem cum iis loco profluentia a communi origine , fluvio Edenico . Quare ad fontes Euphratis & Tigridis adſcendendum eſt , ut ſciamus quis pro primo fluvio Phiſon ſit habendus.

§. III. Phiſon eſt Phaſis, Scythiæ fluvius.

III. Quum itaque quatuor diſtinctos fluvios invenire debeamus juxta ductum Moſis *Gen.* 2. *v.* 10. *& ſeqq.* & ad fontes eorum a adſcendendum ſit , ubi primum prodierunt ex uno illo fluvio Edenico, qui ſe in quatuor capita diviſit, conſtetque inter omnes fere Eruditos Tigrim & Euphratem eſſe flumina ex illis a Moſe deſcriptis , nullumque ſit præter Araxem [quem & ipſum inter fluvios Paradiſi cenſemus,) cujus fons propior ſit fontibus Euphratis & Tigridis, quam Phaſis, illum pro Phiſone habemus. Dudum enim exploſa eſt fabula, Phaſin fontem non habere, ſed commiſceri Oceano qui terram ambit , quod Hecatæus Mileſius & alii volebant, recteque ſcripſit Artemidorus Epheſius id falſum eſſe: τὸν γὰρ φᾶσιν μὴ συμβάλλειν τῷ Ὠκεανῷ , ἀλλ' ἐξ ὀρέων καταφέρεσθαι *Phaſin enim non influere in Oceanum ſed ex montibus oriri*, uti & Eratoſthenes *lib.* III. *Geograph.* ſcriptum reliquit, obſervante Scholiaſta Apollonii Rhod. *lib.* IV. *v.* 259. Quod experientia confirmavit. Ipſum nomen quoque Phiſonis a Phaſide non abludit, niſi quod, ut illud Hebræam terminationem ון habet, ita hoc Græcam ις: & reliqua, quæ de regione adjacente narrat Moſes, ſatis bene Colchidi , quam Phaſis alluit , conveniunt . Atqui , dicet aliquis, exiguus fluvius eſt Phaſis, nec cum Euphrate & Tigri comparandus, quare pro illo majus flumen videtur ſubſtituendum. Fateor longe majores eſſe Euphratem & Tigrim: verum id noſtræ opinioni non obſtat, quandoquidem Auctor Sacer nuſpiam ſcriptum reliquit , omnes fluvios Paradiſiacos ejuſdem magnitudinis fuiſſe. Et præterea notari meretur ipſum Phaſin a ſcriptoribus profanis diſerte magnum flumen appellari. Strabo *Geograph. lib.* x. de Colchide loquens διαῤῥεῖ δὲ αὐτὴν ὁ φᾶσις μέγας ποταμὸς ἐξ ἀρμενίας τὰς ἀρχὰς ἔχων. *Hanc illabitur Phaſis, ingens flumen, ex Armenia ortum ducens*; unde eadem opera videre eſt ex eadem regione, Armenia ſcilicet, unde & Tigris, & Euphrates, & Araxes, oriuntur, Phaſin profluere. Quod & ipſum *Dionyſius* in *Periegeſi* teſtatur *v.* 691.

- - - - ἔνθα δὲ φᾶσις .

Κιρκαίου κατὰ νῶτον ἑλισσόμενος πεδίοιο
Εὐξείνου ποτὶ χεῦμα θοὴν ἐπερεύγεται ἄχνην
Ἀρξάμενος τὸ πρῶτον ἀπ' ὔρεος Ἀρμενίοιο.

- - - - *ubi Phaſis*

Per dorſum Circæi campi ſe volvens
Rapidam ſpumam eructat ad undas Euxini,
Primum oriens ex monte Armenio.

Ubi & θοὴν ἄχνην ei attribuit. Similiter Valerius Flaccus magnum eum appellat : cui

cui epitheto quum mox subjungat poeta illum *spumanti ore ruere*, *Argon.* lib. 5.

Cœperat optatos jam lux ostendere Colchos,
Magnus ubi adversum spumanti Phasis in æquor
Ore ruit,

vitio ei id vertit Vir doctissimus Jacobus Nicolaus Loensis *Miscell. Epiphill. lib.* IV. *c.* 4. quia aliunde constat maxima flumina minimo sono labi, & Orpheus Phasidi ostium tranquille fluens in Argon. adscribit. Præiverat Valerio Apollonius Rhodius, eum non tantum appellans *vers.* 1265. Φᾶσιν εὐρυρέοντα *Phasin latifluum*, sed mox *vers.* 1269. de eodem

Εἰσέλασαν ποταμοῖο μέγαν ῥόον. Αὐτὰρ ὁ πάντη
Καγχλάζων ὑπόεικε.
Invehuntur magnum fluvii alveum, qui quaquaversum
Aestuans recessit.

Ne quis autem illa poetice ita scripta existimet, ad hæc Plinii verba attendat, *lib.* VI. *cap.* 4. *Hist. Nat.* qui vastos omnes in Phasin illabi & longe navigabilem quamlibet magnis navigiis ita tradit: *Clarissimus Pontii Phasis orietur in Moschis: navigatur quamlibet magnis navigiis* XXXVIII. M D. *pass. inde minoribus longo spatio pontibus* CXX. *pervius. Oppida in ripis habuit complura celeberrima Tyritacen, Cygnum & in faucibus Phasin. Maxime autem inclaruit Aea,* XV. *mill. pass. a mari, ubi Hippos & Cyanos vasti amnes e diverso in eum confluunt.* & mox. *Et alios accipit fluvios magnitudine numeroque mirabiles, inter quos Glaucum.* Scylax quoque in Periplo χθονὸς Εὐρώπης μέγας ἠδ' Ἀσίας τέρμονα Φᾶσιν, *magnum Europæ & Asiæ terminum Phasin* appellat, uti & ante ipsum Aeschylus in *Prometh. solut.* fecerat quod exiguo fluvio non convenit; & Procopius *lib.* 2. *de bello Persico*, eum, si quem alium, profundum appellat: & hinc natum proverbium, *Nec Phasis malum eluat*. Si quis porro accuratiorem Phasidis descriptionem legere desiderat, legat Arriani Periplum Ponti Euxini; ubi & aquas ejus commendari a levitate & integritate, aliisque virtutibus, inveniet. Auctor Cosmographiæ vulgo Aethico adscriptæ currere Phasin scribit millia CCCV. In Excerptis Julii Honorii oratoris, id spatium augetur D. mill. ibi enim extat Phasin currere millia DCCCV. quod tamen nimium est.

§. IV. Terra Chavila, quæ.

IV. Describit Phisonem Moses accuratius, quod alluat vel circumeat כל ארץ החוילה *universam terram Chavila, ubi aurum est*, &c. Videamus an & hoc Phasidi conveniat. Ut autem indagemus quæ sit terra Chavila, observandum est, probabiliter admodum id nomen regioni inditum esse ab homine quodam ita dicto, qui vel ipse, vel cujus progenies eam primo incoluit. Ita antiquissimis temporibus fieri consuevisse nomina terræ Assur, Canaan, Javan, Mizraim & multa alia evincunt. Durum enim mihi videtur, quod Cl. Bochartus vult in *Phaleg cap.* 6. *Mizraim* e. g. notare Ægyptum ab *angustiis* ita dictam, &c. & quum Chami filii dicuntur fuisse Chus, Mizraim, &c. id tantundem valere, ac Chami filii, qui conditores fuere vel incolæ regionis Chus, Mizraim, uti si quis dicat Agenorem genuisse Thebas, quia Thebarum conditorem Cadmum genuit. Nec obstat He הידיעה sive demonstrativum, nominibus propriis hominum præponi non solitum; unde illud הארונה 2. *Sam.* 24. 16. appellativum esse Judæi interpretes suspicantur, [לא תבוא הא הידיעה על שם האדם לפי שהשם הוא הידיעה ואין ידיעת אחרת, *non componitur He demonstrativum cum nomine hominis, quia id ipsi proprium est, nec alio indicio indiget*, scribit Grammaticorum Hebræorum Princeps R. D. Kimchi in *Michlol pag.* 54. *ed. Ven.*] nam quum illa nomina hominum evaserunt nomina gentium vel locorum, sæpe ה præfigi Kimchi ipse observat, uti *Ezech.* 38. 2. terram המגוג *Magog*, *Jos.* 13. 7. tribui המנשה *Menasse*. Quod si tamen Chavila חוילה a חול, ab arenis ita dictam velit, (quod etymon Κωλικοῖς genti Colchis vicinæ aptius conveniret) non deessent rationes, quæ id illi regioni, quam nos per Chavilam intelligimus, tribui posse ostenderent. Sed lubentius credimus a viro ita dicto terram Chavila esse appellatam. In sacris autem literis duo Chavilæ memorantur, unus nepos Chami *Gen.* 10. 7. alter nepos Heberi, frater Ophir. *Gen.* 10. 29. Legimus etiam nomen loci Chavila (incertum tamen an ab hoc vel illo Chavila ita dictus sit) bis in V. T. *Gen.* 25. 18. ubi Ismaelitæ habitasse feruntur *a Chavila usque ad Sur*, e regione Ægypti & 1. *Sam.* 15. 7. ubi Saul traditur percussisse Amalekitas *inde a Chavila usque ad Sur*. E quibus nil certi potest colligi de situ Chavilæ, nisi hoc solum, Sur & Chavila fuisse terminos oppositos & regionem Amalekitarum usque ad Chavila se extendisse. Ego autem non video quomodo de hac Chavila hic cogitari possit, quum nullus fluvius sit, qui hanc Chavilam cingat vel alluat. Illustris quidem Huetius, Pasitigrim, (ita appellat Euphratem post conjunctionem cum Tigri iterum

rum ſecedentem & poſt non ita multa milliaria ſe in mare effundentem) pro illo fluvio habet, & Chavilam collocat ad littus ſinus Perſici, uti ex ipſius diſſertatione & præfixa mappa Geographica videre eſt. At non eſt id flumen tantæ magnitudinis [quod uno tantum gradu i. e. 15. milliaribus Germanicis ipſe Illuſtris Huetius in tabula Geographica definit) ut terram Chavilæ & quidem emphatice כל ארעכ החוילה *univerſam terram Chavilæ* ambire poſſit dici. Et quis credat, qui contulit illa S. Scripturæ loca in quibus mentio fit Amalekitarum, uti *Gen.* 14. 7. *Num.* 13. 29. 1. *Sam.* 30. 17. Amalekitas habitaſſe a Sur uſque ad ſinum Perſicum, & Saulem eos perſecutum cum exercitu per tam vaſtum terrarum ſpatium, quod ad minimum par eſt univerſæ Italiæ, & per loca deſerta, ubi ipſe cum copiis ſuis ali nequaquam potuiſſet. Nec credibile eſt tam bellicoſam gentem tam inanes ſolitudines & eremos incolere aut voluiſſe aut potuiſſe. Debet itaque hæc Chavila Amalekitica concipi, me judice, propior Ægypto, nec regio Amalekitarum extendi uſque ad ſinum Perſicum, & ibi Chavila collocari. Adde, quod ſi illic Chavilam collocemus, vix apta ſit phraſis 1. *Sam.* 15. 7. percuſſit Saul Amalekitas מחוילה *a Chavila uſque ad Sur.* Num prius, ut cæderet Amalekitas ſibi proximos, perrexit ad Chavila, i. e. uti ſupponitur, littora ſinus Perſici, deinde vero ad Sur? Quis hoc credat? Debuit ergo illa Chavila non tam remota a finibus Cananææ fuiſſe, ut inde coeperit Amalekitas oppugnare, atque ita perrexerit ad Sur. Hic conceptus convenit cum deſcriptione terræ Amalekiticæ tradita in Sacris literis. Non ergo de hac Chavila cogitandum eſt, quum Chavilam in deſcriptione Paradiſi memoratam legimus, ſed de alia quadam. Sunt enim plura loca & regiones diſtinctæ, quæ idem nomen habent, uti jam dudum viri docti duplicem terram Lydiam & Æthiopiam eodem nomine לוד dictam in ſacris literis & כוש & alias invenerunt. Ita & *Tarſis* תרשיש, una ad quam per mare mediterraneum patebat iter *Jon.* 1. 3. altera quæ ex ſinu Arabico ejuſque portu Eziongeber adibatur. 2. *Chron.* 9. 21. & 2. *Chron.* 20. 36. 37. Nam cum Judæis quibuſdam fingere velle naves ex Eziongeber per neſcio quod Nili brachium in mare mediterraneum pervenire potuiſſe, contrarium eſt ipſi experientiæ & hiſtoriæ quæ ſimias, pavones, &c. ex illa Tarſi relatos memorat, quæ in locis mari mediterraneo adſitis non inveniuntur. Ita & duplex Æthiopia Homero *Odyſſ. lib.* 1. in initio. Quidni itaque, in aliam Chavilam quam illam, cujus meminit ſacer ſcriptor *Gen.* 25. *v.* 18. & 1. *Sam.* 15. *v.* 7. hic oculos intendere liceat, maxime quum illa nullo fluvio ambiatur, quod de Chavila Paradiſiaca diſerte Moſes tradit: qui & ipſe, quaſi diſtinctionem innuere vellet hujus & illius Chavilæ, in deſcriptione Paradiſi אריץ החוילה *terram Chavila* eam appellat, quum illa alia Chavila, forte urbs non regio, ſimpliciter חוילה *Chavila* appelletur *Gen.* 25. 18. & 1. *Sam.* 15. 7. Uti hodieque multæ urbes ſunt, quæ idem nomen gerunt cum regionibus maxime diſſitis, uti E. G. in India Orientali, *Batavia urbs* longe alia eſt a noſtra *regione Batavia*, & ארץ *Batavia*, non urbi ſed noſtræ regioni convenit. Præterea, quum duo fuerint viri nomine Chavilæ, uti dictum, quidni aliam quoque ab illa *Gen.* 25. 18. &c. licet concipere, quam, quia ignotior erat nec tam vicina Cananææ, Moſes accuratius deſcribit [non ſimpliciter ut *Gen.* 25. 18. nominat) ab auri & aliarum rerum copia, quæ ibi inveniuntur. Quod eo ſtudioſius feciſſe exiſtimandus eſt, ne lectorem ſuum in confuſionem induceret, ac ſi illa Chavila Paradiſiaca eadem eſſet cum Amalekitica, quam ſatis noverant Iſraelitæ, & quæ nunquam ab auro celebratur, quod alias Amalekitæ maxima copia habere debuiſſent. Ubi itaque hæc Chavila quæri debeat ex adjunctis criteriis optime edocebitur, ubi ſc. aurum eſt, & quidem optime notæ, ubi cryſtallus & ſmaragdus. Quæ quum in Scythia, cujus pars Colchis eſt, inveniantur, & illa quoque, aurum ſc. cryſtallus & ſmaragdus, a profanis ſcriptoribus tanquam ſingularia iſtius terræ decora recenſeri ſoleant, uti hic a Moſe fit, nec nomen Chavilæ & Colchidis Hebraice ſcriptum multum differat, & eam regionem Phaſis i. e. Phiſon alluat, eo reſpiciendum arbitror, & a Chavila, fratre Ophir [cujus terra ſimiliter auro affluebat, quod magna copia ſibi Salomon comparavit, de quo nos alias) nepote Heberi, vel poſteris ejus, ita dictam ſuſpicor.

§. V. Chavila non Colchis proprie dicta.

V. Poſſumus autem per Chavilam intelligere Colchidem proprie dictam quæ Phaſin flumen a meridie habet, & a ſeptentrione montes Scythicos, quos varie varii nominant, quamvis Diodorus Siculus *lib.* 1. *c.* 54. Colchos primitus etiam illa loca quæ erant juxta paludem Mæotidem incoluiſſe ſcribat, atque ita latiſſimum Scythiæ ſpatium Colchis tribuat, ſic ut dicamus in ea aurum præſtantiſſimum & ſmaragdos & cryſtallos inveniri, quandoquidem generatim de Scythia (cujus partem eſſe Colchida demonſtravimus) affirmant veteres & aurum & reliqua Moſi memorata ibi

ta ibi

ta ibi reperiri, & optimæ quidem notæ fuiſſe. Verum ea nos tenet opinio, quod latior terræ tractus per Chavilam poſſit intelligi, ſi attendamus ad tempora Moſis, quum incogniti eſſent tractus ſeptentrionales, nec tam diſtincti regionum termini, uti poſtea, quando Scythia in Europæam & Aſiaticam, & utraque in varias regiones, diſtingui coepit. Nam & ſæculo Auguſtæo quam exigua fuerit notitia terrarum ultra Phaſin & Colchida ſitarum, monumenta veterum Geographorum ſatis oſtendunt. Quæ cum ita ſint, non puto nos nimis religioſos eſſe debere & terram Chavilah præciſe definire iiſdem terminis, quibus Colchis vulgo definiri ſolet, ſed latius licere nobis excurrere in Septentrionalem Aſiam, ne videamur nos præciſe Colchidi illa velle vindicare, quæ Scythiæ generatim, aut illis Scythiæ partibus, quæ mari Caſpio propius adjacent, veteres videntur attribuiſſe.

§. VI. Ex Chavila nata vox Colchis.

VI. At quomodo, dicet aliquis, ex Chavila poteſt fieri Colchis? Ea difficultas facilis ſuperatu eſt, ſi attendamus ad ſcriptionem utriuſque vocis orientalem: nam aut eaſdem literas radicales aut literas ejuſdem organi inter ſe mutatas continent. Qui enim ſine præjudicio vocem חולח *Gholch* (unde addita terminatione *is*, *Cholchis*) confert cum חוילה *Chavila*, facile videt non adeo magnam eſſe inter has duas differentiam, quin longe majores admittere debeamus in aliis regionum & urbium nominibus, quæ aut ab incolis, aut ab exteris, a prima pronunciatione detorta ſunt. Quam levis eſt mutatio ה in ח? Sunt literæ ejuſdem organi, & ה in fine a Græcis legi non poterat: debuit itaque mutari. In quam convenientius quam ח? Inter ה enim & ח nil eſt, niſi differens gradus aſpirationis. Illa minor, hæc major eſt. Dein Κόλχις dixere per K, quod durum Græcis auribus eſſet Χόλχις, ad vitandam κακοφωνίαν, uti φασεκ̀ pro פסח, 2. *Chron.* 30. 15. & 2. *Chron.* 35. 1. 6. 13. 17. ſcripſere Græci Interpretes, & χάβιλος a חבל ductum, & Ἄνακος a חנוך & 1. *Reg.* XI. 20. Θεκεμίνης ex תחפנים. Jod excidit: at quot non literæ ex nominibus regionum ſæpe exciderunt, & quæ potuit facilius perire hac ipſa litera, ob exilitatem ſuam? In ipſis ſacrarum tabularum verſionibus non deſunt ejus rei exempla. Quod Hebraice מתזיאת legitur 1. *Chron.* 25. 4. Græci Jod extruſo μεαζὼθ reddidere, אריסי *Eſth.* 9. 8. Græce redditur ἀρσαῖος, בארי *Gen.* 26. 34. βεὼρ. Adde, quod ſi חוילה a חול, *arenis*, dicatur, uti ſuſpicatur Cl. Bochartus, vix ulla ſit difficultas. Et quid ſi adhuc majus eſſet diſcrimen inter voces *Colchis* & *Chavilah*, non tamen tota hypotheſis ideo eſſet deſerenda, quum notiſſimum ſit, nil facilius corrumpi, quam nomina propria locorum, & ſæpe nonniſi tenue veſtigium priſci nominis remanere. Diſſimulare tamen hoc loco non poſſum me & aliud nominis antiqui *Chavila* veſtigium, in eodem hoc Iſthmo, in quo Chavilam & Phiſonem collocamus, inveniſſe, in urbe ſc. Χάβαλα, *Chabala*, quæ & ipſa præcipua Albaniæ civitas, & in ea regione, quam nos pro Chavila habemus, ſita fuit. Quod nomen ita plane exprimit vocem *Chavila*, ut vix major convenientia optari poſſit.

§. VII. Colchis pars Scythiæ.

VII. Nunc de ſingulis paulo accuratius agamus. Scythiæ partem Colchida eſſe diximus. Quod licet demonſtrari poſſet ex eo, quod nonnunquam omnes accolæ Ponti Euxini Scythæ appellentur, non tamen neceſſe eſt, ut latiſſimo ſenſu hic Scythiam accipiamus, ſed eo, quo vulgo fieri ſolet. Juſtinus *lib.* 2. *Scythia includitur Phaſi flumine*. Phaſis autem flumen eſt Colchidis, ut vel tyronibus notum. Idem vero flumen Scythiæ appellatur. Plutarchus, ſeu quiſquis auctor libelli *de fluminibus*, Φᾶσις ποταμός ἐςι τῆς Σκυθίας. *Phaſis fluvius eſt Scythiæ*. Ita & Phavorinus ex veteribus Lexicis, & illa ex Scholiis. Inter quæ hoc Scholiaſtæ Pindari in *Pythiis Od.* IV. ad hæc verb.

- - - ἐς Φᾶσιν δ' ἔπειτ' ἐνή-
λυθον. — *Phaſin deinde ingreſſi ſunt.*

Φᾶσις δὲ ποταμός ἐςι Σκυθίας τῆς κατὰ τὴν Ἀσίαν. *Phaſis fluvius eſt Scythiæ Aſiaticæ*. Subdit idem ἔςι καὶ ἕτερος Εὐρώπης πλησίον τῆς Μαιώτιδος λίμνης καὶ τȣ̃ Ταναΐδος ποταμȣ̃. *Eſt & alter in Europa prope paludem Mæotidem & Tanaim fluvium*. Ita & Orpheus in *Argon. v.* 1050. An forte is Ψάθις *Pſatis* eſt Ptolemæi? Situs aliquo modo convenit. An Hypanis potius, ut Holſtenius vult in *Not. ad Steph. de Urb. p.* 143. Scholiaſtes Lycophronis *ad v.* 887. ſimiliter λέγονται δὲ οἱ Κόλχοι καὶ Σκύθαι Ἀσιανοί. *Appellantur autem Colchi & Scythæ Aſiatici*. Valerius Flaccus in init. *Argon.*

—— *Scythici quæ Phaſidis oras*
Auſa ſequi ——

& *lib.* 11. 596.

—— *Scythicum gens quæritis amnem.*

& *lib.*

& *lib.* VI. *v.* 319.

Jam Scythicos miserande sinus, jam Phasidis amnem
Contigeras -----

Sic Ovidius Medeæ patriam in Scythia locat, *Metam. l.* 7. 195.

Attulerat secum Scythicis aconiton ab oris.

Quod forte idem fuit cum veneno illo Scythico cujus parandi modum tradit Aristot. *de mirab. audit*. Urbs regia Aeetæ, regis Colchorum, Scythica urbs dicitur Valerio Flacco *Argon. l.* V. *v.* 225. & 326. comites Medæ Scythides *ib.* 343. Colchis ipsa, oræ Scythicæ *lib.* III. *v.* 653.

Jamque ratem Scythicis forsan statuisset in. oris,

& Scythia *lib.* I. *v.* 745.

----- *Mox Scythiæ spoliis nuribusque superbus*
Adveniet.

§. VIII. Primæ Scytharum sedes circa Colchidem.

VIII. Imo, ne quis putet minus proprie hanc regionem Scythiam appellari, observandum est primos Scythas in hoc Isthmo, sive iis terrarum angustiis, quæ sunt inter Pontum Euxinum & mare Caspium, ubi Phasis & Araxes fluunt, habitasse, & deinde demum se effudisse in tractus magis septentrionales. En verba Diodori Siculi *lib.* 2. 43. Οὗτοι γὰρ (Σκύθαι) τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ὀλίγην ἐνέμοντο χώραν, ὕστερον δὲ κατ' ὀλίγον αὐξηθέντες διὰ τὰς ἀλκὰς καὶ τὴν ἀνδρείαν πολλὴν μὲν κατεκτήσαντο χώραν τὸ δὲ ἔθνος εἰς μεγάλην ἡγεμονίαν καὶ δόξαν προήγαγον. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον παρὰ τὸν Ἀράξην ποταμὸν ὀλίγοι κατῴκουν παντελῶς καὶ διὰ τὴν ἀδοξίαν καταφρονούμενοι. *Hi quidem (Scythæ) in initio parvam regionem possidebant, postea vero paulatim aucti per virtutem viresque multas regiones occuparunt, & ad magnam potentiam gloriamque pervenerunt. Antiquitus vero pauci admodum numero & ob ignobilitatem contenti juxta flumen Araxis consederant.* Quæ quum primæ sedes Scytharum fuerint, & ea regio aut Paradisum ipsum complexa olim, aut ei admodum fuerit vicina, (juxta hypothesin nostram) & ibidem genus humanum per Noachum, quasi alterum Adamum, fuerit restauratum, Scythis, cum Aegyptiis quondam de antiquitate contendentibus, (quam disputationem Justinus fuse narrat *init. lib.* II.) palmam tribuendam esse existimarem. Sine dubio enim illa regio prope Araxen, ubi Scythæ primo consederunt, prius incoli cœpta est, quippe vicinior descensui familiæ Noachicæ ex arca, quam remota Aegyptus.

§. IX. Chavilæ aurum, idque præstans.

IX. In Colchide, & Scythia aurum provenire non est quod operose probemus, quandoquidem aurei velleris inde rapti ab Jasone fabula neminem latet. Notatu digna sunt in hanc rem verba Strabonis Geogr. *lib.* X. Παρὰ τούτοις δὲ λέγεται καὶ χρυσὸν καταφέρειν τοὺς χειμάρρους. Ὑποδέχεσθαι δὲ αὐτὸν τοὺς βαρβάρους φάτναις κατατετρημέναις καὶ μαλλωταῖς δοραῖς, ἀφ' οὗ δὴ μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. Εἰ μὴ καὶ Ἴβηρας ὁμωνύμως τοῖς ἑσπερίοις καλοῦσιν ἀπὸ τῶν ἑκατέρωθι χρυσείων. *Apud illos dicuntur torrentes aurum deferre, quod barbari excipiunt tabulis perforatis & lanosis pellibus, unde ficta est aurei velleris fabula. Et fortasse Iberes eodem nomine appellantur, quo occidentales, quod apud utrosque aurum inveniatur.* Quibus adde testimonium Appiani, *de bell. Mithrid. pag.* 242. *edit. Steph.* qui Pompejum suo tempore in Colchida vidisse hos auriferos rivos refert, in quos vellera villosa demergebant accolæ, quibus ramenta auri minutissima facile adhærebant, atque ita extrahebantur. Et tale fuisse vellus illud aureum, quod Jason rapuit, idem opinatur. Sed ipsa verba Græca habe. Ψηγματοφοροῦσι δ' ἐκ τοῦ Καυκάσου πολλαὶ πηγαὶ ψῆγμα ἀφανές. Καὶ οἱ περίοικοι κώδια θέντες ἐς τὸ ῥεῦμα βαθὺ μάλα τὸ ψῆγμα ἐνισχόμενον αὐτοῖς ἐκλέγουσι. Καὶ τοιοῦτον ἦν ἴσως τὸ χρυσόμαλλον Αἰήτου δέρας. De Scythis Asiaticis in genere Solinus, *c.* 15. *auro & gemmis affluunt*. Ita & Eustathius in Dionys. περιήγ. Χρυσὸν παρ' αὐτοῖς οἱ χείμαρροι καταφέρουσι. *Aurum apud illos torrentes deferunt*. Quin & aureas regis Colchici cameras & argenteas trabes Plinius memorat *lib.* 33. 3. Non parum hoc facit ad auri Colchici commendationem, quod e fluminibus colligatur, atque eo magis convenit cum verbis Mosis וזהב הארץ ההוא טוב *& aurum istius terræ bonum est*. Ita de illo auro, quod e fluminum ramentis eruitur, Plinius *lib.* XXXIII. *cap.* 4. *nec absolutius aurum est, cursu ipso trituque perpolitum*. Quod eo magis ad rem faciet, si consideremus Phasin fluvium fuisse rapidissimum & profundissimum Oportet ergo optimæ notæ id aurum fuisse. Strabo lib. I. Ἥ τε Μήδεια φαρμακὶς ἱστορεῖται καὶ ὁ πλοῦτος τῆς ἐκεῖ χώρας ἐκ τῶν χρυσείων, &c. *Medea autem venefica & divitiæ ejus regionis ex auro, &c. memoriæ proditæ sunt*. Quin & de suis temporibus testatur Agathias *lib.* III. *histor. p.* 72. se nullam gentem vidisse adeo celebrem, πλούτου τε ὑπερβολῇ καὶ πλήθει, *opum excellentia & multitudine*, locorum opportunitate & abundantia rerum necessariarum & morum elegantia præstantem. Nunc secus se habent omnia.

Tan-

Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas:

X. Ad aurum hoc Colchicum non attenderunt, qui crucem ſibi & aliis fixerunt in his verbis Jobi, *cap.* 37. 22. מצפון זהב יאתה *ex Aquilone aurum venit*. Quæ verba ſimpliciter ita reddita & intellecta ſenſum fundunt aptiſſimum. Sive enim in Arabia ſive Palæſtina hæc dixerit Elihu, Colchicam regionem ab Aquilone utriuſque ſitam fuiſſe nemo dubitat; quumque aurum Colchicum adeo celebratum inter veteres fuerit, & idem illud ſub nomine auri Chavilæ tanquam excellens deprædicet Moſes; non video cur a ſimplici ſenſu hæc verba detorqueri debuerint, ut vulgo faciunt & Judæi & Chriſtiani interpretes, qui per aurum intelligunt *tempeſtates claras ut aurum*, vel *nubes coloris aurei*, vel *ſerenitatem aureamve lucem*, quæ oriantur ubi aquilo nubes diſpulit. Fuerunt, fateor, qui aurum ipſum hic intellexerunt, ſed per Aquilonarem plagam, e qua aurum venit, fodinas Pannoniæ & Auſtriæ innui cenſuerunt. At tunc ex occidente potius aurum venire dicendum fuiſſet, & illas fodinas Jobi tempore notas fuiſſe non poteſt oſtendi: nec videtur probabile. Verum, quid opus erat omni iſta ambage, quum Colchis in plaga ſeptentrionali, reſpectu Arabiæ & Palæſtinæ ſita, imo & reſpectu Græciæ (quo ſenſu Jaſon apud Valerium Flaccum *lib.* v. de Colchide.

- - - Nec fama fefellit

Soligenam Æeten media regnare ſub arcto)

regio olim fuerit auri feraciſſima, uti docuimus. Quod ſi Moſes ipſe auctor libri Jobi fuit, minus mirum eſt, illum qui *Gen.* 2. aurum Chavilæ, i. e. Colchidis celebravit, hic ſcribere, aurum ex Aquilonari tractu venire. Et credibile eſt aurum Colchicum, utpote loco deſcenſus familiæ Noachicæ ex arca, & reſtituti generis humani, proximum, prius innotuiſſe, quam illud quod ex aliis terris remotioribus petebatur.

§. X. Aurum quomodo ex aquilone veniat. Job. 37.

XI. At de auro in Colchide vel Scythia, cujus ea pars eſt, inveniendo non adeo videtur laborandum, quam de בדלח & אבן השהם quæ ibi quoque inveniri tradit Moſes. Videamus quid per בדלח intelligere liceat, & dein quid per שהם. Antequam vero in hæc inquiramus, juvat obſervaſſe pleroſque Viros eruditos fateri, incertum eſſe quid per gemmas in V. T. memoratas, & ſpeciatim *Bedolach* & *Schoham* debeamus intelligere. Cl. Huetius de hoc argumento ſcripturus in lib. ſuo de *ſitu Paradiſi cap.* XI. hæc fateri non dubitat. *Conſentiunt in eo homines eruditi nominum Hebræorum gemmis impoſitorum ignorari hodie ſignificationem, obſervatumque eſt ex gemmis, quæ in rationali ſummi ſacerdotis erant, non niſi Sapphirum & Jaſpidem fuiſſe ſua nomina retinentes. Sed aſſeveraverim non ſatis nos certos eſſe gemmas quas Hebræi Sapphirum & Jaſpidem nominant illas ipſas eſſe, quæ hoc nomine hodie veniunt*. Ludovicus Capellus in not. Crit. ad Gen. 2. agens de lapide *Schoham*, *Cujuſmodi fuerit lapis ille certo non ſcitur . . . .* LXX. *Interpretes transferunt*, βηρύλλιον, σμάραγδον. . . . *quæ mira eſt hominum illorum inconſtantia & inſcitiæ hac in parte apertiſſimum argumentum*. Salmaſius in Exerc. Plin. ad Solinum *pag.* 763. *Illud ſcio incerta omnia lapidum nomina eſſe, nec ſatis nota magiſtris ipſis*. Cl. Braunius in *lib. de Veſt. Sacerd. Hebr. libr.* II. *cap.* VIII. de gemmis veſti Pontificis inſertis acturus, *non eſt mirum*, inquit, *ſi inter res S. Scripturæ quæ explicari nequeunt, lapides pretioſi ponantur ab auctoribus*, & Hieronymum citat ad *Ezech. c.* 28. ſcribentem lapides illos magnam & legenti & differenti facere quæſtionem & Aben Ezram ad *Exod.* 28. fatentem, nullam ſibi eſſe certam rationem interpretandi illas gemmas, & Saadiam eas transtuliſſe pro lubitu.

§. XI. Difficultas in interpretandis lapidumpretioſorum nominibus.

XII. Quum itaque in partes abeant & Interpretes & alii Viri Eruditi quorum interpretationes congeſſit Cl. Braunius *lib. mox cit. p.* 575. quo Lectorem remittimus, ne actum agamus, liberum nobis erit, uti alii ante nos fecerunt, aliquam ex iis eligere, ſed nec quamlibet [ne videamur hypotheſeos firmandæ gratia ſolummodo eam amplecti] ſed probabiliſſimam. Communis Judæorum opinio eſt [ita ſcribit in Lexico ſuo Cl. Buxtorſius] בדלח eſſe Cryſtallum. Ita Raſchi ad *Num.* XI. 7. ברולח שם אבן טובה קריסטל *Bedolach eſt nomen lapidis pretioſi*, *Cryſtalli*. Ita & Elias de Pomis in Lexico. Græci Interpretes Alexandrini *Num.* XI. 7. transtulerunt quoque κρύσαλλον, quamvis altero loco (non enim niſi bis in V. T. legitur) ἄνθρακα. Non placet tamen ea verſio Cl. Bocharto, qui per בדלח *margaritas*, non *cryſtallum* vult intelligi, Hierozoic. P. I. pag. 674. ob duplicem rationem, quarum prima eſt, quod terra Chavilæ, in qua Bedolach invenitur, ſit pars Arabiæ ad Catipham & Bachrain, ubi non cryſtalli ſed margaritæ eruuntur. Atqui negamus terram Chavilæ ibi ſitam fuiſſe, quod ſupponit Vir Eruditiſſimus: & rationes ante dedimus. Altera eſt, quod Manna dicatur ſimilis colore fuiſſe τῷ בדלח, ergo, ait, Bedo-

§. XII. Bedolach videtur eſſe Cryſtallus.

Bedolach non eſt cryſtallus, nam Manna colorem cryſtalli non habet. Ego vero non video cur Mannæ color dici non poſſit conveniſſe cum colore cryſtalli. Nec enim licet argumentari hoc modo; quia hodierna Manna [licet & hujus plures ſpecies ſint & nonnullæ ſatis ad cryſtalli ſplendorem accedant] margaritis ſimilior eſt quam cryſtallo, ergo illa quoque cœleſtis Manna ita ſe habuit. Nam illa erat miraculoſa & longe alterius naturæ; quippe non ex plantis ſed humo legebatur, radiis ſolis liquefiebat, maxima copia deſcendebat, ut tot hominum millibus in cibum ſufficeret, & die Sabbathi non deſcendebat, & mola tundi poterat, ſic ut plane fuerit illa Manna a noſtra diverſa. Atque ideo tam accurate deſcribitur quia differebat a vulgari. Quidni itaque & illi cibo cœleſti major ſplendor & convenientia cum cryſtallo poterit tribui? Non video quid obſtet.

§. VIII. Cryſtallus Scythiæ optimus.

XIII. Reſtat, ut Scythiæ noſtræ Cryſtallum vindicemus, oſtendamuſque illum & ibi inveniri. Scythiam Aſiaticam deſcribens Solinus *cap.* XV. inter alia hæc habet. *Iſtic & cryſtallus, quem licet pars major Europæ & particula Aſiæ ſubminiſtret, precioſiſſimum tamen Scythia edit.* Cujus rei ratio datur, quod ibi optimi ſint, ubi maxime hibernæ nives rigent; quod de Caucaſeis Colchidi vicinis aliiſque ſupra Pontum Euxinum & mare Caſpium optime poteſt intelligi. Ne quis autem putet, quum Cryſtallus in Scythia Aſiatica inveniri dicitur, Scythiæ illam partem, quæ Bactrianæ propior eſt & orientalior, debere ſemper intelligi, ſciat etiam ad Thermodontem, fluvium Scythiæ, & ipſum Phaſidi proximum, quique ſe, perinde ut Phaſis, in Pontum Euxinum exonerat, cryſtallum magna copia inveniri. Ita Dionyſius *in Pereg. v.* 871. de Thermodonte.

Κείνε δ' ἀν ποταμοῖο περὶ κρυμώδεας ὄχθας
Τέμνοις κρυστάλλε καθαρὸν λίθον, οἷα τε παχνὴν
Χειμερίην.
Illius autem fluvii circa frigidas ripas
Secabis cryſtalli purum lapidem veluti glaciem
Hibernam.

Unde & ipſe Thermodon κρύσταλλος olim dictus eſt. Licet Auctor libelli *de Flumin.* & Euſtathius *in Schol. in Dionyſ.* aliam rationem proferant, quod ſc. καὶ θέρει πήγνυται, *ipſa æſtate congeletur.*

§. XIV. Lapis Schoham eſt Smaragdus.

XIV. Denique & circa Phiſonem inveniri אבן השהם *lapidem Schoham* Moſes tradit. De quo multa diſputatio eſt. Qui varias Interpretum ſententias conferre vult, *Cl.* Braunium *lib. cit.* adeat. Hieronymus *in Epiſt. ad Fabiol.* שהם ſcribit ab Aquila & Symmacho & Theodotione Onychinos, a Septuaginta Smaragdos transferi. In noſtra autem verſione τῶν LXX. quæ non plane eadem eſt cum antiqua illa ſed ex multis conſarcinata, *Exod.* 28. 10. 27. & 39. 6. σμάραγδον vertunt, & *Gen.* 2. 12. λίθον πράσινον, gemmam viridem [eſt autem Smaragdus viridis & per excellentiam λίθος πράσινος dicitur] ſed alibi aliter. Epiphanius quoque *in tract. de* XII. *Gemm.* verba Moſis *Gen.* 2. 12. citans השהם transfert λίθον τὸν πράσινον. Quibus adde, quos Vir Summus, P. D. Huetius, in tractatu ſuo *de Situ Paradiſi p.* 122. citat, auctorem verſionis antiquæ Italicæ, Euſebium, Severianum, Ambroſium, Auguſtinum & plures Eccleſiæ patres, qui lapidem praſinum vertunt, licet ipſe fateatur nihil certi de lapide Schoham proferri poſſe. Atqui שהם, unde שהם *Schoham* videtur duci, *nigrum*, uti سحم Arabibus *nigrum, fuſcum, tenebroſum* notat: quomodo hoc convenit Smaragdo, quem virere in confeſſo eſt? Fateor: at notari meretur optimos Smaragdos eſſe, qui maxime ad nigredinem accedunt, quum ſcilicet viriditas eorum nigro obfuſcatur & tam ſature virides ſunt, ut fere nigri appareant. Ita Iſidorus. *Smaragdus a nimia viriditate dicitur: omne enim ſatis viride amarum dicitur.* Nullis enim gemmis vel herbis major hoc auſteritas eſt.

§. XV. Smaragdi Scythici optimi.

XV. Et optimos hoſce, ſive auſteros Smaragdos in Scythia, non ſecus ac ברלח, cryſtallum, inveniri Plinius docet, *lib.* XXXVII. *cap.* V. *Nobiliſſimi Scythici, ab ea gente in qua reperiuntur, appellati: nulli major auſteritas, nec minus vitii: & quantum Smaragdi a ceteris gemmis diſtant, tantum Scythici a ceteris Smaragdis.* Solinus de Scythia Aſiatica loquens, quam apposite? cap. XV. *Smaragdis hic locus patria eſt, quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophraſtus dedit: nam licet ſint & Ægyptii & Chalcedonii & Medici & Laconici, præcipuus eſt honor Scythicis. Nihil his jucundius nihil utilius vident oculi.* Tertullianus in *lib. de reſurr. carnis* propterea Scythycas & Indicas gemmas ſolas celebrat, quod optimæ eſſent *pag.* 378. *ed. Rigalt.* Atque ita putamus liquere, quis ſit Phiſon, Phaſis nimirum, fluvius Scythiæ, regionis,

gionis, in qua optimum aurum & cryſtallus pretioſiſſimus, & Smaragdi præſtantiſſimi, uti probatum dedimus; ſimulque nos voces בדלח & שהם non ſine exemplo, imo juxta opinionem Eruditiſſimorum Interpretum, tranſtuliſſe.

§. XVI. Fluvius Gihon eſt Araxes.

XVI. Pergamus ad alterum Paradiſi fluvium, quem his verbis deſcribit ושם הנהר השני גיחון הוא הסובב את כל ארץ כוש *Et nomen ſecundi fluvii eſt Gihon. Hic eſt qui alluit totam terram Cush*. Nomen hujus fluvii גיחון derivari a גוח *erumpere*, *prodire* a Cl. Huetio *cap.* XII. libri laudati & aliis obſervatum eſt, ſic ut גיחון notet fluvium, *qui prodit*, *qui erumpit*. Unde a Jonathane I. *Reg.* I. 33. per שלוח i. e. *emiſſum* transfertur. Utuntur eadem voce جيحون גיחון Perſæ pro fluvio majore & dicunt e. g. גיחון אלרס גיחון קנק *flumen Araxes flumen Ganges*, quamvis hodie pro ſolo Oxo, fluvio celebri Chouareſmiæ, vulgo accipi ſoleat. Hic autem Gihon nobis idem fluvius eſt, qui Araxes Græcis & Latinis dictus, hodie الرس *Arras* accolis, modo Armeniæ, modo Scythiæ, fluvius appellatur, & Cyro mixtus ſe effundit circa grad. latitud. 40. & long. 85. in mare Caſpium. Quemque Arrianus lib. VII. de exped. Alex. inter maximos Aſiæ fluvios recenſet. Ut propter hoc ſtatuamus facit non tantum ipſa Syſtematis noſtri ratio, quod fontes alicujus fuminis propiores fontibus Tigridis, Euphratis & Phaſidis nuſpiam invenit, ſed mira convenientia nominis גיחון cum Araxe. Quod enim Gihon Hebræis ſonat, idem الرس *Arras* vel ارس *Aras* (nam & ita ſcribitur in M.S. mea Geographia Perſice conſcripta ab Abulhaſen Saad Ibn Ali, ex provincia Sjurſjan oriundo, & aliis) accolis, ſc. prodeuntem, profluentem. Eſt enim vox Perſica dicta a رسيدن *provenire*, *profluere*, notatque in genere *fluvium*, ſed uſus id nomen huic fluvio per eminentiam attribuit.

§. VXII. Plures Araxes, unde?

XVII. Hoc obſervaſſe utile eſt ut intelligamus cur multos Araxes memoraverint veteres, & quomodo nata ſit illorum confuſio, de qua omnes fere Critici & Geographi conqueruntur. Sc. *Araxes* nomen generale eſt, quod quemvis fluvium notare poteſt, & omne quod profluit. Hinc Veteres Græci quum viderent flumen, rogantes, quomodo id appellarent, reſponſum tulere ab accolis الرس *Arras* (Græca terminatione ἀράξης vel Ἀρόσης; nam & ita ſcribitur) i. e. *flumen*. Quod quum illi putarent eſſe nomen proprium ejus fluvii, multos Araxes in Armenia & Perſia finxere. Ita prætet hunc Araxen Thermdodonta, qui ſe in Pontum Euxinum effundit, etiam Araxem dictum tradunt Græci. Ita Scholiaſtes Apollonii *ad Argon. i.* 4. Ἀράξης ποταμὸς Σκυθίας. Μητρόδωρος δὲ ἐν πρώτῳ τῶν περὶ Τιγράνην τὸν Θερμώδοντα ἀράξην φησὶ λέγεσθαι. *Araxes fluvius eſt Scythiæ. Metrdorus autem de rebus Tigranis Thermodonta etiam Araxem dici tradit*. Idem, vel idem, *ad lib.* 2. Ἀράξης ἐκαλεῖτο τὸ πρότερον ὁμωνύμως τῷ ἐκ τῆς Ἀρμενίας ῥέοντι. [Thermodon] *olim Araxes appellabatur eodem nomine quo flumen illud quod ex Armenia fluit*. Curtius fluvium بندامير *Bendamir*, qui Iſtachram (ubi olim Perſepolis) præterlabitur, Araxen quoque appellat. *lib.* V. *Hujus* [*Perſepolis*] *veſtigium non inveniretur niſi Araxes amnis oſtenderet. Haud procul mœnibus fluxerat*. Ita & Strabo lib. XV. πρὸς αὐτῇ Περσαιπόλει τὸν Ἀράξην διέβη *prope Perſepolin Araxen tranſit* (*Alexander*) : & Diodorus Siculus fere iiſdem verbis. Herodotus *lib.* I. Oxo Maſſagetarum termino hodie جيحون *Sjihoun*, Araxis nomen dat. Ita & Dionyſius in Περιηγ. *v.* 739.

Τοὺς δὲ μετ' ἀντολίην δὲ πέρην κελάδοντος Ἀράξου
Μασσαγέται ναίουσι, θοῶν ῥυτῆρες ὀϊστῶν.
Poſt hos, [Bactros] *orientem verſus, transfrementem Araxen*
Maſſagetæ degunt, qui veloces emittunt ſagittas.

Meminit & Scymnus Chius cujuſdam Araxis, e quo Tanais ortum habet, quem diverſum ab Araxe Armenico credidit his verbis.

Εἰς ἣν ὁ Τάναϊς ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ λαβὼν
Τὸ ῥεῦμ' Ἀράξεως ἐπιμίσγεται

Ita metrum diſponit, qui primum λείψανα Scymni edidit, Lucas Holſtenius,

Miſcetur illi [ſc. paludi Mæotidi] *Tanais amnis, & capit*
Originem ſuam ex Araxe flumine.

Ad cujus loci intellectum hæc verba Ariſtotelis in *Meteorol. lib.* I. *c.* 13. multum faciunt. Ἐκ μὲν οὖν (Παρπαμισοῦ) ῥέουσιν ἄλλοι τε ποταμοὶ καὶ ὁ Βάκτρος καὶ ὁ Χοάσπης καὶ ὁ Ἀράξης. Τούτου δ' ὁ Τάναϊς ἀποσχίζεται μέρος ὤν, εἰς τὴν Μαιῶτιν λίμνην. *Ex hoc* [*monte Paropamiſo*] *fluunt & alii fluvii, Bactrus & Choaſpes & Araxes. Ab hoc autem Tanais, pars ejus exiſtens, in Mæotin lacum effunditur*. Error inde natus videtur, quod Jaxartem (qui & Araxes nonnullis dictus eſt, quemque Scythæ *Silun* appellant, teſte Plinio *lib.* VI. *c.* 16. ubi lege *Sibun*, سيحون) Alexander & milites ejus Tanain eſſe putaverint, uti Plinius *ibid.* & Plutarchus. Nec alium vi-

detur Alexander innuere, quum apud Plutarch. *orat. post. de virtut. Alexandr.* pag. 335. artifici, qui montem Athon in statuam ejus formare volebat, respondit, ἐμὲ δὲ ὁ Καύκασος δείξει καὶ τὰ Ἠμωδὰ, καὶ Τάναϊς, καὶ τὸ Κάσπιον πέλαγος, αὗται τῶν ἐμῶν ἔργων εἰκόνες. *Me & Caucasus monstrabit & Tanais & Caspium mare. Hæ sunt meorum operum imagines.* Nam verum Tanain non vidit, licet Plutarchus ibidem *pag.* 341. scribat contrarium, ut & Curtius 7. 5. & *lib. 6. c.* 4. quosdam esse qui Mæotim paludem in mare Caspium cadere putent. Sed confunditur ita Jaxartes vel Orxantes vel Orexartes (nunc Sihoun) cum Tanai, quos recte distinxit Arrianus *lib.* III. Sic passi sunt se decipi Veteres, nomen *Arras*, quod *fluvium* in genere notat, accipientes pro nomine hujus illiusve fluvii. Araxen Armenicum excipio, qui κατ' ἐξοχὴν ita dictus est. Eodem modo & aliis nominibus decepti sunt: nam cum & رود خانه ῥοδγάνη, *fluvium* Persis notaret, quidam fluvium nomine proprio ῥωγάνιν dici Persis (ita paulum flexerunt vocem Persicam ad morem Græcum & abjecere D, uti Azotum ex Asdod אשדוד, &c.) memoriæ prodiderunt. Est autem hoc idem cum الرس *Araxes*, i. e. *fluvius*. Vide Arrianum *in Exp. Alex.* & Illustrem Salmasium *in Exerc. Plinian. pag.* 846. qui sagacissime odoratus est eundem esse fluvium Araxen & Rhoganin, sed ex lingua Græca explicare convenientiam conatus est, eo quod ἀράξαι, *perfringere*, *perrumpere* idem notaret ac ῥωγὴ *ruptura*. Sed nomina fluviorum Persicorum tutius meo judicio ex lingua Persica petuntur. Ibi autem Araxes, & *Rogan* notissimæ voces sunt, quæ fluvium notant.

§. XVIII. Plures Cyri unde?

XVIII. Dum hunc errorem castigamus in voce Araxis commissum, & veterem Geographiam hac confusione Araxium liberamus, idem de fluvio Cyro, qui Araxi Armenico mixtus se cum eo exonerat in mare Caspium monere consultum ducimus. Scilicet Cor, (ita jam Texeira monuit in Itin. sed usum ejus observationis non ostendit] addita Græca terminatione κόρος (ita Dionys. scribit in περιηγ. Et Strabo κῦρον quidem appellat sed & olim κόρον dictum memorat lib. XI.) vel κῦρος, aut κῦρος, similiter *fluvium* notat & quidem ordinario minorem, quamvis per eminentiam Cyro Armenico detur, qui Araxi est proximus. Hoc quoque quum non attenderent veteres, plures fluvios nomine Cyros prodidere, simili errore ac in Araxe commiserant. Pari modo in Persia nomen proprium fluvii Oaten fecerunt, quod audirent fluvium aliquem ibi واد Οὐάδ dici, quod flumen quodvis notat, & unde Bætis واد الكبير wad, sive ut Hispani scribunt, *Guad Alkebir*, *fluvius magnus* dictus est. Meminit Oatis Ammianus Marcellinus *lib.* XXIII. *Fluvii vero multi per hæc loca* (Susianorum) *discurrunt, quibus præstantior Oates, Harax* (qui aliis addita terminatione Græca Araxes) *& Meseus* (nomen fortasse ductum ex مشر قان *Meschercan* qui fluvius est Susianæ præterfluens urbem Asker macroum] *per arenosas angustias, quæ a rubro prohibent Caspium mare, æquoream multitudinem inundantes.*

§. XIX. Terra Cus regio Cussæorum.

XIX. Describitur porro Gihon a Mose quod alluat vel cingat, (ex parte scilicet, alias enim oporteret & terram Chavila quæ a Phisone cingitur, & hanc terram insulas fuisse) *terram Cus* ארץ כוש .... Quod nomen mihi videtur idem esse hoc loco (in V. T. libris etiam aliter accipi non nego) cum regione Cossæorum aut Cussæorum, quæ non longe fuit ab Araxe, ie. e. Gihone juxta nostram opinionem. Ut autem clarius id liqueat, videamus ubi Cossæi collocentur a veteribus historicis & Geographis. Polybius quidem Histor. lib. V. eos in colere loca campestria & plana Mediæ tradit. Cingi autem Araxe ab una parte Mediam, quæ hodie fere Adherbezjan appellatur, manifestum est ex Mappis Geographicis, & testimonio Appiani Alexandrini *de Bell. Parth.* ita scribentis circa finem, pag. 168. *edit. Steph.* ἕκτῃ ἡμέρᾳ ἐπὶ τὸν Ἀράξην ποταμὸν ἧκον ὁρίζοντα Μηδίαν καὶ Ἀρμενίαν. *Sexto die pervenerunt ad fluvium Araxem, qui Mediam disterminat ab Armenia.* Strabo *lib.* XI. Cossæos Mediæ proximos esse, & quidem ab oriente, scribit, sic ut videatur eos in montibus collocare, qui in provincia Deilem prope mare Caspium inveniuntur, & refugia gentium latrociniis & excursibus deditarum diu fuerunt, uti historiæ Persicæ testantur. Ὁρίζεται δ' ἀπὸ μὲν τῆς ἕω τῇ τε Παρθυαίων καὶ τοῖς Κοσσαίων ὄρεσι λῃστρικῶν ἀνθρώπων. *Terminatur* (*Media*) *ab oriente Parthia & montibus Cossæorum, hominum latrociniis assuetorum*: paulo ante scripserat ὑπὲρ τῆς Μηδίας ἡ τῶν Κοσσαίων. *Supra Mediam est Cossæorum regio.* Quumque etiam referat Cossæos dona accepisse quum Rex Persarum Ecbatanis (quæ urbs creditur nunc Tabriz dici) Babylonem descenderet, videntur etiam incoluisse eos montes, qui in confiniis sunt Adherbezjanæ & Itacæ Persarum (loquor uti nunc Persæ) solent quæ كوهستان *regio montana* hodieque appellatur. Diodorus Siculus *lib.* XVII. *cap.* CXI. expresse Cossæos incolere montanos Mediæ tractus scribit his verbis. Ὁ δ' Ἀλέξανδρος τῶν Κοσσαίων

ἀπ-

ἀπειθέντων ἐστράτευσεν ἐπ᾽ αὐτὲς εὐζώνῳ τῇ δυνάμει. τῦτο δὲ τὸ ἔθνος ἀλκῇ διαφέρον κατοικεῖ μὲν τῆς Μηδίας τὴν ὀρεινὴν, πεποιθὸς δὲ τῇ τῶν τόπων δυσχωρίᾳ, &c. *Alexander autem cum expedito exercitu Coſſæos, ipſi parere negantes, aggreſſus eſt. Gens hæc fortitudine præſtans montana loca Mediæ inhabitat, confidens locorum difficultate*, &c. Arrianus in Hiſt. Ind. Μάρδοι μὲν Πέρσῃσι προσεχέες οἰκέουσι λῃσταὶ ἐόντες, Κοσσαῖοι δὲ Μήδοισι. *Mardi quidem, latrones etiam ipſi, Perſas accolunt, Coſſæi Medos*. Idem lib. VII. de expeditione Alex. Coſſæos vocat προσχώρους τῇ Περσίδι, *finitimos Perſidi*, & μαχιμωτάτους *bellicoſiſſimos*. Stephanus Coſſæos in Perſide locat, ſed nullo veterum, quod ſciam, præeunte. Κοσσέα μέρος Περσίδος. Στράβων ιε. οἱ οἰκοῦντες Κοσσαῖοι. *Coſſea, pars Perſidis. Strabo lib.* 15. *Incolæ Coſſæi*. At Strabo Coſſæos non collocat in Perſide, ſed in confiniis Mediæ & quidem ad orientem. Hos Plutarchus, ipſum nomen כוש *Cus*, quo Moſes uſus eſt, exprimens, Κουσσαίους, [quod ibi male ſcriptum eſſe, pro Κοσσαίους, opinatur Cl. Blancardus in not. ad Arrianum de exped. Alexandr. lib. VII. pag. 475. ego non mutandum cenſeo) appellat in vita Alexandri. Poſtquam enim retuliſſet Hephæſtionem obiiſſe quum Ecbatanis eſſet Alexander, ait hunc Cuſſæos eſſe agreſſum, τοῦ πένθους παρηγορίᾳ τῷ πολέμῳ χρώμενος ἐπὶ θήραν καὶ κυνηγέσιον ἀνθρώπων ἐξῆλθεν καὶ τὸ Κουσσαίων ἔθνος κατεστρέφετο πάντας ἡβηδὸν ἀποσφάττων, *bello uſus ut dolorem levaret, ſicut ad venationem hominum egreſſus, Cuſſæorum gentem excidit & omnem internecione delevit*. Quum enim Coſſæi Ecbatanis eſſent proximi, cur Cuſſæos quoſdam á Coſſæis diſtinctos fingeremus? Et diſerte eandem hanc expeditionem Alexandri poſt mortem Hephæſtionis narrans Arrianus *lib.* VII. κοσσαίους *Coſſæos* illos vocat, ne quis dubitet eoſdem eſſe κουσσαίους & κοσσαίους: & ita eorum regionem & mores deſcribit. Ἔνθα δὴ ἐξέλασιν ποιεῖται ἐπὶ Κοσσαίους, ἔθνος πολεμικὸν, ὅμορον τῷ Οὐξίων. Εἰσὶ δὲ ὄρειοι οἱ Κοσσαῖοι, καὶ χωρία ὀχυρὰ κατὰ κώμας νέμονται. Ὁπότε προσάγοι δύναμις ἐς τὰ ἄκρα τῶν ὀρῶν ἀποχωροῦντες ἀθρόοι, ἢ ὅπως ἂν προχωρῇ ἑκάστοις, οὕτω διαφεύγουσιν, ἐς ἀπορίαν βάλλοντες τοὺς ξὺν δυνάμει σφίσιν ἐπιχειροῦντας. Ἀπελθόντων δὲ αὖθις εἰς τὸ λῃστεύειν τρεπόμενοι ἀπὸ τούτου τὸν βίον ποιοῦνται. Ἀλέξανδρος δὲ ἐξεῖλεν αὐτῶν τὸ ἔθνος, καίπερ χειμῶνος στρατεύσας. *Dein expeditionem ſuſcipit in Coſſæos, gentem bellicoſam & finitimam Uxiis. Hi montes incolunt & loca munita: quum vis externa eos aggreditur ſtatim ſe in ſumma montium recipiunt; aut diffugiunt, qua cuique integrum eſt in loca quæ ab exercitu nequeunt adiri. Ubi autem hoſtes receſſerunt ad latrocinia revertuntur, & vitam hac ratione tuentur. Alexander autem illos, non obſtante hyeme, ſedibus ſuis ejecit*. Similia fere habet Diodorus *Hiſtor. lib.* XVII. *c.* CXI. Ex quibus omnibus teſtimoniis inter ſe collatis liquere exiſtimo, Cuſſæos vel Coſſæos gentem latrociniis & excurſionibus aſſuetam tractus montanos & ipſius Mediæ, & Mediæ vicinos, incoluiſſe. Atque ita Araxes i. e. Gihon noſter, proximus & celeberrimus fluvius eſt, qui illa loca montana Mediæ circumit: ſic ut merito deſcribatur, quod cingat terram כוש *Cus*, vel *Cuſſæorum*, Κουσσαίων. Nec ulla, quod ſciam, in tota Aſia gens eſt, quæ nomen Moſaicum כוש *Cus* tam clare exprimit. Quare ipſi huc quaſi manu ducimur ut hanc, & non aliam, regionem per terram Cus intelligamus.

§. XX. Fluvius Hiddekel Tigris.

XX. Tertium fluvium his verbis deſcribit Moſes *Gen.* 2. 14. ושם הנהר השלישי חדקל וגו' *& nomen tertii fluvii eſt Chiddekel &c.* de quo, uti & de ſequente, non tot dicenda ſunt, quot de Phiſone & Gihone, quandoquidem inter omnes fere conſtat, per *Hiddekel* indicari Tigrim, per *Frat* Euphratem. Nomen hodiernum دجلة *Dizjelat* non multum ab antiquo חדקל recedit: modo adſpirationem fortiſſimam ח tollamus: literæ enim reliquæ דקל quam conveniant cum دجل unuſquiſque facile videt. Et ipſum nomen Tigris ex Chiddekel ductum eſſe (quamvis hoc mirum videatur hominibus qui in vocum etymologiis indagandis rudes ſunt) ſagaciſſime deprehendit Cl. Huetius, quum ablato ח (quam adſpirationem pronuntiare non poterant Græci, quare ſolebant abjicere) & mutato L in R cujus rei ſexcenta exempla ſunt, & D in T, habeamus ex דקל formatum תקר *Ticr*, & addita terminatione *Ticris* & mollius *Tigris*. Arabes tamen, revelatione Divina deſtituti, quæ nobis veras prodit rerum antiquiſſimarum origines, & nomina دجلة a دجل *Dazjala*, *operire* derivant, Tigrimque ita dici volunt quod terras nonnunquam aquis ſuis operiat. Græci & Romani Tigrin Perſis ſagittam dici, & fluvium hunc a rapiditate curſus hoc nomen adeptum eſſe ſcribunt. Curtius *lib.* IV. *c.* 9. *A celeritate qua defluit Tigris nomen eſt inditum quia Perſica lingua Tigrim ſagittam appellant*. Marcus Terentius Varro Armenicum vocabulum eſſe ſcribit *lib.* 4. *de ling. Latin.* §. 20. *Tigris qui eſt ut leo, qui vivus capi adhuc non potuit. Vocabulum e lingua Armenia. Nam ibi & ſagitta, & quod vehementiſſimum flumen, dicitur Tigris*. Strabo Medicum eſſe nomen ſcribit *lib.* XI. تير *Tir* ſagittam Perſice notat, & inde vox Tigris

non

non multum recedit. Hesychius autem Tigrin Judæis dici φοραδει narrat, confundens cum Tigride Euphraten, in voce Τίγρις, & in voce Εὐφράτης Euphraten Judæis appellari ἐδδεκὴλ חדקל scribit, pudendo errore. Hic describitur *tendens versus Assyriam*, הולך קדמת אשור, quod optime cum nostra hypothesi convenit. Ex fluvio enim Paradisiaco ortus הולך *vadit*, *fluit*, versus Assyriam, vel ad ejus orientem. At juxta opinionem maximorum virorum, qui in Mesopotamia Paradisum locant, non potest dici הלוך *fluere* ex vicinia Paradisi versus, vel ad orientem Assyriæ, nisi illum fluere retrogado ordine versus fontem suum concipiamus. Non satisfacit, qui dicit הלוך ita debere accipi uti nos vulgo dicimus, sed vulgari tanto non accurato sermone, de Rhijn loopt van hier na Ceulen, licet proprie a Colonia Agrippina huc fluat: nam ita non solet הלך unquam in sacris literis sumi: & hæc quoque difficultas est quam Cl. Goussetus in Lexico suo jam proposuit, *p.* 585.

§. XXI. Fluvius Frat, unde dictus Euphrates.

XXI. Quarti fluvii nomen his verbis indicat Moses, והנהר הרביעי הוא פרת. *Et flumen quartum est Frat*. Nec de hoc notissimo flumine multa dicam, quum nemini dubium sit, quin Euphrates innuatur. At unde præfixa Syllaba Ευ ortum habeat, non puto quenquam docuisse. Multi ex male conjunctis verbis Mosis הוא פרת ὁ φρατ, τὸ εὐφράτης derivant. At illi fingunt, quod demonstrare nunquam poterunt, illos, qui fluvium hunc primo Euphraten appellarunt, legisse sacras litteras. Et si legerunt, an adeo rudes fuere, ut nescivérint הוא esse pronomen? Inutilis itaque talis lectio est. Et si vel unus ita deceptus esset, num credibile est omnibus Græcis & Romanis id nomen potuisse obtrudi pro Frath? Dicamus quod res est. اب *Ab* & او *Au* vel *Eu*, *aquam* notat Persice, & solent Persæ nominibus propriis fluminum eam vocem addere. Sic Nilum appellant, *aquam Nili* نيلاب *Nilab*, Indum هنداب *Hindab*, *aquam Indi*, & similiter dixere, *aquam Frat*, εὐφράθ. Non est quod quis mihi objiciat, ergo ευ debuisse postponi, & dici φραθάβ vel φραθεῦ quia in exemplis a me productis vox *aquæ* اب vel او ubique postponitur: nam & alia exempla sunt in quibus *ab* præponitur, quod docent nomina duorum fluviorum Armeniæ, *ab Uzjan*, & *ab Serab*, qui circa Urbem Tabriz unum alveum formant, qui illam urbem præterit, *ab Azji* dictus, & in lacum Siahi se euffudit, a cujus fluvii ostio duarum parasangarum spatio abest ostium fluvii dicti *ab Hazji Harami*. Præterea deprehendi veteres Persas, quum duo nomina substantiva in regimine sunt (loquor cum Grammaticis) nomen regens sæpius præposuisse, contra ac hodierni Persæ qui illud postponere solent. Sic *Gangamela* οἶκον Καμήλε Persæ olim dixerunt, teste Plutarcho in Alexandro, & Strabone *lib.* xv. ubi خانه *domus* præcedit, & τὸ *Cameli* subsequitur. Hodie autem خانه *domus* esset vox posterior, & جمل *Camelus*, prior. Ex eadem origine videtur petenda explicatio vocis *Hyparchos*, quod nomen est fluvii in Ctesiæ Indicis. Quæ autem ille pro Indicis habet pleraque Persica sunt, ut pluribus exemplis possem demonstrare. Ὕπαρχος autem Græce, ut ille transfert, notat φέρων πάντα τὰ ἀγαθά, *ferens omnia bona*. برخ *Parch* Persis significat *commodum*, *utilitatem*. Præpone vocem او *Eu*, aquam, aptissimum erit nomen fluvii اوبرخ *aqua utilissima*, quod idem fere est cum φέρων πάντα τὰ ἀγαθά. Nec aliunde *Eu* in voce εὐλαῖος quod alterum fluvii Choaspis nomen est, qui Susa præterlabitur & se exonerat in sinum Persicum, videtur petitum quam ex او *Au* vel *Eu*, aqua & لاي *lutum*, quod & sono & significatio convenit cum nostro *Kley*, sic ut notet fluvium, qui per solum lutosum, *Kleygront*, decurrit. Sunt enim loca Susianæ & ipsa Persidis litora ibi palustria teste Strab. *l.* 24. Nec obstat, quod aqua ejus tanto opere celebretur, ut Persarum regibus unice in potum fuerit electa, uti Herodotus, Strabo *lib.* xv. Ælianus *lib.* XII. 40. & multi alii tradiderunt. Nam & Nili aquam lutosam & turbidam fuisse constat, unde μέλας & Αἴγυπτος Græcis, Melo primis Latinis, Hebræis שחור niger, turbidus, Jerem. 2. 18. dictus est, & ut quibusdam videtur Νεῖλος παρὰ τὸ νέαν ἰλὺς ἄγειν, ab novo limo, quem quotannis defert. vide Heliodor. *Æth. lib.* IX. *p.* 456. Attamen illa dulcissima fuit & in deliciis Regum Ægyptiorum, qui illam omnibus aliis aquis præferebant, sic ut & in Assyriam usque ad Berenicen aquam Niloticam in vasis deferri curaverit Rex Ægypti Ptolomæus Philadelphus teste Athenæo *lib.* II. *c.* 2. Sic & aqua Phasidis tantopere celebrata ob levitatem & dulcedinem suam, apparet quasi stanno aut plumbo tincta, sed ubi subsedit, purissima est, teste Arriano in periplo Ponti Euxini. Et nos ipsi experimur in his regionibus aquas, quæ per solum lutosum fluunt, maxime si coquantur, quod factum esse aquis Choaspis sive Eulæi antequam in vasa diffunderentur, narrat Herodotus *lib.* I. sæpe dulciores, & salubriores esse iis, quæ per solum arenosum decurrunt, licet videantur purissimæ. Nec est, quod quis urgeat Choaspis sive Eulæi (quem pro eodem habeo Cl. Salmasium secutus in *E-*

xerc.

Exerc. Plinian. p. 492. & ipſum nomen Choaſpes mihi ex شاه آب *Schab* , *Regis aqua* , videtur factum , unde Tibullo dicitur

------ *regia lympha Choaſpes*.

ad imitationem vocum Loraſpes , Hydaſpes , &c.] aquam a levitate commendari, quum ſi partes terreſtres & lutoſas habuerit permixtas , gravior eſſe debuerit aliis aquis puris . Nam ſæpe pondus ad bonitatem aquæ nil facit , uti luculento exemplo probat Athenæus *loc. cit.* & aqua hæc Choaſpis a luto ſuo purgabatur in decoctione , uti & illa Nili & Phaſidis quæ ſimiliter a tenuitate & claritate commendatur , ſed a limo & luto ſuo purgata . Ipſa enim Nili aqua limoſa & turbida varios morbos efficit , ut Hirtius de bello Alex. ſcribit , ſed ideo Galenus monet *lib.* 1. *de ſimpl.* eam limo ſuo per decolationem eſſe liberandam : & hodieque Ægyptii antequam Nili aquam bibunt , eam limo ſuo liberant . Eſt & aliud Euphratis nomen ποταμὸς Σȣδ, quo appellatur in libro Baruchi c. 1. v. 4. nam Σȣδ سواد eſt nomen territorii Babylonici.

§. XXII. Fontes horum fluminum vicini.

XXII. Reſtat ut oſtendam fontes quatuor horum inſignium fluviorum ſibi mutuo vicinos admodum fuiſſe , ut ita commodiſſime , quum floreret Paradiſus , ex uno illo fluvio qui Paradiſum olim rigavit , ortum trahere potuerint . Generatim quidem obſervare licet in Armenia omnes collocari . Phaſidis fontes ibi locat Strabo lib. 10. Ὁ φᾶσις μέγας ποταμὸς ἐξ Ἀρμενίας τὰς ἀρχὰς ἔχων . *Phaſis magnum flumen, ex Armenia originem ducens*. id. lib. 11. Ποταμοὶ δὲ πλέιȣς ἐισὶ ἐν τῇ χώρᾳ· Γνωριμώτατοι δὲ φᾶσις μὲν ϗ Λύκος . *Fluvii plures ſunt in illa regione (Armenia): celeberrimi autem Phaſis & Lycus* . De eodem Dionyſ.

Ἀρξάμενος τὸ πρῶτον ἀπ᾽ ȣ̓́ρεος Ἀρμενίοιο.

Primum ortum trahens ex montibus Armeniis.

Araxes quoque in Armenia oritur . Plinius lib. VI. c. 9. ubi ſcripſerat Armeniam fundere Euphraten & Tigrin , pergit . *Araxes eodem monte oritur quo Euphrates* VI. *mill. paſſuum intervallo* . Strabo illum montem Ἄβον nominat lib. XII. Ὁ Ἄβος, ἀφ᾽ ȣ̃ ϗ ὁ Εὐφράτης ῥεῖ ϗ ὁ Ἀράξης . *Abus , a quo Euphrates fluit & Araxes* . Plutarchus in Pompejo ſimiliter : Ἀράξης ἀνίσχει ἐν τ̃ αὐτῶν τȣ̃ Εὐφράτȣ τόπων. *Araxes ex iiſdem cum Euphrate locis oritur* . Arrianus lib. VII. Ἀράξην τὸν ἐξ Ἀρμενίων ῥέοντα , *Araxen ex Armenia fluentem* . Ita Perſa quoque Geographus recentior . Sed inſpectio tabularum Ptolemæi , & aliarum id ſatis edocet . Si quis vero de vicinia fontium Euphratis & Araxis ex uno monte orientium ſpeciatim aliqua legere vult Cl. Golium adeat in eruditiſſ. notis ad Alfragan. p. 247. Fontes autem Euphratis & Tigris in Armenia eſſe ex teſtimonio Plinii , quod modo indicavimus , & Diodori Siculi lib. 2. Hiſt. cap. XI. liquet, nec operæ pretium eſt ei rei immorari.

§. XXIII. Num idem fons Tigridis & Euphratis.

XXIII. Vicini ſunt , non tamen idem fons, Tigridis & Euphratis, uti veterum Geographorum præſtantiſſimi teſtantur quamvis Lucanus & Boethius contrarium ſcribere videantur , & unum fontem duobus fluminibus adſignent . Ita ille lib. III. verſ. 256.

Quaque caput rapido tollit cum Tigride magnus
Euphrates, quos non diverſis fontibus edit
Perſis, & incertum tellus ſi miſceat amnes
Quod potius ſit nomen aquis. - - -

Hic autem *lib.* V. *de conſol. Philoſ.* met. 1.

Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt.
Et mox abjunctis diſſociantur aquis.

Quæ illi tempori, quo Paradiſus floruit, conveniunt, quum ex uno illo fluvio Edenico uterque ortus eſt, non ſæculis ſequentibus. Quamvis Lucanus non videatur dixiſſe , unum eſſe fontem Tigridis & Euphratis, ſed fontes utriuſque non eſſe diverſos, id eſt, non longe à ſe remotos, vel disjunctos, in eadem regione , Armenia ſc., exiſtentes. Ita utitur illa voce Ovidius in Epiſt. Herus,

At nos diverſi medium coeamus in æquor.

&,

Diverſi flebant ſervi - - - -

Propert. *l.* 1. *Eleg.* 3.

Donec diverſas percurrens Luna feneſtras.

& 1. 10.

- - - - *diverſos poſſum conjungere amantes.*

§. XXIV. Fluvius

XXIV. Hactenus puto me ſatis clare mentem meam explicuiſſe circa quatuor fluvios a Moſe in Paradiſi deſcriptione memoratos. At ſi quis me roget, ut porro indicem

unus unde olim hi quatuor profluxerunt.

dicem ubi unus ille fluvius sit, qui Paradisum rigabat, & unde hi quatuor ortum duxerunt, hunc ego vicissim rogatum volo, ut me ex aliqua illarum hypothesium, quas de Situ Paradisi formarunt Viri Eruditi, doceat, ubi illi unum fluvium ostendant, e quo quatuor distincti orti sunt: quem ego fateor me hactenus non reperisse. Nam aut eundem illum faciunt cum Tigri & Euphrate, quum Moses illum distinguat, aut fingunt unum illum olim fuisse, nunc frustra quærendum. Vel peto, ut mihi ipsum Paradisum ostendat: tunc ego, ubi ille fluvius sit, indicabo. Quum enim Paradisum cum arboribus & omni elegantia sua deletum esse post expulsionem primorum nostrorum Parentum inter omnes constet, etiam fluvium illum frustra quæri, quippe qui nuspiam hodie existat, nisi forte in locis subterraneis, fatendum est. Jam tempore Mosis fluvium illum unum Paradisiacum evanuisse videtur satis posse colligi ex ipsa descriptione Sacri Auctoris. Nam nomen illius fluvii nullum tradit, uti reliquorum fluviorum; nec quibusdam κειμηλίοις describit, quum tamen, si ille fluvius eo tempore in rerum natura extitisset, id fieri potuisset & debuisset, quia plus ad Lectorem pertinebat nosse ipsum illum fluvium, qui Paradisum rigabat, quam quatuor illos qui ex eo oriebantur. Certo utique indicio, illud flumen describi non potuisse, cum non entis, ut loquuntur Philosophi, nullæ sint affectiones. Sapientissimæ autem sine dubio rationes Dei fuerunt, qui superesse ipsum Paradisum diutius noluit, & eædem, ob quas cum Paradiso ille fluvius sublatus est. Lubet heic subjungere verba Theodoreti εἰς τὰ ἄπορα τῆς θείας γραφῆς, qui scribit Deum noluisse omnes meatus horum fluviorum patere usque ad ipsum locum Paradisi, τὴν περιττὴν τῶν ἀνθρώπων πολυπραγμοσύνην ἀγκόπτων εἰ γὰρ δῆλος ἦν αὐτῶν πᾶς ὁ πόρος ἐπειράσθησαν μὲν ἂν τινες παρὰ τὰς τούτων ὄχθας ὁδεύοντες τὸ τοῦ Παραδείσου κατοπτεῦσαι χωρίον. *Ut præcideret nimiam hominum curiositatem. Si enim omnis eorum meatus pateret, tentarent nonnulli, ripas prosecuti, ipsum locum Paradisi conspicere.*

§. XXV. Ἀνακεφαλαίωσις.

XXV. Contrahamus nunc ante dicta in summam, & conferamus cum textu Mosis, *Gen.* 2. *v.* 10.

V. 10. Et fluvius) diversus a 4. aliis, de quibus mox aget quique certum nomen non habet, & cum Paradiso, quem irrigabat, probabiliter periit.

Egrediebatur ex Eden, ut irrigaret hortum & inde dividebat se) sic ut reliqui 4. fluvii ex hoc uno orti sint. Nunc postquam ille communis fons, fluvius Paradisiacus evanuit, singuli ex quatuor fontem habent distinctum, nisi forte sub terra communis quidam fons superfit.

Et erat in 4. capita) in quatuor distinctos fluvios. Quatuor ἀρχὰς ποταμῶν ut loquitur Epiphanius, qui ex eo uno proveniebant.

V. 11. Nomen unius est Phison) i. e. Phasis.

Is est qui circumit totam terram Chavilæ) i. e. Colchida partem Scythiæ.

Ubi est aurum) maxima quantitate, uti ex profanis Scriptoribus patet.

V. 12. Et aurum hujus terræ bonum est) quod ex fluminum ramentis colligebatur, & pro optimo habetur.

Ibi est Bedolach) crystallus.

Et gemma Schoham) smaragdus.

V. 13. Et nomen secundi fluvii est Gichon) Araxes, quod idem Persice notat quod Gichon Hebraice.

Is est qui circumit totam terram Cus) regionem Cussæorum. Pars ea Mediæ est.

V. 14. Et nomen tertii fluvii est Chiddekel) Tigris.

Is est qui vadit versus Assyriam) juxta ductum fluminis a Paradiso eo fluit.

Et quartus fluvius est Phrat) Euphrates. Ubi autem horum 4. fluviorum fontes sunt, in Armenia sc., ibi collocari debere videtur Paradisus.



JOANNIS HOPKINSONI DESCRIPTIO PARADISI

Quoniam de Paradiso, ejusque situ (quem nunc exponere aggredimur) variæ sunt & controversæ sententiæ ; operæ pretium fuerit singula verba expendere, prout apud Mosen Chorographum nostrum habentur, eorumque vestigia sequi : ex quibus aliquid lucis ad præsentis loci descriptionem, & totius rei adjudicationem elici possit.

VT *conseverat Jehovah*) Quoto die conditus sit Paradisus, hoc loco non commemorat Moses. Sed præteritum perfectum, quo sæpe utuntur Hebræi pro plusquam perfecto, satis denotat Paradisi plantationem ante hominis creationem esse factam: ut ea sit verborum Mosis sententia ; Jam prius plantaverat Deus Paradisum cum formavisset hominem, ideoque statim ut conditus homo est, in Paradisum a Deo est introductus. Moses Bar-Cepha Syrus tertio die & conditum & consitum esse Paradisum existimat, quo nimirum die terra creata & ornata est. Id quod colligit ex verbis, *Producat terra herbam teneram, &c.* Basilius autem, alia via incedens, ait Paradisum conditum esse a Deo post creationem hominis, hac fortasse ratione ductus, quod videret mentionem Paradisi, nonnisi post hominis creationem, a Mose fieri. Verum id propterea factum est, quod Moses nondum ad satis explicatam de Paradiso consito narrationem sibi revertendum putarit. Nam cum ab iis de quibus in sex diebus loquebatur, nondum perfecta narratione, digressus fuisset, redit nunc ad absolvendam superiorem illam historiam : eaque ratione agit hic post creatum Adamum de Paradiso, qui alioqui ante illum fuerat conditus. Vis Hebræi verbi nobis hic consideranda venit. De aliis enim plantis & herbis dixerat Dominus תדשא *germinet terra herbam:* De iis vero quæ in Paradiso, dicitur, ויטע & *plantaverat*, seu *conseverat* : quo verbo præstantia & excellentia loci indicatur, quem apparet Dominum summo studio ac diligenria paravisse, ac tota reliqua terra præstantiorem effecisse. Ut enim regio Eden cunctas reliquas terras ; ita & ejus ea pars, in qua situs est Paradisus, cætera omnia, quæ Eden complectitur, loca superat. Volebat enim Deus ibi hominem felicissime habitare. Hieronymus ab Oleastro, quoniam verbum נטע apud Esaiam de cœlis usurpari videt, ubi dicitur לנטע שמים *ut firmem Cœlos*, ex eo ille contendit, hic eodem sensu accipiendum, ut sit vertendum, *Et firmavit Dominus hortum :* videtur enim Dominus (ut ait ille) eo modo hortum, quo & cœlos, plantasse, id est, produxisse & firmasse: nescio an id satis congruenter. Non male Chrysostomus exponit ; προσέταξεν [in-

Gen. II. 8.

Cap. LI. 16.

(inquit) ἐν τῇ γῇ παράδεισον γίνεσθαι hoc eſt, *Imperavit* (Deus) *terræ*, *ut Paradiſum produceret*.

† Vide hic D. Joh. Conr. Dieteric. in Antiquitat. Biblic. p. 73. b.

Hortum] * Hebræi duo tantum agnoſcunt vocabula, quæ hortum ſignificant, גן & גן פרדס derivatur a verbo גנן, quod eſt *protegere*, *abſcondere;* unde ſignificat non qualemcumque hortum, ſed eum in quo ſunt arbores denſæ & obumbrantes: quod fit cum in magna copia ſunt, & a ſe invicem non longe diſtant. פרדס viridarium amœnum, pomarium & hortum fructiferis arboribus oblectationis cauſa conſitum ſignificat. Erat in medio magnorum fluminum nemus opacum, florens omnigenis denſiſſimiſque arboribus, diverſorum animalium plenum, quibus nomina indidit Adam. Notat quidem Aben Ezra nomine פרדס in lingua Arabica deſignari viridarium unico arborum genere conſitum. Extat locus Cantic. IV. 13. qui hanc ſententiam firmare videtur; ubi dicitur פרדס רימונים, hortus malorum punicorum. Fuiſſe autem florentiſſimis arboribus conſitum Paradiſum aperte docet locus ille Ezech. in quo Regis Aſſyriorum felicitas Edenis arboribus comparatur. Septuaginta vocem גן hic παράδεισον verterunt, quæ primo aſpectu Græca quidem forma videtur eſſe, ſed origine & reipſa eſt ab Hebræorum פרדס: etſi Græci ob præpoſitionem παρὰ videantur originem ejus occultare voluiſſe: & quidem contendit Suidas Paradiſum vocem eſſe origine Græcam, & derivari a παρὰ *juxta*, & δεύω *irrigo*, proinde Paradiſum hortum eſſe irriguum ac frugiferum. Sed falli eum in etymologia, Hebræi facile vident. Alii παρὰ τῆς δεῖταν ποιεῖσθαι a collectione herbarum deducunt. Julius Pollux, lib. 11. τῶν ὀνομάτων, tradit Paradiſum Perſicam eſſe vocem, & ex conſuetudine Perſica fluxiſſe in uſum Græcorum. Quod verum eſſe poteſt, ſi Hebræorum regula conſtat, docentium, nomina quatuor diverſarum literarum, cujuſcemodi eſt nomen פרדס, non ab Hebræorum fontibus fluxiſſe, ſed peregrina eſſe, & aliunde invecta. Narrat porro Philoſtratus in vita Apollonii, olim Perſarum Reges ſuos hortos habuiſſe, in quibus leones, urſos, & pantheras incluſos venari ſolebant, quos Paradiſos nominaſſe ait. Fortaſſe a Paradiſi noſtri ſimilitudine, cujus nomen celebre fuiſſe apud Orientales, necdum exoleviſſe ejus memoriam, vel ex hoc ipſo apparet. Teſtatur Aulus Gellius lib. 2. cap. 20. quæ ſuo tempore vulgo dicebantur vivaria, ea nominari Græce Paradiſos.

2. Reg. XIX. 12. Eſa. XXXVII. 12.

† Vide hic rurſus Jo. Conr. Dieteric. in Antiqu. Bibl. p. 74. b.

* Fortaſſe Græcorum ἡδονή, i. e. voluptas, a עדן, quicum in ſono literarum convenit, deſumptum videri poteſt.

** Hebraiſmus, quo ſignificatur immediata Dei opera factum eſſe.

Cap. II. 3.

* Variæ opiniones de Paradiſi ſitu.

In Eden] De Edene fere tot ſunt opiniones, quot ſunt interpretes. Hieronymus pro nomine appellativo ſumens interpretatur, *Paradiſum voluptatis*. Sed quia Hebraice legitur בעדן, ad verbum verti deberet *in voluptate*, quod durum eſt. Quid enim ſibi vult *plantavit Dominus Paradiſum in voluptate?* Et quis ſenſus eſſet, *Et fluvius egrediebatur ex voluptate ad irrigandum hortum*? Rectius itaque Septuaginta, qui nomen ipſum Hebræum retinentes, ἐν ἐδὲν tranſtulerunt. Nam עדן eſt proprium regionis nomen ſitæ in Telaſſar, hoc eſt, in ſuperiore parte Chaldææ, ut διακριτικῶς in ſacris appellatur. Hujus ſententiæ approbatores habeo R. David Kimchi, Aben Ezram, & R. Salomonem: atque id mirifice convenit cum narratione Moſis. †Locus autem ille in quo erat Paradiſus nomine * עדן appellatur ab ubertate & deliciis, uti revera talis erat: Hebræi enim ſignificantiſſimi ſunt in nominum impoſitione, dantque operam ut cum rebus ipſis quam proxime conveniant. Eſt igitur quaſi dicas, *plantavit Dominus Paradiſum* ἐν τρυφερῷ τόπῳ καὶ καλῷ hoc eſt, in loco delicato, & amœno, ut ait Severinus. Et fuſius perſequitur ejus amœnitatem Damaſcen. lib. 2. De fide Orthodoxa, cap. 11. ubi ſic ſcribit, *Paradiſus eſt locus ** Dei manibus in Eden ad orientem mirabiliter conſitus, omnis lætitiæ ac voluptatis promptuarium, optima temperie cœli, aere ſubtiliſſimo & puriſſimo, plantis ſemper virentibus ſuaviſſimumque odorem ſpirantibus, plenus lumine, univerſæ ſenſibilis venuſtatis & pulchritudinis excellens intelligentiam. Divinus profecto locus optime primi hominis dignitati congruens.* In quo, ut ſcribit Baſilius, *nulla erat immodica ventorum vis, nulla tempeſtatum procella, nullus hyemis horror, non nimia veris humiditas, non torrens æſtatis ardor, non moleſta & noxia autumni ſiccitas; ſed temperata & pacifica omnium temporum inter ſe conſonantia: ita ut quod in quaque anni tempeſtate optimum & jucundiſſimum eſt in ſe haberet, ſcilicet veris amœnitatem, ubertatem æſtatis, autumni hilaritatem, hyemis otium & quietem: ejus terra pinguis erat & mollis, omniumque bonorum & voluptatum fertilis.* Quocirca propheta Joel terram Iſrael ob lætam fertilitatem, qua floruit antequam a rege Babyloniorum everteretur, Paradiſo Dei ſimilem fuiſſe dicit. * Putarunt nonnulli, Chaldæorum errorem ſecuti, Eden extra hunc terrarum orbem fuiſſe, & a ſenſibus plane remotum. Quibus quid eſt quod reſpondeam melius, quam quod Epiph. in hac pulcherrima gradatione? εἰ τοίνυν οὐκ ἔνι παράδεισος αἰσθητὸς, οὐκ ἔνι πηγή· εἰ οὐκ ἔνι πηγὴ, οὐκ ἔνι ποταμός. εἰ οὐκ ἔνι ποταμὸς, οὐκ εἰσὶ τέσσαρες ἀρχαί· οὐκ ἔνι Φισὼν, καὶ Γηὼν, καὶ Τίγρις, καὶ Εὐφράτης· οὐκ ἔνι συκῆ, οὐκ ἔνι φύλλα, οὐκ ἔφαγεν

ἀπὸ

ἀπὸ τοῦ ξύλου Εὔα, οὐκ ἔτι Ἀδάμ, οὐκ εἰσὶν ἄνθρωποι, ἀλλὰ μῦθος λοιπὸν ἡ ἀλήθεια, καὶ ἀλληγοροῦνται τὰ πάντα· hoc eſt, *Si Paradiſus non eſt ſenſibilis, non eſt etiam fons; ſi non eſt fons, non eſt flumen; ſi non eſt flumen, non ſunt* 4. *principia, non Piſon, non Gion, non Tigris, nec Euphrates; non eſt ficus, non folia, non comedit Eva ex arbore, non eſt Adam, non ſunt homines, ſed veritas jam fabula eſt, & omnia ad allegorias revocantur.* Nec difficile reſponſum legitur apud Dionyſium Alexandræum: *Si in cœlo eſſet Paradiſus, quomodo* (inquit) *terrenum hominem Deus illuc introduxiſſet? quomodo ibi animantes è terra volucreſque creaſſet? ubi vir & mulier? ubi lignum fuit* θανατηφόρον *& ſerpens deceptor? quæ quidem in cœlo eſſe non poſſunt.* Alii in eandem ſententiam ſimilia ſcripſerunt. Philo tamen Judæus, neſcio, quo malo genio afflatus, eo loco ubi de plantis diſſerit, omnino negat Paradiſum eſſe terreſtrem. Hanc opinionem ſequitur Strabus, nec ab illa diſſentit magiſter ejus Rabanus. Sed ex ipſo contextu clare arguitur Paradiſum fuiſſe in terris. Et in hoc errore refellendo omnes propemodum Patres tam Græci quam Latini, multum laborarunt, qui concordi ſententia Paradiſum locum fuiſſe terreſtrem prodiderunt. Plane ridiculum eſſet, voluiſſe Moſen deſcribere Paradiſum per ea loca quæ ſunt in noſtro orbe, ſi Paradiſus extra hanc noſtram terram fuiſſet. Cur de Paradiſi fluminibus ſcripſerit Moſes? Cur eorum origines, curſus, terraſque quas præterlabebantur, minutatim enarrarit, niſi ut pateret omnibus, Paradiſum fuiſſe locum corporeum & terreſtrem? Sunt alii qui dicunt Paradiſum fuiſſe in monte altiſſimo, orbi Lunæ proximo: id quod manifeſte falſum eſſe convincitur. Nam intervallum quod eſt a terra ad orbem Lunæ, ut Ptolemæus & Alphraganus docent, terræ diametrum ſepties ac decies ferme excedit, hoc eſt, 327381. milliaribus Anglicanis. Si igitur Paradiſus culmine ſuo attingit cœlum, neceſſe eſt ipſum habuiſſe pro baſi univerſam terræ amplitudinem. Præterea tanta Paradiſi altitudo ad orientem nobis oppoſita undique conſpicua eſſet, magnaque ex parte Solis lumen eriperet. Sed Thomas Aquinas videns manifeſtam iſtius ſententiæ abſurditatem, ut tamen aliquo fuco eam coloret, ait ab iis authoribus id dictum fuiſſe, non quod rem ita eſſe crederent, ſed per hyperbolen, quod Paradiſi locus amœnitate, & tranquillitate ſimilis eſſet regioni cœleſti. Joan. Toſtatus non multum a priori ſententia recedens, affirmat Paradiſum non pervenire uſque ad orbem Lunæ, ſed excedere tamen oras noſtri aeris caliginoſi, & in tertia regione aeris eſſe locatum, celſioremque eſſe omnibus aliis terræ montibus viginti cubitis; ita ut aquæ diluvii eum attingere non potuerint. Hæc quoque opinio non minus ridicula eſt quam vana. Eſt enim tertia aeris regio ob nimiam ejus ſiccitatem & ingentem ardorem (ſi philoſophis credimus qui ſolerter Naturam perſcrutati ſunt) homini omnino inhabitabilis. Sunt qui cenſent duos eſſe Paradiſos, alterum corporeum, incorporeum alterum: Sed hoc nihil ad Moſaicam Paradiſi deſcriptionem. Scimus quidem Paradiſi nomen nonnunquam in ſacris literis allegorice accipi pro æterna beatorum vita: qua notione uſus eſt Dominus noſter, cum dixit latroni, Hodie mecum eris in Paradiſo. Sed eſſe duplicem propterea Paradiſum, corporeum & incorporeum, non eſt neceſſe: quaſi revera ſit aliquis locus incorporeus. Alii * crediderunt Paradiſum fuiſſe in orbe terrarum, ſed nunc judicio Dei ademptum eſſe. Quod an admittendum plane ſit, ambigo. Patres aliter omnino ſtatuunt, & contra illam ſententiam eunt. Potuit quidem variis caſibus mutari ejus facies: ſed ejus locum ſedemve non amplius exſtare, quis propterea auſit dicere? Et fuit Paradiſus caſibus obnoxius, ſicut & cætera mortalia omnia. Ea enim eſt hortorum natura, ut facile poſſint ſqualleſcere. Atque hæc eſt cauſa fortaſſe quod hortus ille, qui nunc incultus ac informis jacet, a noſtri ſeculi hominibus non ſine magna difficultate inveniatur. Nec mirum alicui hoc videri debet. Jeruſalem enim civitas Dei florentiſſima nunc everſa eſt, & Sion mons Dei: ſacroſancta quoque Dei arca jamdudum vetuſtate contabuit. Putant nonnulli Eden fuiſſe regionem Damaſci in Syria, hortumque in ea ſtatuunt ubi oppidum a priſcis auctoribus Paradiſus appellatum eſt. Et hæc ſententia apud plurimos Judæos recepta fuit, qui Adam ibi ſepultum fuiſſe narrant ubi creatus fuerat, & ex eo דמשק *Dammesbek* pro ארם משק *Adamesbek* appellatam. Sed hoc cum ſitu Paradiſi convenire non poteſt, quia in ſacra hiſtoria alibi ponitur. Eodem errore involvuntur illi qui Paradiſum ſub æquinoctiali conſtituunt. Non enim videntur accurate ſacras literas conſideraſſe. Nam apud Ezechielem * recenſentur ſimul Eden & Charan. Eſt autem Charan civitas Meſopotamiæ cis Euphratem. Igitur Eden & Charan propinquas eſſe neceſſe eſt. Hæc cum ita ſint, fieri non poteſt ut Paradiſus ſit ſub æquinoctiali. Sic * Thomas Aquinas argumento regionum, quæ ob vicinitatem Zonæ torridæ Solis ardore infeſtantur, ut Æthiopia & interiora Africæ

Hiſtoria ſcholaſt. ſuper XIII cap. Gen.

2.

Prima par. quæſt. XCIII.

3.

Luc. XXIII. 43.

4.

* Vide iterum Jo. Conr. Dieteric. dicto loco p. 4. b.

5.

6.

* C. XXVII. 23.

* 1. Part. quæſt. X.

7\. cæ ac Libyæ , hanc opinionem refellit . Alii Eden recte Babylonia includunt ; sed ejus faciem diversam factam diluvio volunt : cujus tamen ego rationem non video. † Nam Moses , qui post diluvium scripsit , regionem Eden ut suo seculo cognitam proponit . Præterea , si Esaiæ & Ezechielis temporibus fuit illa nota , certè temporibus Mosis notior esse potuit, quibus nondum acciderant tantæ ruinæ & mutationes nationum quantæ postea sunt consecutæ . Quamobrem etsi dicamus ornatum & elegantiam Paradisi cum tempore aut duluvio sublatam esse : non tamen terræ flumina & loca quæ diserte a Mose describuntur una interiisse existimandum est.

† Lege hic M. Joh. Herbinium in Dissertatione de Cataractis Paradisiacis C. I. §. 6.

8\. Non desunt qui Mosaicam Paradisi descriptionem prorsus inexplicabilem esse putaverunt . Ex quorum numero sunt Hebræorum Kabbalistæ , secretioris Theologiæ magistri habiti , † qui non tantum de Paradiso , sed etiam de universo creationis opere hoc videntur affirmare . Sic enim illi : אי אפשר לרניר כח מעשה בראשית לבשר ודם *Impossibile est carni & sanguini explicare virtutem operis de Bereschith* . Nec ipse Ambrosius id diffitetur , imo initio libri sui de Paradiso prope desperat a se explicari posse . Non est tamen existimaudum Dei sapientiam in ejus descriptione frustra laborasse . Quæcunque enim in libro Dei scripta sunt , ad nostram doctrinam scripta sunt . Si ad doctrinam , ergo ad intelligentiam . Non igitur sunt inexplicabilia quæ traduntur de operibus Dei ; etsi operum ratio formatioque & creandi vis ac potentia nobis occulta sit , neque ita manifesta ut omnia in ea perspicere valeamus : quam fortasse occultam potentiam & virtutem intellexerunt Kabbalistæ voce כח . Quod si ita est , non absurda est eorum sententia . Observandum est porro , diversam esse hanc nostram Eden ab illa Eden Cœlesyriæ ad Damascum , quæ a propheta Amos διακριτικῶς appellatur בית ערן *Beth Eden* . Sed Latinus interptes de suo more nomen proprium Eden pro appellativo sumpsit . Nec video † quomodo Beroaldus , alioqui homo satis perspicax , confundat Eden Cœlesyriæ & hanc Chaldææ , cum longissime loco distent , & adjectione apud prophetam discernantur . Septuaginta , literarum similitudine decepti , pro Eden apud Prophetam legerunt Charan : quos mirum tamen est literam in ע in ח vertisse .

† Vide hic rursus Herbinium in Dissertatione de Cataractis Paradisiacis c. I. §. 3.

Cap. I. 5.

† Inspice hic iterum Herbinium dicto loco C. I. §. 8.

De magnitudine Paradisi diversæ sententiæ.

1\. Quærunt nonnulli, ut de cæteris, ita etiam de magnitudine Paradisi . Ephræm Syrus , D. Basilii coœtanens , dicit Paradisum ambire universam terram , atque ultra Oceanum ita positum esse , ut totum terrarum orbem ab omni circundet regione , non aliter atque Lunæ orbis Lunam cingit . Hæc autem falsa esse monstrat tota narratio & descriptio Paradisi apud Mosen . 2. Alii dicunt Paradisum non adeo amplum fuisse , sed tamen admodum spatiosum , per Syriam , Arabiam & Mesopotamiam diffusum . Sed hi qui hæc tam lata spatia Adamo custodienda & colenda tribuunt , & naturam rerum & commodum communis nostri parentis videntur convellere : cujus exemplo nos docuit Dominus Naturæ , naturam parvo esse contentam . 3. Moses Bar-Cepha Paradisi amplitudinem a fluvii magnitudine quo rigabatur probare nititur . Si (inquit) fluvius ipse magnus erat , necesse est Paradisum quem rigabat magnum ac spatiosum fuisse . Quod tamen non necessario sequitur . Non enim fluvii amplitudinem exæquabat magnitudo Paradisi, sed parte tantum fluvii cingebatur rigabaturque . 4. Existimat Joannes Tostatus Paradisi longitudinem fuisse circiter duodecim milliarium : ambitum vero ejus triginta sex , vel quadraginta . Sed hoc unde ille didicit ? aut unde hoc nobis probet ? 5. Alii putant Paradisum non fuisse locum spatiosum , cum Scriptura eum appellet hortum , dicatque locatum fuisse in regione Edenis ad plagam ejus orientalem . Sed de amplitudine Paradisi , ut incerta , nec scitu valde necessaria , inanis erit omnis hæc conjectura .

Ab oriente) במזרח של ערן , in parte orientali ipsius Eden , juxta Ramban & Rab. Salomonem . Hieronym. post Aquilam , Symmachum & Theodotionem , vocem קרם ad tempus refert , opinatus ante cœlum & terram factum esse hortum Edenis , ideoque מקרם *a principio* transtulit . Sed certum est eum non semper in ea sententia perstitisse . LXX. vertunt κατ' ἀνατολὰς *ad orientem* ; quem sensum omnes pene Græci patres secuti sunt . Non ignoro vocem קרם dubiæ esse significationis : quia vel ad locum , vel ad tempus potest referri . Monet tamen R. Abraham קרם hic פאת מזרחי , id est , plagam seu angulum orientalem , proprie significare . Idem docet Kimchi in lib. Rad. Nequaquam igitur ad tempus referenda erit ejus significatio , ut voluit Hieron. qui hanc sententiam a Rabbinis quibusdam videtur hausisse , qui tradunt contra fidem Scripturarum , septem res creatas esse ante mundum : נן ערן תורה צדיקים ישראל כסא-הכבוד ירושלם משיח *Hortum Fdenis* , *Legem* , *Justos* , *Israelem* , *Solium gloriæ* , *Jerusalem* , *Messiam* . Sed sunt ista ine-

ineptiora quam ut refelli mereantur. Alii exponunt ab oriente respectu Cananææ, vel respectu Israelitarum in deserto versantium quo tempore illis Cananæam petentibus hæc scripsit Moses. Nam בני-קדם, id est, filii orientis, in sacris literis dicuntur, qui respectu Judææ Syriam, Arabiam, Armeniam, Mesopotamiam & Persidem incolebant. Quas regiones orientales esse tradunt quoque prophani poetæ. Gentes quoque his regionibus propiores comparatione Judæorum, Orientales dicuntur, sicut Idumæi, Amalekitæ, Madianitæ, Ammonitæ, & Moabitæ, nec non mare rubrum, ac mare salsum. Basilius, Gregorius, Severus, & complures alii, orientem appellant illum tractum Orientalem ex quo sol oboritur, ibique Paradisum positum esse dicunt. Atque hinc factum esse autumant, ut olim templa & ædes ad orientem ita constructa fuerint, ut ad solem in mense * Nisan orientem obversa esset fabrica; nimirum, quia illo mense sol supra Paradisi locum oriatur. † Damascenus vetustissimæ consuetudinis convertendi se in orando ad orientem hanc rationem assignat, quod Paradisus ex quo Adam propter peccatum dejectus est, in regione orientali fuerit. Certum est tamen hanc consuetudinem ab Ægyptiorum superstitione, quæ gentibus habita est religio, irrepsisse. Hi enim Solem pro numine adorabant: unde permansit ille orandi mos. Cum nihilo minus traditum sit, structuram templi Salomonici ita fuisse constitutam, ut sacerdotes ad occidentem, non ad orientem, conversi orarent, & sacrificarent. Ad summam igitur integra hujus loci Mosis sententia hæc erit, " Plantavit Dominus Paradisum in regione " Eden, ad plagam ejus orientalem.

Ovid. Metam.

* Qui ex patre Martio respondet.

† Lib. IV. de fide Orthodoxa Cap. XIII.

Fluvius ex Eden procedit.) His verbis diserte ostendit Moses fluvium unum esse, qui in quatuor partes dividitur. Quod non nisi superiori parti Babyloniæ attribui potest. Quapropter ut melius intelligantur, quæ de quatuor Paradisi fluviis restant dicenda, sciendum est Babyloniam in tres partes distribui: harum summa est, quam Auranitidem vocant, ad Euphratem fluvium, contermina Mesopotamiæ Medianæ, quam Chaldæam ad Arabiam desertam vocant. Infima, quæ Amordacia vocatur, ad sinum Persicum. Auranitidem autem rectius Audanitidem appellandam existimant viri docti. Quo nomine dicta est mea sententia ab Eden regione, quæ in illa sita erat; ut sit Audanitis quasi Edenitis, sono literarum nonnihil variato; quibus in literis manifesta cernas cognatæ appellationis vestigia. Visum est quibusdam נהר, fluvium, hoc loco dici pro נהרים fluviis, posito singulari numero pro plurali: & sic reddunt, *Et fluvii egrediebantur ex Eden*. Sed ex narrationis filo apparet hanc versionem esse coactam. Ego quidem senserim non temere recedendum a simplicitate verborum, quæ spiritus Dei dictavit; nec quicquam mutandum sine ratione evidentissima, quam hic non animadverto. Quare nec illorum sententiæ accedo, eoque magis, quod ne unum quidem ex classicis scriptoribus ita sensisse videam.

Gen. II. 10.

Vide M. Joh. Herbinium loco paullo ante adducto c. I. §. VII.

Lege Joh. Conr. Dieteric. Antiquitat. Biblic. p. 83. b

Et inde) id est, ex Eden regione, vel ex quo processit in Edenem. Nam relativum remotius respicit.

Dividitur, estque in IV. capita] id est, Euphrates, qui ex Eden procedit, se in quatuor alveos dividit: ut enim Eden amplissima erat, ita in varias terras mittebat divisos amnes.

Nomen unius est Pison, &c.) Quod nomen hic fluvius habeat apud profanos authores, plane ignoramus, quia regionum illarum ratio Græcis & Latinis scriptoribus non satis cognita fuit. Hebræis dicitur פישון, quod *fertilitatem*, seu *abundantiam* sonat, a פשה *excrescere*; quasi piscibus plenus; abundat enim [teste Plinio] anguillis triginta pedum longitudinis: vel, quoniam terram, per quam fluit, fœcundat. Tradunt nonnulli vocabulum *Pischon* significare immutationem vultus. Sed qua origine & compositione dissimulant, aut ipsi eruere non potuerunt, Ego vero, si quod judicare possum, פי & שונה venisse existimarim, quod est, quasi dicas, *mutans faciem*; quia sæpe est sui dissimilis in cursu, vel in quantitate, aliquando latissime fusus, & aliquando in angustum coarctatus: vel in colore, alicubi fluens pellucidus, alicubi turbidus: vel in qualitate, alicubi frigidus, alicubi calidus. Isidorus lib. XIII. Etymolog. cap. XXI. vult Pison significare catervam, propterea quod decem magna flumina aquas suas in ipsum exonerent, ut tradit ille: cui sine sensu aut ratione ulla hoc asserenti quis credat? Sunt qui putent *Pison* appellatum esse a verbo ܦܫ quod Syris *cessare* significat; propterea quod cesset a fluxu aspectabili, lenissimo scilicet fluens agmine. Non autem ideo, ut existimant quidam, quod sub multis pelagis majorem sui cursus partem conficiat, quod frivolum est. Græce δυοβὶς vocatur teste Mose-Bar-Cepha. Sed unde hoc nomen habeat, Andr. Masius vir doctissimus fatetur se nescire. Ego vero diligentius & curiosius inquirens videor ali-

Gen. II. 11.

Vide hic iterum Herbinium dicto loco c. II. §. VII. & Jo. Conr. Dieterici Antiquit. Biblic. p. 84. a.

quid

quid vidisse. Quid si in Syriaco exemplari, quod sequutus est Masius, erroris latebra sit? Fieri enim potest, ut *Jud* cacographia irrepserit pro *Nun*: lapsu valde proclivi, propter affinitatem harum literarum in hac lingua. Nam *Nun*, si paululum a capite inflectatur ad sinistram ad trianguli pene formam, literæ *Jud* figuram refert; quod Masius non animadvertens legit ܕܝܘܒܝܣ, *dijobis* pro ܕܢܘܒܝܣ, *dinobis*, vel rectius *danubis* per quintam vocalem in secunda sede: Quid autem est Danubis? nempe uti ego quidem conjicio, Danubius. Sunt enim ex Græcis, referente Steucho, qui Pison dicunt esse Danubium. Ex quo plane venio in eam sententiam, lectionem Syriacam Danubium nobis designare: quod quam longe absit a vero, frustra dixerim. Hic fluvius cum Tigri junctus est, inde ab Apamea ad sinum usque Persicum: unde factum est, ut ab incolis dictus fuerit Pasitigris, seu potius Piso-Tigris. Ab Assyriis נהר-מלכא, id est, *βασίλειος ποταμὸς regium flumen* nuncupatur, quod regum opere ex Euphrate deductus esset. A Rabbinis falso putatur Nilus. Cæterum Aben Ezra non audet illud quidem affirmare, sed ex sententia R. Sahadiæ ita refert אמר הגאון כי פישון יאור מצרים, id est, *Inquit Aaggaon Pison esse fluvium Ægypti*. Origo autem Nili adeo incerta est, ut in proverbium venerit, illum Nili caput quærere, qui rem inventu impossibilem quærit. * Josephus, Epiphanius, Augustinus, Hieronymus, aliique nonnulli Pison faciunt Gangem Indiæ flumen, quod nullis rationibus confirmari potest. Nam Ganges, teste Strabone, in Caucaso Indiæ monte oritur, ac ultra Parthorum montes per campos Indiæ decurrit. Pison autem alluit totam regionem Chavilæ, id est, protenditur secundum longitudinem totam Susianes, inde ferme ab ara Herculis ad sinum usque Persicum, atque in eum desertur multis ambagibus. Satis enim notum est inter Gangen & Pison intervallum intercedere 70. circiter graduum. Multum aberrant igitur a vero qui dicunt Chavilam esse Indiam. Non me præterit Mosen Bar-Cepha Syrum longe diversum sentire, qui in libro de Paradiso docet Chavilæ nomine totam significari Indorum regionem. Quod ne illi concedam prohibet rei ipsius veritas. In promptu est enim ex sacris literis ostendere regionem Chavilam longissime absuisse ab India: nec hoc solum, sed vicinam etiam fuisse Euphrati fluvio, & proinde non procul fuisse Palæstina. In XXV. cap. Gen. 18. sic legitur, *Habitarunt a Chavila usque Sur, quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyriam*. Ex quo loco liquido constat Chavilam inter Assyriam & Palæstinam fuisse locatam. Huic simile scriptum invenitur 1. Reg. cap. XV. 7. ubi dicitur Saul percussisse Amalek a Chavila usque Sur. Quis sanæ mentis dicet Saulem persecutum esse Amalekitas usque ad Indiam? Nec quia in terra Chavila erat copia auri optimi, propterea sequitur, quod quidam contendunt eam fuisse Indiam. Nan in aliis Syriæ locis fuisse auri copiam testantur sacræ literæ. In exordio libri Deut. v. 1. traditur, trans Jordanem in campestribus Moab inter Tophel & Haseroth auri fuisse plurimum. Sunt qui regionem *Ophir*, ex qua Salomonis tempore asportatum est aurum ad structuram templi, vel ipsam Chavilam, aut certe Chavilę vicinam fuisse omnino existimant. Hanc sententiam sequitur Steuchus. Vatablus & Arias Montanus arbitrantur terram Ophir in Scriptura celebratam, eandem esse, quæ nunc vulgo *Peru* in novo orbe appellatur, unde tanta vis auri advehitur in Hispaniam. Hoc autem colligunt ex III. cap. II. lib. Paralip. 6. ubi colligunt פרוים in duali numero, ad designandum utrumque Peru, majus, & minus, seu quod proprie dicitur Peru, & quod appellatur Mexico. Idem adverterunt, Lutherus, Neander, Genebrardus, Plessæus, & Postellus, quem citat Ortelius in suo Theatro. Contra affirmat Pererius scriptor haud malus, Ophir non esse regionem nunc dictam Peru: quia in Peruana regione nec Elephanti, nec Pavi, nec Simiæ, nec Ligna pretiosissima inveniuntur; quæ omnia ex Ophir asportari solita, narrat Scriptura. Non est enim (inquit) verisimile Salomonem ex mari rubro (in cujus littore erat Aseon Gaber, unde solvebat classis Salomonis) relicta regione vicinori, multarumque rerum pretiosarum fertiliori, immenso circuitu navigationem instituisse ad regionem Peru: cum ad eam regionem commodius ex Joppe, vel alio portu maris Mediterranei per fretum Gaditanum, multo breviori navigatione, spatio circiter quinque mensium, pervenire potuisset. Legimus porro (inquit) in Evangelio venisse Magos ab oriente, portantes aurum: quod in Chavilam, sive Chavilæ vicinas regiones inclinat. Scribit Hieronymus in Epist. IV. ad Rusticum Monachum, in regione Chavilæ esse montes aureos, quos adire propter gryphas, dracones, aliaque immensorum corporum monstra, hominibus impossibile est; ut ostendatur nobis, quales custodes habeat avaritia. Nec tantum in terra Chavilæ, sed etiam in ripa & arena fluvii Pisontis aurum probum, gemmasque admirandas ubertim reperiri, testis locuples est Moses Bar Cepha. Cujus sententiam approbat Rabbi Moser Bar-

Na-

Ammianus.

* Lucanus cecinit Nili originem incompertam esse.

Credunt Indi Gangem e Paradiso originem trahere, itaque ab illis magna veneratione frequentatur: qui eo a vandi gratia confluunt, atque ea lotione a peccatorum sordibus lustrari sibi persuadent: etiam mortuos ad genua usque demergunt, ut eo recta ad leatorum sedes demigrent. Vide hic denuo Herbinium d. l. c. II. §. 6. De Havilah, quam Pison alluere dicitur, & an ea sit Ophir: deque hac re plurium opiniones.

Vatabl. super IX. c. III. lib. Reg. Ar. Mont. in sacro Apparatu ad Biblia Regia.

Nachman his verbis, בחול אשר בו ועל שפתו ימצא הזהב דטוב hoc eſt, *In arena Piſontis, & in littore ejus invenitur aurum præſtans*. Idem quodque legitur in libro, qui inſcribitur Akidoth-Iſaak. Porro, ne quid prætermittamus, ſciendum eſt, Chavilam alio nomine Suſianam eſſe dictam, a Suſan regia Perſarum urbe, quæ ab nomen ſortita eſt, ut docte amœnitate hoc obſervavit Franciſcus Junius, omni eruditionis genere inſtructiſſimus.

Gen. II. 12.

Illic Bdelium.] Dubia eſt Hebræis & noſtris, vocis ברלח ſignificatio. Hebræi communiter dicunt eſſe cryſtallum. LXX. vertunt ἄνθρακα, id eſt carbunculum: quamvis iidem alibi cryſtallum interpretati ſint. Scribit R. Sahadia Gaon ברלח lapillos eſſe perexiguos ac rotundos, qui ex aquis prodeant; de qua re Aben Ezra, ויאמר הגאון כי הברלח האבנים הקטנים עגולים היוצאים מהמים שהם דקים. Tradit Kimchi in lib. Rad. Bdelium lapidem eſſe pretioſum quem יחלום, id eſt adamantem, vocant: dicit tamen alios aliter ſentire. יש אומרים שהיא אבן לבנה עגולה שנוקבון אותה ומחברין ממנה אבנים ועושים מהן ענקים hoc eſt, *Sunt qui dicunt lapidem eſſe albicantem, ex quo perforano, & ſimul colligato, aptant torques*. Unde apparet nonnullos ex Rabbinis putaſſe Bdelium eſſe Margaritam, quam noſtrates vulgo dicunt Deari. Id quod collegiſſe videntur ex Mannæ colore, quia cap. XI. Numer. 7. dicitur, Mannæ colorem imitari colorem Bdelii. At legimus Manna fuiſſe album: Ergo Bdelium fuiſſe album ſubinferunt. Sed hæ conjecturæ ſunt, & quidem tales, ut nulla earum mihi faciat ſatis. Nam ברלח hoc loco lignum ſignificare, non autem gemmam ullam, vel ex eo apparet, quod Moſes nomen lapidis huic non apponit: quod proculdubio fuiſſet præpoſiturus, ſi eſſet de gemmarum genere. Plin. lib. XII. cap. IX. Bdelium ita deſcribit: In Bactriana Bdelium eſt nominatiſſimum, quæ arbor nigra eſt, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu caprifici naturaque. Deinde ſubdit naſci quoque in Arabia, India, Media, ac Babylone. Alicubi etiam dicit hujus arboris lacrymam lucidam eſſe, ac boni odoris, atque congelando lapideſcere. Quod diſplicet Steucho. Si enim (inquit ille) hoc verum eſt, quod ait Plinius, quomodo in fluminibus naſcitur, ut hic a Moſe traditur? At Steuchus debebat prius verba contextus inſpicere, atque expendere, quam Plinii ſententiam reprehendere. Nam apud Moſen nihil hujuſmodi reperitur. Neque ut hoc ita eſſe doceam, ullis mihi rationibus opus eſt; cum verba Moſis adeo ſint clara, ut interprete non egeant. Lyra Bdelium arborem aromaticam eſſe ſentit: cujus ſententia mihi viſa eſt ad veriſimilitudinem valde inclinare.

Gen. II. 12.

Et lapis Sardonyx.) Qoid proprie ſignificet שהם quod habet textus Hebræus, incertum eſt. Secundum R. Sahadia eſt, אבן יקרה לבנה והיא צחרה *lapis pretioſus, candidus, ac impermiſtus*. R. quoque Meſes lapidem album facit. Quod Aquila, Symmachus, Theodotion, Hieronymus, & Pagninus ſecuti ſunt: qui omnes unanimiter Onychem vertunt, quia (ut illi inquiunt) candorem habet unguis humani, qui Græce ὄνυξ dicitur. Sed cum Onyx gemma ſit vulgaris, nec tanto in pretio, aliiſque in locis plurimis luxuriet, horum ſententiam probare nequeo: quin potius cum Joſepho plane exiſtimarim eſſe Sardonycha. Atque ita Græci aliique recentiores nonnulli XXVIII. cap. Exod. interpretati ſunt. Præterea Suſiana celebratur & commendatur a Sardonyche, ut conſtat ex Plinio & Solino: quibus ſuffragatur Strabo Geographorum diligentiſſimus. Eſt autem Sardonix lapis rubei ſplendoris, & interdum albi, vel nigri coloris, ex Sarda & Onyche compoſitus, teſte Plinio. Septuaginta reddunt λίθον πράσινον, id eſt, *lapidem porraceum*, qui, ut nomen indicat, viridis eſt coloris. Chaldæus Paraphraſtes vertit בורלא, id eſt, Βηρύλλιον, cui aſtipulatur Epiphanius. Arabibus vocatur البلور *albelor*, teſte Kimchi. Aben Ezra fatetur ſe hunc lapidem ignorare. Nec mirum, quia multa ſunt in Scriptura Hebraica nomina propria lapidum, fluminum, arborum & animalium, de quibus nihil certi tradi poteſt.

Plin. l. VI. c.XXVII. Solin. cap. LXVIII.

Gen. II. 13.

Nomen ſecundi fluvii eſt Ghion) Hebræa vox eſt גיחון, a verbo, נוח, *educere, exire*, ut ſonet ſcatentem longeque manantem fluvium: atque hoc modo interpretatur R. Dav. Kimchi; נקרא גיחון לפי שהוא יוצא ומתפשט הרבה *vocatur* (inquit) *Gichon, quod poſtquam exierit* (ab alveo ſuo) *admodum ſe diffundat*. A Chaldæis enim totus ferme educebatur rigandis agris, quamobrem ab illo uſu נהר סרים, id eſt, *fluvius diductus*, appellatur. Ptolemæo corrupte Baarſares; Straboni & Plinio Maarſares; Ammiano corruptius Marſias. Græcis nuncupatur Γεὼν, ex quo Latinus dixit *Geon*: & addita interdum aſpiratione, *Gheon*. Situm hujus fluenti ab adjacente regione quam alluit ita deſcribit Moſes: *hic alluit univerſam regionem Cuſch*. Eſt autem hic ἀμφιβολία in voce כוש *Cuſch*, quæ multis viris alioqui doctis negotium faceſſit. Eſt autem Cuſch aut nomen proprium viri,

viri, Gen. X. 6. 7. aut gentile ex proprio ductum, Æthiopem significans, aut denique regionis nomen, a Cusch filio Chami desumptum. Quocirca ut rem ab ipsis initiis repetam, sciendum est duplicem esse regionem de nomine כוש *Cusch* appellatam; unam orientalem, alteram occidentalem. Cusch orientalis infimum Chaldææ tractum, qui subest paludibus, & Arabias tres, Desertam, Petræam & Felicem complectitur. Cusch occidentalis omnium Geographorum consensu est vera Æthiopia in Aphrica, quæ hodie Presbyteri Joannis imperio subjacet, in quam olim posteri Cusch transmigraverunt ex Arabia Felice, quæ angusto freto ab Æthiopia distinguitur. Nam e mari rubro duo finduntur latera, quorum alterum cadit in ortum, alterum in occasum, inter quæ labitur sinus Arabicus: quo fit ut ob propinquitatem (solo enim mari dividuntur, ut ex ipsa Cosmographia perspicitur) utraque כוש *Cusch* dicta sit Æthiopia, & utriusque incolæ כושים *Cuschim*, Æthiopes: atque ita sicut Hebræorum כוש *Cusch* commune est pluribus regionibus & inter se distinctis, ita etiam Latina, *Æthiopia* & *Æthiopes*, distinctas gentes & populos significant. Hujus rei testis est Hom. Odyss. α. v. 23.

Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται ἔσχατοι ἀνδρῶν,
Οἱ μὲν δυσομένου Ὑπερίονος. οἱ δ᾽ ἀνιόντος,

Æthiopes extremi homines geminique coloni, Namque sub occasum hi degunt, aliique sub ortum. Huic sententiæ suffragatur Strabo lib. I. Geographiæ, & Plinius lib. V. cap. VII. LXX. Interpretes כוש Æthiopiam reddiderunt. Sed veram in Africa Æthiopiam non intelligunt, ut putavit Beroaldus, sed alteram illam orientalem Arabiæ & Mesopotamiæ vicinam. Et hanc causam esse arbitror quod multi Gihon putarunt esse Nilum, quia dicitur apud Septuaginta Gihon alluere totam Æthiopiam. Sed Gihon non esse Nilum multa & clara sunt indicia. Primo, Nilus cum Tigri & Euphrate nullam habet affinitatem, hi enim profluunt e Septentrione, ille autem aquas vehit ex meridie. Exitus quoque eorum disjunctissimi sunt; nam Tigris & Euphrates in sinum Persicum aquas exonerant, Nilus vero desinit in mare Mediterraneum. Deinde, si Gihon est Nilus, cur Scriptura toties Nili mentionem faciens, nusquam eo nomine eum appellat? Certo itaque certius est Gihon non esse Nilum. Tradit Kimchi eosdem esse Æthiopas, Madianitas, & Ismaelitas. Sic enim ille: הכושים והמדינים והישמעאלים כלם אחדים ושכנים יחד, id est, *Cuschæi*, *Madianitæ*, *& Ismaelitæ omnes unum sunt*, *& simul habitant*, id est, vicinas regiones incolunt. Nam Madianitæ sunt ad sinum Arabicum, proinde Arabes: qui iidem etiam Cuschim sive Æthiopes appellantur. Cui concordat hoc, quod uxor Mosis, filia Jethro sacerdotis Madian, dicitur fuisse Cuschith, hoc est, Æthiopissa, ut post LXX. Interpretes doctissimi quique interpretantur. Huc pertinet etiam illud ex Psal. LXXXVII. 4. *Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia*. Tres gentes Palæstinorum, Tyriorum, & Æthiopum, tanquam confines & vicinæ, hoc loco a Davide memorantur. In 2. lib. Paralip. capite XIV. 9. narrat Scriptura Zaram regem Æthiopum venisse adversus Judæos cum incredibilis multitudinis exercitu. Non est autem credibile illos venisse usque ex Æthiopia Meridionali: nulla erat enim ratio cur ex tam remotis regionibus ad belligerandum cum Judæis proficiscerentur. Cusch itaque non semper videtur illam Æthiopiam significare quæ est ad Nilum fluvium, sed etiam Arabiam omnemque eam oram quæ Oceanum spectat. Quocirca plane sum in ea sententia, ut putem כוש Cusch Arabiam denotantem, recte Æthiopiam verti posse. Si tamen ista ut argutiora commenta respuat aliquis, teneat suam sententiam, mihi relinquat meam. Per me enim licet ut quisque suiipsius fruatur opinione. Mirum est Aben Ezram Gihon Paradisiacum pro illo Gihon accepisse de quo liber Regum loquitur, cum de rege Salomone ungendo pater mandat, *Ducite eum in Gihon*. Nam hic noster Gihon a Gihon illo Jerosolymitano qui civitatem Davidis alluebat magno intervallo distat. Præterea si Gihon Paradisi flumen aliquatenus attigisset terram Chanaan, Moses ipsum declarans dixisset, *Qui alluit terram Chanaan*. Sed hæc opinio cum sit manifeste falsa, nulla refutatione opus habet. Sed quibusdam fortasse durum videtur quod Moses hoc in loco universalem addat particulam כל cum ait, *Alluit universam terram Cusch*. Quod commode sic accipiendum est. Primo, quatenus omnem Babyloniam, superiorem, mediam & infimam, interluit: deinde quatenus alluit & quasi incingit Arabiam, qua spectat Assyriam, seu qua contermina est Chaldææ. Non enim interluit omnem Arabiam: nam ubi Chaldæam reliquit; breviori cursu sese exonerat in sinum Persicum. Arabia autem longe lateque inde diffunditur ad Arabicum usque sinum, & ad isthmum qui mare Mediterraneum a sinu Persico disterminat. Porro Gihon & Pison his nominibus a Cosmographis hodie non commemorantur, vel quod minus sint cæteris hodie conspicua hæc flumina; vel quod temporis

1. Reg. 1. 33. 38.

poris

poris diuturnitate nomina ſua apud accolas amiſerint, ut permultis non modo flu-
minibus, ſed etiam regionibus & gentibus vetuſtis uſu venit; vel fortaſſe etiam quod
horum alvei vel deductione, vel æſtu nimio exaruerint.

Nomen fluvii tertii Chiddekel.] Tertium hoc fluentum, quia ad Babyloniæ ter-
minum pertinet, a Moſe accuratis exponitur. Nomen eſt חדקל quod e duabus vo-
cibus compoſitum videtur, שמימיו תדין וקלין quod ejus aquæ ſint veloces, & impe-
tuoſæ: ut ſcribit R. Sal. Secundum Rupertum & Iſidorum a celeritate τίγεις appel-
latus eſt, ducta ſimilitudine a Tigride animalium velociſſimo. Tradiderunt autem
Plinius, Quintus Curtius, & Strabo, Tigrim dictum eſſe a celeritate ſagittæ, quam
Medorum lingua Tigrim appellari dicunt. Hoc nomine vocatur ab eo loco ubi na-
ſcitur, uſque ad locum ubi Euphrati commiſcetur, quia ibi concitatior fertur. Sy-
ris vocatur. ܕܩܠܬ, *Diklath* ܕܩܠ, *dekal* a fervere, bullire, quod rapidus ſurſum de-
orſum feratur, non ſecus ac homo violentus ac fervidus, qui ad perrumpendas an-
guſtias, nunc ſe ſubrigit, nunc demittit. Locum, ubi tardior fluit, veteribus *Diglito*
appellari, teſtatur Plin. lib. VI. quod cum Chaldaico דגלת maxime congruit. Ab
accolis nunc *Tiglath*, vel, ut vult Ortelius *Tegil* appellatur. Hujus fontem circi-
ter bis mille & quingenta ſtadia ab Euphratis fonte diſtare tradit Strabo. Quod
clarius exponit Procopius: πηγαὶ δύο ἐνθένδε ἔξιασι ποταμὰς δύο ποιῦσαι αὐτίκα· ἐὐφράτην
μὲν ἡ ἐν δεξιᾷ· ἡ δὲ ἑτέρα τίγρην ὄνομα, id eſt, *Ex hoc monte* (nempe Tauro) *duo fon-
tes oriuntur, qui illico duo efficiunt flumina: dexter quidem fons Euphratem, lævus au-
tem Tigrim*. Igitur ambo ex uno loco non prodeunt, niſi forte alibi oriantur, ſub-
terque terram perfluentes inde ex monte Tauro emergant. Situs hujus fluenti his
verbis deſcribitur, *vadit ante Aſſyriam*, id eſt, למזרח של אשור ad tractum orien-
talem Aſſyriæ, juxta R. Sal. Nam Meſopotamiam ab Aſſyria, & Suſianes princi-
pium a ſuperiore parte Chaldææ diſterminat. Conjungitur cum Euphrate in finibus
Meſopotamiæ ad Seleuciam. Sed priuſquam conjungitur in duos alveos dividitur:
Altero, dextro ſcilicet, ad Meridiem Seleuciam verſus abit; altero ad Septentrio-
nem flexus, campos Cauchas interſecat: ac poſtquam anflexu ſuo inſulam confecit,
in qua Cteſiphon (uti Gaſparus Vopelius in ſua Mappa ad oculum demonſtravit)
rurſus coeunt infra Seleuciam, illincque per plana fluunt multis mæandris in ſinum
Perſicum: priuſquam vero in ſinum Perſicum illabuntur, ſeſe in duo capita divi-
dunt, atque duobus oſtiis in illum ſeſe exonerant, inſula in medio relicta. Inter
hæc duo oſtia 25000. aut, ut tradunt alii 7000. paſſuum fuerunt: & utrumque
oſtium navigabile fuiſſe perhibent.

Gen.II.14. Plin.l.VI. c.XXVII. Quint. Curt.l.IV. Strab. lib. XI.


Fluvius quartus eſt Euphrates.] Quartum fluentum nomine tantum diſcretum, urbem
Babylonem permeat, & κατ' ἐξοχὴν Euphratis nomen retinet: quippe qui triparti-
tus per omnes rivos eſt navigabilis: atque hac de cauſa a Moſe נהר גדול, id eſt, flu-
men magnum, merito appellatur, non, ut inepte Talmudici quidam autumant,
quod terram Iſrael terminet. Hebræum eſt פרת *perath*, quod Hebræorum doctores
in Bereſchith Rabba quæ Rabbi Oſaias congeſſit, ſic enodant, quaſi a verbo פרה
formatum, fertilitatem ſignificet: nec id abſurde. Sed cur Græci εὐφράτην dicerent,
cum tamen Hebraice Perath ſit ejus nomen, quaſi φράτην dicas? Id inde eveniſſe
videtur, quod Græci interpretes voculam ὑπαρκτικὴν הוא quæ fere ſonat εὐ, nomini
Perath adjunxerint, & ex duabus partibus הוא פרת hu-perath, nomen Euphratis
corrupte fecerint. Strabo lib. XII. his fere verbis Euphratem deſcribit; *Eſt* (in-
quit) *Euphrates Tigride major, pluſquam terræ peragrat; ex iis Tauri partibus quæ
ad Aquilonem vergunt, confragoſo ortu promanans: unde ad occidentem verſus per ma-
jorem quam vocant Armeniam fluit uſque ad minorem, & hac a dextris, Liſcena vero
a ſiniſtris relicta, intorquet ſe deinde ad meridiem, ſimulatque Cappadociæ montes at-
tigit: quos atque etiam Commagenes dextra, læva vero Aſicinſinen & Sophenen, ma-
joris Armeniæ regiones, præterlabens, proripit ſe in Syriam: rurſuſque reflectitur verſus
Babyloniam Perſicumque ſinum*. Hæc Strabo: *Olim quidem Euphrates*) inquit Pli-
nius) *in ſinum Perſicum influxit donec accolæ, ut commodius rigarent agros, eum præ-
cluſerunt, adeo ut jam non niſi per Tigrim feratur in mare*. Quod confirmat Dion
in Trajano. Hic quidam obſervant hæc nomina his fluminibus non fuiſſe tum in-
dita, cum crearentur, ſed poſtmodum; & Moſen ad ſua tempora reſpexiſſe: quod
tamen nullo certo argumento adſtruunt, ut nobis fidem faciant. Præterea in Eu-
phratis deſcriptione non eſt prætereunda mentio inclytæ Hebræorum ſcholæ, quam
ad Euphratis ripam Judæi tempore deportationis Babylonicæ condiderunt, & נהר
דעא *Nehardea*, id eſt, *ſcientiæ flumen*, appellabant. Cujus ſitum in Chorographica
deſcriptione videbis. Quidam depravato nomine Naarda dixerunt, non attendentes
Hebrææ vocis originem, aut ſignificationem. Fuit hæc ſchola adeo celebris, ut ad

Gen.II.14 Plin.l.VI. c.XXVI.

eam Judæi ſtudiorum cauſa ſuos filios ex Palæſtina, Ægypto, Aphrica, Hiſpania, & toto occidente certatim tranſmitterent. Hujus ſcholæ moderatores erant Talmudicæ rhapſodiæ interpretes numero ſexaginta, quos גאונים *Geonim*, hoc eſt, *excellentes*, vocant: a quibus Talmud Babylonicum LX. tractatibus comprehenſum conſcriptum fuiſſe Hebræorum doctores conſtanter prodiderunt. Hæc igitur de Paradiſo ejuſque antiquo ſitu, deque IV. Paradiſi fluentis, eorum fluxu & nominibus, dicta ſunto pro inſtituti noſtri ratione, in quo brevitatis & perſpicuitatis rationem præcipue habendam duximus: ut quæ ab aliis partim diffuſe, partim etiam confuſe tradita ſunt, ſuccincte & aperte ob oculos ponerentur. Ex quibus intelligimus Paradiſum non eſſe locum imaginarium, aereum, inſenſilem, & incorporeum in aere ſuſpenſum; ſupra aut ultra terrarum orbem, &, ut ait ille, extra ſolis cœlique vias, ut multi ſtulte commenti ſunt; neque eſſe late diffuſum per magna terrarum ſpacia, ut aliis non minus ſtulta perſuaſione crediderunt: ſed eſſe in terris, & terrarum aliqua parte ſitum, certoque loco circumſcriptum, nempe in Babylonia Meſopotamiæ contermina: & quidem non in tota Babylonia, ſed in ejus parte ſuperiore, quæ in ſcriptura Eden, & apud alios probatos auctores Audanitis appellatur, procul dubio ſic dicta ab Eden, quaſi Edenitis, ut antea obſervatum eſt. In qua hortus Eden ad ejus plagam orientalem a Deo ipſo conſitus erat. Unde ejus tum dignitatem, tum antiquitatem animadvertere licet: eratque omnigenis arboribus ornatus, tam ad utilitatem quam voluptatem comparatis; quas in tres ordines ſcite diſtinguit Bonaventura. Primum ordinem earum facit quæ ad corporis pabulum pertinent; ut ſunt omnes fructiferæ arbores, quæ fructum ferunt ad eſum uſumque hominis commodum. Secundum earum quæ ad animum pertinent, ut arbor ſcientiæ boni & mali. Tertium earum quæ ad totum hominem ſpectant; ut erat arbor vitæ, ſymbolum ſcilicet vitæ æternæ, ſi homines in obedientia erga Deum perſtitiſſent. Sin vero ſitum horti ſpectes, erat loco oportuniſſimo conſitus ſub cœlo pulcherrimo, ſolo lætiſſimo & fœcundiſſimo, fluminibus ad aſpectum amœniſſimis, ad guſtum ſuaviſſimis undique irriguo. Tradit enim præter alios Moſes Bar-Cepha flumina Paradiſi guſtatu fuiſſe gratiſſima ſuaviſſimaque; inde autem progreſſa plurimum ſuavitatis amittere, acredinis vero contrahere: *cum illud* (inquit) *Paradiſi ſolum læta Dei benedictione beatum ſit, at hoc noſtrum contra exſecratione infelix*. Sunt qui ex hac Paradiſi & quatuor fluviorum deſcriptione multas allegorias exſtruunt, quas aliis apud alios legendas & excutiendas relinquo. Et apud hunc ipſum Moſen Bar-Cepha Syrum extant plures. Is magnum fluvium comparat Chriſto: & ejus IV. fluenta IV. Evangeliſtis. Deinde ea comparat IV. virrutibus cardinalibus, ut vocant. Si qui his & hujuſcemodi delectentur, ipſos auctores inſpiciant. Ego tantum indicare volui, non curioſe indagare, multo minus de iis judicare. Judicium enim de his & de toto opere theologis & viris doctis libens permitto.



S A-


Septen 75 trio.
Meri 75 dies.
Occidens
Oriens
Marda
ASSIRIÆ PARS
Nius olim Ninive
Edessa
Antiochia
Arbela
Tigris flu.
Thelde
MESOPOTAMIA
Cau chæ campi
Oroba olim Rech oboth
Charre olim Charan
Singaras Mons
Massice
Ctesiphon
PARAPOTAMIA
Hierapolis
Sephar
Naarda
Nicephorium
Tigris fl.
Reschipha olim Reseph
Euphrates fl.
Seleucia
Babilonia
Euphrates
Pison
Gichon
Pecoria olim Pethor
SIRIÆ PARS
HAVILAE
Agaman
Apamea
Ara Herculis
Sabe
Barsita
PALUDES
CHALDÆA
Aracca olim Erec
Ragia
Orhoc olim Hur
SIVE SUSIANÆ PARS
Montana Chaldææ
Montana Arab. Felicis
ARABIA DESERTA
AMORDACIA
Vetus Euphratis alveus
Althaunde Anali latrones à Plinio dicti
Moseus flu.
Tigris Ostium
Euphratis Ostium
Teredo
SINUS PERSICUS



SAMUELIS BOCHARTI
EPISTOLA DE PARADISI SITU
AD
LUDOVICUM CAPPELLUM.

I. EX quatuor fluminibus, quorum apud Mosem in Paradisi descriptione fit mentio, duo sunt notissima, *Tigris* nempe & *Euphrates* : ex regionibus etiam, quæ ibidem memorantur, non minus nota est *Assyria* . Ex hisce porro reliqua facile satis eruuntur. Necesse est itaque Paradisus Terrestris juxta hæc flumina non procul ab Assyria fuerit situs, idque fatentur hodie eruditi omnes, etsi diversa ratione explicent.

Inter eas omnes diversas explicandi rationes nulla mihi videtur probabilior, quam quæ a Calvino affertur; unde & *Scaliger* de *Emendat. temporum* lib. v. ubi de mundi conditu, eam ita extollit & miratur, ut ajat; *Nibil potuisse verius* ; *nibilque doctius dici* . Tigris ex Ptolemæo Euphratem intra Apamiam excipit, eoque modo ingentes hi duo fluvii coeunt, & ubi coiere, ad Asiam urbem confluunt, quo loco communis eorum fluxus diramescit, atque in fluenta duo dividitur, quæ seorsim in Mare Persicum desinunt; ad Orientem alterum Susianam versus; alterum vero ad Occidentem versus Arabiam. Horum autem duorum fluentorum unum ex Ptolemæo vocatur *Ostium Tigris Orientale* , aliud vero *Occidentale* : Ex Strabone autem unum Tigris ostium dicitur, alterum Euphratis. Itaque unus & idem in quatuor Capita secatur, quorum duo sunt superiora, Tigris sc. & Euphrates, duo vero inferiora, ea nimirum, quæ ex eo alveo in Mare Australe descendunt. Calvinus ergo contendit capita, seu fluenta duo superna, de quibus Textus sacer, *Euphratem* esse & Hiddeckel seu Tigrim; duo vero inferna esse *Phison* & *Gihon*. Quemadmodum porro Havila ipsi est *Susiana* , quæ ad Orientem jacet, Chus vero *Arabia* , quæ est ad Occidentem sita, sic quoque Phison, qui Havilam circumluit, arbitratur esse alvei superius memorati Orientale ostium, Gihon contra, qui Chusitin circum errat, Occidentale. Ex his igitur Edenis hortus in ea Babyloniæ parte jacebat, in qua fluvii duo in unum alueum conjuncti fluunt, eo fere loco, quo in Tabula Chorographi. hisce subjuncta signatur.

Hæc opinio quoad rem ipsam, ejusque essentialia, est verissima; siquidem Edenis locum vere aperiat.

I. Ezechielis. XXVII. 23. Channeh alias Chalne (quæ deinde Ctesiphon vocata fuit) in Chalonitide locatur, *Charan* , vel Haran [hoc est Carras) inter & Heden חרן וכנה ועדן רכלי *Charan & Channeh & Eden negotiatores tui* . Jam vero

 si Chal-

si Chalne inter Carras & Eden interposita sit, necesse est Edenis regio in ea parte Babyloniæ sita fuerit, in qua nos cum Calvino locamus.

II. Esai. XXXVII. 12. item 2. Reg. XIX. 12. Gozan, Haran, Reseph, & Eden eo ordine recensentur, quo sunt a Septentrione (aliqua quidem cum obliquitate Ortum versus) in Meridiem sitæ. *Num liberaverunt eas Dii Gentium, quas pessundederunt Patres mei, nempe Gozan, Haran, Reseph, & filii Eden, qui sunt Thelessar?* Jam autem Gozan & Ptolemæo est Gansanitis in Mesopotamia ad Chaboræ, & Saocoræ fontes posita: Charan vero sunt Carræ Ganzanitide paulo inferiores ad Chaloram: Reseph demum est Reseipha longe adhuc Carris inferior, ad Saocoræ ostium, ejusque in Euphratem ingressum. Hiis positis, necesse est Eden sit rursus inferior, ad Euphratis & Tigridis confluxum, aut paulo inferius.

In iisdem Textibus tum *Esaiæ* tum 2. Reg. filii Heden dicuntur esse in Thelassar, vel Thalasser, ובני עדן אשר בתלשר, *& filii Eden qui sunt in Thelassar*. Hanc *Thalassar* eandem esse cum Ptolemæi *Thalassa* probabile admodum: pro תלשר *Thalassar*, enim Chaldæi dixere טלתר, *Thalattar*, prout passim ש in ת solent mutare, unde apud eos אתור pro אשור, בתן pro בשן, כות pro כוש, *Attour*, pro *Assur*, *Bathan* pro *Baschan*, *Cuth* pro *Cusch*. Et Thalassar Ptolemæus, ademto R. fecit Thalassa; forsanque Heden illa est *Addam*, vel *Addana*, quam Geographi ad Euphratem collocant. Sæpe enim vastus ille alveus, in quo Euphrates & Tigris simul fluunt, *Euphrates* nuncupatur. Sic enim Stephanus in Ἄδανα; cum Adanæ cujusdam, quæ est in Cilicia, & alterius, quæ in Arabia felice, mentionem fecisset, subdit continuo, ἔςι καὶ τρίτη πόλις πρὸς τῷ Εὐφράτῃ: *Est & alia tertia urbs ad Euphratem*. Quin & quartæ alicujus Eddanæ meminit, quæ juxta Euphratem sedet, quam Phœnicum Coloniam ait. Ἔδδανα, inquit, πόλις πρὸς τῷ Εὐφράτῃ, κατοικία φοινίκων, ἀπὸ Ἐδδάνου ἡγεμόνος. At hæc si distinguatur a proxime superiori, videtur esse *Addam* de qua Esdr. II. 59.

Esdr. I. 59. *Hi autem sunt qui adscendunt ex Telmelah & Telharscha, Cerub, Addam, & Immer*; nisi cum Diodato tres has posteriores voces velis esse nomina trium quorundam Israelitarum, qui ex urbibus hic commemoratis, *Telmelach*, & *Thelharscha* adscenderunt.

Ut ut sit, quæcunque hactenus adducta sunt, ea rursus firmantur ab iis, quæ Moses habet Gen. IV. 16. 17. quum ait *Cainum ad Hedenis Orientem Chanochiam condidisse*. Ptolemæus enim *Asiæ* Tab. V. Anuchtham quandam in Susiana locat; ad Talattæ Orientem, 200. aut circiter milliariis ab ea distantem. Chaldæi, autem ab Hebraica voce חנוך *Chanoch* vel *Hanoch* fecere *Hanucha* vel *Hanucta*, uti ab הם Genes. XIV. 15. percusserunt Zusim in *Ham* fit המתא *Hamta*. Sic Syri a רמוא deduxere רמותא *Damta*, a רם *Ramta* &c.

Sed ex hisce omnibus jam satis constat, ubinam sita fuerit Hedenis regio, positusque Paradisus; ad alveum sc. Tigridi & Euphrati communem supra Babylonem, ita ut tamen a superiori horum fluminum divisione (vel concursu) ad inferiorem, sed utriusque divergium, extenderetur; unde fit, ut Moses ajat ex Hedene quatuor fluviorum capita exiisse. Siquidem hæc capita nihil aliud sint, quam bina Euphratis & Tigridis fluenta in unum intra Hedenem coeuntia, ibique per milliaria aliquot simul fluentia; tumque in bina alia intra eandem. Hedenem discissa, seorsimque sinum Persicum versus tendentia. Neque cuiquan mirum esse debet, quod fluviorum divisiones, aut ostia appellentur capita, non secus quam earum scaturigines; hoc enim familiarissimum est cum apud Orientales, tum apud Græcos & Latinos; hujusque plurima possem, si per tempus liceret, afferre exempla.

Hactenus igitur Calvini opinio mihi videtur verissima; sed in eo fallitur, quod *Chus* cis Euphratem & Tigrim in Arabia collocet; *Havilam* contra ultra utrumque illud flumen in Susiana. Siquidem Chus sit Susiana, ultra Tigrim sita, quam vetustiores Græci κίσσια appellabant: unde & Babylonis portæ, quæ Susianam versus ducebant, apud Herodotum *Cissiæ portæ* vocantur; unde quoque in Æschylo Memnon nuncupatur *Cissæus*, quod est Susianus: eademque de causa regionis ejusdem pars quædam vocatur Cossæa, incolæque *Cossi* vel Cossæi. Κοσσία, ait Stephanus, μέρος Περσίδος, οἱ οἰκοῦντες Κοσσαῖοι, *Cossæa pars Persidis*, incolæ Cossæi. Hebræis dicitur כוש *Chus*, Chaldæis כות *Chut*. Hodie vero Geographi Persæ & Arabes cum indigetibus vocant *Chustan*, vel *Chusistan* חוזשתאן hoc est *Chusi provinciam*, siquidem *stan* Persice sit provincia.

Cum itaque Chusitis regio ultra Tigrin posita sit, *Gihon*, qui Chusitidem pererrat, non est uti credidit Calvinus ostium Tigris Occidentale, sed Orientale. Vocatus

catus autem fuit ניחון *Gibon*, propter exundationes, quibus certis temporibus Characene tota obruebatur, uti teſtantur Autores cum veteres, tum hodierni; quandoquidem נוח vel גיח, unde ניחון *Gichon*, vel *Gibon*, ſit *erumpere*. Suſiana vero dicitur Chus; quia Nimrod Chuſi filius (Chus autem Arabiam mari Idumæo vicinam poſteris ſuis implerat) Babylone in poteſtatem ſuam redacta, eo deduxit Chuſſitarum, vel Arabum Coloniam, qui Suſianam ſubinde diffuſi eam inhabitavere.

Havila contra, quam Calvinus ad Orientem in Suſiana conſtituit, ad Occidentem jacet, ad Babyloniam & Arabiam. Et certe Havila eſt regio arenoſa: חול *Houl* enim apud Hebræos arenam ſignificat. Notum porro quam arenoſa ſit Arabia, ſeu Havila. In Havila naſcitur aurum; in multis autem Arabiæ locis, imo & proxime Euphratis oſtium, multum reperitur. In Havila itidem Margaritæ, cum ex Scriptura S. tum ex Hebræorum plerorumque autoritate: Sic Num. cap. XI. 7 והמן כזרס-גד ועינו כעין הבדלח *Et manna illa erat ſicut ſemen Coriandri, & ſpecies ejus ſicut ſpecies Margaritæ*. Mannæ ſpecies nullatenus accedit ad Bdellii formam ac colorem, maxime vero ad Margaritæ: proinde hoc loco *Bedolah* non *Bdellium*, ſed *unionem* ſignificat, uti & fatentur doctiores quique. Ex quo ſequitur, cum dicitur Geneſ. II. 12. in *terra Havila eſſe* הבדלח *Bedolah*, eo loco non Bdellion, ſed uniones intelligendas eſſe. Jam vero totius Orbis celebratiſſima unionum piſcatio ad inſulam Tylum, ſive Baharem, in Arabia fit, paulo infra genuinum oſtium Euphratis, qui inferius deſcendit, quam Geographi ſive vetuſtiores ſive recentiores notant, uti diſcitur ex iis, qui ab oſtio ſcaturiginem verſus adſcenderunt, ex Teixeira potiſſimum. Ibidem quoque magna Beryllorum copia, uti ſcribit Dionyſius Periegetes, ipſe origine Carræus; Beryllus autem illud eſt, quod Moſes שהם *Schoham* vocat, quam vocem male vertimus per *Onyx*; cum Judæi Βηρύλλιον Exod. XXVIII. 9. &c. transferant, Græcique autores ſoleant appellare Βήρυλλος.

Ex *Havila* numero ſingulari, ac *Haviloth* plurali, Græci dixerunt *Chaulas*, *Chablas Chalbas*, *Chauloth*; unde *Chaulaſii*, *Chablaſſii*, *Chablaſii*, *Chaulothei*. Qui de his mentionem fecere, Phalegi lib. IV. c. II. citantur: ubi etiam notatur apud Plinium ex Scriptorum imperitia legi *Chanteos*, pro *Chaveleos*. Hujuſce *Havilæ* mentio fit Geneſ. XXV. 18. itemque I. Sam. XV. 7. *Percuſſitque Saul Amalec ab Havila, donec venias ad Sur, quæ eſt e regione Ægypti*.

Euphratis alveus, qui eam alluebat, *Phiſon* dicebatur; quæ vox derivatur a פוש *Puſch*, quæ eſt *abundare*, *augeri*; uti & פרה *Parah*; ex quo פרת *Perath*, *Euphrates*. Indeque verbum פרה fere ſemper in Paraphraſi Veteris Teſtamenti Chaldaica per פוש redditur: ideoque idem illud flumen, quod vocatur פרת, antequam cum Tigri conjungatur, & in Chaldæam deſcendat; ubi deſcendit, & ab eo rurſus eſt diviſum, Chaldeam eandem alluens appellatur Chaldaica voce *Phiſon*: eo quod ſc. Hebraicum ſeu Aramæum *Perat*, & Chaldaicum *Phiſon*, ſono equidem differant, ſed ſignificatione conveniant.

Hæc eſt in genere mea de Paradiſi ſitu ſententia, quam ſi vellem omnibus illis, quas poſſem congerere rationibus ulterius firmare, adverſanteſque aliorum opiniones confutare, in librum excreſceret Epiſtola; ad ejus intelligentiam & fidem iſthæc ſufficiant.

STE-



STEPHANI MORINI
DISSERTATIO
DE
PARADISO TERRESTRI.

COnvenit secundum ejus (Bocharti sc.)* methodum modo commemoratam sententias improbabiles amovere, ut ad veram & certam expeditum paremus iter, ne autem illarum diversitas nos offendat in ipso limine observandum Mosem brevem illius Paradisi fecisse mentionem, & accuratissime situm non descripsisse, quia nulla fuit ejus utilitas post Adami casum, & sufficiebat omnibus innotescere, quod nullus Paradisus in terris superstes erat, ut cœlestem duntaxat anhelarent, hancque vitam exilium merum ducerent, & ei sua addicere caverent studia, quæ æterna felicitate duntaxat possunt beari: hac ratione gratia valuit damnum nostrum in lucrum immensum convertere.

Vix possunt in numerum redigi omnes de Paradiso terrestri sententiæ, idcirco eas, quæ celebres habuerunt patronos duntaxat referemus; omnium ab omni verisimilitudinis specie alienissima ea est, quæ totam Mosis de ipso narrationem convertit in allegoriam, quam ingeniose adornat, & magno molimine conatur tueri Philo Judæus lib. I. allegor. Legis, audite quam confidenter: μὴ γάρ τοσαύτη κατάσχοι τὸν ἡμέτερον λογισμὸν ἀσέβεια, ὡς ὑπολαβεῖν ὅτι θεὸς γεωπονεῖ καὶ φυτεύει παράδεισον, *absit enim ut tanta rationem nostram invadat impietas, ut suspicemur Deum colere & plantare Para.*

* Bochartum *non perfecisse tractatum de Paradiso Terrestri demonstrat* Stephanus Morinus *in præfatione præmissa editioni operum ejusdem* Bocharti. Lites illæ (*inquit*) tot fidelium myriadibus funestissimæ impediverunt ne meditata de Paradiso terrestri & Gemmis arboribusque opera perficeret, & forsan conjunctim unita simul ederet: necessarium enim ad ea tempus ipsi defuit; attamen in libris editis citat tractatum de *Paradiso* quasi revera absolutus esset; sic enim in *Phaleg* lib. II. cap. 28. *Plura de Havila vide in descriptione Paradisi terrestris &c.* & lib. v. cap. 5. *Terra Havila in qua Bedolach est ea pars Arabiæ ad Catiphan & Baharen, ex qua Margaritæ eruuntur, quod in accurata Paradisi terrestris descriptione tot asserimus argumentis, ut vix quicquam deesse putemus ad perfectam probationem &c.* Nihilominus arbitramur nunquam hanc Paradisi descriptionem fuisse penitus absolutam, & in ordinem debitum redactam, quia partium ejus aut librorum, & capitum nullam facit mentionem, sed contentus generali designatione in concionibus suis facta, & idea accurata quam in mente habebat, in libris suis duntaxat observavit, quæ ad confirmationem & illustrationem pertinebant, quæque inter breve tempus facile collegisset, quia notis scopo ejus convenientibus apposite erant distincta, vel si unquam in aliquem ordinem illa descriptio redacta est, putamus id statim ab initio, & ante cetera ejus opera contigisse, proptereaque post observationes primis potiores & inexpectatam diversorum argumentorum copiam displicuisse ipsi primum hoc rudimentum, atque abolevisse: inauditum sane non est magnos viros sibi ægre satisfacere, & ad summum perfectionis gradum tendentes damnare ad interitum opera perenni vita dignissima: quandoquidem parum absuit

Paradiſum &c. Abſit equidem, o Philo, ut exiſtimemus Deum plantaſſe hortum, & coluiſſe arbores ob fructus aut alias utilitates quibus indigeret, fatemur quod ſeipſo contentus eſt, & ſibi etiam locus eſt; ſed in gratiam hominis hortum omni arborum præſtantiſſimarum genere conſitum produxiſſe firmiter credimus, quia ipſe docuit; neque obeſt quod hominem rebellem ex eo expulſerit, quia innocenti conveniebat; ſic enim primæ decalogi tabulæ ob adoratum idolum fractæ ſunt, expeditque bonis præſentibus ſpoliari peccatores, ut peccatorum ſuorum pœniteant; eandem tamen allegoriam pergit propugnare libro *de plantatione Noe*; ei etiam Origenes de Principiis lib. IV. c. 2. adſtipulatur, & S. Ambroſius de Paradiſo ad Sabinum. Irenæus etiam adverſus hæreſes l. V. c. 17. & paſſim, aliique: ſed ſeculo præcedenti, quod eſt mirabilius, Franciſcus Georgius Venetus Minoritanus Tom. I. Problematum in *S. Scripturam* eandem ſententiam amplectitur, & multis argumentis, quæ videri poſſunt in S. Bibliothæca Sixti Senenſis part. II. lib. V. annotat. 34. adſtruere conatur; frivola enim ſunt illa argumenta, neque poſſunt labefactare autoritatem S. Scripturæ; quæ in creationis hiſtoria productionem Paradiſi exhibet, declaratque idem de utraque ferendum judicium & creationem ipſam in allegorias cum Paradiſo vertendam, aut utramque ſecundum proprium & literalem ſenſum fide amplectendam; imo non tantum mundus cum Paradiſo parabolicus eſſet, ſed homo ipſe, cujus hiſtoria eodem modo deſcribitur, metueremque ne effrænata licentia in ipſum Deum etiam impie aſſurgeret; non ſunt igitur pro arbitrio fingendæ allegoriæ, verbis divinis eſt adhærendum, & ad figuras duntaxat eſt confugiendum, cum ſenſus literalis normæ fidei manifeſte repugnat, & ipſis Dei verbis alibi exponitur, quod de Paradiſo dici non poteſt, ut deinceps evidenter patebit.

Altera ſententia Paradiſum realem agnoſcit, ſed confundit cum illo, in quem deduxit Chriſtus pœnitentem latronem, & S. Paulus poſtea raptus 2. Cor. XII. 4. & rece-

abfuit quin inæſtimabilibus Æneidos carminibus careremus; Virgilius enim quia ſummam manum ipſis non poterat apponere

Juſſerat hæc rapidis aboleri carmina flammis.

Bochartus noverat irritum fuiſſe hoc manatum, & maluit exſequi ſuum, ne ſimiliter amici illud prætermitterent, certus quod ſi Deus ipſi concederet otium, & vitam, facile hoc damnum reſarciret: in hanc autem ſententiam duobus præcipue propendeo argumentis; primum eſt quod poſt illius exceſſum ab hæredibus rogatus, cum ipſis diligentiſſime omnia ejus ſcripta perquiſivi, & perſcrutatus ſum ob illam imprimis Paradiſi deſcriptionem ſummopere expetitam; aderat nepos ex unica filia, qui peracto accurate ordinariorum ſtudiorum curſu non mediocrem ſperabat laudem ex ſuperſtitibus avi meritiſſimi lucubrationibus quas propediem edere in lucem meditabatur; etiam aderat vir doctus ejus ſtudiis privatim præpoſitus, qui omnia *Bocharti* ſcrinia habebat compertiſſima, & ſolebat majoris etiam momenti ſcripta illius deſcribere: attamen illam Paradiſi deſcriptionem non invenimus: illico patuerunt oculis noſtris omnes diſſertationes in ordine convenienti diſpoſitæ, conciones etiam; ſed ne minimum quidem illius deſcriptionis veſtigium inter ſcripta intimo Muſæi penetrali ordinatim conſtituta; in Muſæo autem ipſo ſat magnam chartarum inutilium, & partim lacerarum farraginem, in qua capita quædam incompleta de Paradiſo invenimus, ſedula autem diſquiſitione facta animadvertimus propoſitum illi fuiſſe in duas hunc tractatum diſtinguere partes; & in prima intolerabiles ſententias refutare, in altera vero ſuam ſolidis adſtruere argumentis: ſed inventa illa capita primam duntaxat partem ſpectabant; & ne unum quidem ad poſteriorem potioremque potuit revocari: præterea teſtimonia autorum quibus tota tractatus ſeries innitebatur, minime referebantur, eorum ſedes duntaxat deſignabantur autoribus nominatis, & libris capitibuſque citatis; ex his reliquiis negligenter projectis collegimus opus fuiſſe alias accuratius elaboratum; mos enim illius erat ſic ſtrictim delineare ea quæ meditabatur, ut poſtea ordinate & appoſite ille explicaret. Alterum argumentum quo mihi videtur conſtare, quandam Paradiſi terreſtris delineationem ab ipſo factam; eſt querela ipſius de quodam amico, qui Paradiſi terreſtris ſitum deſcripſerat, & ejus vitula araviſſe videbatur; qui hac ſuſpicione ſe liberare ſategit epiſtola, quæ in rei memoriam mihi data eſt; Apologiæ autem illi, neque etiam ſuſpicioni locus dari potuiſſet, niſi ſententia *Bocharti* de Paradiſo terreſtri fuiſſet mandata ſcripto, atque cum quibuſdam amicis aliquando communicata.

Verum enimvero quicquid de his argumentis judicetur, certo certius eſt nullam Paradiſi deſcriptionem reliquiſſe *Bochartum* præter eam quæ continetur in concionibus ejus in cap. II. Geneſis ante annos ſexaginta circiter habitis, & ipſum teſtem poſſumus etiam appellare; in Epiſtola enim ad D. *Jacobum Cappellum* Salmurienſem Profeſſorem 19. Aprilis an. 1665. ſcripta, quæ infra tota exhibebitur, quaque ſe excuſat quod petitam Paradiſi terreſtris deſcriptionem non mitteret, quia ejus verba ſunt; *& magno labore opus eſſet, ut exactam faceret, neque aliam tunc poſſet facere abſque dolore in lucem edidiſſe informem partum, embryonemve, aut molam &c.* evidenter declarat hac ingenua confeſſione nondum fuiſſe omnibus partibus abſolutum tractatum ſuum; alioquin facillimum fuiſſet unum aut alterum ex eo caput deſcribere, ut ſaltem genuinus ejus ſitus, quem duntaxat optabat *Cappellus*, ipſi pateret, quemadmodum ex concionibus de Serpente tentatore plurima folia ut eidem epiſtolæ ſatisfaceret, curavit deſcribenda. Sane ex chartis repertis & ſupra commemoratis ſententia ejus circa Paradiſi ſitum non potuit manifeſte colligi; attamen non exiguo ſtudio eas in debitum ordinem, ut plurimis *Bocharti* amicis morem gererem, partim redegi, lacunas etiam nonnullis ſupplementis feliciter explevi, omnes citatos autores diligenter conſului, & plerumque notis marginalibus adjutus verba ipſorum ſubjectæ materiæ inſervientia appoſui; denique priorem partem adverſas omnes ſententias refellentem perficiebam, & ad poſteriorem vere indicem expeditum ſternebam iter, cum impatiens quorundam curioſitas unius aut alterius menſis moram non ferens, & forſan exiſtimans ſufficere chartas *Bocharti*, illas voluerunt inſpicere, & cum meis conferre, ab eo autem tempore neutræ in meas redierunt manus, planeque ignoro quid de illis actum fuerit; quin ne minimum quidem veſtigium mea conſervavit memoria; neque id mirum cum viginti & tres anni præterierint ab illo tempore, & graviſſimæ calamitates miſeram mentem ab iis ad diverſiſſimas cogitationes avocaverint: id autem obſervandum judicavi, ne abſque diligenti examine deſcriptio Paradiſi terreſtris mox exhibenda *Bocharto* attribuatur, aut meæ conjecturæ ejus famæ noceant; ſed rationes quibus fultus eam ipſi tribuam, & ex ejus ſcriptis eruere ſatagam, ſedulo conſiderentur; homo enim ſum, & a me nihil humanum abeſſe puto: ſcio inſuper eſſe difficillimum tanti viri veſtigiis conſtanter inſiſtere.

recepti putantur Enoch & Elias, quique tertium cœlum a S. Paulo ibidem nuncupatur; imo Angelum esse Valentiniani delirabant apud S. Irenæum lib. I. c. I. advers. Hæres. Sed Patres, ut S. Irenæus, & ceteri omnes, qui melius edocti duntaxat crediderunt esse revera tertium cœlum ab Apostolo celebratum, non potuerunt terrenum existimare; quapropter Moses Bar-Cepha Syrus Episcopus tractatu de Paradiso parte I. c. 7. [qui exstat tom. I. Bibl. Patrum, quorum opera latine exstant] in oppositam quidem descendit sententiam, & probat corporeum & terrenum fuisse, quamvis mysticum & spiritualem sensum habuerit, ut duæ Abrahami uxores duo fœdera, Petra deserti & Serpens Æneus Christum significaverunt, licet corporaliter existerent; sed distinguit tertium illud cœlum a Paradiso, & vult Apostolum in utrumque raptum, verum duabus diversis vicibus; unde observat visiones promisisse, non unam visionem, atque duas etiam seorsim enarrasse duobus distinctis versibus 2. Cor. XII. licet eodem modo eas describat, atque etiam æque dubitet an in corpore an extra corpus contigerit ille raptus; sed eo redegit pios illos viros, & credulos jactata traditionum Apostolicarum autoritas. Sic enim S. Irenæus l. V. c. 7. de Enocho & Elia: *dicunt Presbyteri qui sunt Apostolorum discipuli, eos qui translati sunt, illuc translatos esse: justis enim hominibus & spiritum habentibus præparatus est Paradisus in quem & Paulus Apostolus asportatus audivit sermones inenarrabiles, quantum ad nos in præsenti; & ibi manere eos, qui translati sunt usque ad consummationem conspicantes incorruptelam &c.* Itaque excogitata traditio illa, & ambigua Paradisi vox modo significans Edenem modo designatam ab Edene Beatorum sedem, quia ut in Edenem translatus a Deo Adamus ab omni labe purus ejus deliciis gaudebat, quamdiu suam conservabat innocentiam; sic beati in integrum per gratiam restituti suavissimis gloriæ bonis constanter fruuntur, plerosque Patres in devia deduxit, & a vero Paradisi situ abduxit; illi enim ipsi qui a tertio cœlo illum prudenter cum Syro Episcopo distinxerunt, ob Eliam & Enochum, quos in eo hospitari crediderunt, eum judicarunt collocandum extra hunc terrarum orbem, ne sanctus ille Enoch a Diluvii aquis altissimos montes supergressis aliquam pateretur injuriam; sane Moses Bar-Cepha tractatus modo citati c. 8. propugnat, *terram, in qua Paradisus existebat, diversam quidem ab hac nostra, verum non natura, ipsaque sui materia, sed raritate; & densitate &c.* postea totam rerum universitatem in *cœlum superius illud Spiritibus Angelisque frequentatum; deinde quod illo inferius est firmamentumque a nobis vocari solet; demum eam terram, quæ est extra Paradisum*, nempe quam incolimus; additque fieri *ut cœlum illud beatorum spirituum domicilium præcellentius sit firmamento; firmamentum Paradiso; Paradisus ea terra, quam nos habitamus;* quamobrem constitutum Adamum in Paradiso, non in hac terra, quia nondum peccaverat, neque in supremo cœlo, quia nondum bona patrarat; & requisitam perfectionem obtinuerat; sed in loco intermedio: denique ut penitus hujus viri docti sententia, & plurimorum Orientis doctorum, quos testes citat, agnoscatur, dicit destinatum illum Paradisum, ut Adam cum suis, dum integri manerent, illum incolerent, *qui ubi contra conditoris sui imperium peccassent, eliminati inde pulsique sunt: ex illo porro tempore usque ad Christi adventum versati sunt in Paradiso Enoch atque Elias; at post Christi Regis adventum huic præterea inservit, ut in ipso habitent animæ hominum justorum, atque eorum, qui per corporis sui cruciatus Christi fidem comprobarunt, quique fideles Deum amarunt exuti corporibus usque ad resurrectionis diem &c.* Eadem sententia Autoris *quæstionum & responsionum ad Orthodoxos*, inter Opera Justini Martyris quæst. 76. & quæst. 85. Origenis Periarch. lib. II. cap. 12. & fere Tertulliani, qui in Apoleg. probans ipsas gentium fabulas a nostris veritatibus habere originem scribit: *Si Paradisum nominemus locum divinæ amœnitatis recipiendis Sanctorum spiritibus destinatum macteria quadam igneæ illius zonæ a notitia orbis communis segregatum Elysii campi fidem occupaverunt.* Hujus delicias fusius describit lib. I. de judicio Domini c. 9. merito autem ad Paradisum refert campos Elysios, quasi alluderet ad Eliam illius incolam creditum: eidem sententiæ adstipulatur Sibylla Erythræa in his versibus, quos ipsi tribuit Lactantius de origine erroris lib. II. c. 13.

Οἱ δὲ θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν ἀέναόν γε
Ζωὴν κληρονομοῦσι τὴν αἰῶνος χρόνον αὐτοὶ
Οἰκοῦντες παράδεισον ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον

Qui autem Deum honorant verum, sempiternam utique vitam hæreditario jure possident, per seculi tempus ipsi habitantes Paradisum seu peramœnum hortum. Ibidem

autem

autem Lactantius videtur etiam extendere ad beatitudinem summum judicium sequuturam : quod autem ad scopum nostrum propius accedit lib. II. Sibyl. Orac. describitur ex Paradiso illo

------- Ο' Θεσβίτης ἀπὸ ὀρανῦ ἅρμα τιτάινων
Οὐράνιον , γαίη δ' ἐπιβὰς

Thesbites Elias e cœlo currum cœlestem agens & in terram descendens . Sponte autem corruit illa opinio , cum Textus Sacer declaret ex hac terra nostra , in qua creatus est Adamus , Deum in Paradisum deduxisse illum , quasi per iter planum, non vero in altum sustulisse , atque sursum transportasse : Præterea ex hoc Paradiso Adamum & Evam Deus expulit , non præcipites dejecit , eosque collocavit non infra ipsum , sed מקדם , LXX. ἀπέναντι , Uulgata *ante* ; quoniam in antetiori illius parte collocatus est a Deo Cherubinus , ut regressu prohiberentur, quod probat e regione Paradisi fuisse illorum exilium & facilem insuper fuisse regressum, si liber aditus patuisset ; frustra enim custos apponeretur cœlo ad arcendos homines ne ipsi vim inferrent : Præterea in Paradisum ad Adamum omnia animalia , ut ipsis nomina imponeret , venerunt : an perrepere omnes aeris regiones potuerunt reptilia ? an ad cœlum volaverunt Elephantes ? Non debet responderi nihil Deo esse impossibile ; ultro enim agnoscam , sed cum ipse Serpens suis anfractibus eo etiam serpserit , puto quod suarum partium studio nemo ita abripietur , ut audeat asserere Deum sua Omnipotentia usum ad transferendum miraculose instrumentum illud exitii nostri , quo seduceret Evam innocentem . Evidenter patet Paradisum fuisse ejusdem conditionis cum terra nostra , & in ea situm , eo quod plurimæ terræ nostræ partes ipsi dicantur similes ; ut campestris regio Jordani adjacens Genes. XIII. 10. & ibid. Ægyptus ipsa , & Sionis desolationes ipsi olim assimilandæ promittuntur Jes. III. 3. Denique Tyrus Ezech. XXIII. 13. etsi enim exaggeratio quædam in his comparationibus possit intelligi , res tamen inter quas fiunt , non debent esse toto cœlo diversæ , ut essent , si Paradisus firmamento esset contiguus & affinis . Possem adducere ad superiorum argumentorum confirmationem flumina nota , quæ e terra nostra Paradisum irrigabant , adjacentesque regiones ; sed infra harum illorumque appositius fiet mentio.

Tertia sententia diversas, sed affines, ut præcedens, opiniones etiam comprehendit , & poterit assertorem habere S. Hieronymum , qui traditionibus seu quæstionibus Hebraicis in Genesim explicans מקדם scribit : *quod Aquila posuit* ἀπὸ ἀρχῆς , *& nos ab exordio possumus dicere ; Symmachus vero* ἐκ πρώτης , *& Theodotion* ἐν πρώτοις , *quod & ipsum , non orientem , sed principium significat ; & quo manifeste comprobatur , quod priusquam cœlum & terram Deus faceret , Paradisum ante condiderat sicut & legitur in Hebræo:* plantaverat autem Deus Paradisum &c. Quandoquidem judicat ante hunc nostrum orbem Paradisum a Deo fuisse conditum, hunc ab illo distinguere videtur , & distinctam utrique assignare sedem in hac inferiori Mundi regione , nam alias veras arbores , fluviosque ejusdem cum nostris conditionis ipsi attribuit ; neque hoc inauditum ; Moses Bar-Cepha enim tractatu citato testatur plures , & inter eos S. Ephrem (cujus tanta fuit in Oriente autoritas , ut teste S. Hieronymo paululum juniore de Script. Eccles. illius scripta post lectionem Divinarum Scripturarum in Ecclesiis legerentur) dixisse *Paradisum universam ambire terram atque ultra Oceanum ita positum esse , ut totum & terrarum orbem ab omni circumdet regione , non aliter atque Lunæ orbis lunam cingit* . Cap. XIII. Sed capite præcedenti observaverat alios , *qui elementa ambiri alterum ab altero , atque Oceani aquas universam omnino circumdare terram putant , ut nullum supersit solum ultra mare , Paradisum juxta mare quidem positum esse ajunt , verum ob montes difficillimos , & penitus invios , qui inter illum & nos existunt , neminem mortalium illuc accessisse* : atque concludit , *Paradisum extra eum terræ orbem , quem homines colimus , situm esse* . Postea ipsam mundi regionem disquirens , orientalem cæteris præfert , & quidem Æquinoctialem , quam Sol mense Nisan sive Martio designat, ita ut subjaceat Æquatori . S. Basilio , S. Gregorio , & innumeris aliis placuit hæc sententia : Unde fere omnia templa ad Orientalem plagam disponuntur , ut orantes convertantur in Paradisum , illiusque vel potius cœlestis ab eo designati , aditum sibi patere observent: huic sententiæ ingeniosus Ariostus in *Orlando furioso* accommodavit poema suum, cum Cantic. 34. deducit equo alato Astolsum in terrestrem Paradisum , & quidem merito ; nam poetica figmenta penitus sapit; quandoquidem insolubilibus argumentis demonstratur unicum ex aquis Oceani , & cunctis terræ partibus Globum confici , & consequenter ultra Oceanum terras nostras ambientem esse duntaxat aerem subtiliorem , & tandem subtilissimum illi succedere

 Æthe-

Æthera , neque ullum terræ cujuscunque generis suppetere locum : præterea si terra aliqua ambiret Oceanum , occurrisset Victoriæ navi illi celeberrimæ , quæ bis totum terrarum atque marium globum circumivit, & Classi generosæ Hollandorum, quæ sub auspiciis Georgii Spilbergen an. 1614. idem iter perfecit , duabusque navibus Jacobi le Maire illud anno sequenti repetentibus , ut nova freta novasque regiones indagarent ; superficiem enim totius Oceani ab occasu in Orientem sulcantes offendissent necessario Paradisum illius terminum: Et quamvis supponeremus illum paulo superiorem , alicubi saltem subire debuissent , & lumen solis aut astrorum illius opacitate interceptum non sivisset tantum prodigium absque diligenti observatione prætermittere : serio agamus , olim licuit in Geographia pro libitu multa supponere ; at nunc patent navarchis nostris remotiores maris extremitates non tantum ab ortu in occasum , sed a septentrione ad meridiem , & terra Australis olim penitus incognita sæpius a Belgis fuit peragrata ; Thule etiam *extrema* non amplius nuncupatur , Islandia , & Groenlandia remotiores continuis navigationibus frequentantur , atque extremum Septentrionem totum nobis tandem patefacit amplissimus Consul noster Dominus Witsenius usque ad *Oceanum* Orientalem , ita ut in accuratissima , quam inter gravissima Reipublicæ negotia incredibili studio mirabiliter perfecit , quamque hoc ipso temporis momento benevole mihi dedit , tabula omnes Oceani Septentrionalis sinus graphice delineatos , omnia etiam Novæ Zemblæ , Moscoviæ , & vastissimæ Tartariæ litora hactenus ignotissima distincte exposita , cum plurimis præcipuorum locorum nominibus avide perlustrem ; nullibi autem ullum Paradisi apparet vestigium ; cum itaque tanta sit Clarissimorum etiam Virorum sedulitas in detegendis illis regionibus , quæ sub nivibus & pruinis degunt, Paradisus ipsis innotuisset , si in iis locum haberet ; cum illæ navigationes austrum & septentrionem petendo e Batavia, vel Hispania sæpius , & in diversissimis etiam locis lineam Æquinoctialem pertransierint , Paradisus terrestris non effugisset Navarchorum perspicuitatem , si in mari situs fuisset , multo minus in Mediterraneis regionibus occultari sub Æquatore potuit , quandoquidem omnes nobis penitus innotescunt , sive sint in America , sive in nostro hemisphærio ; & quidem in America cunctis mortalibus est notissimum Æquatorem ibi disterminare a parte Orientali Guianam in latere septentrionali sitam a Brasilia Meridionale latus oppositum occupante , ab occidentali vero Peruvium Meridionale a Septentrionali Papayana ditione , & novo regno Granatæ : hæ autem omnes regiones ab Hispanis prædæ incolarum inhiantibus tritissimæ ne minimam quidem rimam a multis annis incompertam conservare potuerunt ; neque ipsis profuerunt æstus illius zonæ olim crediti intolerabiles , & pro Cherubini flammeo gladio a quibusdam habiti ; experientia enim potuit sat moderatam ob dies noctibus æquales ob frequentes ab utroque mari ventos, & montes altissimos gelu & nivibus rigentes aeris temperiem; præterea in tota illa regione nullus cernitur fluvius in quatuor alios divisus , sed contra plures in Septentrionem defluentes in fluvium Orenoques dictum , & plures contra versus meridiem in fluvium ab Amazonibus denominatum ; quamobrem sola superest Africa , quam mediam secat Æquator , quæ Paradisum contineat , si revera sub illo contineatur , ut quidam voluerunt , præsertim ob Nilum quem unum e quatuor Paradisi fluminibus existimaverunt ; hæc sententia , ut immediate præcedens , refutatur , quoniam mediterranea Africæ regio sub Æquatore sita a multis Europæis fuit peragrata, totaque fere possidetur ab Imperatore Æthiopum, qui inter utrumque Tropicum septuaginta duo Regna habet , ut in fine Evangelii secundum S. Joannem Testamenti Æthiopici Romæ editi declaratur ; vel ut ipse Imperator in suis ad Emanuelem Lusitaniæ Regem an. 1521. & ad Clementem VII. an. 1524. literis testatur octodecim cum imperio magnæ & superioris Æthiopiæ : quod cetera alia Regna amplitudine sua facile comprehendit . Ludolphus autem illustris Linguæ Æthiopiæ propagator , cujus singulari benevolentia glorior , viginti & amplius Regna esse dicit sub መንግሥት *mengheſt quod Æthiopiæ Regnum* proprie significat ; unde Rex ipse *Megus* a ነገሠ *nagas regnare* etiam nuncupatur . De Æthiop. lib. 1. c. 3. Sane ingens illud imperium a Nubia Ægyptio contermina ad Regnum Manicongo ad litus occidentale Africæ situm extenditur , & consequenter his Imperatoribus Christianis sponte patuisset Paradisus , si intra ditiones eorum existeret ; præterea in toto illo tractu unus est fluvius, qui ex duabus oritur scaturiginibus, quas decem fontes constituunt , & tandem duplicem Nilum constituunt ; Nilum nempe Ægyptium recta tendentem in Septentrionem atque Nigrum in occidentem : Nilus enim & Niger eadem fere nomina ; siquidem nigredinem designant . Nilus enim

He-

Hebræis dicitur שיחר *Schichor* id est niger, ut Græcis μέλας, & Latinis *Melo* quia - - - *Ægyptum nigra fœcundat arena*; Virg. Georg. lib. IV. ubi vide Servium. Hac ratione unus fluvius in quatuor divisus hic non quærendus, ut clarius constabit ex Geograph. Nubiensis quarta part. Clim. I. Novi equidem duplicis hujus sententiæ assertores ultro agnoscere, undique cingi Paradisum aut innabili ultra Oceanum unda, aut montibus sub Æquatore inaccessis; sed montes illi & undæ saltem occurrerent, & viatores sisterent; attamen neque Adamo ingredienti aut egredienti, omnibusque terræ animalibus obstiterunt; denique ut uno verbo refutem cetera commenta eorum, qui quocumque modo Paradisum a nostro orbe distinctum sejunctumque constituerunt, docueruntque homines primos ex eo in hunc orbem venisse, quia Gigantea forma prædíti tranarunt interposita Maria, aut arca Diluvii tempore demum transvecti sunt; observo terram in qua peccavit Adam ob ejus peccatum a Deo fuisse maledictam, & spinas tribulosque sponte produxisse, atque necessarias ad vitam nostram fruges demum coactam suppeditasse · quod in hac nostra terra quotidie experimur, vult enim continuis sudoribus nostris, atque assiduis laboribus, imo adacto etiam in sua viscera ferro, infensa illa mater adigi ad ingratos in communem parentem liberos sustentandos; illa ipsa igitur est, quæ peccato contaminata, atque justa Dei indignatione in nos armata læsam illius majestatem merito ulciscitur.

Quartam sententiam præcedenti penitus oppositam propugnandam suscepit Joach. Vadianus Sangalensis in sua *trium terræ partium Epitome*; sentit enim totum terrarum orbem ante Peccatum fuisse Paradisum, & in Edene, id est in omnigena deliciarum copia revera situm, quoniam Gen. I. 28. jubet Deus hominem implere totam terram, eamque usui suo addicere, & dominari in omnia animalia, quæ in tota terra erant, unde in subjectionis testimonium ipsum adierunt, ut nomina ab ipso acciperent; quamobrem non eum in loco singulari conclusit, sed dicitur Deus introduxisse Adamum in hortum deliciosum, quia deliciis eum undique sepsit, & circumdedit; reum vero exclusisse ex Edene, sive Paradiso amœnissimo, atque damnasse ad exulandum in hoc Orbe ærumnoso, cujus innumeræ deliciæ, Deo maledicente, in totidem calamitatum genera sunt permutatæ, ut infidelitatis atrocitatem agnosceret Adamus, atque ad pœnitentiam fortius excitaretur: quatuor inprimis flumina ex Edene prodeuntia hanc sententiam stabilire videntur; Patres enim & Judæi unanimi fere consensu agnoscunt Indicum Gangem unum eorum fuisse, alterum Tigrim Persicum, tertium Euphratem Assyrium, quartum Nilum Ægyptiacum, qui Meridiem, Orientem, & Septentrionem nostri orbis alluunt, & majores illius partes pervagari cernuntur; Sic Josephus Antiq. lib. I. c. 2. recentes Rabbini ipsi assentiuntur; Nam R. Salomo Jarchi in cap. II. Genes. designat Nilum, Euprhatem, & Tigrim; Aben Esra pro Nilo torrentem Ægypti dicit: Patrum testimonia sunt concordiora, nam S. Epiphanius in Ancorato §. 58. Gangem, Tigrim, Euphratem, & Nilum expresse nominat, & describit. S. Ambrosius etiam lib. de *Paradiso* c. 3. & S. Augustinus *ad Genes. ad lit.* lib. 8. c. 7. & plures alii. Hæc sententia paulo est verisimilior, propiusque ad veritatem accedit; quoniam constat totum orbem in hominis gratiam revera conditum, ipsique fuisse ubique suppeditaturum suavissimas delicias, cum numerosa prole autem peccato permutatam in tristem sterilitatem. Nihilominus opus fuit primis parentibus sede quadam singulari, in qua initio consisterent, conveniebatque ut ceteris orbis, in quo creati fuerant, regionibus præstaret, & potioribus etiam deliciis abundaret, quo ex altera illa orbis parte in insigniorem illam introducti agnoscerent beatiorem adhuc conditionem post præstitum fidele obsequium esse exspectandam quia immensa Dei liberalitas, quæ in deliciis Edenis erat sponte conspicua, non sinebat dubitare, quin fidelitas mandato probata suam haberet remunerationem ut infidelitas pœnam; quoniam divina benignitas invito punit, & ad benefaciendum est propensissima. Præterea hanc sedem S. Scriptura a cetero orbe accuratius distinxit, quam ut confundi possit, aut penitus ignorari; fateor prædicta quatuor flumina non posse in unum, e quo suam habeant originem, reduci, & propterea infaustos fuisse Veterum conatus, quorum alii in suprema aeris regione collocarunt Paradisum, ut ex alto demittens aquam diversas dissitis fluminibus efficeret scaturigines; alii ultra Oceanum, ut per occultos ejus meatus & eo erumperet in meridionali Africa Nilus, & in oppositis Septentrionis plagis Euphrates, Tigris, & Ganges, quæ somnia sunt ab omni rationis specie alienissima; quamobrem alia ratione flumina Paradisi erunt inter se componenda.

Quinta sententia prima fronte omnes amovere difficultates & S. Scripturæ, ratio-

tionique omnino satis facere videtur, & merito, quandoquidem assertores habuit Franciscum Junium, & Hugonem Grotium varia eruditione celeberrimos: Junius antiquior prælect. in Genes. II. observat *Edenem* duplicem commemorari, unam in Thelessar 2. Reg. XIX. 12. cujus incolas Rex Assyriæ subegerat, & Jesaiæ XXXVII. 12. alteram juxta Damascum, de qua Amos I. 5. ad illam autem pertinuisse Paradisum existimat, & propterea in Auranitide ad Euphratem situm; quia Auranitis, quasi Audanitis sive Edenitis ipsi videtur dicta; sane Donatus in Hecyram Terentii Act. III. Scen. 4. asserit, *quod* v *pro* d *potest poni, ut caro dicta sit quasi cado*: Varro etiam de L. L. observat quod *Meridies ab eo quod medius dies*, & quod *d Antiqui non r in hoc loco dicebant* &c. Innumera exempla ex compositionibus verborum similiter produci possent, ut arrideo, arrepo &c. pro adrideo, adrepo. Ostendit præterea non in Edene duntaxat constitui Paradisum; sed Orientalem partem Edenis illius a Mose ipsi insuper assignari, cum scribit, *& plantavit Deus Paradisum in Edene* מקדם *versum Orientem*; quod verum etiam erat respectu Mosis in Arabiæ desertis libros suos scribentis: ad fluvios Paradisi quod spectat optime monet unum initio esse, qui postea in quatuor dividitur, & ex Edene procedit, oriri vero negat; quia alium habere ortum omnes norunt: vult enim fluvium illum esse Euphratem ex Armenia descendentem, primum vero fluentum ab eo divisum dici a Mose Phisonem, & a Scriptoribus exoticis Pasitigrin, *servata* (inquit in h. l. Grotius ὁμόψηφος) *nominis antiquitate*; putant igitur ambo, quod ex Phisone in Tigrim circa Apameam confluente, & Tigri formetur Pasitigris, seu potius Pisotigris.

Secundum fluentum, inquit Junius, Gichon sic dictum, quod irrigandis agris inserviat (unde Grotius etiam ἐκβολὴν id est *divertigium fluminis* interpretatur) quamobrem etiam Chaldæus ab usu illo Naharsares; id est, *fluvius diductus*, qui Ptolemæo corrupte Baarsares, Ammiano Marsias, Straboni, & Plinio Maarsares; est autem alveus citimus Euphratis respectu nostri: Grotius ab ipso nunc recedit, & medium Euphratis canalem intelligendum existimat, qui נהר מלכא *Naar malca* A. Marcellino dicitur, Plinio autem corrupte Armalca; & optime a Strabone βασίλειος ποταμὸς *regius fluvius* interpretatur, aut [si id minus placet, inquit, quod a Regum aliquo factus is credatur alveus, & inde nomen habeat, Chaboras, quem cum Euphrate conjungi Ptolemæus testatur.

Tertius fluvius Chiddekel dictus secundum Junium, est Tigris *Mesopotamiam ab Assyriæ, & Susianes principium a superiori Chaldææ parte disterminans; sed nomen illius hoc loco æquivoce de superiore* βασιλέως *alveo in Tigrim confluente dicitur, quia videtur potius Tigris in alveum Euphratis incurrere, quam Euphrates in Tigrim, ac proinde alveus ille Tigridis nomen obtinet, & ita a Plinio, autoribusque aliis appellatur inter Seleuciam & Ctesiphontem interfluens.*

Restat (ejusdem etiam verba sunt) *quartum fluentum, vel quartus* alveus nomine tantum discretus, quia nihil ad circumscriptionem terminorum pertinet; sed mediam regionem secat, & nomen Euphratis obtinet κατ' ἐξοχὴν, ut ex his Ammiani verbis lib. XXIII. constat: *perfluunt has easdem terras potiores ante alios omnes hi quos prædiximus, & Marsias & flumen regium & Euphrates cunctis excellens, qui tripartitus navigabilis per omnes rivos insulasque circumfluens & arva cultorum industria diligentius rigans vomeri & arbustis gignendis habilia facit &c. Grotius hos duos fluvios contentus nominasse, nihil observat quo ab aliis possint discriminari.*

Secundum hanc descriptionem Paradisus fuit in Mesopotamia, cum in ea Euphrates in plura fluenta subdividi incipiat, & Tigris ei etiam conjungatur; hæc autem sententia videtur confirmari constanti primorum hominum studio hanc regionem incolendi, quasi a prima beatitudinis sede minus recedere, & exilium suum propius reddere satagerent: nihilominus suas habet difficultates easque gravissimas: Quin eo ipso quod a prima rerum memoria putetur ab hominibus exculta Mesopotamia minus convenit Paradiso, a cujus ingressu prohibiti sunt homines, & coacti ab ejus Orientali situ secedere: Præterea nullus oritur in media Mesopotamia fluvius, cum tota ambientibus fluviis sit circumdata; sed quod inprimis observandum, non est unus in Mesopotamia fluvius a quo ceteri procedant, sed ipse hujus sententiæ assertor præcipuus fluenta duo Tigrim constituere affirmavit; quorum unum absolute Tigris dictum est, alterum vero Pasitigris ob suam cum Phisone confusionem: & Euphratem similiter duo; nempe Euphratem proprie dictum, qui mediam Babyloniam secat, & citimum respectu nostri alveum Euphratis, qui Gichon a Mose, & a Chaldæis Naarsares nuncupatur; aut Chaboram: jam vero hæ

parti-

partitiones duorum fluviorum cum Mose unum quadrifariam divisum duntaxat agnoscente non possunt conciliari ; expressa enim sunt hæc ejus verba Genes. II. 10. ונהר יצא מעדן להשקות את הגן ומשם יפרד והיה לארבעה ראשים *Et fluvius oriebatur ex Edene ad irrigandum Paradisum, & inde dividebatur, & erat in quatuor capita* ; ea autem capita quatuor, sive novæ scaturigines quatuor fluviorum postea nominantium describuntur.

De variis Euphratis alveis non est magnopere disputandum ; alii quatuor alii quinque esse dicunt, ut videre est Phaleg. lib. I. c. 8. quod præcipue nostrum propositum spectat, & ad subvertenda præsentis sententiæ fundamenta expedit observare, est quod fluvius regius, sive ut Chaldæis nuncupatur נהר מלכא *Naarmalcha*, quem secundum fluvium facit Junius, non est nativus sed artefactus multis post creationem seculis ; hinc βασιλικὴν διώρυχα *Regiam fossan* Polybius lib. IV. illum vocat, & A. Marcellinus lib. XXIV. *fossile flumen*, & *Naarmalcha*, quod, inquit, *amnis Regum interpretatur* ; atque tunc cum ad illum fluvium Julianus Cæsar pervenit, *siccum* fuisse testatur, declaratque a Severo & Trajano Imperatoribus excavatum antea fuisse, quod limo fuisset procul dubio oppletus : quod innotuit Grotio, quam ob rem a sententia Junii discessit, & alveo inconstanti, & secundum temporum necessitatem excavato Chaboram prætulit ; sed metuo ne in scopulum, quem vitare cupit, incurrat ; fluvius enim ille regius artefactus, qui Babylonem alluebat, videtur Chaboras ab Ezechiele dici c. I. 3. & passim postea ; Hebraice quidem scribitur כבר *Chebar* & a LXX. Interpr. χοβάρ. Sed non transferuntur nomina ab una lingua in aliam absque aliqua mutatione ; præterea ibidem Propheta scribit, quod in medio captivorum & in terra Chaldæorum degebat ; quamobrem S. Hieronymus in hunc locum Babylonis flumen proprio nomine docet designari, aut Tigrim, Euphratemque saltem significari, quia hæc vox *gravem* significat, ambo autem inter omnes fluvios gravissimi, atque maximi sunt : denique ipsa nominis ratio constat ex his verbis Plinii lib. VI. cap. 26. *Tradunt Euphratem Cobaris præfecti opere deductum ubi eum diximus findi, ne præcipiti cursu Babyloniam infestaret*. Addit ab universis Assyriis appellatum *Armalcar, quod significat Regiam*, voluit dicer נהר מלכא *Nahar malca* ; *ex quibus verbis*, inquit Scaliger de Emendat. temp. lib. V. incessere possit suspicio ποταμὸν βασιλικὸν & χαβόῤῥαν *eundem esse* ; suspicionem illam in sententiam mutat Casaubonus in lib. XIV. Strabonis & scribit, quod eum non pudet eorum *esse sententiæ, qui Chobarem Ezechielis eundem esse opinantur cum Regio fluvio*. Sic diverso nomine eundem fluvium a Rege, cujus imperio fiebat, dictum *Regium*, & a præfecto Cobare, Chabaram suspicamur exhibere Grotium, quia non existimamus verisimile, quod intellexerit Chaboram ex monte Masio confluentem in Euphratem ducentis circiter leucis, antequam ineat societatem cum Tigri ; & consequenter remotior sit a ceteris fluviis in Paradisi descriptione enumeratis, pluresque propiores sint, ut Socoras major in Euphratem similiter influens, atque Lycus, Caprus, & Gordus, qui passibus fere æquis adeunt Tigrim : Sic hic Chaboras non potest inter Paradisi flumina admitti, quin plurima illud consequantur, & eorum numerum extra modum multiplicent.

Naar sares sive נהר שרש id est *fluvius utilitatem afferens*, hoc ipso nomine declaratur factus ad irrigandos agros, qui aquarum ejus opera fertilissimi fiebant, & mirabilem frugum copiam agricolis suppeditabant. Sic etiam potuit dici quasi נהר כריס *fluvius avulsus*, aut *castratus* ; quia avulsus a genuino Euphratis alveo, qui robur, uberiores aquas, & perennem earum fœcunditatem conservabat, deferebatur post eum languidus, & sicut spado eviratus ; transibat autem per Babyloniam, ejusque gratia factus videtur.

Itaque jure ac merito A. Marcellinus autor gravis, & qui Euphratem accurate lustraverat lib. XXIV. scribit : major pars Euphratis in rivos diffinditur multifidos ; rivi duntaxat sunt non fluvii, sæpe irrigandis agris, in quos deducebantur, non sufficiebant, & omnino exarescebant : quamobrem, non sibi constant autores, qui illos describunt, & modo plures, modo pauciores enumerant, quia nonnunquam unus in plures dividebatur, & alias plures in unum coalescebant, secundum Principum placita ; imo omnes post Babyloniam provinciam irrigatam iterum coeunt, & recuperato pristino Euphratis nomine juxta Apamiam unico alveo Tigrim ingrediuntur, quapropter inepti sunt ad quaternarium fluviorum Paradisi numerum cum Tigri constituendum.

Sexta demum sententia omnibus hujus est ceterarum incommodis difficultatibusque medebitur, & verum Paradisi situm secundum Mosis descriptionem manifeste demonstrabit ; fundamenta illis jecit &c. I. Calvinus in suo super Genes. II. 15. commentario ;

rio; Bochartus autem ordinate atque firmiter illam perfeciſſet, ſi per graves ejus occupationes licuiſſet; nos vero utriuſque prememus veſtigia, cum aliquo modo apparebunt. Bochartus igitur in illa epiſtola 19. Aprilis 1665. ad Cappellum ſcripta, quam ſupra laudavimus, ſcribit: *in ſumma illum in eodem loco, quo Calvinus colloco.*

Inde evidenter colligo collocandum judicaviſſe in utroque Tigris latere inter Cteſiphontem & Apameam, quia in illo loco illum collocavit Calvinus & quidem merito: quoniam ibi meditullium regionis dictæ ערן *Eden*, cui nomini ἡδονὴ quaſi ab ipſo formaretur apprime reſpondet: LXX. Interp. per τρυφὴν exponunt, quæ delicias exquiſitiſſimas comprehendit: unde corrigendus obiter textus Theophili Patriarchæ Antiocheni ad Autolicum lib. II. ubi legitur, quod Ἐδὲμ interpretatur τροφὴ, & interpres reddit *verſionem*, cum legi debeat τρυφὴ & *deliciæ* ſint vertendæ. Symmachus vero per ἄλσην, quam vocem minus notam Svidas τεμένη interpretatur, & vult deſignare regionem inſigni cultu, & variis naturæ & artis ornamentis conſpicuam, quale Homerus ſuis Heroibus ſolet aſſignare; ἄλση tamen ut ἄλσος *lucum amœnis arboribus conſitum præcipue ſignificat*; & quia tales luci Numini ſolebant conſecrari, & Nymphæ ſimiles incolere exiſtimabantur, beatæque etiam piorum animæ in campis Elyſiis, idcirco uſurpatur ad deſignandum viridarium omnigenis deliciis divinitus repletum: regio autem Eden licet vaſta & per Orientis tractum late extenſa, attamen tota amœniſſima erat, atque vix ſufficiebat quævis illius pars ad capiendas delicias, quæ ex fœcundo ejus ſinu profuſe erumpebant: obſervavit ſupra Junius duplicis Edenis in S. Scriptura memoriam conſervari, unamque juxta Damaſcum ſitam fuiſſe, alteram vero in Auranitide, quam genuinam exiſtimat; nos utraſque genuinæ partes admittimus, eiſque etiam addimus inſulam, quam Tigri fluvio ambiri, & circiter decem milliaria Anglica continere, Edenemque dici teſtatur Jo. Cartvvigtus Anglus in itinerario; quin ibidem vult in regione Edenis urbem Ninivem a Nemrodo conditam extitiſſe: ſita autem erat in Aſſyria ad orientale Tigris latus, cum occidentale occupat אלמוזל היא אשור הגדולה *Moſal quæ eſt Aſſur magna*, ובינה ובין נינוה הגשר לבד, *& inter eam Ninivemque eſt tantum pons*, inquit Beniamin Judæus in itinerario: Ninive quidem nuncupatur a Nino, quaſi נינוה *Ninnave*, id eſt *Nini ſedes* aut habitatio; ſed idipſum confirmat eam a Nimrodo Babylonis conditore, qui in ea ſub nomine Beli cultus eſt, Niniven etiam in Nini filii gratiam conditam, & ad exemplum Caini urbem a ſe conditam de nomine Enochi filii dicentis Gen. IV. 17. a filio, etiam denominatam, ut alias ſępius factum: ſic ſtudioſe ſatagebant fixas habere ſedes in regione, quam ſciebant ſuaviſſimas initio præbuiſſe delicias, utque deſiderio ſuo facilius ſatisfacerent, patuerunt Edenis fines latius prorogare, quo regiones, quas occupabant, in partem illius decoris venirent: ſane inſulæ Edenis incolas pro Pbradiſi etiam parte illam habuiſſe ſupra laudatus autor teſtatur: Gabriel Sionita autem, & Jo. Heſronita Maronitæ in *tractatu de nonnullis Orientalium urbibus &c. Nubienſi Geographiæ addito* c. III. poſt deſcriptam Damaſceni ſoli fœcunditatem mirabilem, & ſuaviſſimam aeris clementiam, addunt tantas eſſe, *ut merito Scriptoribus Paradiſus terreſtris nuncupetur &c.* Sed non multum refert, an ampliſſimi, an vero anguſti fines Edeni aſſignentur, & nobis ſufficit plura veſtigia, & quaſdam illius reliquias circumcirca inveniſſe, quia in illam regionem, quam includere debent, gradatim nos deducunt, & ſimul Paradiſum in ea conſitum indicant; manifeſta enim ſunt illa Moſis verba Gen. II. 8. בערן מקרם *in Edene a latere illius Orientali*, vel *ad latus illius Orientale*; מ enim quæ *ex* & *ab* paſſim ſignificat, nonnunquam etiam pro *ad* uſurpatur; ut 2. Sam. VI. 2. מבעלי *ad Baalam Jehudæ*, ut I. Chron. XIV. 10. מבעלה ad Baalam, ubi ה finale terminus motus deſignat, & revera petebat David illam urbem, quæ alias Kiriath-Jearim nuncupatur Jnſ. XV. 9. ut ex ea deduceret Arcam; quare LXX. Græci Interpr. Geneſ. XIII. 3. מנגב εἰς τὴν ἔρημον *ad deſertum* interpretantur. Syrus etiam habet ܠܡܬܝܡܢܐ *verſus meridiem*, & ſic poſſet exponi Gen. II. 2. מקרם *verſus orientem*: Itaque intra Edenem, & juxta orientalem ejus partem collocatum a Deo Paradiſum patet: eodem nos etiam deducit celebrata illius Paradiſi amœnitas, & fœcunditas incomparabilis; ut enim Damaſcum & Aſſyriam vidimus raræ ubertatis, & deliciarum jure quamdam cum Edene & Paradiſo affinitatem ſibi vendicantes, ſic nobis licebit novum exuberantis illius fœcunditatis curſum ſequi, atque ex ejus incrementis colligere proximitatem Paradiſi. & centrum omnigenarum deliciarum, in quod totius Orbis bona tendebant: revera deſcendendo ex Aſſyria, & Syria Damaſcena procedendo orientem verſus occurrit Meſopotamia terrarum omnium feraciſsima, quæque eo etiam feracior, & præſtantior

eſt,

eſt, quo propius Orientem tangit, & magis ad Babyloniam vicinam accedere animadvertitur; Nam Strabo lib. XVI. teſtatur, quod agri in Babylonis vicinia pro uno grano trecenta reddant, & ſolæ palmæ ſufficiant ad vitam commode ſuſtentandam; cum ex iis panis, mel, vinum, acetum, & varia textilia fiant; imo ſit carmen Perſicum, quo trecentæ & ſexaginta utilitates hujus palmæ celebrantur: Herodotus lib. I. §. 193. hunc multiplicem palmarum uſum etiam refert, & Cereris fœcunditatem quæ nuſquam non ducena det, aliquandoque tricena tanto inſuper vigore, ut folia tritici & hordei ſint lata quaternorum majorum digitorum, milium vero, & ſeſamum arborum proceritatem æquent, denique incredibilem fœcunditatem ſibi compertiſſimam referre non audet, ne videatur fabuloſa, & contentus eſt dixiſſe hanc regionem earum omnium, quas unquam vidit, eſſe longe præſtantiſsimam, quod teſtatur illam ab ipſo luſtratam, & propriis locis viſa prodigia ſincere eum referre. Plinius lib. XVIII. cap. 17. addit. *Babylone bis ſecant* (nempe luxuriantes ſegetes) *tertio depaſcunt; alioqui folia tantum fierent; ſic quoque cum quinquageſimo fœnore meſſes reddit exilitas ſoli, verum diligentioribus centeſimo quinquageſimo &c.* Curtius lib. V. etiam refert, quod *jacentia inter Tigrim & Euphratem tam uberi & pingui ſolo ſunt, ut a paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat &c.*

Sic ſoli ubertas, & clementia cœli feliciter nos deducunt in Orientem, & ad amœnos campos, qui fœcundis Tigris Euphratiſque aquis irrigantur; hæc autem flumina in Paradiſi confiniis a Moſe collocantur: nondum tamen conſtat de propria Paradiſi ſede; quoniam pagus תמנין *thſemaninus* ab octo perſonis, quibus conſtabat Noachi familia juxta Tigrim & ultra Euphratem jacebat, & in Oriente etiam; quandoquidem Noachidæ leguntur Gen. XI. 2. veniſſe in planitiem Senear מקדם *ex Oriente*; ad quæ verba R. Aben-Eſra ſcribit לאות כי הרי אררט במזרח *in ſignum quod Ararat* (ſive mons Gordiçus, ut Arabs) *erat in Oriente*; ſcilicet reſpectu Moſis in deſertis Arabiæ ſcribentis, & moris recepti, qui Orientis Occidentiſque limitem Tigrim conſtituebat; nihilominus priſtinæ patriæ deſiderio hanc ſedem alias commodiſsimam deſeruerant, ut Babyloniam verſus deſcenderent: ratio evidens eſt non Tigris non Euphrates disjuncti Paradiſum proxime teſtantur, ſed conjuncti, & in unum eundemque alveum confluentes, certa ſunt illius indicia; propterea illorum concurſus nobis eſt attente conſiderandus.

Ne autem fruſtra huic conſiderationi incumbamus, expedit antea inquirere an conſtet hæc duo flumina a Moſe revera denotata? & idcirco ejus verba accurate ſunt perpendenda; ſcribit autem; ונהר יצא מעדן להשקות את הגן *& fluvius egrediebatur ex Edene ad irrigandum hortum.* Fluvius, inquit, non plures, iſque uno alveo contentus horti irrigationi duntaxat inſerviebat, & abunde etiam ſufficiebat, quia hortus & compendium ſparſarum per vaſtam Edenem deliciarum erat, ſive anguſtum ſacrarium hujus templi magnifici, cui tota vaſti terrarum Orbis amplitudo atrii vices exhibebat; ſed in magnitudine Edenis indefinita occurrunt fluvii, qui extra Edenem ſuas habent ſcaturigines; quamobrem quid *egreſſus* illius fluvii ſignificet ſcire debemus, & inde pendet præcipuum difficillimæ quæſtionis pondus. יצא *egrediebatur* multiplices poteſt admittere expoſitiones; prima quæ ſponte ſubit mentem, primum in Edene ortum ſtatuit, & revera מעדן *ex Edene* & בעדן *in Edene* non differunt, ut innumeris exemplis probare eſſet promtiſſimum; ſic Exod. XXXIII. 6. in *monte Horeb* מהר חורב, & Pſ. LXXII. 16. *florebant* מעיר *in civitate*, unde in h. l. Aben-Eſra מעיר כמו בעיר *ex civitate ſicut in civitate*: verum fruſtra in Edene quæremus hunc fluvium hoc modo erumpentem, aut ſcaturientem; מוצא המים *ſcaturigo aquarum* hujus fluvii, ſive Euphratem ſive Tigrim Edenem alluentes ſpectet, in remotiori Armenia conſpicitur; attamen quid cogit de prima rerum origine ſecundum præſentem ſtatum judicare? Sol nunc genuina eſt origo lucis, quæ ab ipſo ad nos conſtanter manat; at initio lux ſolem anteceſſit, & totum illuſtrabat orbem, licet nondum exſtaret ſol; ſic nunc hauſtus diurno calore humor in nubis frigido ſinu fit ros primo mane deſcendens, & plantas irrorans; tunc contra *adſcendebat* אד *ros e terra, & irrigabat univerſam terræ faciem;* Gen. II. 6. ſic potuit in primo rerum exordio, quo omnes creaturæ in ſtatu perfecto productæ ſunt, & ſcaturigines non præceſſerunt fluvios ſuos, primo erupiſſe de Edene præ cæteris regionibus menti divinæ obverſanti fluvius, qui quoquoverſus totum ſuum illico replevit alveum, & deinde ſuam a deſtinata ſcaturigine habuit propagationem: nihilominus poſſumus communi rerum ordini verba Moſis commodiſsime accommodare; licet enim S. Scriptura dicat *egredi* filios ex ſinu materno aut parentibus ſuis, cum primum naſcuntur, ut Gen. XV. 4. licet eodem utatur verbo ad ſarculos & ramos ex ſtirpibus ortos ſignificandos ut Jeſ. XI. 1. & fructus ex vite immediate prodeuntes;

tes; ut Jud. XIII. 14. passim etiam usurpatur de sole, ceterisque syderibus continuo cursu Orbem circumeuntibus, & nullum cursus initium revera habentibus; quemadmodum autem duntaxat dicuntur oriri respectu modo hujus generis modo illius, quia tunc ad earum conspectum perveniunt; sic fluvius in Edeneo ortus cum primum in ea defluens visus est, licet plures regiones antea permeavisset; sol qui Gen. XIX. 23. respectu Lothi, Tsoarem ingredientis oriri legitur, priusPersis, Indis, & ceteris Orientis gentibus ortus suam impertierat lucem. Fluvius etiam Tigris alia singulari ratione in diversis locis oriri dici posset, quia ipsi familiare est immergi, atque ex occultis suis meatibus sæpius prodire in lucem teste Plinio lib. VI. cap. 27. & Strabone lib. VI. idcirco ex circumstantiis in reliqua descriptione adhibitis, an ipse, aliusve fluvius sit intelligendus, disquirendum, sic autem pergit Moses.

ומשם יפרד והיה לארבעה ראשים *& inde dividebatur; & fuit in quatuor capita* Cardo Gen. II. 10. totus rei cardo in his vertitur verbis, quæ significant, quod fluvius ille ortus in Edene, quia in Paradiso Edenis meditullio unus revera incipiebat fluere, post irrigatum modica exundatione Paradisum, dividebatur, conjunctalque ad illius fœcunditatem incomparabilem aquas inter diversas Mundi regiones partiebatur, ut hoc ipso hunc hortum deliciarum esse cumulum declararet: divisio autem illa quadrifariam facta est, & fluvius ille unus in Paradiso, visus est extra ipsum quatuor diversos alveos implere, atque constituere quatuor flumina distinctis nominibus celebrata; id autem raro occurrit; idcirco tanto cum applausu exceptus Euphrates cum alveis suis post aliquot annorum millia Regum mandato excavatis, qui ad Paradisum non magis pertinent, quam fossæ numero anni dierum pares Cyri industria factæ ad capiendam, ut refert Seneca de *ira* lib. III. cap. 21. de fluvio vindictam, quem Jacobus Cappellus Euphratem dicit, & vult illas ad capiendam Babylonem fossas 360. factas fuisse, *in historia sacra & exotica* ad an. Mundi 3460. [quo autore nescio.] Herodotus enim lib. I. §. 189. hunc fluvium *Gyndem*, Seneca etiam & Plinius vocans, ille e *Mantienis* montibus per *Dardaneos* in Tigrim ferri etiam scribit; hos quidem Mantienos, Dardaneosve montes designare difficile: attamen Mantianos populos juxta Armenios collocat Mela lib. I. cap. 2. Mantianam etiam paludem in Armenia commemorat Strabo lib. XI. a quibus potuit denominari pars montis Niphatis, quæ fluviis in Tigrim se exonerantibus perennes aquas suppeditat; sane ibidem etiam urbem *Darnam* apud Ptolemæum lib. VI. cap. I. legimus; si autem his indiciis stemus Gydne fluvio, quem Cyrus ob absortum equum multare voluit, intelligemus Gorgum Ptolemæi, qui ab illis montibus ducit originem, & juxta illam urbem fluere perhibetur, quemque vado transire maluit e Perside veniens Cyrus quam recta petere Babylonem, atque Tigris hujus fluminis, & Euphratis aquis aucti periculosum in hostium conspectu transitum aggredi; neque immerito; longe enim expeditius iter fuit per Gyndem, Tigrim, & Euphratem divisos, quam in unicum alveum certatim concurrentes.

Itaque his factitiis fluminibus amandatis, genuinos primigeniosque in debitum ipsis locum reducere, & veram eorum originem manifesto exponere nunc convenit; quod ut accuratius fiat, observandum est Mosem in sacræ suæ historiæ contextu sequi ordinem simplicissimum, & ad lectorem cujuscunque conditionis servire magis accommodatum; universalem creationem orditur a cœlis, qui ceteras creaturas ambiunt, & gradatim descendit ad terram hominis sedem; mundique centrum; ut autem declararet hominis illius gratia mundum fuisse conditum, terramque innumeris, repletam bonis, sed potiora post probatum ipsius obsequium esse exspectanda, paulo post absolutam omnibus numeris illius conformationem deduxit illum in Paradisum, in quem sparsas per totum Orbem, quem lustrare non poterat, delicias congesserat: propterea Paradisi illius singularem descriptionem adornat, quo memoria divinæ beneficentiæ conservetur; & situs illius a posteris etiam possit agnosci; quamobrem incipit suam a centro illius Paradisi, & fluvio ob magnitudinem in oculos incurrente, atque cum ceteris regionibus quoquoversus annectente: idcirco unum esse dicit, & in externis ejus finibus demum inveniri divisum in quatuor flumina, quorum duo ab uno latere, duo vero ab opposito latere recedunt; sive quod idem est, duo flumina in aditu Paradisi conjunguntur, & uno contenti alveo simul placide fluunt; in exitu autem quasi functi munere ad quod illorum societas requirebatur, iterum conjunctas partiuntur aquas, quas unus paulolum, ut prius declinando in Orientem, alter contra in Occidentem, tandem in sinum Persicum similiter deferunt, quemadmodum apposita Mappa evidenter demonstrat.

Diximus Calvini, hanc fuisse sententiam, & hæc illius verba non sinunt dubitare id esse verissimum: *quomodo autem fluvius in quatuor fuerit divisus capita, non obscu-*

obscurum est; duo enim sunt omnes, qui in unum coeunt, deinde abeunt in diversas partes; ita flumen unum est in confluente, duo autem in superioribus alveis sunt capita, & duo versus mare, postquam rursus longius dividi incipiunt. Hanc sententiam deosculatur, & propugnat Scaliger lib. v. de *emendat. Tempor. nihil*, inquit, *est apertius hac expositione, quæ etiam fuit sententia * summi S. L. interpretis, quo nihil potest verius nihil doctius dici.* Postea acerbe reprehendit virum doctum, qui obtrudere diversam sententiam conatus fuerat libro paulo post citato, miraturque *docti viri de illis quatuor fluminibus sententiam illius famelicum judicium non explevisse*; Non potuit amplioribus laudibus hæc expositio ornari, & merito docta, veraque nuncupatur, quoniam S. Scripturæ omnis veritatis normæ & divinitus inspiratæ apprimæ convenit. Nihilominus sobriæ aviditati superest locus, & ulterioribus disquisitionibus etiam poterit expleri: revera vir ille gravioribus studiis totus deditus noluit in difficultatibus Geographicis diutius immorari; quare contentus præcipuas autorum sententias retulisse suum de iis non fert judicium, imo dissimiles etiam negligit conciliare opiniones, ut cum sequutus Strabonem lib. xi. scribentem, quod *Tigris delatus Seleuciam ibique se Euphrati jungens cum eo Mesopotamiam facit &c.* & paulo post, *conjuncti autem postquam Mesopotamiam concluserunt, alter per Seleuciam, alter vero per Babylonem in Persicum sinum devolvuntur.* Postea non aspernatur hanc observationem Plinii lib. v. c. 26. scribentis: *scinditur Euphrates a Zeugmate 93000. passuum circa vicum Masicem, & a parte læva in Mesopotamiam vadit per ipsam Seleuciam, circa eam perfluenti infusus Tigri; dexteriore autem alveo Babylonem quondam Chaldææ caput petit, mediamque permeans, item quam Otrin vocat, distrabitur in paludes.* Ei contra adstipulatur, ad eamque mappam in sententiæ suæ declarationem depictam accommodavit; cernitur enim canalis ab Euphrate in Babylonem deductus, & ab ea tendens per paludes in Persicum sinum, cui tandem Gichon ex Edene egressus socium se præbet: præterea observavit secundum Plinium lib. vi. c. 28. scribere *Apamiam sitam* ubi restagnatio Euphratis cum Tigri confluat: aliosque autores eodem reducere omnes fluvios, ex Euphrate in totam Babyloniam similiter derivatos, ne iis adversaretur canalem exiguum pingi curavit in unum illum flluvium Paradisum irrigantem, suas conferentem aquas, antequam unus ille fluvius dividi incipiat; hac autem ratione quintum caput ipsi succrescit: quamobrem ne quinque fluvios pro quatuor habeamus, ut sarta tecta S. Scripturæ autoritas omnimode conservetur, utque præcedens expositio cum ipsa penitus quadret, agnoscimus quidem plures fluvios Babylonem & Babyloniam permeasse secundum autorum prædictorum descriptiones; sed propugnamus arte factos esse, & alias siccis illis regionibus secundum Melam cura Semiramidis immissos Tigrim & Euphratem; atque flumen regium Cobaris præfecti diligentia perfectum, & multifidos adhuc diversis temporibus excavatos fuisse canales; sed in exordio Mundi non exstitisse asserimus, quia Babylonia colonis carens irrigatione extraordinaria minime indigebat. Gen. xi. 2. primi Babilonis conditores consilium de fundamentis illius jaciendis capiunt in בקעה *lato & plano campo*, nam ut inquit R. Aben-Esra בקעה ערבה ישרה *bakaa est planicies recta & æqualis*, oritur a בקע *divisit, & separavit*; neque convenientius designari potuit Babylonia solo Euphrate a Mesopotamia &c. sejuncta non igitur plurimis intersecta fluminibus, quæ illam ingenti huic multitudini, quæ unita manere volebat, ingratam reddidissent.

Cum nondum esset fluvius regius, Apamia etiam non erat, *sub qua* τȣ̃ βασιλέως ποταμȣ̃ πρὸς τὸν Τίγριν συμβολὴ *Basilii fluvii cum Tigri fit commixtio*, inquit Ptolemæus lib. v. c. 18. quia ab illa commixtione nomen habet: nam אפמיא *Apamia aquis circumdatam* significat; & revera ab uno latere circumdabatur aquis fluvii Paradisum alluentis, & ab altero excipiebat fluvium Regium, qui legitimo domino acceptas restituebat aquas, sc. אפף & contracte אף apud Hebræos & Chaldæos idem est ac *circumdedit* & היא in plurali emphatico *aquæ*.

Verum enimvero licet fluvius ille unus ambiens Apamiam & excipiens Regium flumen post longum intervallum infra demum dividatur, & duos alveos incipiat occupare, non debemus existimare sic ab initio contigisse; clamat enim ipsa ratio alveum, in quem duo ingentia flumina irruperunt diu non potuisse illa continere; continuit igitur illa duntaxat quamdiu Paradisi amœnitati conveniebat, alveum ad extrema labra repleri, ut ejus superficiem penitus æquaret, & plantas, arbusta, arbores, ceteraque ornamenta horti commodius irroraret; post exhibita autem illa,

* Si talis fuisset Calvinus quem celebrat Scaliger, tam fœde non erraret in explicandis innumeris prope S. Scripturæ documentis. Legat quæso eruditus Lector quæ adnotavimus in primo Tomo nostri Thesauri pag. 954. ubi inveniet multa a Calvino circa Circumcisionem excogitata, quæ a Christiano Lectore ferri non possunt.

quæ providentiam Dei ad hominem beandum propensi demonstrabant, officia, debuit spontaneo impetui relinqui; idcirco fluvii societate ad breve tempus necessaria diremta, in diversas partes statim abierunt, diversosque canales revocatis aquis iterum repleverunt, sed tandem interceperunt maximam hujus fluvii e duobus coalescentis aquarum partem canales supra commemorati, minimamque ex agris sitibundis postea restituerunt; inde est quod fluvius pristino destitutus impetu languidius cœpit fluere, & vix unum implens alveum coactus est novas longiori decursu colligere aquas antequam novo indigeret alveo, aut illum posset occupare: quaombrem novus ille alveus etiam non semper sibi constat, & duplex ille fluvius unico ostio quandoque cogitur Persicum sinum adire, ut modo videmus. In præsentia enim expedit sigillatim considerare quatuor fluvios a Mose designatos, quia si discreparent ab expositione proposita, illam funditus everterent; contra ingens ei pondus accedet ab eorum in eundem scopum collimantium consensu.

שם האחר פישון *nomen unius* sive *primi Pison*: Græcis Interpretibus φισῶν & φεισῶν: Scaliger l. c. πλημμύρων sive *paludosum* ob ingentes, inquit, quas efficit, paludes interpretatur; a פוש *crevit* & *auctus est* derivat, vel a פשה ejusdem significationis: Rabbini cum versione Arabica quæ pro *Pison* habet אלניל *Nilum* solent intelligere, voluntque sic dicere, quod ejus aquæ exundantes adscendant per Ægyptum, & illam irrigent, quo sensu hoc verbum usurpari observat R. Salomo Jarchi Haba. I. 8. פשו פרשיו *effunduntur equites ejus* &c. addit post V. C. ducem suum Scaliger illo nomine designari *fluentum* Orientale, quod sc. post irrigatum hortum & partitas cum socio aquas, relicto ipsi latere occidentali, in oppositum secedebat, circa Apamiæ sedem, ut verisimile; quia declivis debuit esse locus, ut in eum ex humili demissaque Babylonia descenderit fluvius Regius; loca autem declivia cadentibus ex alto aquis pondus, & robur addunt, atque eas ad novos alveos excavandos reddunt validiores. In hoc aquarum divortio novum sententiarum Calvinum & Scaligerum inter & Bochartum occurrit divortium, quod enim Orientale illi fluentum nuncupant, hic Occidentale esse affirmat, ut literis jam citatis patet; scribit enim; *fundamenta eorum sunt valde caduca; collocant enim regionem Cus & Guihon inter Tigrim & Euphratem; ultra autem sunt; contra Pison ultra, qui intra est, unde eorum expositio plurimis erroribus est obnoxia.* Utinam sua exposuisset argumenta! Sed exprimit duntaxat ardentissimum, quo flagrabat, desiderium duos componendi libros, quorum unus erroneos circa hoc argumentum opiniones refutaret; alter adstrueret sententiam suam, quam tot rationibus poterat munire, ut non dubitaret, quin omnes veritatis amatores libenter ipsam amplecterentur.

Nostrum est ex ejus scriptis & rationibus ab ejus sententia emanantibus quædam componere argumenta; primum autem ipsa Pisonis etymologia a Scaligero probata suppeditat; nam Occidentalis fluvius ex Apamia regionibusque Chaldææ inferioribus in sinum Persicum descendens revera expatiatur, & exundans vicinos occupat campos, facitque λίμνας, καὶ ἕλη *lacus & paludes* inquit Strabo lib. XVI. & paulo post addit Alexandrum, stagna illa ab effuso in varias fossas fluvio facta lustrasse, magnamque curam adhibuisse, μὴ τὴν Ἀραβίαν δυσέμβολον τελέως ὑπὸ τῶν λιμνῶν ἢ καὶ τῶν ἑλῶν ἀποτελεσθῆναι *ne Arabia omnino difficilis efficeretur ingressu ob lacus & paludes*: tali cura non indiguit oppositus fluvius. Plinius etiam lib. VI. cap. 24. de illis *Euphratis paludibus* mentionem facit; & antea lib. V. cap. 26. post irrigatam Babylonem & Otrin distrahi *in paludes* dixerat: in re adeo manifesta pluribus testimoniis non est opus; sed obiter observandum, quod fluvius ille qui Pison ob aquas immodice profusas dicitur, etiam primum Euphratis nomen, quod ante suam cum Tigri conjunctionem, obtinebat, etiam post divortium ab illo factum conservat, sicut Tigris, ut mox patebit; quare non licet dubitare duos illos fluvios ob diversam suam dispositionem in quatuor capita a Mose dividi: non debeo tamen prætermittere Arrianum, qui lib. VII. de expeditione Alexandri scribit, quod Εὐφράτης μετέωρός τε ῥεῖ καὶ ἰσοχειλὴς πανταχῆ τῇ γῇ καὶ διώρυχές τε πολλαὶ ἀπ' αὐτοῦ πεποίηνται, *Euphrates altior fluit, & ubique ripas terræ vicinæ exæquans, multi alvei ex eo fiunt*: addit quosdam ex iis esse perennes campos irrigantes, alios arte incolarum, cum utilitas requirit, fieri; ita hic fluvius *Pison* sive *diffusus & longe lateque expansus* tunc potest dici. Diversus Tigris Orientale litus alluentis status ibidem describitur; καθότι οὐ κατοναλίσκεται αὐτοῦ οὐδὲν ἐς τὴν χώραν, ἔστι γὰρ μετεωροτέρα ἡ ταύτῃ γῆ τοῦ ὕδατος quandoquidem nihil ex eo flumine in terram vicinam effunditur; nam est terra, quam alluit, altior ejus aqua; non igitur expatiatur, neque superat ripas ut vicinos campos inundet Phisonisque nomen mereatur

reatur

reatur; sed primum Tigris nomen conservat nonunquam Orientalis ille alveus, ut cum Phisone nullam habeat convenientiam.

Alterum argumentum Moses suppeditat addendo. הוא הסובב את כל ארץ החוילה *iste* (fluvius Pison) *circumit totam terram Chavilæ:* non est opus observare nondum hanc regionem Chavilæ nomen habuisse, sed per anticipationem sic dici a Chavila, qui illam occupavit, ita ut Mosis tempore ab ipso adhuc denominaretur, hoc sponte patet, & in omnibus fere locorum denominationibus observatur; ad propositum nostrum magis convenit observare duos viros hoc nomen habuisse, & utrumque gentis celebris autorem extitisse, quorum unus Chusi filius, de quo Genes. x. 7. sedem habuit in extrema Arabia deserta versus Babyloniam, ut probat Bochartus in Phaleg lib. IV. cap. II. alter autem a Semo oriundus per Jectanem Gen. x. 29. incoluit partem Arabiæ felicis ad mare rubrum extensam, ut videre licet apud Bochartum in Phaleg. lib. II. c. 28. quamobrem prior Chavila Babyloniæ contermina, a Pisone ut Babylonia ipsa alluitur: altera etiam ad ipsum Angulo suo Orientali proxime accedit, & Arabica gens quæ vaga est, sedesque fixas raro servat, potuit facile cognomini conjungi, & fines suos ad illum fluvium promovere; sed neutra ad ulteriorem alveum accessit, neque ullo modo fluvius Orientalis illam circuire potuit; cum ipsa magis, quam occidentalis fluvius, ad occidentem vergat.

III. In Mosis descriptione sequitur אשר שם הזהב *in qua inest aurum:* Susiana autem cujus occidentale litus fluvio Orientali ex Edene orto alluitur; auro dives ab autoribus non describitur; sat accurate describit illam Strabo lib. 14. XV. qui auriferam non dicit; contra Plinius lib. VI. cap. 28. de illa agens & præcipuis ejus oppidis, scribit; ibi *mortalium soli aurum in odio contrahunt, id defodiunt, ne quo cui sit in usu*, auriferæ enim regiones brevi didicerunt aurum non esse odio habendum ex aliarum gentium commerciis, quæ in vicem auri res quasque utilissimas detulerunt ne autem aliquis credat odium illud ex metu, ne aurum hostes invidos excitaret, ortum, Solinus de Babytace illius gentis oppido scribit: *in qua mortales universi odio emunt hoc genus metalli, & abjiciunt in terram profundam, ne polluti ejus usu, avaritia corrumpant æquitatem &c.* & cap. XXVIII. sic enim cum auro sponte innato emptitium conservassent, periculumque auxissent: quod vero spectat Chavilam & regiones Arabicas fluvio occidentali proximas, auro eas abundasse constat, unde Arabia absolute dives nuncupatur, ut ob aromata beata. Quamobrem regina Sabæ ex Arabia tantam auri copiam ad Salomonem attulit, & tot auri talenta idem Salomo, tributi nomine, ab Arabiæ regibus, negotiatoribusque accepisse legitur 1. Reg. x. & 2. Chron. IX. David etiam in benedictionibus Salomonis aurum Sabæ pollicetur Ps. LXXII. 15. Ut autem ad Havilam propius accedamus, in Arabiæ descriptione Plinius lib. VI. cap. 28. commemorat *litus Hammæum, ubi auri metalla*, quod ad sinum Persicum erat situm: siquis plura testimonia auriferarum Arabiæ regionum optat habere, consulat Phaleg lib. II. c. 27. monebo tantum Dionysium Alex. in Perieg. Vers. 951. testari ὄρεα δ' χρυσῷ *montes* Arabiæ in primis *auro* abundare, montes autem Arabiæ felicis, ut etiam desertæ Havilam quodam modo cingere; etiam Vers. 954. observat quod

------- ὑπὲρ κλιτὺν (vel κλιτὺι) Λιβάνοιο
Ἀφνειοὶ ναίουσιν ἐπωνυμίην Ναβαταῖοι
Ἄγχι δὲ Χαβλάσιοί τε

Ultra declivitatem (vel sub declivitate) *Libani habitant divites Nabatæi, & Chablasii prope*; hi autem Chablasii divitibus Nabatæis adjuncti, sunt Havilæ incolæ; indifferenter enim & prima hujus nominis litera per simplex H. vel per Ch redditur, sepe etiam omittitur; postea U in B quod passim fit, permutatur; unde eosdem Chaulotæos vocat, & inter Nabatæos & Agræos similiter collocat Strabo lib. XVI. paulo ante enim dixerat has gentes ab Ægyptia Heroum urbe versus Babylonem extendi, & ad recessum Persici sinus pertingere, quod confirmet hanc gentem a Pisone, fluvio occidentali allui.

IV. וזהב הארץ טוב *& aurum hujus terræ bonum*, quod Arabiæ convenit præ ceteris regionibus; nullum enim Arabico auro præstantius; quamobrem ab Arabica voce דהב *aurum* Debas populos dici, quasi aureos vult Bochartus, quod teste Strabone lib. XVI. ῥεῖ ποταμὸς δι' αὐτῶν ψῆγμα χρυσοῦ καταφέρων *fluit per eos fluvius, qui auri ramenta defert*; quod suo calculo confirmat (apud Photium cod. 250.) Agatharchides lib. I. de Mari Rubro cap. 48. additque οὕτω σύνδηλον τὴν δαψίλειαν ἔχων, ὥστε τὴν ἰλὺν τὴν πρὸς ταῖς ἐκβολαῖς συνηγμένην πόῤῥωθεν ἀποστίλβειν, *tam, conspicua ubertate, ut limus ad ostia congregatus procul inde rutilet* &c. cap. sequenti de Ali-

læis & Caſandribus conterminis : τὸν μὲν τοι χρυσὸν ὀρύσσοντες ἐν τοῖς πλακώδεσι τῆς χώρας ὑπονόμοις εὑρίσκουσι, πολὺν, οὐ συντηκόμενον μετ᾽ ἐπιστήμης καὶ τέχνης, ἐκ τοῦ ψήγματος, ἀλλὰ τὸν αὐτόματον, καλούμενον μὲν διὰ τὸ συμβαῖνον παρ᾽ Ἕλλησιν ἄπυρον, οὗ τὸ μὲν ἐλάχιστον ἔχει μέγεθος πυρῆνος, τὸ δὲ μέσον μεσπίλου, τὸ δὲ μέγιστον ὥστε βασιλικοῖς παραβαλλέσθαι καρύοις. *Aurum ſane qui effodiunt, in latis terre cuniculis magna copia inveniunt; non liquefactum arte, & induſtria aurum, ſed ſponte natum, quod ab eventu ignis ex pars Græcis dicitur; hujus autem minor amplitudo æquat olivæ nucleum; media meſpillum, & maxima nucem Regiam* &c. Sic patet maxima copia in illis regionibus produci aurum, cum ſponte e terræ ſinu erumpat, & flumina cum aquis volvant aurea ramenta, adeoque incolis vile fuerit, ut æri triplum auri, ferro autem duplum, & argento decuplum rependerent, ut ex Diodoro Siculo, & Strabone cum Agatharclide reconciliato etiam probat Bochartus loco laudato; idcirco erudite obſervat, Caſandres a Ptolemæo & Stephano Caſſanitas, & a Diodoro Gaſandes dici, ſervata in tanto diſcrimine Hebraica origine a חסן *theſaurus* quaſi ob tantas divitias ab omnibus κατ᾽ ἐξοχὴν *theſaurarium* elogium obtinere mererentur; mutatio enim C in G nullius eſt momenti; cum conſtet C reſpondere τῷ gimel Hebræorum, & τῷ gamma Græcorum, eundemque locum illud in noſtro alphabeto ac hæc in eorum alphabetis obtinere; quia Bochartus ibidem probat ſuum Ophir habuiſſe Arabiam, & quicunque ſedulo ejus argumenta penſitabit, animadvertet ſolida eſſe; ſed ad ſcopum inprimis ſpectat auri Arabici præſtantia; ex S. Scriptura autem conſtat Ophirinum aurum ut puriſſimum & pretioſiſſimum ſemper proponi. Quamobrem regina Salomonis uxor in Pſ. XLV. 10. quo magnificæ ejus nuptiæ deſcribuntur, eſt auro Ophirino ornata. Et Paraphraſtes Chaldæus qui myſtice exponit, & hac Sponſa legem intelligit vult exaratam fuiſſe באוברייזן דמן אופיר *litteris ex obryſo Ophiris*; Orbiſum enim eſt aurum præſtantiſſimum, unde Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *aurique ignis eſt, ut ſimili colore rubeat quo ignis; atque ipſum obryſum vocant &c.* quare Iſidorus ſic putat dici, quod obradiet ſplendore auri optimi; æque eſt veriſimile obryſum dici ob riſum quem poſſeſſoribus excitat; non eget enim y Græco vox latinæ originis; ſed cum illud y ſit u Græcorum, probabilius eſt hanc vocem ab *obruſſa* formari, nam *obruſſa* τὸ δοκιμάζον τὸ χρύσιον *experimentum auri*, ut in Gloſſa legitur; unde ad cetera experimenta transferunt autores; ſic Cicero vult ſermonem expurgari ad *obruſſam*, & Plinius Epiſt. XIII. de certaminibus, quibus animus probatur, hæc, inquit, *ejus obruſſa eſt*, & *ad obruſſam* ceſſit in proverbium ad ſignificandum examen ſeveriſſimum; idcirco aurum obryſium vel obruſſium erit omnium puriſſimum; propterea Nero exigebat aurum obryſum; Svet. in ejus vita cap. LIV. & in Codice Imperatores Gratianus, Valentinianus, Theodoſius, Arcadius, & Honorius *ſolidorum obryſatorum* faciunt mentionem: attamen quia obryzati etiam dicuntur, origo poteſt etiam inveniri in verbis ὀβρύζειν & βρύζειν, quæ magnus Salmaſius in Solin. p. 1080. obſervat ſignificare *ſpumam emittere*, hac ratione ὄβρυζος erit aurum coctione ſæpius repetita expurgatum, ſecundum ſententiam Scholiaſtis Thucydidis lib. II. pag. 110. de Simulacro Minervæ habente quadraginta pondo talentorum auri, ἀπέφθου *excocti*, ſic hoc aurum explicat, πολλάκις ἑψηθέντος, ὥστε γένεσθαι ὄβρυζον, id eſt *ſæpius cocti ut fieret obryſum*; cui ſuffragatur Etymologicum magnum in voce Βάσανος de lapide Lydio: ἐν ᾗ δοκιμάζεται χρυσὸς κἄντε ὄβρυζος, κἄντε κίβδηλος ᾖ. *In quo fit experimentum auri an ſit obryſum an ſpurium.* Verum enimvero nativam exhibet originem lingua Arabica quæ אבריז *obrizon vel*, obrizon vocat; eſt enim a quoddam in omnibus linguis quod ad o proxime accedit; hoc autem nomen formatur a ברז *prodiit in lucem, manifeſtatum eſt*, deſignatque optime aurum illud quod ſponte prodit e terra, & abſque ulla arte, ſed proprio ſplendore pretium ſuum declarat, eſtque ἀκήρατον *ab omni ſcoria expers*; neque mirum Arabicam habere denominationem, cum in Arabia creſcat, & in Arabia primo innoteſcere potuerit. Quia Ophirium ipſum eandem habuit originem; Bochartus enim in Phaleg. lib. II. cap. 27. probat duplex fuiſſe Ophir, unum in India recentius, & Salomonis ævo duntaxat celebratum; alterum vero antiquius in Arabia, cujus Job inter antiquiſſimos numerandus, & Arabs aut Arabum vicinus aliquoties meminit, & ſemper aliis auri ſpeciebus præfert, ut cap. XXII. 24. & XXVIII. 16.; quod Grotio olim ſuboluiſſe conſtat ex hac ejus in 1. Reg. IX. 26. annotatione, qua Ophir ex communi ſententia in India ſitum dicit, & ſubjungit: *cogitemus tamen an forte non in Indiam uſque iverint naves Phœniſſæ & Judaicæ; ſed ad oppidum adſitum Arabico ſinui, qua is ad Oceanum ſpectat, quod Aphar vocat Arrianus, Plinius*

nius Saphar , *Ptolemæus Sapphara* , *Stephanus Saphirinam* , *ut Indi nempe ſuas res huc attulerint* , *inde autem petierint longius ab India abſiti* . Ex his ejus ultimis verbis patet non obſervaſſe hanc regionem auri eſſe feracem quare non potuit affirmatius loqui , quia Aphar a mari diſſita merces maritimas non poterat commode excipere, & diſtrahere ; propterea quod neceſſariis ad celebre Emporium conditionibus ipſi videbatur deſtitutum ; ſed ſi auriferum fuiſſe noviſſet , minime dubitaſſet geminum eſſe Ophir ; quia nullæ locorum difficultates auri cupidos valent remorari : quia ipſa in hoc nomine ſcribendo diverſitas manifeſte demonſtrat, auriferæ regioni in S. Scriptura celebratæ convenire ; ut enim pars autorum *Aphar* vocat , & alii S præponunt , & *Saphar* dicunt ; idem accidit Ophir in S. Scriptura celebrato ſemper abſque S initiali . At Joſephus in Indico Ophir, ad quod Salomonis claſſis tendebat, loquens lib. VIII. cap. 2. Σωφίραν vocat; & LII. Græci Interpretes etiam S. conſtanter præponunt , ut I. Paral. XXIX. 4. & XXVIII. 16. Jeſ. XIII. 2. I. Reg. X. II. & paſſim , ubi legitur σωφὶρ & σουφὶρ ; neque male illud U additur; nos enim deducit ad originem regionis Arabicæ nominis in illa requirendam ; Arabice autem ופר *aupbara* ſignificat *copioſus & dives fuit* , & אופר *aupbar copioſus & abundans*; neque melius potuit deſignari regio tantis repleta deliciis, ut aurum puriſſime ſponte ex ejus ſinu erumperet , & in ripis fluviorum inveniretur: ad S præpoſitum quod ſpectat non debet ullum faceſſere negotium , quia non raro ad deſignandam blæſam & ſuavem aſpirationem ſolet in Latinis etiam vocabulis addi; ſic ab ἐρῶ *ſero* , id eſt *loquor* , a quo ſimplici *diſſero* , *aſſero* &c. compoſita , ut ab ἑρμὸς ſermo &c. quare nonnullæ etiam voces latinæ cum illo S præpoſito, vel abſque eo ſunt indiſcriminatim; nam Egeſta urbs ab Ænea condita, & ab Egeſto Egeſta nuncupata, poſtea Segeſta dicta eſt , teſte Feſto; idem antea ſcripſerat: *Seſopia in Augurali & Saliari carmine appellantur* , *quas alias Eſopia*, *pro ſedibus dicere habemus nunc adhuc in conſuetudine* : malui antiquiſſima illa ex veteri autore exempla referre, quam plurima ex recentioribus.

Sponte autem agnoſcimus poſſe reſponderi , quod iſta omnia licet vera parum propoſito noſtro inſerviant; quodque revera conſtat eſſe in Arabia varias regiones auri præſtantiſſimi feraciſſimas, & aurum illud poſſe ab ipſa copia dici *Ophir* , & etiam denominaviſſe metropolim Amphiritarum, aut ſecundum Stephanum etiam inſulam, atque meruiſſe haberi pro exemplari præſtantioris auri ; unde arte & induſtria expurgatum perfectiſſime, eodem nomine demum inſigniri poſſit; hæc inquam omnia non prodeſſe Chavilæ ſterili & auri vacuæ, quam Piſon circuire debuit , in quo totus rei cardo vertitur: bene eſt; difficile enim non erit huic difficultati ſatisfacere, quia in confeſſo eſt apud omnes Aſiam fere totam in Semi poſſeſſionem ceſſiſſe; jam vero certum eſt, quod ſi in æquas inter ejus liberos partes diviſa fuiſſet, Chavila quartus ab ipſo totam Arabiam potuiſſet jure obtinere, & conſequenter regionem a mari rubro, cui regiones auriferæ proxime adjacent, ad Piſonem fluvium a ſe denominare. Præterea Bochartus evidenter probavit omnes Joctanis liberos in Arabia fixiſſe ſedes, & cum Chavila ex eis uno illam occupaſſe; & inter ſe diviſiſſe poſt S. Scripturam Gen. X. 30. quid impedit quominus totam a ſe denominaverit, quemadmodum Mitſeraim filius Chami toti Ægypto, Aram Semi filius toti Syriæ , & Aſſur Aſſyriæ meliorem Aſiæ partem comprehendenti nomina ſua impoſuerunt? Sane non licet dubitare, quin illi, qui primi vacuas regiones occuparunt , iis totis ſua impoſuerint nomina, cum id ſupradicta exempla teſtentur, non minus autem evidens inter primos, qui terras occuparunt, Chavilam annumerandum , cum terra ab ipſo dicta Paradiſi limitibus, ut tempore Moſis adhuc notiſſima adhibeatur , quo ipſi innoteſcerent; itaque probabile eſt Chavilam fratribus Ducem ſe præbuiſſe, & propterea nomen ſuum primæ regioni e Babylonia exeuntibus occurrenti impoſuiſſe , non tamen in ea ſemper manſiſſe, ſed ad intimam & remotiorem etiam oram penetraſſe, ut omnibus ejus opibus frueretur, ſicque illud ſenſim ad Mare Rubrum extendiſſe juxta Scebam & Ophirum fratres ſuos, qui neceſſariis propriæ familiæ limitibus contenti eis etiam ſola nomina ſua dederunt, & præoccupatam a Chavila totius regionis denominationem reliquerunt . Liceret etiam ſuſpicari alterum Chavilam Chuſi filium exemplo Nimrodi fratris primæ Monarchiæ autoris, & ejus armis fretum totam illam regionem ſubegiſſe, ita ut ea ſimul venerit in poteſtatem Nimrodi , & fratris ſub ejus auſpiciis militantis nomen admiſerit: ſed conjecturis quantumvis probabilibus inniti nolumus, & hiſtoriam requirimus teſtem , quæ in primis illis gentium diviſionis temporibus eſt valde confuſa : nihilominus in fabuloſis Bacchi victoriis res a Nimrodo geſtas omnes agnoſcunt, & ipſa nomina etiam convenire patet ; nam Bacchus eſt בר-כוש Bar-chus, id eſt Chuſi filius R in ſequentis C ſonum &

Nim-

ſpeciem tranſeunte, & viciſſim Bacchus a Græcis nuncupatur Νεβρωδ, quod ipsum eſt Nimrodi nomen in Verſione Græca LXX. Interpretum: Jam vero Nimrodes ille, ſive Bacchus in Arabia primam exercuit autoritatem; idcirco in ea natum poetæ dicunt; uno contentus ero Dionyſio Perieg. qui myrrha, calamo odorato, caſia, & thuris honore fragrare docet, quia

-------- ἀνὰ χθόνα λύσατο κείνην

Ζεὺς αὐτὸν Διώνυσον ἐϋρραφέος παρὰ μηρῦ

In terra illa Jupiter ipſum Bacchum ſolvit a bene ſuto femore; conſulatur Scholiaſtes; in ea etiam primum dominium exercuit; unde Ovidius ad ipſum Faſt. III.

Cinnama tu primus, captivaque thura dediſti.

Opera fratris Chavilæ, cujus nomen Arabicum ſatis convenit; nam חולי *egregium adminiſtratorem ſignificat*; quare Greci per Α'ρειαῖον *bellicoſum* expoſuerunt, quia generoſe geſſit res fratris, & cum Arabibus ſuis utiliſſimam ad Babylonicum imperium conſtituendum præbuit operam, quod teſtatur Diodorus Siculus lib. II. ſcribit enim quod Nimrod, quem ſub nomine Nini filii deſcribit, Α'ρειαῖον βασιλέα τῆς Α'ραβίας *Ariæum Arabiæ regem* habuit ducem & promotorem, atque tandem τὸν δυναστεύοντα τῶν Α'ράβων παραλαβὼν ἐστράτευσε μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπὶ Βαβυλωνίοις, *dominatorem Arabum ſocium adhibens cum vi maxima belligeravit contra Babylonios, eos ſubegit, & longe lateque per Aſiam Imperii ſui fines protulit.* Sic res debuit eſſe, nec potuit aliter ſe habere, quoniam Moſes Chuſi filium nuncupavit Nimrodum, quia cœpit omnium primus in patriam autoritatem inſurgere, & Noachi avi juſtum regimen, & ſtatuta violare, ſiqua enim antiquis traditionibus fides, Chamo & ejus poſteris Africa ſola fuerat in hæreditatem aſſignata; qua non contentus Semi portionem invaſit, Ninum condidit, Aſſyrios pedetentim oppreſſit, & in ſceleris ſocietatem adduxit patruum Channanum, qui ſubactæ Channanitidi ſuum impoſuit nomen, & hoc jure illam poſſedit, donec Iſraelitæ poſtliminii jure, & Dei præſidis munere ad Semi poſteritatem revocarunt; ſic Havilam fratrem in Joctanis poſteros Arabiæ legitimos poſſeſſores immiſit, qui patruum imitatus in ſignum victoriæ a ſe ſimiliter denominavit, & ambo poſtea unitis cum Nimrodo viribus primam ſub ipſo compoſuerunt Monarchiam; ſic tota Arabia tunc Havila potuit nuncupari.

5. שם בדלח ואבן השהם ibi *Bdolach & lapis Soham.* Id eſt *in illa Arabiæ parte, quam fluvius Piſon alluit*, ſecundum ſententiam noſtram & rei veritatem; modo genuinus horum duorum verborum ſenſus pateat, qui diverſa Interpretum ſententia fere obruitur; nam Bdolach redditur a LXX. Interpretibus ἄνθραξ *carbunculus*, ſive gemma prunam micantem referens; at non ſibi conſtant; nam Num. XI. 7. reddunt κρύσταλλον *cryſtallum*; Chaldaicæ Paraphraſes & Syrus Hebraicam vocem retinuerunt, Vulgataque habens bdellium: niſi velimus exiſtimaſſe eo gummi odoratum, tranſlucidum & amarum, quod & arbore nigra, magnitudine oleæ, folio roboris, fructuque caprifici colligitur ſecundum Plinium lib. XII. cap. 9. ſignificari; tunc enim a ceterorum Interpretum ſententia penitus recederet. Perſica Tavuſii verſio habet בלור *bolor*; volunt autem Lexicographi tranſponi literas, & beryllum lapidem pretioſum, de cujus diverſis ſpeciebus videndus Plinius lib. XXXVII. cap. 5. eſſe intelligendum; ſed eadem vox legitur in Arabica Apocalypſis Verſione cap. XVIII. 13. pro *cinamomo*, & potuit pretioſus ille frutex deſignari: Arabs denique rerum ad patriam ſuam pertinentium peritior reddit אללולי *alloali unionem*, & *margaritam* a לאלא *lala fulſit*, quæ interpretatio convenientiſſima videtur, quia Num. XI. 7. manna globoſum quoad figuram aſſimilatur ſemini rotundo coriandri, & quoad ſpeciem candidam & lucidam τῷ *Bdolach, unioni* eximio candore ſuo fulgenti quamobrem idem Arabs ibi etiam habet ad quorum ſplendorem manna acceſſiſſe exiſtimat; ipſi Talmudiſtæ in *Joma* deſcribunt Mana אללולי עגול כגידא ולבן כמרגלית *rotundum ut coriandrum, & candidum ſicut Margaritam:* mitto plurima alia teſtimonia interpretationem hanc confirmantia, quæ videri poſſunt in Hieroz. part. II. lib. 5. inſignem locum iis duntaxat addam ex Targum Ben. Uziel in Gen. VI. 16. ubi de feneſtra Arcæ, quæ ab effectu צהר *lumen* vocatur, & Noacho faciendum imperatur; ſic autem Paraphraſtice redit אזל לפישון וסב מתמן יוהרא ותשויניה בתיבותא לאנהרא לכון ito *ad Piſon & inde ſumito Margaritam & pones ipſam in arca ad lucendum vobis.* Ubi margarita illa ab ipſa luce etiam nuncupatur; neque licet ea gemmam intelligere, non vero unionem; quoniam Lament. Jerem. IV. 7. adhibetur ab eodem Chaldæo Interprete ad ſignificandum פנינים uniones, qui ibidem etiam non tantum lucent, ſed ארמו *rubent*: nempe Plinius ipſe lib. IX. cap. 33. *Sole rubeſcere obſervavit, & cœli eis majorem ſocietatem eſſe quam maris, inde nubilum trahi colorem, aut pro claritate matutina ſerenum,* dixit; ſed nihil mediocre

placet

placet Rabbinis, & amant inprimis magnifice loqui de iis, quæ Deum autorem habent, quare non eſt mirum ſi Plinii expreſſiones paulo ſuperent, unionibusque inauditum attribuant fulgorem.

Soham in diverſas ſententias ſimiliter partitur autores, Paraphraſtæ Onkeloſo eſt בורלא *berillus* ad ſmaragdos viriditate læta accedens, licet varios ſimul admittat colores, ut docet Plinius lib. XXXVII. cap. 5. Syrus Chaldæo ſuffragatur, Perſa vocem Hebræam retinuit: LXX. Græci Interpretes λίθον πράσινον verterunt, qui lapis πράσιος etiam dicitur & πρασῖτις, quia viriditate ſua porrum refert; de quo ſic Theophraſtus lib. de lapidibus πρασῖτις αὕτη δὲ ἰώδης τῇ χρόα *praſius qui eſt eruginoſi coloris*; rubigo enim in ære vireſcit; unde Plinius libr. XXXVII. cap. 8. *Viridantium ſunt plura alia genera; vilioris eſt turbæ Praſius*; ejuſque plura genera poſtea refert. Sibi autem non conſtant hi Interpretes, & Exod. XXV. 7. & XXXV. 8. idem nomen reddunt λίθυς Σαρδίυ, aut Σαρδίυς: *Sardam*, & Sardonychen Plinius vocat lib. XXXVII. c. 7. & teſtatur *primum Sardibus repertum, ſed laudatiſſimam circa Babyloniam cum lapidicinæ quædam aperirentur hærentem in ſaxi corde inventam*: Exod. XXVIII. 9. λίθυς Σμαράγδυ, & XXXV. 27. & XXXIX. 6. Sed paulo poſt in deſcrſptione rationalis ſoham eſt medius inter eos, qui quartum ordinem lapidum pretioſorum componunt, & reddunt βηρύλλιον, al. βηρύλλιον: denique Ezech. XXXVIII. 13. Σαπφείρον; ſupereſt Arabs, qui ſolet reddere בלור, quam vocem volunt tranſpoſitione literarum ex beryllo formari, ut ſupra obſervavimus, & ſic ſuffragabitur Chaldæis, & Syro Interpretibus: Contra Latinus Interpres Onychen conſtanter vertit, neque Bochartus repugnat, licet enim ſuam expreſſe non dixerit ſententiam; attamen Hieroz. part. II. lib. 5. c. 5. probat Bdolach non eſſe Criſtallum, aut lapidem pretioſum, quia a Moſe diſtinguitur a lapide Soham; quod non fieret, ſi uterque lapis eſſet; additque Soham eſſe Beryllum aut Onychen, & ab iis propterea diſtingui debere. Jam vero certum eſt inter tot & tam diverſas ſententias judicium ferre difficile eſt; ſi tamen conſideremus lapillos illos in fodinis inter metalla ſaxaque eodem modo gigni atque inveniri, animadvertemus affines eſſe, & ejuſdem fere ſpeciei, cum ſecundum plus aut minus ſoliditatis, inditique coloris plures duntaxat differant; imo quidam ex aliis fiunt teſte Plinio lib. XXXVII. cap. 5. ſcribente: *in Cypro inventum ex dimidia parte Smaragdum, & dimidia Jaſpidem nondum humore in totum transfigurato*, & quod mirabilius: οἱ δὲ καὶ ἐν ἑτέροις εὑρίσκονται διακοπτομένοις *nonnulli inveniuntur in aliis, dum cæduntur*, inquit Theophraſtus lib. de lapid. quamobrem plurimi poſſunt diverſis nominibus diſtingui, qui revera iidem ſunt, exiguiſque qualitatibus duntaxat diſcriminantur: ſic Onyx & Sardæ *dividuæ ex eodem nomine*, ut cum Plinio loquar, quia Sardonychæ etiam nuncupentur, quaſi Onychus Sardibus inventi, & idcirco Sardæ etiam ſimpliciter dicti: Smaragdi a Beryllis ſimiliter vix differunt, & Plinius lib. XXXVII. c. 5. poſt varia Smaragdi genera accurate explicata ſcribit: *Eandem multis naturam habere* Berylli *videntur*; præterea hi & illi tot diverſis coloribus inter ſe diſtinguuntur, atque dotibus, ut vix ab aliis quam a ſuis multiplicibus ſpeciebus manifeſtius diſcriminari valeant; quamobrem ipſi artifices convenientia ipſis nomina vix poſſunt declarare, quanto minus S. Scripturæ Interpres ejus ſenſui & divinis myſteriis præcipue intentus: neque enim omnino conſtat ſingularem aliquem lapillum proprio nomine deſignare valuerit Moſes, an generaliter pretioſos lapillos, ut altero uniones, & gemmas præſtantiores ſignificaverat; Sane Joſephus lib. III. cap. 8. vocat duos lapillos Aaronis humeris impoſitos Σαρδόνυχες, iis nomen *Soham* exponendo, & paulo poſt אדם *odem* primus duodecim lapillorum nominibus Patriarcharum inſcriptorum ipſi etiam eſt Σαρδόνυξ, licet non potuerit ignorare diverſa in S. Textu eſſe nomina, & hoc a rubedine compoſitum, unde a Græcis πυρωπὸς, & a Latinis *carbunculus* ſimilitet nuncupatur, ut ab Interprete Arabe ibi אחמר Ahmor, & a Davide de Pomis Judæo Italo *Rubin*, eodem omnino ſenſu. Commentatores Hebræos referre ſuperſedeo, quia in illum locum Exod. XXVIII. 17. ingenue R. Aben-Eſra cognoſcit nullas haberi de illis gemmis traditiones, & pro libitu exponi; ſed ſat lucis præcedentes obſervationes ad inſtitutum noſtrum impertiuntur.

Siquidem probare nobis duntaxat incumbit, quod *Piſon* eſt fluvius, qui alluit Babyloniam & Orientalem Arabiæ partem poſt ſuum ab Edenis Paradiſo egreſſum, & eo quod ad ejus latus Occidentale Bdolach & Soham reperiantur; jam vero multis argumentis patuit *Bdolach* ſignificare uniones, & *Soham* lapides pretioſos, Beryllum nempe aut *Smaragdum*, aut *Sardonychen*, aut *Praſium*, *Saphirumve*; nunc autem nullo id negotio demonſtrabimus, cum primam partem præſtiterit ipſe Bochartus Hieroz. part. II. lib. 5. c. 5. nempe *Bdolach* ſignificare *uniones* & *margaritas*,

ritas, qui in conchis concipiuntur, formantur, & inveniuntur; obiterque etiam ostendit conchas illas esse frequentes, & celebratissimas in faucibus sinus Persici, ad quas se exonerat alveus ille occidentalis fluvii e Paradiso exeuntis, quem Pisonem dicimus; nam ob eas magnopere commendatur insula Baharain, quæ in summa illius sinus parte sita vergit ad oram Arabiæ, unde nomen suum ab ea mutuatur, ea quippe Chersonesus proprie בהרין *Baharain* nuncupatur, quia inter duo maria Rubrum & Persicum exstat, & ab iis circumdatur; imo volunt insulam olim peninsulæ partem fuisse, & hujus nominis æqualiter compotem; atque post suam disjunctionem maris impetu factam illud conservavisse; quod tamen non est necessarium; quandoquidem sufficiebat eam in sinu oblongo constitui, & in longum versus ejus extremitatem, quam duo flumina suas aquas cum impetu exonerantia dividunt, protendi, ut etiam a duplici illo mari exemplo vicinæ regionis nuncuparetur: Catipha in ora Arabiæ e regione illius insulæ constituta unionibus abundare perhibetur similiter, & Benjamini itinerarium id evidenter declarat, in textu Bocharti potest videri; sed in eo observabo uniones, & eorum productionem clare describi, eas autem solo *Bdolach* nomine designari, si quis autem verum Catiphæ & Baharain situm, & cum aliis Arabiæ locis affinitatem scire velit, adeat Geographum Nubiensem sext. Part. Clim. 3. Plinius præterea testatur lib. IX. c. 35. quod inter insulas piscatu unionum celebres *præcipue laudantur circa Arabiam in Persico sinu maris Rubri*: ubi *rubri maris nomen* sinui Persico tribuit; ut ante lib. VI. c. 26. scribendo: Persæ *Rubrum mare semper accoluere, propter quod is sinus Persicus vocatur*; Pomponius Mela etiam lib. III. c. I. Rubrum mare dividit in duos sinus, Persicum & Arabicum; sic Polybius in fine lib. IX. scribit videri Euphratem εἰς Ἐρυθρὰν ἐμβάλλειν θάλατταν *exonerare aquas in Erythræum mare*, id est in Persicum sinum. Unde uniones Martialis lib. V. Epigr. 38. vocat *lapillos Erythræos*, quia Rubrum & Erythræum est idem; & lib. VIII. Epigr. 28. gemmas Erythræas, quod in mari Persico crescerent, idque Rubrum & Erythræum consequenter dici soleret: idem Plinius lib. XXXVII. c. 5. post Adamantem *proximum* apud Romanos, *Indicis Arabicisque margaritis* pretium esse testatur. Isidorus Characenus autem in descript. Parthiæ, & ab Athenæo lib. III. Deipnos. c. 14. citatus, docet rationem, ob quam illæ margaritæ in sinu Persico copiosissimæ pretium servent, nempe quia periculosus est piscatus, & duas duntaxat conchas ambabus manibus capere urinator valeat, seduloque ipsi cavendum sit, ne apertæ sint, & manus includant; quoniam digitos illius abscinderent, & hoc cruciatu ipsum necarent; tamen effrænam id prædæ aviditatem non coercet, neque impedit quominus incolæ Baharain mense Junio & Augusto margaritas ducentis aut trecentis cymbis expiscari adhuc perseverent, & pretium ex illis partum quinquaginta ducatorum millia superet, ut idoneis testibus probavit l. c. Bochartus, quod consulenti patebit, ipsum enim non exscribimus; claudat agmen testium uniones in sinu Persico & Orientali Arabiæ latere copiose inveniri declarantium Nearchus inter Alexandri Magni Duces celeberrimus apud Strabonem lib. XVI. λέγει δὲ καὶ ἐν ἀρχῇ τοῦ Περσικοῦ παράπλου νῆσον, ἐν ᾗ μαργαρίτης πολὺς, καὶ πολυτίμητός ἐστιν. ἐν ἄλλαις δὲ ψῆφοι τῶν διαυγῶν καὶ λαμπρῶν; *dicit autem in Persici sinus initio insulam esse, in qua multi & pretiosi uniones sunt: in aliis autem clari & pellucidi lapilli*. Si quis plura cupiat, adeat Arrianum in Periplo Maris Erythræi, & ejus Interpretem Stuckium, qui autiquis & recentibus suffragiis id confirmat.

Luculentus ille testis lapillos pretiosos esse in illis ipsis insulis, quas Pison in sinum Persicum irrumpens alluit, dicendo, videtur totum nostrum propositum perficere: sed nonnulli forsitan in contrariam sententiam inclinantes judicabunt, nequidem ad ipsum pertinere, quia agitur de Paradiso, & regione mediterranea, cui uniones in medio Oceani sinu producti minime conveniunt, unde *maris poma* a Tertulliano de habit. mulieb. nuncupantur, & eo ipso quod pretiosi illi lapilli unionum vicini dicuntur, in Paradisi descriptione non possunt locum habere: verum consulatur Moses, patebit non collocare gemmas aut lapides in Paradiso; neque enim in Edene ipsa, licet longe lateque in omnes partes expanderetur, & duntaxat scribere, quod unus e quatuor fluviis ex Edene exeuntibus, postea demum allueret Havilam longe versus sinus Persici initium protensam; præterea ex iis, qui de Margaritis scripserunt, & a Bocharto citantur, conchas quidem in Mari inveniri, sed tamen flumina & rapidiora etiam amare patet, ita ut non esse inauditum quosdam e sedibus suis maris impetu avulsas & influxu ipsa flumina retrogredi cogente in regionem Edenis proximam fuisse delatas: Sic Nearchi & aliorum de gemmis ad rem nostram apprime facit testimonium, & simul incipit ostendere Havilam

vilam lapidibus pretiosis etiam fuisse conspicuam; quosdam alios expedit addere, ut res extra omnem controversiam constituatur. S. Scripturæ autoritas ceteris præire debet, ea autem I. Reg. x. & 2. Chron. IX. testatur Reginam Sabæ aurum, aromata, & pretiosos lapides copiose attulisse ad Salomonem, & his donis, quorum ejus regnum erat feracissimum, cum ipso de gloria voluisse contendere; Ezech. XXVII. 22. Sabæi ejus regni incolæ aromatibus & omni lapidum pretiosorum genere negotiantur, & exotici Scriptores certatim referunt Arabiam inter regiones ob omnigenas gemmas celebriores, & in lib. XXXVII. Plinii, qui de gemmis pretiosisque lapidibus totus est, utramque paginam fere complet Arabia; quamobrem sufficiet in ea observare lapides pretiosos, qui in supradictis versionibus denominantur: Beryllus præcipuus est, cum Syro, Arabi, & Chaldæis Interpretibus placuerit; quia autem Smaragdis annumerantur a Plinio lib. XXXVII. c. 5. *& eandem multis naturam, aut certo similem habere Berylli videntur*, obvios esse constat in Arabia, & adeo vulgares, ut domuum constructionem ingrediantur; sic enim ibid. Plinius: *Juba est autor Smaragdum, quem Cholan vocant in Arabia, ædificiorum ornamentis includi &c.* חולאן *Chaulan* hodie vocant Arabes eandem regionem, quam Moses Chavilam, aut Havilam dixit & gemmam in ea natam ab ea etiam denominari est verisimile: in *India Originem habere Beryllos* addit, & *raro alibi reperiri*. Theophrastus etiam de Smaragdo: *σπανία καὶ τὸ μέγεθος οὐ μεγάλη, rarus est & amplitudine non magnus*; nempe extra natale solum; addit enim: *nisi credamus Egypti Regum annalibus: iis quoque traditur Regi illorum Smaragdum dono missum quatuor cubitorum longitudine, & trium cubitorum latitudine: etiam in Jovis obelisco quatuor Smaragdos quadraginta cubitorum longitudine & latitudine partim quatuor partimque duorum: & iis autem qui a multis* Bactriani dicuntur maximus est in Tyro, pila enim satis magna est in Herculis templo; nisi forte sit ψευδὴς Σμάραγδος, *καὶ γὰρ τοιαύτη γίνεταί τις φύσις pseudo-Smaragdus; nam talis naturaliter gignitur*: Smaragdus hic minus perfectus, sed mole major potuit Berylli nomine, a nobiliori, qui (teste Plinio l. c.) non debuit neque potuit scalpi, commode distingui; sane lapides *Sobam* humeris summi Sacerdotis impositi prægrandes, & sculpturæ capaces fuerint, quoniam unicuique eorum sex Patriarcharum nomina insculpi debuerunt. Jam vero inter varias Beryllorum species inprimis commendatur Chrysophrasus, qui virentem Smaragdi colorem, licet paulo pallidiorem, & in aureum colorem modice exeuntem, etiam conservat, quare Prasius placuit nonnunquam Græcis Interpretibus, quia affinem & æqualem cum Smaragdis habet societatem, atque ambo paululum accedunt ad Topazium in insula Arabica primo inventum, & postea ex nidis avium sæpius collectum in eadem Arabia, ut de natura harum gemmarum agens Plinius testatur lib. XXXVII. c. 8. & propterea nostro proposito, ut præcedentes, inservit: cap. 5. ejusdem libri Plinius observat postremam Beryllorum speciem Crystallis fere similem esse, idcirco a præcedenti sententia non longe recesserunt, qui Sapphirum verterunt, si quidem Crystallus fossilis & ex purissima aqua vehementi, & diuturno frigore concreta, ut nomen declarat, constans, pro prima & nobiliori specie, habere בלור Belour legitur in loco insigni Arabis Abenbitar apud Bochartum part. II. Hieroz. lib. 6. c. 16. *Belour* autem levi transmutatione in Beryllum transivisse supra observavimus, unde Exod. XXIV. 10. Deus apparet habens sub pedibus opus candidum ad instar Sapphiri; Arabs autem Erpenianus reddit בלור *Belour*, at Valtonianus Bib. Lond. מהא *maha* Crystallum a מהא *candore eximio nituit* sic dictam; neque comparatio ejus ibid. cum cœlo albicante & sereno facta sinit has expositiones in dubium revocare; quamobrem ad illum locum R. Aben Esra multis probat post R. Sadiam כי ספיר לבן quod Sapphirus est alba, neque duntaxat rubra, & unionum candorem refert; itaque eædem gemmæ variis induntur coloribus, & idcirco diversis etiam nominibus non raro insigniuntur; & quidem *Σάπφειρος πορφυρίζων Sapphirus purpurascit*, inquit S. Epiphanius de XII. gemmis §. 5. & Plinius lib. XXXVII. c. 9. *Sapphirus & aureis punctis collucet, cæruleæ & Sapphiri, raroque cum purpura; raro cum purpura* esse dicit, & candori propior, *quadam Crystalli cognatione*, ut perfectum Adamantis colorem assequatur: quamobrem Pancirollus rerum memorabilium part. II. quæ est de *recens inventis*, inter eas tit. 7. refert *modum Sapphyrum dealbandi, ut Adamas videatur*; & testem dat ducem Venetum, in cujus præsentia Sapphyrus sic dealbata pro Adamante habita est, artisque peritis judicibus non potuit a genuino Adamante discerni, denique Plinius lib. XXXVII. c. 5. docet quod Indi Crystallo invento gemmas, sed præcipue Beryllos adulterare repererunt, scilicet ob similitudinem: quod autem præcipuum est, hæc Crystallus Adamanti cognata, &

Adamas ipse eximius, & Berillus ille Sapphirinus in Arabia, atque juxta *Pisonem* teste de Beryllo Dionysio Perieg. vers. 1011. de Babylonia; Ναὶ μὲν καὶ χρυσοῖο φέρει χαριέστερον ἄλλο, ὑγρῆς βηρύλλου γλαυκὴν λίθον, ἣ περὶ χῶρον φύεται προβολῆς Ὀφιήτιδος ἔνδοθι πέτρης, *jam fert auro omni aliud præstantius, nempe humidi Berylli glaucum lapidem, qui in loco illo nascitur intra Ophiten lapidem apud effluvia torrentium*. De Sapphirino vero Beryllo Abenbitar l. c. & Plinio de Adamante lib. XXXVII. c. 4. ad lapides Sardios, aut Sardam, quod spectat, hic lapis in pectorali primus πυρωπὸς τῷ εἴδει καὶ αἱματοειδὴς, Σαρδίῳ ὠ ἰχθύι τεταριχευμένῳ ἐοικὼς, *apparet igneus, & sanguinis colorem refert, Sardæ pisci sale condito similis*, teste S. Epiphanio l. c. §. 10. Bochartus noster mavult eum שרד *sered rubricæ*, qua fabri lignarii sua ligna delineant, assimilari, & ab ea etiam denominari; revera autem fuisse rubrum, & respondere τῷ ארם vidimus, nunc ut pateat Pisonem alluisse terram in qua crescebat, S. Ephiphanio nominatim dicitur Σάρδιος Βαβυλώνιος *Sardius Babylonius*, utpote Babyloniæ ad ripam occidentalem Pisonis sitæ peculiaris: Plinius etiam lib. XXXVII. c. 7. testatur quod Sarda *laudatissima circa Babyloniam cum lapicidinæ quædam aperirentur, hærens in saxi corde* reperta est. Huic gemmæ affines sunt Onyx & Sardonyx, quæ rubedinem Sardæ duntaxat temperant, quasi interposito ungue humano; nempe ὄνυξ *unguis*, qui quidem albus est, sed ob subjectam cutis rubedinem rutilescit, eodem nomine gemma rubicundula etiam significatur, & ob suam cum Sarda affinitatem Sardonyx suum similiter obtinuit nomen, & ambas propterea ad exponendum *Soham* vidimus adhiberi: ambæ autem in Arabia inveniuntur; & *Arabicæ excellunt candore circuli prælucido*, inquit Plinius lib. XXXVII. c. 6. de Sardonyche; & ibid. Arabicam Onychen postea describit: hinc idem de celeberrima gemma, quam Polycrates Samius Tyrannus in medium mare sponte projecit, ut voluntario hoc damno modum nimiæ prosperitati poneret, quamque piscis eximia magnitudine Regi datus escæ vice raptam ut ostentum faceret, in culinam ejus retulit, *Sardonychen fuisse constat*, inquit ejusdem lib. c. 1. Solinus autem cap. XXXVI. de *Arabia* scribit: *ex istius litoris sinu Polycrati Regi advecta Sardonyx gemma prima in orbe nostro luxuriæ excitavit facem:* Herodotus quidem scribit Smaragdum fuisse lib. III. §. 41. Verum quandoquidem Romæ ex dono Augustæ asservabatur, scriptoribus Romanis non possumus fidem derogare, & ex hac diversitate duntaxat colligimus de eadem gemma fuisse diversa autorum judicia, ut nemo miretur diversas præcedentium autorum expositiones, sed potius admiretur tantam inter diversas illas gemmas affinitatem fuisse ut si una earum in vicina Pisonis regione occurrisset, ad illum designandum sufficere potuisset, & idcirco cum eas omnes in ea manifeste invenerimus, nullum esse dubium potest, quin Pison revera sit alveus occidentalis fluvii ex Edene in sinum Persicum se immergentis.

Sextum denique argumentum peti potest a quibusdam Pisonis vestigiis in historia superstitibus; nam apud Arrianum in Perip. Maris Erythræi mentio fit emporii ad sinus Persici extremitatem siti κατὰ Πασίνου χώραν κατὰ ποταμὸν Εὐφράτην *juxta Pasini regionem Euphrati fluvio adjacentem*. Pasina enim illa regio a Pisone antico, qui tunc dictus est Euphrates; jamjam enim demonstrabimus Pisonem fuisse Euphratis appendicem, aut potius ipsissimum Euphratem, qui post suum cum Tigri confluxum pristinas in latus occidentales revocat aquas, tandemque in sinum Persicum eas defert. Fateor tamen non omnes jus illud postliminii ipsi concedere; sed quasi, cum ejus aquis nomen etiam absorpsisset Tigris, unius deinceps Tigris mentionem facere, ita ut post divortium aquarum duplex conspiciatur; in horum numero est Ptolemæus, qui lib. VI. c. 3. describit τὸ δυτικὸν στομὰ τοῦ Τίγριδος, καὶ τὸ ἀνατολικὸν *occidentale os Tigridis & orientale*, & utrumque alveum per duo illa ora ingredi sinum Persicum docet: alii propterea diversis nominibus illa ejusdem Tigris ostia ad evitandam confusionem exprimere voluerunt, & eum Tigris alveum, qui Euphratis paludes ingreditur κατὰ τὰς ἐκβολὰς ὀνομάζεσθαι Πασίτιγριν *ad ostia nominari* voluerunt *Pasitigrim*: ostia dicit, ut plura Tigrim habuisse declaret Strabo, varias diversorum illorum autorum sententias ennarrando lib. XV. & Euphratis etiam mentionem facit; sed eo intelligenda est pars illa Euphratis, quæ ex eo deducta est per Babylonem, & ab ea in plurimos rivos ad irrigandam Babyloniam & vicinam Arabiam, quarum ariditate nonnunquam exhauriebatur, sed recuperatis postea aquis ad mare etiam perveniebat, ut passim asserit Strabo; & præsertim lib. II. lib. X. & XVI. quo etiam patet hoc Euphrate e mari Persico peti navibus recta Babylonem, ut Tigri Apamia & Persidis urbes petebantur: hac ratione verus Euphratis alveus Tigri semel conjunctus sub ejus nomine non desiit latere, & Πασίτιγρις ut distingueretur a genuino Tigris alveo dictus; in hoc autem nomine composito adhuc

Piso-

Pisonis vestigium, quasi *Pisotigris* nuncuparetur ad significandum Pisonem Tigri ad priorem societatem conjunctissimum; sic Pasitigris, & Pasina regio, Pisonis veteris memoriam videntur conservasse.

Ad textum Mosis redire convenit; *& nomen fluvii secundi* גיחון *gichon*, nomen illud duplicem potest admittere originem; vel enim formatur a גוח *gouach*, *erupit*, quia uno alveo diutius coerceri cum Euphrate impatienter ferens, & propriæ velocitatis memor sibi viam vi summa aperit, vel a גחון *venter*, quo repunt serpentes & cetera animalia pedibus carentia, quoniam licet celeriter repat, repit tamen, & a pristina velocitate, quam e montibus decurrens, & per abrupta præcipitanter irrumpens ostentabat, plurimum remittit: prior magis convenit priori Tigris nomini, ut paulo post ostendemus, hujus etiam nominis usui; nam *gichon* nuncupatur torrens e montibus Hierosolymæ vicinis rapide devolvens aquas in Siloam, ad quem unctus Davidis jussu Salomo I. Reg. I. 30. unde in Paraph. Chald. pro Gichon vix noto, exstat Siloa: illius aquas út e loco sublimiori & rapidas legitur Ezechias deduxisse in urbem Davidis montis Sionis impositam. Sic Oxus Bactrianes ingens fluvius continuis montium altissimorum jugis orbiculatim circumdatus, & decem alia flumina excipiens rapidissime fertur, & propterea גיחון *gichon* similiter nuncupatur in Arabica Timuri historia: quod arguit Mosis gichonem non esse fluvium supra descriptum planum Babyloniæ latus lente alluentem, & nonnunquam etiam restagnantem; sed orientalem fluvium Susianæ altioris, & montosæ obices violenter superantem, quod verba sequentia confirmabunt.

Ipse circumiens totam teram כוש *Chusi*; tota difficultas pendet ab illa terra; sed Bochartus illam superavit, probavisse enim asserit his verbis Phaleg lib. III. c. 5. quod Chutæi iidem qui Cissii, nempe Susianæ incolæ ad ortum Babyloniæ, ut alibi nos probavimus. Et lib. IV. c. 12. supposita probatione illa absque ullis argumentis, dicit: nempe Chusæus erat Nimrod, id est Arabs, & concivium suorum ope ad imperium evectus est. Proinde in præmium virtutis Chusæis suis indulsit Nimrod regionem Trans-Tigritanam, quæ ex illorum nomine כוש Chus Hebræis, & כות Chuth Chaldæis, & Κίσσια Cissia Græcis, & Persis חוזסתאן Chuzestan dicta est, id est provincia Chus: sed hanc duntaxat summam sententiæ ab ipso confirmandæ habemus, argumenta nobis desunt, & ejus industria, eruditioneque summa opus esset, ut in eandem quam meditabatur formam, disponeremus; attamen delineatis vestigiis conabimur insistere.

I. Affirmat Nimrodem fuisse Chusæum, quod supra observavimus, neque potest negari, cum e Genes. X. 7. constet Nimrodum esse Chusi filium, & præ ceteris insignem. 2. Eo ipso quod Chusæus fuit, patere Arabem etiam fuisse, eam autem consequentiam nemo potest negare post validas rationes cap. II. ejusdem libri expositas, & supra observavimus Bacchum sub cujus nomine solet latere Nimrod, propterea Arabem dici, & addere debemus ipsum Bacchi nomen esse Arabicum, atque à בכא *bacca flevit*, formari præter alteram originem supra allatam posse; idcirco Hesychius scribit Βάκχον, κλαυθμόν, φοίνικες, *Phoenices Bacchum vocant fletum*; Evius etiam dicitur; unde Horatius: *dissipat Evius curas edaces*: ab אוה *avah doluit*, & *planxit*; inconditi enim sunt Bacchantium clamores, & ad lugubres ululatus propius accedunt quam ad lætitiam, luctumque solent inducere. 3. Concivium suorum ope ad imperium pervenisse etiam Diodori Siculi testimonio confirmavimus, licet enim observaverimus Arabiam initio cessisse in hæreditatem Semi liberis, quorum multi revera sedes in ea habuerunt, nihilominus probavimus Chavilam, aut Havilam Chusi filium cum plurimis consanguineis in eam fecisse incursionem, & magnam illius partem, si non totam subegisse, atque victoriæ jure subditæ regioni suum imposuisse nomen: quin verisimiliter existimavimus Chavilam illum Arabiæ domitorem designari Ariæo illo Arabum rege, qui cum exercitu suo Nimrodem in Babylone debellanda adjuvit, & nomina sensu convenire etiam observavimus, atque licuisse insuper dicere nomen Jovis Ἐνυελίς, quem celebrat Hestiæus apud Josephum lib. I. Antiq. c. 5. ei etiam tribui posse; nam hoc ab ἐνύω *occido* formatur, quod officium est Martis, qui Ἄρης dicitur, si Græcis credamus ab ἀρὰ *noxa*, quasi ἀραῖος *noxius*: sed cum primum bellum ab Arabibus gestum fuerit, & Arabibus אריש *aris* sit *princeps & dux*, qui bello dignitatem acquisivit, Chavila convenientiori nomine non potuit designari, quam illo nomine Arabico, quod Græci linguæ suæ accommodare sategerunt. Quicquid sit, Homerus Il. 8. vers. 651. Merionem assimilat Ἐνυαλίῳ ἀνδειφόντῃ, & parvus ejus Scholiastes e regione ponit τῷ Ἄρει Marti, & sic proxime accedit Ἐνυάλιος Hestiæi ad Ἀρεαῖον Arabiæ regem Diodori Siculi: cum tamen Ἀρεαῖος formetur ab Ἄρης, ut ἄρειος Martium & bellicosum virum significat, mal-

mallem ſimiliter exponere Ἐνυάλιον cum Heſychio, cui non tantum eſt ὁ Ἄρης, ſed etiam ἢ πολεμικὸς, ἢ ὁ πολεμιστὴς *militaris aut bellator*; ſane Sophocles in *Ajace* flagell. eos diſtinguit in hoc verſu Chori: ἢ χαλκοθώραξ, ἢ τιν' Ἐνυάλιος *aut ferreo thorace armatus*, *aut Enyalius*; idcirco Scholiaſtes optime annotat: διαστέλλει τὸν Ἄρεα ἀπὸ τοῦ Ἐνυαλίου ὡς ἕτερον δαίμονα ὑπουργὸν τοῦ μείζονος, *diſtinguit Martem ab Enyalius, ut dæmonem miniſtrum majoris*, & declarat Martem ferreo thorace ſuo manifeſte demonſtrari; itaque Mars, Bacchus, & Nimrod unus & idem vir Chuſi filius; Ariæus, Enyalius, & Chavila unus etiam vir illius frater, & hyperaſpiſtes, qui poſt ſuperatos unitis viribus, & conſiliis Arabes, eorum exercitum ad debellandos Babylonios deduxit. 3. Dediſſe Nimrodem Chuſæis ſuis ſive Arabibus poſt victoriam in operæ egregie navatæ præmium regionem tranſtigritanam, quæ ex illorum nomine dicta eſt, probabiliſſimum eſt; a prima enim antiquitate mos invaluit, ut victores devictarum gentium dignitatibus & bonis potirentur, & ut jus illud armis partum uſu confirmarent, atque cogerent gentes illas omnem avitarum hæreditatum memoriam deponere, ſolebant in remotiſſimas regiones transferre, ut novi coloni tranquillius poſſiderent ablata illis prædia; ſic Joſephus poſt acquiſitos Pharaoni omnium Ægyptiorum agros frumento ad ſuſtentandam illorum vitam diſtributo, Ægyptios ab una Ægypti regione, in oppoſitam migrare juſſit, ut omnes agnoſcerent ſe nullum jus amplius habere in agros, quos obtinebant, & regi penitus ſe oppigneratos agnoſcerent, ſic Salmanaſſar expugnata Samaria, & debellatis Iſraelitis, eos deportari curavit in Aſſyriam, & ingentem ſubditorum ſuorum copiam in vacuas illorum ſedes miſiſſe legitur 2. Reg. XIX. Obvium eſſet has conſuetudines pluribus exemplis comprobare, ſed omnes Orientalium Regum hiſtoriæ ſatis notæ ſunt, quæ his ſuffragantur; nam apud Herodotum lib. II. Seſoſtris poſt debellatam magnam Aſiæ partem, victrices copias ſubditis regionibus impo nit, quarum Colchi reliquiæ exiſtimabantur; & contra innumeros captivos ex ſubactis regionibus ſecum abduxiſſe legitur; ſic plures alii; & idem mos ad hunc uſque diem conſtanter obſervari patet ex relatione Petri della Valle ad Urbanum VIII. Pontificem an. 1613. de Giorgianis a Perſiæ rege devictis, quos fere omnes in Perſiam migrare voluit: ſecundum igitur inſtituta illa non licet dubitare, quin ſubacta Babylonia & vicinis provinciis, nobiliores & locupletiores incolas, quibus minus fidebat, inter fidos ſuos Arabes relegaverit, & Arabum militum præſidia juxta ſe diſpoſuerit, & debellatorum prædiis donaverit; revera in ipſa Perſide Arabes habuiſſe colonias certiſſimum eſt; & Dionyſius Periegetes Perſiæ gentes enarrans, ſic incipit: Πρῶτα Σάβαι &c. *primo Sabæ*, & his Paſargadas dat vicinos; Scholiaſtes autem ad hunc verſum, qui 1069. eſt, annotat; ὅτι Σάβαι ἦσαν μὲν καὶ Ἀραβικοὶ, ὡς προεγράφη, εὕρηνται δὲ καὶ ὧδε Περσικοὶ, *quamvis Sabæ ſint Arabici, ut ſupra ſcriptum, inveniuntur tamen hic etiam qui Perſici ſunt*. Et Ptolemæus lib. VI. c. 2. in Media juxta litus Hyrcani maris collocat *Sabæas aras*: ſed expedit regionem Chus ad litus fluminis Orientalis, qui ex Edene egreditur, diſquirere; ibi autem proſtat Suſiana, & Suſa metropolis, quibus lilia nomen dederunt; τὰ δὲ Σοῦσα οὕτω καλοῦνται διὰ τὸ τοῦ τόπου ἀνθηρὸν, σοῦσα γὰρ ἐγχώριος τὰ κρίνα; *Suſa enim ſic nuncupantur ob amoenitatem loci floridi; Suſa enim indigenarum lingua ſunt lilia*; Sic Chares & Ariſtobulus apud Athenæum lib. XII. c. 6. & ceteri Græci in plurale Græcum deformantes, nomen Perſicum שושן *Suſan* lilium, cui radicalis eſt N, quam ſolent Græci abjicere e vocibus extraneis, ipſa urbs etiam *Suſan* nuncupatur, ut videre eſt Esher. lib. I. 2. & a liliorum etiam amoenitate formatum Suſannæ nomen. Licet autem Suſianam ſecundum hanc etymologiam non habeat affinitatem cum Chus advena, aliunde habere idem autor teſtatur, addendo; τῆς δὲ Περσικῆς ταύτης τῆς Σούσων χώρας οἱ ἐγχώριοι οὐ μόνον Σούσιοι, ἀλλὰ καὶ Κίσσιοι λέγονται; *incolæ autem hujus regionis Perſidis non tantum Suſii dicuntur, ſed etiam Ciſſii*; id ipſum teſtatur Strabo lib. XV. κισσὸς autem eſt hedera Baccho in deliciis, & ſingulare militum illius ornamentum; unde ipſe Κισσεὺς quaſi *hederaceus* dicebatur; quamobrem ejus milites in colonias ab ipſo ſive Nimrodo deducti, merito Κίσσιοι *Ciſſii* ab ipſo dicti. Quin Κίσσιοι & Ciſſii poſſunt dici pro Chuſiis, aſpirata in tenuem mutata: Strabo ibidem addit Suſam a Titono Memnonis patre dici conditam, & matrem ejuſdem Memnonis dictam Κισσίαν *Ciſſiam*, atque arcem illius metropolis ab eo dictam Μεμνόνειον *Memnonium*. Herodotus etiam lib. V. §. 54. de Suſiis ſcribit; τοῦτο δὲ Μεμνόνειον ἄστυ, *hæc urbs Memnonia urbs vocatur*, & in Ciſſia eſſe ait. Potiora addam; Pauſanias in Phocic. varias deſcribens pictas in tabulis imagines habet; παρὰ δὲ τῷ Μέμνονι καὶ παῖς Αἰθίοψ πεποίηται γυμνὸς, ὅτι ὁ Μέμνων βασιλεὺς ἦν τοῦ Αἰθιόπων γένους· ἀφίκετο μέν τοι ἐς Ἴλιον οὐκ ἀπ' Αἰθιοπίας, ἀλλὰ ἐκ Σούσων

τῶν

τῶν Περσικῶν καὶ ἀπὸ τοῦ χοάσπου ποταμοῦ. τὰ ἔθνη πάντα ὅσα ᾤκει μεταξὺ, ὑποχείρια πεποιημένος. *Prope Memnonem autem puer Æthiops nudus depingitur, quia Memnon rex erat Æthiopicæ gentis; attamen venit ad Ilium, non ex Æthiopia, ſed ex Suſiis Perſicis, & Choaſpe fluvio, poſtquam debelaſſet omnes intermedias gentes.* Jam vero Memnon ille Suſiorum Perſicorum autor dicitur Æthiops, eo ſenſu quo Æthiopia ſolet pro Arabia brevi freto ab ipſa ſejuncta uſurpari, & prima forſan Æthiopum origine: ſane Homerus initio Odyſ. commemorat Αἰθίοπας τοὶ διχθὰ δεδαίαται, *qui bifariam diviſi ſunt;* aitque οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ' ἀνιόντος, *alii quidem ſunt occidentalis ſolis, alii vero orientalis;* nempe occidentales ſunt Africani Æthiopes, Arabicis in orientem eorum reſpectu vergentibus; Homero ſuffragatur Strabo lib. I. & poſt multa ad propugnandum, quod ipſi Æthiopes probe cogniti erant, atque totam meridionalis Oceani oram occupabant, concludit his verbis, Αἰθίοπες δίχα διῄρηνται φυσικῶς τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ, *Æthiopes ſunt natura bifariam diviſi ſinu Arabico:* propterea Eupolemus autor vetuſtiſſimus & ante ſexdecim ſecula inter hiſtoricos celebris apud Euſebium Præparat. Evang. χοὺμ πατέρα τῶν Αἰθιόπων, *Chuſum* voluit dicere, licet pro libitu liceat extranea vocabula declinare; non eſt autem dubium, quin Chus ſit intelligendus, cum ibidem aſſerat fuiſſe fratrem Chanaanis; per hos autem Æthiopes debemus intelligere Arabes; idcirco Jonathan ben-Uziel, qui non contentus Noachidarum ſeriem cum Hebræo referre, ſed inſuper unicuique proprias aſſignat ſedes, Geneſ. x. v. *6.* habet: filii Cham, Chus, & Mitſeraim, Put, & Canaam ושום אפרכיותהום ערביא ומצרים ואליחרק וכנען, & *nomen provinciarum earum* (eas enim ἐπαρχία, qua utitur, ſignificat) *ſunt Arabia, Ægyptus, Alicrok* (quæ ignoratur) & *Chananitis.* Non opus eſt diutius in hoc immorari, cum abunde probetur in Phaleg lib. IV. c. 25. Chus occupaviſſe Arabiam, & a ſuo nomine vocaſſe, unde Num. XII. I. uxor Moſis nuncupatur כשית *Chuſſitis* quæ *Arabica erat*, ut patet Exod. II. & *Æthiopiſſa* dicitur in verſione Arabica, Græca, Vulgata Latina, Gallica noſtra, & Lovanienſi, Gallica & Italica Deodati, Anglica &. Eadem ratione igitur Memnon Æthiops dictus, quia Arabs, & Chuſſæus, atque hoc nomen, ut durius a Græcis emollitum, ac Ciſſium dixerunt. Ne autem ulla dubitandi ratio ſuperſit, Strabo lib. XVII. Memnonis Regiam, plurima ejus monumenta, ut Labyrintum & Statuam ab antiquis decantatiſſimam in Ægypto celebrat, & Dionyſius Periegetes etiam verſ. 250. deſcribens

Θήβην ὠγυγίην ἑκατόμπυλον, ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλουσαν ἑὴν ἀσπάζεται ἠῶ

Thebas priſcas (ab Ogygo Thebarum Bœotiarum Rege pervetuſto, de Thebis tamen Ægyptiacis hic agitur, & in uſum evaſit Ogygius pro priſco) *habentes centum portas, ubi reſonans Memnon ex oriente ſalutat Auroram,* ſuam matrem; ejus quippe Statua arte tanta facta fuit, ut ſimul atque primi illius radii oris tangerent foramen dulces emitterentur ſoni, quibus Auroræ ortus celebrari videbatur: Si autem Memnon inter antiquiſſimos Ægyptios rex fuit; conſequenter etiam conſanguineus Chuſſæorum, imo Chuſſæus; nam Arabes Ægyptiorum fratres & affines erant, atque certatim convolare in auxilium Nimrodi, qui benemeritis proximam Regiæ urbis provinciam ipſis dedit, & ab ipſis *Chuſiam* dici voluit; neque Suſis duntaxat reperiuntur monumenta illius illuſtriſſimi Chuſſiorum Ducis, ſed per totam Aſſyriam; Nam Oppianus lib. II. Cyneg. commemorat.

Μεμνόνιον περὶ ὅδ' Ἀσσύριοι ναετῆρες
Μέμνονα δακρύουσι κλυτὸν γόνον Ἠριγενείης

Memnonium fanuam circa quod incolæ Aſſyrii Memnonem inclytum filium Auroræ deflent; Strabo lib. XV. meminit ejus ſepulchri in Aradiorum regione circa Paltum ſiti; alterum in Troade antea commemoraverat lib. XIII. & pagum etiam ejus nomine inſignitum; quod mirum videri non debet, cum κενοτάφια ſeu ſepulchra honoraria in pluribus locis ſolerent illuſtribus viris dicari, ut Hectori Æneid. III. Tot monumenta clamant egregia geſſiſſe facinora Chuſſæum Memnonem, & utiliſſimam in conſtituendo Chaldæorum imperio cum Chuſſiis ſuis navaſſe operam, quandoquidem ejus memoria a poſteris tanto ſtudio exculta fuerit, coloniis ingentem provinciam repleverit, urbes condiderit, iis gentilitium nomen ſuum in media Semi poſterorum hæreditate impoſuerit, & poetas fere omnes tam Græcos quam Latinos a ſuo ævo, & ſua patria tantopere diſſitos induxerit, ut ad illuſtranda poemata nomen illius mutuarentur, atque immenſis celebrarent laudibus; quamobrem Moſes his omnibus longe antiquior non potuit melius deſignare limites Gichonis, quam ſcribendo ipſum alluere *Chuſſidem* eo tempore, quo Chuſſii, vel ut Græcis placet, Ciſſii florebant, eorum coloniæ vicinas regiones implebant, & illuſtria Ducis eorum facinora in omnium homi-

hominum memoria, & præſertim inter Arabes conſanguineos, quorum conſuetudine diu fruitus fuerat Moſes; vigebant, licet fabuloſe ad Trojanum bellum ejus mortem demum referat Homerus.

Alterum argumentum, quod præcedens mirabiliter illuſtrabit, petitur a genuino nomine, quo Ciſſii illi, vicinique Perſæ, & ceteri Orientales populi provinciam a Græcis Ciſſiam dictam ſemper vocarunt, & adhuc vocant, nempe חוזשתאן *Chuzeſtan*, id eſt *provinciam Chuſi*, & ipſos Suſianos & totam gentem a Perſide ad Tigrim חוז *Chaus* dici teſtatur in Lexico Golius; ſic in Geographia Nubienſi; in Latina quidem verſione paſſim legitur: *Chureſtan* ut VI. part. Clim. 3. *ex parte meridionali Chureſtan fluit amnis* טאב *Tab* (qui Ptolemæo lib. VI. c. 3. & 4. vocatur Ὀροάτις, & inter Suſianam & Perſidem ut communis utriuſque limes repræſentatur) dividens ipſam Chureſtan a *Pares* (id eſt Perſia, nempe פרש *eques*, quia equitatu pollet, & hoc Hebræum nomen ab Arabibus, & Perſis conſervatur:) Verum Schikardus in ſuo *Tarich* ſemper habet *Chuzeſtan*; ſed illud diſcrimen nullius eſt momenti, & ab uno punctulo duntaxat pendet, quod impoſitum literæ Z facit, at ſine illo eſt R: Jam vero punctum illud in vocibus obviis ſæpe negligitur, quia a lectoribus facile ſuppletur; præterea R blæſum apud illos proxime ad Z accedit. Benjamin Judæus in Itinerario de Perſia loquutus ſcribit: ומשם חזרתי לארץ כוזסתאן על שפת תרקל *& inde redii ad regionem Chuzeſtan quæ juxta ripas Tigris*: Tigrim vocat Gichonem a confluvio Euphratis cum Tigri delapſum, & ut addit defluentem in mare Indicum, ſive Perſicum; poſtea mentionem facit regionis האילם Haoulam, & obſervat incolas eſſe בני כוש *filios Chuſi*, dicerem de Elymæis populis loqui, ſed itinere ſeptem dierum non ſunt diſſiti a Chuſiis noſtris, ut illi ſecundum Benjaminum; præterea paulo ante obſervaverat, quod כוזסתאן היא עילם *Chuſeſtan eſt Elam*, & Elymęi revera in Suſiana a Ptolemæo collocantur, licet perperam Eldimæi ſcribantur: iter Benjamini Indiam verſus tendebat; ſicque novam Chuſsiorum coloniam exhibet in proxima regione. Si nunc enarrarem omnia recentiorum autorum teſtimonia, non finirem; ſufficiat igitur obſervaſſe omnes Scriptores unanimiter referre inter hodiernæ Perſiæ provincias *Chuſiſtan*, vel ob rationes ſupra dictas *Churiſtan*: Sic Schikardus in Regum Perſiæ *Tarich* refert Omarem Kalipham an. 21. Hegiræ opera Moſis Aſcharæi occupaſſe *Chuſitaniam*. Jo: Cartwrigtus Anglus in Itinerario obſervat Suſianam, nunc Cuſeſtan dici, & ad Occidentem habere Meſopotamiam. Jo: Boterus in relatione de regno Perſarum, deſcribendo amplitudinem regni ab Iſmaele Sophi conſtituti, enumerat *Cuſitan* a Suſianis olim occupatam; denique Interpres Arabs Bibl. Lond. Gen. x. 22. pro *Elom* reddit חורשתאן *Churiſtan*.

Romanis & Græcis etiam illa Chuſiorum colonia inter antiquos Perſas conſtituta innotuit: Plinius enim lib. VI. c. 27. meminit Coſſæorum, & Choſſiorum, qui Suſianis ab Oriente erant. Strabo etiam lib. XI. qui ad montana Mediæ eos promovet, & rapto vivere obſervat, ut Arabum mos eſt; & XVI. etiam lib. Ptolemæuſque Κοσσαίους in Suſiana verſus Aſſyriam collocat. Neque exigua in nominibus varietas nos morari debet; cum longe majores in nominibus Barbaris Latini & Græci facere ſoleant.

IV. Denique argumentum ſuppeditabunt Chuthæi ex Aſſyriorum ditione in vacuas traſportatorum Iſraelitarum ſedes; Cuthæi enim & Chuſæi iidem ſunt, & mos eſt Chaldæis Hebræorum ש S mutare in ת Th ſive T blæſum, quod ad S proxime accedit; quin maxima Judæorum pars minimum inter harum literarum ſonum hodie facit diſcrimen: ſed cum de ſcriptura agatur, licet a confuſa pronunciatione orta fuerit, quibuſdam exemplis probanda eſt permutatio ש in ת paſſim ab iis facta; ſic apud Bochartum in Phaleg. lib. IV. cap. 19. qui Hebræis eſt אשור *Aſſur*; Chaldæis dictus אתור *Atur*, unde Aſſyria etiam dicitur Atyria: & *Baſan* etiam *Banat* nuncupatur, unde Batanæa: quia pro Hebræo בשן Chaldæi בתן dicebant.

Hebræis	שבר	*Scavar*.	Chaldæis	תבר	*Thevar*, id eſt *fregit*.
Heb.	שד	*Scad*.	Chald.	תד	*Thad*, nnde τιτθὸς *mamma*.
Heb.	שב	*Scau*, unde תשובה.	Chald.	תב	*Thau*, & תתובא *reverſus eſt*, *& pœnitentia*.
Heb.	שור	*Scor*.	Chald.	תור	*Thor*, id eſt *Taurus*.
Heb.	שום	*Scom*.	Chald.	תום	*Thom*, id eſt *Allium*.
Heb.	שלג	*Sceleg*.	Chald.	תלג	*Thelag*, id eſt *Nix*.
Heb.	שלש	*Scileſc*.	Chald.	תלת	*Thelat*, id eſt *triplicavit*.

Hæc

Hæc exempla continua ſerie ſibi ſuccedentia & ab eadem litera incipientia probant, innumera ſimilia poſſe produci, ſicque eſſe manifeſtum, quod כוש *Chus* Hebraice, & כות *Chuth* Chaldaice non differant, & conſequenter regionem *Chus* fuiſſe in Orientali latere fluvii ex Edene exeuntis, Perſiæque vicinam: revera Ptolemæi tabula v. Aſiæ exhibet *Chuteos* in Carmania deſerta juxta Suſianam, quæ olim eo uſque debuit extendi. Joſephus etiam Antiq. lib. IX. c. 14. teſtatur hos χουθαίους dictos διὰ τὸ ἐκ χουθᾶς καλουμένης χώρας μεταχθῆναι, αὕτη δὲ ἐστὶν ἐν τῇ Περσίδι, καὶ ποταμὸς τοῦτ' ἔχων ὄνομα, *quia e regione Chutha fuerant traducti, hæc autem regio eſt in Perſide, & fluvius inſuper eſt habens hoc nomen;* quod poteſt confirmari ipſo Chuthæorum idolo, quod 2. Reg. XVII. v. 3. nuncupatur נרגל *Nergal;* vox enim illa videtur compoſita ex נור *Ner ignis luminare &c.* & גל *voluit, circumvolvit*, ad ſignificandum ſolem motu ſuo circulari mundum illuſtrantem, quæ ſententia eſt Seldeni de Diis Syris ſyntagm. II. c. 8. Neminem autem latet Solem fuiſſe præcipuum Perſarum Deum, & ignem ejus ſymbolum ab illis religioſe cultum; unde eorum myſtæ Πύραθοι, & ſacra Πυραθεῖα, vel Πυραθεῖα, de quibus Strabo lib. XV. in quibus πῦρ ἄσβεστος diligenter aſſervabatur: Si Marcellinus etiam refert ignem illum cœlitus olim delapſum Perſas credidiſſe, & ejus portionem exiguam ut fauſtam regibus præiviſſe lib. XXIII. Si forte autem extingui contigiſſet, radiis ſolaribus reſtaurare amabant, quia primitus erat ἐκ Ἡλίου, inquit Julianus Apoſtata in orat. IV. *de Sole*. Tzetzes tamen hiſt. Chiliad. *66*. refert a Perſeo ex flumine primum accenſum: Mandeſlo lib. I. Itin. Ind. teſtatur hodie eſſe ex Perſis cultui ignis adeo addictos, ut ne quidem candelam extinguere vellent, aut guttulam aquæ incendio injicere, ut domus conſumtionem impedirent. Rabbini in diverſam abeunt ſententiam, docentque נרגל Chaldaice eſſe, quod ipſis תרנגול *tharnegol*, id eſt *Gallus gallinaceus*. R. Salomo Jarchi in 2. Reg. XVII. 30. נרגל דומת תרנגול, *Nergal ſimilis Gallo*. R. David Kimchi ibid. *Gallinæ ſylveſtri* mavult: ſimilitudo nominis ſola eis hanc ſententiam perſuaſit: unum enim fit ex altero duntaxat addita una litera, & altera tranſpoſita; eſt autem gallus ſoli ſacer ſecundum gentes omnes ob rationem quam refert Pauſanias, cum primo Eliac. obſervat, Idomeneum in tabula depictum habuiſſe in ſcuto Gallum Gallinaceum; quia a Paſiphae Solis filia erat oriundus, Ἡλίου δὲ ἱερὸν φασιν εἶναι τὸν ὄρνιθα, καὶ ἀγγέλλειν ἀνιέναι μέλλοντος τοῦ ἡλίου, *ſoli autem ſacram hanc avem, quia proximum ſolis ortum nunciat*. Poſſem potiori ratione propugnare, quod, ſicut Romani Floram a floribus, Pomonam a pomis, & Syri Rimmonem a רמון *Rimmon* id eſt malogranato (de quo 2. Reg. v. 18.) *Nergalam* etiam dixerint Chuthæi ex Arabia orti a נארגיל *nargil nuce indica*, quæ in Indica regione ipſis proxima creſcebat; imo inter ipſos Chuthæos, cum ad palmam tot modis utilem, de qua antea, poſſit referri, quia illam Idolo ſuo dicaverant, quemadmodum ſuis alii dicaverant malogranata, poma, aut flores: ſed hæc obiter. Patet igitur Suſios merito dictos etiam Ciſſios, quaſi Chuſios, aut Cuthios, & Cithios etiam, ut Jeſ. XXIII. 1. pro Chuthæis enim habendos cenſet R. Salomo Jarchi in h. l. כתים הם הכתיים *Cithim ſunt Cuthæi*.

Nomen autem fluvii tertii חדקל *Chiddekel*: Onkelos & Jonathan Paraphraſtæ Chaldæi reddunt דיגלת *diglat;* Syrus, Arabs, & Perſicus eos imitantur: LXX. autem Interpretibus Græcis, & Latino arriſit Τίγρις *Tigris*, & merito, quoniam Tigris notior, & cum præcedenti nomine eundem fluvium ſignificat; quare Plinius de illo lib. VI. cap. 27. *ipſi, qua tardior fluit, Diglito* (nomen) *unde concitatur, acceleritate Tigris incipit vocari*. Diglat autem dicitur ab Hebræo nomine, ח demto, quod Syris & Chaldæis frequens, qui Hebræis enim eſt חרטם *Chartom*, iis etiam dicitur רטן *reton incantator*; ſic ex *Chiddekel* prima ſyllaba ablata, remanet *dekel*, unde Diglat, & Diglito; quia G & C ſive K vix differunt; addit Plinius; *ita Medi ſagittam appellant*. Suffragatur Q. Curtius lib. III. *ab celeritate, qua defluit, Tigri nomen eſt inditum, quia Perſica lingua Tigrim ſagittam appellant* &c. Solinus etiam: *primum pigre fluit, non cum ſuo nomine: at cum fines Medorum invectus eſt, Tigris dicitur; ita enim Medi nominant ſagittam* &c. & Strabo lib. XI. At Heſychius, Τίγρις ποταμὸς Περσῶν, καὶ ὁ τοῦ ποταμοῦ ῥίζος, καὶ ζῶον; *Tigris fluvius Perſarum, & ipſe fluminis ſtridor, eſt etiam fera* Quibus patet Tigrim non ſinpliciter fluvium, ſed fluvium cum tanto impetu fluentem, ut ῥοιζῶν ſtridorem ſagittarum ex valido arcu violenter emiſſarum imitetur; & ad illas hoc nomen revera alludat; addit ſignificare etiam feram Tigrin, *animal*, inquit Plinius, *velocitatis tremendæ* lib. VIII. c. 18. nullum autem obſervat diſcrimen inter fluvii & feræ nomen; contra Suidas ſcribit i Τίγρις τὸ ζῶον: Τίγρης δὲ ὄνομα ποταμοῦ, *Tigris fera; at Tigris nomen fluvii*. Nullum tamen habet

funda-

fundamentum hæc diſtinctio, & fluvius Τίγρης & Τίγρις ab Antiquis promiſcue uſurpantur, ut probat Scholiaſtes Dionyſii Periegetis ad verſ. 984. ubi - - - ποταμῶν ὤκιστος ἁπάντων Τίγρις ἐϋρρείτης - *fluviorum celerrimus omnium Tigris pulchrifluus nuncupatur*. Obſervat inſuper quod hic fluvius revera rapidiſſimus ſit, & propterea Τίγρις καλεῖται, ἤγουν ταχὺς ὡς βέλος, Μῆδοι γὰρ Τίγριν καλοῦσι τὸ τόξευμα, *Tigris vocatur, ſeu ut ſagitta velox, Medi enim ſagittam ex arcu volantem vocant Tigrin*; atque in ſimilis denominationis exemplum affert Acidem Siciliæ fluvium, qui Ἄκις dicitur, quia curſu rapido velocitatem acutæ ſagitæ referre videtur: nihilominus plures eſſe teſtatur, qui malunt, quod παρὰ τὸν Τίγριν τὸ ζῶον ἡ κλῆσις ἐστι τούτῳ τῷ ποταμῷ *ob Tigrim feram hanc habuerit denominationem*, quoniam ejus rapiditas eſt maxima, atque fabula hanc ſententiam confirmat, & narrat hunc fluvium olim *Sylacem* dictum ob rapacitatem, quia præceps ex altiſſimis montium jugis cadens omnes obices ſecum rapit; ſed poſtea cœpiſſe nucupari Tigrin, quia Dionyſius Junonis opera furens, & fruſtra in hoc flumine vadum quærens graviter angebatur, donec Jupiter hujus filii ſui tandem miſertus miſit ipſi Tigrin, qui ducem viæ ſe præbuit, & commode ad alteram ripam deduxit, in cujus memoriam deinceps dictus eſt Tigris hic fluvius; ſane ad hanc originem referendam Juliano Apoſtatæ redditum Delphis oraculum, quo victoriæ & trophæa ipſi promittebantur παρὰ θηρὶ ποταμῷ *ad feram fluvium*: apud Theodoretum Hiſt. Eccl. lib. III. c. 18. *ad feram fluvium*; certum enim eſt Tigrin eſſe cognominem feræ. Quod Tigris curſum ſpectat, ſufficienter deſcribitur a Plinio & Strabone, & actum ageremus, ſi in eo deſcribendo etiam immoraremur: dixiſſe igitur ſufficiat ortum habere in Armenia majori e loco Elongoſine dicto: paullo poſt Taurum montem in Meſopotamiæ aditu perrumpit, & in Orientem multiplicibus gyris tendens, ut Meſopotamiæ amplitudinem faciat, tandem bifariam dividitur, & uno alveo Seleuciam quaſi in occurſum Euphratis defertur, altero Orientaliori ad Cteſiphontem paulatim declinat, atque ſimul inſulam Edenem conſtituunt, ut conjunctim cum Euphrate perficiant: tum demum ſuis aquis conjunctis ſimul ambo fluunt; donec iterum diſſocientur.

Ipſe vadit ante Aſſur, id eſt alluit regionem, quam Aſſur ſecundus Sem filius hæreditario jure ab avo Noacho abtinuit, cuique nomen proprium impoſuit Aſſuriam ſive Aſſyriam vocando, unde ejus accolæ Aſſyres & Aſſyrii dicti; horum fines olim anguſti Adiabenem duntaxat capiebant, ſive provinciam circa fluvios *Diavam* & *Adiavam* ſitam: unde enim habet hoc nomen, teſte A. Marcellino, nempe דיבא *deva* Chaldæis *lupus*, qui Græcis λύκος; Lycus autem ille fluvius e Niphate monte deſcendens in Tigrim potuit vicino fluvio nomen ſuum communicare, & quia præcipuam Aſſyriæ partem alluebant, non immerito ſimul etiam denominarunt: vel ſecundum Ptolemæum lib. VI. c. I. Aſſyriæ limes erat ab Occaſu Meſopotamia, a Meridie Suſania ab Oriente Media; & a Septentrione Armenia Magna; alterutra autem diſpoſitione circuitus Tigris manifeſte deſignatur, & Aſſyriam invadit, atque præterfluit, ut Plinius, Strabo; & Ptolemæus certatim declarant.

Et fluvius quartus הוא פרת hou phrat: LXX. Græci Εὐφράτης, ceteri Interpretes Hebræa verba retinent, præter Uulgatum Latinum, qui Græcorum veſtigiis inſiſtens habet ſimiliter Euphratem; atque licet inde colligere ab errore hoc nomen ortum, & genuinum fluvii nomen fuiſſe *phrat*, quia *hou* eſt pronomen tertiæ perſonæ, ut *ipſe*, & paſſim verbi ſubſtantivi officio fungitur; ita ut הוא פרת ſignificet *ipſe eſt phrath*; quamobrem Græci pronomen & nomen conjunxerunt, ut Gen. XXVIII. 19. ex adverbio אולם *oulam utique* & priſtino Bethelis nomine לוז *Lous* fecerunt Οὐλαμλούζ. Antiquum autem Phratis nominis veſtigium conſervatur in Characenes oppido *Phorath* vel *Forath*, cujus meminit Plinius lib. VI. c. 28. J. G. Stukius in Arriani Periplum Maris Erythræi ex Odoardo Barboſa deſcribit ad extremitatem ſinus Perſici fluvium ingentem ab incolis Fratatha dictum, cujus aquæ inſigni dulcedine celebrantur, & ex Paradiſo terreſtri originem ducere dicuntur, quoniam hic fluvius unus e quatuor ipſum alluentibus exiſtimatur, affirmatque Euphratem eſſe, neque immerito fit dulcedinis aquarum hujus fluvii mentio, quoniam פראת *forat* fluvii nomen non *aquam dulcem* ſignificat: Hebræi vero a פרה dictum malunt, quia inquit R. Salomo Jarchi in h. l. מימיו פריו ורבין את הארם כוש ואשור עדין לא היו וכתב המקרא על העתיד, *aquæ ejus fœcundant, multiplicant, dividuntque Arabiam, Syriam & Aſſyriam, quæ quidem nondum erant; ſed Scriptura futurum ſpectat*; revera in Scriptura ſunt anticipationes plurimæ; & quod ad fœcunditatem attinet, facit fertilem Euphrates Meſopotamiam, & in

eam

eam quotannis quasi novos agros invehit, teste Cicerone lib. II. de natur. Deor. §. 13. & ibid. ob illam, quam infert fœcunditatem, cum Nilo & Indo comparatur; constat enim quod ab illa fertilitate, & a divisione nomen ejus possit commode deduci. Si quis alterum cum Barbosa requirat testem, qui affirmat ad hunc usque diem primævum suum nomen conservasse Euphratem, consulat Petrum Texeiram in Itinerario, audiet narrantem, quod 3. Octob. an. 1604. trajecit Euphratem, & Persæ Arabesque eum vocarunt *Forat*. Nubiensis Geographus, cum similiter אלפראת *Frat* nuncupat, licet versio semper reddat Euphratem, ut III. part. Clim. I. Hic fluvius utpote Israelitis notissimus nullis appositis notis designatur; ex historia enim Abrahami patuit eum ex Trans-Euphratensi regione venisse Chananitidem: Jacobus præterea bis illum transire debuit, ut Syrum Labanem adiret, & postea domum paternam repeteret; quodque præcipuum est terræ Abrahamo & posteris promissæ limes fuit designatus in ipso fœdere, a flumine Ægypti ad flumen illud magnum, flumen Euphratis, inquit Deus Gen. XV. 18. Quamobrem fluvius ille tot rationibus Israelitis notissimus S. Scriptura passim non nominatur, *fluviusque* simpliciter dicitur, ut Gen. XXXI. 21. Jacobus *traiicit fluvium*; Exod. XXIII. 21. a deserto *ad flumen*; his enim & similibus locis Euphrates est intelligendus.

Euphrates adeo conspicuus in Paradisi descriptione sufficere posset solus ad genuinum ejus situm manifeste indicandum, quia si a primo ejus in Armenia ortu defluentem sequamur, & innumeris illius anfractibus accurate insistamus, plura occurrent flumina, quæ ipsi associantur, & suas in ejus sinum aquas infundunt; at nullum eas repetit; Singas a Pieria occidentale ejus latus ingreditur, orientale Chaboras, & Saocoras, ut in Tabulis Ptolemæi patet, nullum vero effluit, & alio divertens novum sibi aperit iter, antequam Babyloniæ attingat fines, & prope Seleuciam conjungatur Tigri; tum demum, inquam, occursu tanti fluminis tumens Euphrates subjectæ Babyloniæ visus est minari, & coegit incolas plures ipsi aperire alveos, ut ejus divisis viribus facile resisterent, & simul urbes suas munirent, atque arida arva irrigarent; nihilominus absque his diverticulis diu continuit se intra alvei sui limites, & Deus qui nutu suo furens mare coercet, impetum ejus conjunctique Tigris ita rexit, ut tranquille una fluxerint, & hinc regionem a Babyloniis tandem occupatam, illinc Chussæorum colonias certatim alluerint, & post curriculum, cujus incerta largitudo, suam dirimunt societatem, unus pedetentim divertit ad orientale latus, alter vero ad occidentale; nemo sane potest in dubium revocare, quin impetus utriusque conjuncti major fuerit, quam post interceptas tribus aut quatuor alveis Euphratis aquas, quia intercepta illa aquarum magna pars fregit utriusque vires, & partem earum juxta Apamiam recuperare debuerunt, antequam disjuncti novos replerent alveos, unde per totam trium graduum amplitudinem simul fluere perhibentur in Ptolemæi Tabulis, & vix in duos alveos divertere per unius gradus spatium: Verum enimvero cum unitas conservabant omnes suas aquas, non longum simul decurrere spatium potuerunt: sed qualecunque fuerit, Paradisi amplitudinem æquavit, quoniam משם *exinde* visus est dividi in quatuor partes sive capita, quæ ex præcedentibus observationibus patere videntur: nempe probavimus Tigrim & Euphratem eo deferri, & simul aliquandiu conjungi, & postea dividi, perque diversa ostia in sinum Persicum irrumpere; duo autem illi fluvii in unum coalescentes, & duo postrema fluenta ex hujus divortio iterum exorta quatuor capita evidenter faciunt, quæ modo pristina post divortium nomina retinent, modo nova, ut in Sac. Textu sortiuntur.

Liceat igitur nunc concludere nihil esse in Textu Sacro, quod cum sententia nostra apprime non quadret; rigide enim loquendo exortus est in Edene unus fluvius, quia extra illum erant duo, nempe Tigris & Euphrates, in ea autem demum coalescere cœperunt, inde autem quatuor non dicuntur, quod videretur innuere Euphratem & Tigrim retro fluxisse, contra consuetudinem, licet non sine exemplis, si Plinio credimus, dicit enim: amnes retro fluere & nostra vidit ætas lib. II. c. 103. sed tantum *inde divisos fuisse*, & divisim fluxisse, revera autem Adamo juxta unum Paradisi fluvium versus septentrionem deambulanti videbatur bifariam dividi, & revera dividebantur in Tigrim & Euphratem in distinctis, ut paulatim a se invicem magis recedentibus alveis fluentes.

Durius forsan videbitur, quod ex duobus fluviis quatuor faciamus, & dicet aliquis, potuerunt Euphrates & Tigris uniri, & postea dividi; sed cur amittent propria nomina, & *Pison* & *Gichon* vocabuntur? quo jure nova hæc nomina obtinebunt? jure, dicam, communi gentium, quæ sibi licitum crediderunt nova nomina

etiam ob causas leves imponere; testis ipse Euphrates, qui initio nuncupatur Pyxirates, postea Omirra, cum Tauri montis obices irrumpit, & victor demum Euphrates, ut refert Plinius lib. v. c. 24. Præsertim non solent confluere flumina absque nominum suorum detrimento, plurium fluviorum nomina cum eorum aquis semper absorbent igentes fluvii, Rhodanus Ararim, Dubim, Isaram, Druentiam, nulla autem eorum postea fit mentio, & licet in plures alveos etiam dividatur antequam mare adeat, atque ab aliis πεντάστομος, & ab aliis ἑπτάστομος, & tot ostiis nullum ullius eorum nomen in memoriam revocavit: exempla ejusmodi passim occurrunt, alterum tamen addam, quia apprime convenit: Rhenus noster ad *confluentias* excipit Mosellam, qui Ptolemæo est Obrincius, & ejus spoliis, nomineque suppresso superbus Schenkii munimentum usque pervenit; at ibi medius scinditur, & una pars cum *Vahalis* cognomento per Noviomagum occidentalem oram petit; tandemque cum Mosa confusus ab Oceano simul excipitur; altera vero Isala dicitur, & per Arenacum, Zutphaniam, Daventriam, & campos tendit in Australe Hollandiæ mare; non me fugit tertium alveum insuper habuisse Rhenum, quo per Ultrajectum, & Lugdunum-Batavorum suum usque ad Oceanum nomen deferebat; sed pridem penitus ille exaruit, & sive sponte, sive consilio aggeres, qui ejus aquas continebat, disrupti sunt, liberumque ad alienos canales diffluendi iter ipsis concesserunt; ita ut proprius ad mare Rheno aditus nullibi sit superstes, & Isala, Vahalisque Mosellæ atque Rheni nominibus successerint. Danubius ipse post emensas quingentas leucas, & exceptos plures ingentes fluvios novum Istri nomen pristino deposito suscipere cogitur, & quamvis septem alveos postea habeat, nulli vetus nomen placuit; & nova ipsi prætulerunt omnes, ut Nilo similiter accidit.

Itaque non est inauditum fluvios sua deponere nomina, post immutatum præsertim cursum novis insigniri; neque Euphrati aut Tigri licet queri de Gichone & Pisone sua eorum aquis nomina imponentibus, quandoquidem Rhenus & Mosella, exemplo nobiliorum fluminum Isalam & Vahalem patienter ferunt eorum exuviis exornari; nihilominus Euphrates & Tigris non exigua gaudent prærogativa, cum Gichone enim & Pisone partiuntur denominationis gloriam; Tigrisque nomine uterque alveus adhuc designatur apud Ptolemæum, apud Plinium & Strabonem unius Tigris, alter Pasitigris, quasi Pisotigris nuncupantur; ibidem Euphrates etiam suum obtinet alveum, quo suas aquas in sinum Persicum exoneret, sicque manifestius fit Gichonem & Pisonem esse duntaxat Tigris & Euphratis appendices; verum enimvero id inprimis patebit his Syrachidis verbis Ecclesiastic. XXIV. 35. quibus ipsam Sapientiam inducit loquentem, & se cum fluviis Paradisi sic comparantem; ὁ πεμπλῶν ὡς φισὼν σοφίαν, καὶ ὡς Τίγρις ἐν ἡμέραις νέων, ὁ ἀναπληρῶν ὡς Εὐφράτης σύνεσιν, καὶ ὡς Ἰορδάνης ἐν ἡμέραις θερισμοῦ, ὁ ἐκφαίνων ὡς φῶς παιδείαν ὡς Γηὼν ἐν ἡμέραις τρυγητοῦ, *replens sapientia, ut Pison & Tigris in diebus veris omnia renovantis*, large exundans in agros; *copiose profundens intelligentiam, ut Euphrates & Jordanes in diebus messis* aquas atque instar *lucis* eruditionem *manifestans, sicut Gichon tempore vindemiæ*; nihil manifestius est, quam secundum hunc autorem conjunctissimos esse Euphratem & Tigrim cum Pisone & Gichone, quoniam simul exundantes ut ab eadem scaturigine exortos, & in eodem canali fluentes exhibet; licet enim Jordanem similiter exundantem intermisceat, ut insinuet esse etiam affinitatem inter Paradisum & Chananitidem, non perturbat propositum ordinem, quia Euphratem Gichonem simul associat: consulto autem videtur Occidentali Euphrati Gichonem Orientalem, & Tigrim contra Orientalem Pisoni Orientali sic associavisse, ut eorum conjunctio intima agnoscatur; neque duntaxat superficialis, ut Tigris cum Arsania, quæ fit absque aquarum utriusque permissione, quia *Arsanias levior innatat* IIII. *M. ferme spatio* (passus legerem, quibus mensurantur ibi distantiæ) inquit post Claud. Cæsarem Plinius lib. VI. c. 27. diversam esse rationem Paradisi fluviorum declarat Syrachides, & ita permisceri vult, ut qui Tigri respondet cum Euphrate & vadet, & cum Tigri qui Euphrati, adeo perfecta est eorum societas in Paradiso inita, quod observari & sic repræsentari expediebat, quia Euphrates a remotissimis Armeniæ montibus ortus & innumeris gyris serpens circum Mesopotamiam, non potest eodem tempore aquis hybernis intumescere quo Tigris rectiori alveo ex monte Niphate etiam propiori pluvias & nives resolutas volvens; sed ob intimam conjunctionem, non desinunt simul exundare, quia Tigris primæ exundationis quidem est autor, sed Euphrates statim illam promovet, atque per totam æstatem sufficientes pergit suppeditare aquas colonis, quia eas pro indigentia dispensat; *quoniam ibi rigandi modus manu temperatur*, inquit Plinius lib. XVIII. c. 18. Hæc observatio necessaria est ad conciliandos cum Syrachide alios autores,

qui

qui exundationes Tigris & Euphratis non distinguunt semper, quia post conjunctionem suam, vel paulo ante exundare incipiunt; quin Arrianus lib. VII. de expeditione Alexandri Magni videtur negare Tigrim exundare, quia terra, quam interfluit, ejus aquis altior est: Syrachides autem sedulo expensa utriusque fluvii origine, & dispositione, utrique distinctum exundandi tempus secundum diversas originis, & curriculi rationes convenienter assignavit, Tigrique primas primo vere, & simulatque glacialis hyems solvitur inundationes occurrentes tribuit, Euphrati vero postremas, quæ majores sunt, & insigniores, quare earum duntaxat rationem habere solent autores, ut Strabo lib. XVI. πλημμυρεῖ Εὐφράτης κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ θέρους, ἀπὸ τοῦ ἔαρος ἀρξάμενος, ἡνίκα τήκονται αἱ χιόνες τῆς Ἀρμενίας, ὡς ἀνάγκη λιμνάζειν, καὶ κατακλύζεσθαι τὰς ἀρούρας, *exundat Euphrates circa initium messis, a vere incipiens, quia nives ex Armenia liquefiunt, ita ut necesse sit stagnare arva, & aquis obrui &c.* non dicit stagnare Tigris *instar primo vere*, & cum incipiunt dari *novis primordia rebus*, sed a vere sive post ver exactum. Plinius lib. V. c. 26. adhuc exactius scribit, Euphratem *inundare Mesopotamiam sole obtinente vigesimam partem Cancri* &c. id est æstate jam provecta. Polybius vero omnium, ut mos ipsius, exactissime testatur, quod Euphrates in multis differat ab aliis fluminibus, & in primis quod flumina æstate minui soleant; ὅτος δὲ καὶ πλεῖστος γίγνεται τῷ ῥεύματι κατὰ κυνὸς ἐπιτολήν, καὶ μέγιστος ἐν τοῖς κατὰ Συρίαν τόποις; *hic contra maximus evadat*, & copiosissime fluat, *quando canicula exoritur, & plenissimus in locis Syriæ vicinis conspiciatur* &c. & sic optime ipsi convenit cum Syrachide, qui tempus vindemiæ in illis regionibus nostras antevertentis ipsi assignat.

Concludimus igitur Euphratem & Tigrim distinctis alveis Edenem intrasse, atque in aditu Paradisi suam inivisse societatem, ac in unum coaluisse; postquam autem conjunctis aquis abunde irrigavissent, in exitu distinctos iterum occupavisse alveos, aquasque recuperatas sub novi Pisonis & Gichonis nominibus in sinum Persicum tandem detulisse; quamobrem habere debuit ad Orientem regiones Chusfæis a Nimrode in præstiti ad tyrrannidem constituendam auxilii post aliquot secula concessas, quæ nunc nominibus Susianæ, & partim Persidis insigniuntur; ad Septentrionem Assyriam; ad Occidentem Mesopotamiam, & Babyloniæ partem; altera pars meridionalis cum Chavila, sive Arabicis regionibus, quas Chavila Nimrodis frater, & bellorum atque victoriarum comes occupavit, & pro more de suo nomine dici voluit. Sic Eden harum regionum meditullium occupavit, & Paradisus illius meditullium occupare debuit, & in eo præcipue fœcundissimos Sinharis campos fuisse inclusos existimo, quia ab iis recedere nolebant primi orbis incolæ, licet ceteræ orbis regiones eorum arbitrio exponerentur, & omnibus hominibus curiositas rerum novarum, & dominandi libido innatæ sint. Constat ex Gen. III. 24. Adamam ex felici horto ejectum in terram, e qua Deus eum formaverat, eamque fuisse מקדם *ab Oriente* semotam; Syri autem se habere ex majorum suorum traditione affirmant, quod Adamus in agro Damasceno creatus est, & in ipso Damasci nomine terram rubram lingua sua inveniunt; alii malunt dici Damascum דמשק *Damescec* Syriace, quod ager ille primus דם שקא *dam sceca*, id est, *bibit sanguinem* Abelis a Caino primo fratricida effusi; & revera incolæ prope urbem ostendunt locum hac cæde pollutum, ut testantur Gabr. Sionita, & Johan. Hesronita Maronitæ e Libano de nonnullis Orientalium urbibus &c. ad calcem versionis Geographiæ Nubiensis ab iis factæ; inde autem patet Adamum in vicinia Syria cum liberis exulasse, & propinquiores amissæ Edenis regiones incoluisse: hinc Adami vestigia in urbe *Adam* ad mare Tiberiadis sita, de qua Jos. III. 16. inque *Adma* quæ prima e Mesopotamia in Chananitidem proficiscentibus occurrebat Gen. X. 19. Addatur constans Judæorum sententia de Adamo cum Eva Chebrone sepulto, & Abrahamo cum Sara, Isaaco cum Rebecca, & Jacobo in idem sepulchrum cum Lea postea illatis; quapropter meruit dici קרית ארבע *Kiriath Arba*, id est, *urbs quatuor parium*, ob quatuor illa conjugum paria: aut Patrum audiatur chorus, qui certatim prædicant Adamum sepultum in Calvariæ monte, ut pateret ejus peccatum Christi mortis esse causam, atque ex eo ut e semine crucem prodiisse, ut sanguine in ea fuso purgaretur Adamus, & fidelis ejus posteritas, unde Tertullianus adversus Marcionem lib. II. c. 4.

Hic patitur Christus, pia sanguine terra madescit,
Pulvis Adæ ut possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus stillantis aquæ virtute lavari.

Maronitæ ibidem asserunt, quod regio Damascena ob amœnitatem, & inæstimabiles, quibus abundat, delicias a Scriptoribus *Paradisus terrestris nuncupetur*; mens eorum

rum non est Damascum partem Edenis fuisse; sed famam amœnissimarum Edenis deliciarum has Orientis regiones in vicinia sitas ita replevisse, ut Edenem & Paradisum dicerent omnem locum fœcundis arboribus consitum, limpidis aquis irriguum, grata aeris temperie conspicuum, atque omnigenis bonis refertum: hinc Eden Ezechielis XXVII. 23. quæ inter opulentiores Arabiæ regiones celebratur; sic in ipsa Arabiæ extremitate celeberrimum totius Orientis emporium *Aden*; eodem enim modo ac nostra *Eden* עדן scribitur & similiter etiam legi posset: sic oppidum in Cœlesyria *Paradisus* nuncupatur apud Plinium lib. V. cap. 23. & a Ptolemæo lib. V. cap. 16. etiam celebratur; quodque meretur observari in vicinia Damasci constituitur, & Libanum cedris suis & variis ornamentis insignem proximum habet, atque etiam proximam *Adonis* fluvii scaturiginem, ut omnia concurrant ad *Edenis* & *Paradisi* nativam imaginem nobis exhibendam: imo memoria horti illius incomparabilis tam altam in animis gentium circumstantiam egit radices, ut ab hortis jucundissima loca soleant commendare; cum *Taurim* Persæ commendare volunt, & varias ejus amœnitates designare *octo Paradisos* vocant, teste J. Cartwrigto in suo *itinerario: Bagdad* etiam ad Tigrim e Babylone veteri unius diei itinere quæ ad Euphratem erat, distans, & ab Almansore anno Christi 762. condita, sic nuncupatur a בג *baga* id est *hortus* & ראד *Dad* nomine proprio Eremitæ, qui ibi tugurium habebat, ut Persæ dicunt; sed mallem nomen Dei Anachoretæ nomini substituere; Persis enim חרא *Hoda* Deus est; sic Bagdad esset *hortus Dei*, & conservaret memoriam horti revera a Deo in vicinia olim consiti. Non soli Patres antediluviani regiones Paradisi vicinas incolere sategerunt. Noachidæ enim rapido Diluvii impetu ab illis abrepti vix aliquandiu in fœcundissima valle montis, qui eos palantes & anxios feliciter exceperat, potuerunt commorari, & simul atque omnem deposuerunt novæ calamitatis metum, minime dubitarunt asylum suum, oppidumque quod laboriose condiderant, & quod commodissimum erat (unde Heraclius illud propterea invisit, & Chosroes lethali morbo correptus cum ejus amœnitate gauderet post tot annorum millia) deserere non dubitarunt, ut Assyriam repeterent: pristinæ scilicet beatitudinis ibi amissæ desiderio flagrabant, & nonnulla post cladem peccato illatam in illa regione vestigia observantes, ceteris aliis præferendam judicabant; neque immerito ejus nomine teste; Assyria enim quasi אשורה *Assyra*, id est, *beata*, quia omnibus ad felicem vitam requisitis abunde instructa est; & licet sæpius domini sua regionibus nomina imposuerint, potuit alter filiorum Semi ab illa fœcundissima regione אשור *Assur* vel *Assyr* nuncupari, quia summæ felicitatis fuit amœnissimam illam regionem jure hæreditario obtinuisse; denique licet postea Noachidis innotuisset ceteras orbis regiones ipsis esse occupandas, turrim in ea ædificare voluerunt, ut commune ibi etiam Deo invito haberent domicilium. Hæc & plura, potioraque argumenta facile exhibuisset Bochartus omni eruditionis copia instructus, & in Paradisi illius meditatione versatus per plures annos, & argumenta sua raris atque exquisitis illustrasset observationibus, quæ nos præcipitanter festinantes facile prætereunt; sed sufficere debet, quod Paradisi situm ex magni illius Viri sententia indicaverimus, ut alii vestigiis ejus insistentes, veritatem e tenebris micare incipientem, sedulo sectentur, propiusque satagant intueri, donec plenam & distinctam illius cognitionem assequantur.

JOAN-



JOANNIS VORSTII DISSERTATIO DE PARADISO.

LOcum iſtum, in quem piorum animæ, cum corporibus ſuis excedunt, transſeruntur, in ſacris literis non ſemel appellatum reperimus παράδεισον. Primò quidem in illis verbis, quibus Salvator in cruce pendens, latronem affatus eſt: Ἀμὴν λέγω σοι, σήμερον ἔσῃ μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῷ παραδείσῳ. Sunt ea in cap. XXIII. Lucæ. Deinde idem vocabulum apparet in cap. XII. poſt. epiſt. ad Corinth. v. 4. Narrat ibi S. Paulus de ſeipſo, ſed quaſi de alio loquens, ſe raptum ac translatum fuiſſe εἰς τὸν παράδεισον. Ibidem verò ſcribit etiam raptum fuiſſe ἕως τρίτου οὐρανοῦ. Quo ipſo non aliud dicere voluit, quam quod verbis prioribus. Et locum beatorum propterea quidem vocat τρίτον οὐρανὸν, quod ipſius ævo vulgo triplex cœlum numerarent: unum, in quo volitant aves: alterum, in quo ſtellæ feruntur; tertium, in quo ſunt animæ beatorum. Tertio vox παράδεισος legitur Apoc. II. 7. in his quidem verbis: τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ. Ipſam vitam beatam deſignat Apoſtolus per τὸ *comedere ex arbore vitæ*. Ipſam vero arborem illam dicit eſſe ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ. Ita apparet, ipſum illum locum, in quo vita beata fruuntur, vocatum eſſe παράδεισον τοῦ Θεοῦ. De vocabuli iſtius origine ac uſu, atque adeo de ipſis quoque rebus qua iſto vocabulo ſignificantur, libet in præſentia exercitii Academici cauſa diſquirere.

II. Græculi quidam vocabulum crediderunt origine Græcum eſſe, & compoſitum quidem. Suidas ita: παράδεισος δὲ εἴρηται, παρὰ τὸ δεύσω τὸ βρέχω ῥηματικὸν ὄνομα, δεῦσος, παράδεισος τροπῇ τοῦ υ ψιλοῦ εἰς ι. Addit vero idem Suidas de alio quoque etymo, quod quidem quæſiverint alii. Οἱ δὲ φασί, inquit, παρὰ τὸ τὴν δεῖσαν ποιεῖσθαι. ὅ ἐστι βοτανῶν συλλογήν. Gellius quoque eam vocem Græcis adſcribere videtur. Sic enim ille in lib. II. cap. XX. *Vivaria quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos* παραδείσους *Græci appellant*. Sed hæc temen de illis tantum Græcis, qui ipſius ætate fuerunt, intelligi poſſunt. Julius Pollux in lib. IX. Onomaſtici cap. 2. apertè profitetur, vocem eſſe exoticam, οἱ δὲ παράδεισοι, inquit, βαρβαρικὸν εἶναι δοκοῦν τοὔνομα· ἥκει καὶ κατὰ σύνθεσιν εἰς χρῆσιν ἑλληνικὴν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν περσικῶν. Dicit ille, veniſſe vocem iſtam in uſum Græcum, quemadmodum multa alia. Intelligit autem ſine dubio illa vulgo nota, ἀκινάκης, γάζα, σατράπης, παρασάγγης, ἄγγαρος. Heſychius quoque talia habet, ex quibus colligere poſſis, ipſum originem vocis adſcri-

adſcribere Perſis . Primo quidem ſic ſcribit : Παράδεισος, τίθεται ἐπὶ τῶν ἀναιστήτων, οἷός ἐστιν ἐν περιπάτοις ἢ τόπος ἔνυδρος , ἤτοι ἔνυδρος, ἤτοι ἔνυδρος , ἐν ᾧ περίπατοι . Mox vero & hæc ſubdit idem Heſychius: καὶ ἡ βασιλέως κατάλυσις. Per βασιλέα ſine dubio intelligit Perſarum Regem , quem ſic κατ' ἐξοχὴν & ſine addito appellare ſolebant Græci . Quoniam igitur παράδεισον ſignificare dicit Perſarum Regis κατάλυσιν , hoc eſt , locum ubi diverſatur Perſarum Rex , videtur utique Heſychius ſic ſtatuiſſe, ea voce uſos primitus fuiſſe Perſas , eaque deſignaſſe locum talem , in quem Perſarum Reges ſoliti fuerint diverti . Licet autem ſubodorari , unde Heſychius poſtremum illud hauſerit . Unde & porro dubitare cuipiam ſubeat , an Heſychius ſatis recte interpretatus ſit . Prodidit Diodorus Siculus in lib. XVI. Sidonios , cum una cum ceteris Phœnicibus Perſarum Regi Artaxerxi bellum inferre meditarentur, vaſtaſſe βασιλικὸν παράδεισον, ἐν ᾧ τὰς καταλύσεις οἱ Περσῶν βασιλεῖς εἰώθεισαν ποιεῖσθαι. Scilicet hoc vult Diodorus , Perſarum Reges in Paradiſo iſto , qui prope Sidonem fuit , ſolitos fuiſſe καταλύσεις ποιεῖσθαι *diverſari* , ſi quando in Syriam ac Phœniciam venirent . Non eadem ig. Diodoro ſunt παράδεισος & ἡ βασιλέως κατάλυσις . Ὁ παράδεισος locus fuit , in quo κατάλυσις illa fiebat . Et fortaſſe ipſe Heſychius quoque ſic ſcripſerat : καὶ τόπος , ἐν ᾧ ἡ βασιλέως κατάλυσις . Ceterum illud βασιλικὸς παράδεισος , quod apud Diodorum eſt , interpres vertit , *regium Paradiſum*: eaque ſua interpretatione intelligendum dat , vocem παράδεισος origine Græcam non eſſe , ſed a Perſis ad Græcos tranſiiſſe . Si enim crediſſet, vocem παράδεισος vulgari Græca lingua *hortum* ſignificare : vertiſſet utique voce *hortus* , dixiſſetque *regium hortum* . Nunc vero retinet ipſam vocem *Paradiſus* : ut nim. Perſicam rei appellationem in ſua quoque verſione demonſtraret , quod & ipſum Diodorum facere voluiſſe videtur crediſſe.

III. Non raro ſane vocem παράδεισος apud Græcos ſcriptores reperias: vix tamen alibi quam ubi de Perſicis hortis ac vivariis ſcribunt. Ipſe jam dictus Diodorus κῆπον κρεμαστὸν, *hortum penſilem*, quem prope arcem Babylonicam a quodam Syro rege exſtructum in lib. II. narrat, παράδεισον vocat. Verba Diodori, ut a Rhodomanno verſa, hæc ſunt. *Erat etiam penſilis, ut vocatur hortus juxta arcem non a Semiramide, ſed Syro quodam rege poſteris temporibus in gratiam Pallacæ ædificatus . Quæ cum ex Perſia, ut perhibent, oriunda eſſet, in montibus prata requirens a Rege, ut artificioſo quodam plantario Perſicæ naturam terræ imitaretur, contendit.* ἔστι δὲ ὁ παράδεισος τὴν μὲν πλευρὰν ἑκάστην παρεκτείνων εἰς τέτταρα πλέθρα, *Paradiſus ille unumquodque latus ad quatuor plethra extendit*. Vides hic quoque interpretem in verſione ſua vocem *Paradiſus* poſuiſſe: non autem vertiſſe Latina voce *hortus* , quemadmodum paulo ante vocem κῆπος ſic verterat. Antiquior Interpres Poggius vocem παράδεισος quoque Latina voce *hortus* vertit. Et verſio quidem poſtremorum verborum ſic habet: *Hujus horti ſingula latera jugeribus quatuor extenduntur*. In cujus gratiam Rex Syrus hortum iſtum penſilem ſtruxerit, ei Rhodomannus, ut apparet , credidit Pallacæ fuiſſe nomen. Nobis cum Poggio videtur ſic potius vertendum , *in gratiam pellicis*. Ipſe Diodorus ſic habet: χάριν γυναικὸς παλλακῆς.

IV. Cæterum quem Regem Diodorus nominare vel non potuit , vel id facere ſuperſedit, de eo nobis liquido conſtat ex fragmento Beroſi , ſcriptoris antiquiſſimi , quod Joſephus lib. X. ἀρχαιολ. cap. XI. aſſervavit . Quædam ejus fragmenti verba ſic habent: ἐν δὲ τοῖς βασιλείοις, ἀναλήμματα λίθινα ἀνοικοδομήσας, τὴν ὄψιν ἀποδοὺς ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι, καὶ καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς, ἐξειργάσατο καὶ κατεσκεύασε τὸν καλούμενον κρεμαστὸν παράδεισον , διὰ τὸ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἐπιθυμεῖν τῆς οἰκείας διαθέσεως, ὡς τεθραμμένην ἐν τοῖς κατὰ Μηδίαν τόποις . Totum fragmentum de Nabuchodonoſori rebus geſtis agit: ejus de quo nobis ex ſacris literis conſtare poteſt. Iſtis autem verbis proditum eſt, in regia iſta, quam Nabuchodonoſorus novam ſtruxerit, moles ſaxeas fornicibus ipſum ſuſpendiſſe , montium ſpeciem referentes, variiſque arboribus conſerendo perfeciſſe appellatum ſic hortum penſilem. Diodorus κρεμαστὸν κῆπον dixit. Beroſus vero multo antiquior , & Alexandri Magni σύγχρονος , κρεμαστὸν παράδεισον . Uterque vero addidit, τὸν καλούμενον. Qua voce reſpexiſſe videntur ad ipſas Babylonicas appellationes: quod nim. Babylonii vocabulo ſuæ linguæ *penſilem* vocarint hortum iſtum. Beroſus autem vocem παράδεισος, ut τῷ κῆπος æquipollentem uſurpat . Veriſimile tamen eſt , ipſum quoque voce παράδεισος ipſum Babyloniorum nomen פרדס referre voluiſſe. Sed de hoc poſtea.

V. Xenophon, Beroſo aliquanto antiquior, non ſemel etiam vocem παράδεισος uſurpavit: non autem alibi quam ubi de rebus Perſicis agit . Et is fortaſſe quam rectiſſime docere nos poterit, eam vocem origine Græcam non eſſe. In Œconomico quidem narrat his verbis: Ἐν ὁπόσαις τε χώραις ἐνοικεῖ, καὶ εἰς ὁπόσας ἐπιστρέφεται, ἐπιμελεῖ-

μελεῖ-

μελῶται τέτων, ὅπως κῆποί τε ἔσονται, οἱ παράδεισοι καλέμενοι, πάντων καλῶν τέ ϗ ἀγαθῶν μεςοὶ, ὁπόσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει, ϗ ἐν τέτοις αὐτὸς τὰ πλεῖςα διατρίβει, ὅταν μὴ ὥρα τῶ ἔτες ἐξείργῃ. Scribit ille de Perſarum Rege, huncque narrat operam dare, ut in omnibus provinciis hortos habeat, in quibus vivere commode poſſit. Addit autem, ubi de iſtis hortis agit, οἱ καλέμενοι παράδεισοι. Ex quo intelligitur, iſtos duntaxat Perſicos hortos eo nomine appellatos fuiſſe. Si vox κῆπος & vox παράδεισος tunc temporis æque frequentata fuiſſent, non ſane addidiſſet illud, οἱ καλέμενοι παράδεισοι. Suffeciſſet κήπες eos appellaſſe. Hoc igitur ſibi vult, Regum Perſiæ hortos peculiari quodam nomine παραδείσες fuiſſe dictos: ſimulque intelligi datur, Græcos ſua ipſorum dialecto hortos tum temporis παραδείσες non vocaſſe.

VI. Sed dixerit quis, vocem illam habere ſane Græcam πτῶσιν ac formam: ſi autem Xenophon id modo dicere voluiſſet, apud Perſas hortos vocari παραδείσες, uti ipſum debuiſſe voce Perſica, ſicut ipſi Perſæ uſi fuiſſent, & ſine Græca πτώσει. Si igitur in hunc modum quis dubitaverit, reſpondemus, Xenophontem nihil inſolens feciſſe, quod cum Perſicam vocem demonſtrare voluit, Græcam ei πτῶσιν adjecit. Nimirum Græci, imo & Latini, ſic non raro faciunt, ut ſi peregrinæ Linguæ vocem referant, ex ſua Lingua ei πτῶσιν adjiciant. Cum Præfectos Perſarum nominant Græci, perpetuo eos σατράπας vocant, vocabulo ſcilicet Perſico quidem, ſed nova πτώσει affecto. Vetus Auctor de morbis, qui Hippocrates eſſe creditur, in libro IV. de Scythis narrat his verbis: ἐκχέοντες τὸ ἵππειον γάλα ἐς ξύλα κοῖλα, σείεσι· τὸ δὲ ταρασσόμενον ἀφρέει ϗ διακρίνεται· ϗ τὸ μὲν πῖον, ὃ βέτυρον καλέεσιν, ἐπιπολῆς διΐςαται. Scribit ille, Scythas pingue illud, quod ex lacte multum agitato a cæteris partibus ſecernitur, βέτυρον appellare. Non autem ipſi Scythæ iſta πτώσει vocabulum affecerunt: ſed fecerunt id Græci, & deinde vocem ſic flexerunt, uti alias facere ſolent. De Germanis ſcribit Tacitus, ipſos haſtas, vel ipſorum vocabulo *frameas* gerere. Vides & hunc, cum Germanicum vocabulum exprimere voluit, Latinam ei πτῶσιν adjeciſſe. Florus lib. II. cap. XVIII. de Cimbris: *Cum ſe prius epulis impleviſſent carnis ſemicrudæ & celiæ. Sic vocant indigenæ ex frumento potionem.* Vides & hunc vocabulo Germanico Latinam πτῶσιν adjeciſſe. Atque hoc apud Auctores tantum non perpetuum eſt. Neque igitur mirum eſt, Xenophontem quoque feciſſe.

VII. Cæterum de hortis iſtis; τοῖς καλεμένοις παραδείσοις Xenophon in ſuperioribus verbis prodidit, eos fuiſſe repletos omnibus bonis, quæ terra producere ſoleat. In eandem ſententiam mox in eodem Œconomico addit, Reges Perſarum operam dediſſe, ὡς κάλλισοι κατεσκευασμένοι δένδρεσι ϗ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καλοῖς, ὅσα ἡ γῆ φέρει. Narrat item in eodem libro, veniſſe aliquando Lyſandrum Lacedæmonium ad Cyrum minorem Sardibus agentem, eique ab eodem Cyro oſtenſum fuiſſε τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον, *Paradiſum illum, quem ipſe Cyrus artificioſe ac eleganter conſeverat*. Eandem hiſtoriam refert & Tullius in lib. de Senectute: quodque Xenophon dixerat, τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον, id Tullius nec *hortum*, nec *paradiſum* dixit, ſed *conſeptum agrum, diligenter conſitum*. Sed non tantum plantas & arbores habuerunt iſti Perſarum paradiſi, ſed & varia animalia. In quarto ἑλληνικῶν idem Xenophon ſcribit, fuiſſe μεςὲς δένδρων ϗ θηρίων. In lib. I. παιδείας Cyri, Aſtiagem ad Cyrum ſic loquentem fecit: τά τε νῦν ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία δίδωμί σοι. Ibidem vero de animalibus iſtis ſic quoque loquitur: περιῳκοδομημένα θηρία τὰ ἐν τῷ παραδείσῳ. Item in lib. I. De expeditione Cyri de Celænis Phrygiæ urbe narrat, Cyrum ibi habuiſſe regiam, ϗ παράδεισον μέγαν, ἀγρίων θηρίων πλήρη, ἃ ἐκεῖνος ἐθήρευεν ἀπὸ ἵππε, ὁπότε γυμνάσαι βέλοιτο ἑαυτόν τε ϗ τὲς ἵππες. Cæterum in his obſervetur & illud, quod voce παράδεισος hic utatur quaſi origine Græca eſſet: & niſi aliunde conſtaret, eſſe Perſicam origine, ſciri illud ex his non poſſe. Sed alter iſte locus, quem paulo ante retulimus, perquam manifeſtus eſt, nec de origine vocis quenquam dubitare ſinit.

VIII. Poſt Xenophontis ætatem ſenſim vox iſta in Græcam linguam ſe inſinuaſſe videtur, ſic ut Græca civitate donaretur ea, & quoſvis amœnos hortos, non Perſicos modo ſignificaret. Et tum quidem præcipue, cum jam Macedones Orientem, atque adeo ipſos quoque, qui Regum Perſarum fuerant, paradiſos tenerent. Gellius teſtis eſt, ut jam ſupra eſt dictum, ſua ætate Græculos παραδείσες vocaſſe ſepta illa, quibus feræ includebantur: quæ & Latinis *vivaria* dici ſcribit. Græci Interpretes Vet. Teſt. qui tempore Ptolemæi Philadelphi vixerunt, plurimum utuntur voce παράδεισος, eaque ſubinde exprimunt Hebræam vocem גן, quæ *hortum* ſignificat. Hortum iſtum, in quo protoplaſti initio agebant, quique in Hebræo גן vocatur, ipſi perpetuo παράδεισον vocant. In cap. II. Gen. v. 8. ſic vertunt: ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς παράδεισον ἐν ἐδέμ. Et in v. 9. τὸ ξύλον τῆς ζωῆς ἐν μέσῳ τῶ παραδείσε. In cap. III. v. 23. ἐξαπέςειλεν αὐτὸν κύριος ἐκ τῶ παραδείσε. In cap. XIII. ad Gomorra dicitur fuiſſe כגן יהוה

ut

ut hortum Dei, hoc eſt, amœniſſimum. Id Interpretes ſic exprimunt: ὡς ὁ παράδεισος τῶ Θεῶ. Sic & Eſ. I. 30. vertunt: ὡς παράδεισος ὕδωρ μὴ ἔχων. Et Jerem. XIX. 5. καταφυτεύσατε παραδείσους καὶ φάγετε. Apparet planiſſime, Interpretes iſtos vocem παράδεισος ſic uſurpaſſe, ut *quemvis hortum amœnum* eo ſignificarent. Et tantum hoc interfuiſſe videtur inter voces κῆπος & παράδεισος, ut illud quemvis hortum, non adeo amœnum quoque: hoc vero amœniſſimum quemque ſignificaret. Joſephus item libro I. ἀρχαιολ. c. 2. hortum Eden modo κῆπον, modo παράδεισον vocat, atque ita poſteriore voce ut ſatis jam Græca utitur. Sic & Philo facit. In libello Siracidæ quoque, & in hiſtoria Suſannæ ſæpe reperitur vox iſta. Et in poſteriore quidem inter alia ſunt iſta: ἦν αὐτῷ παράδεισος γειτνιῶν. περιεπάτει ἐν τῷ παραδείσῳ τῶ ἀνδρός. Apparet, eam vocem nihil aliud quam amœnum κῆπον ſignificare.

IX. Cæterum Græci Interpretes non tantum ibi utuntur voce iſta, ubi Hebræum גן eſt exprimendum, verum etiam, ubi Hebræa vox פרדס apparet. Ipſum vero פרדס ter modo in ſacris literis reperitur. Primo in Eccl. II. 5. ubi verba ſic habent: עשיתי לי גנות ופרדסים *feci mihi hortos, & plantavi in illis arbores, qui omnis generis fructus ferunt*. Hic vocem פרדס vix exprimere licet alia voce, quam ea quæ a nobis poſita eſt. Quoniam tamen & in גנות & in פרדסים varias arbores ſe plantaſſe dicit, vertamus, *viridaria*: ut ſic binis Hebræis vocibus bina Latina reſpondeant. Porro τὸ פרדס quoque credamus hortum *præcipue amœnum* ſignificare. Græci eum locum ſic verterunt: ἐποίησά μοι κήπους καὶ παραδείσους. Deinde eadem Hebræa vox reperitur etiam Cant. IV. 13. Verba ibi ſic habent: שלחיך פרדס רמונים. Qui Græci ſic verterunt: ἀποστολαί σου παράδεισοι ῥοῶν. Latinus autem ſic: *Emiſſiones ſuæ paradiſus malorum punicorum*. Mox vero adduntur talia ex quibus facile intelligi poteſt, פרדס ſignificare locum, qui præſtantiſſimis arboribus ſit conſitus. Sequuntur quidem hæc: עם פרי מגדים *cum fructibus pretioſis*. Tertius locus eſt Nehem. II. 9. Narrat ibi divinus ſcriptor, ſe a Perſarum Rege inter alia & hoc petiiſſe, *ut ſibi literas daret ad Aſaphum* שומר הפרדס אשר למלך *præfectum ſilvæ, quam Rex habebat, ut ex illa ſibi ſuppeditarentur ligna ad trabes portarum*. Vulgatus vertit; *cuſtodem ſaltus Regis*. Satis apparet, τὸ פרדס hic ſignificare locum, qui talibus arboribus ſit conſitus, ex quibus trabes ſumi ſoleant, hoc eſt, ſaltum, ſylvam. Hæc igitur ſignificatio paululum diſcrepat ab ea, quæ in Eccleſiaſte & Cantico apparet. Cognata tamen ea eſt alteri. Græci Interpretes ad hoc poſtremum quoque exprimendum uſi ſunt voce παράδεισος. Et Aſaphum iſtum vocarunt φύλακα τῶ παραδείσου. Nimirum, cum vox παράδεισος Græca civitate donata jam eſſet, adeo ut Hebræam vocem גן eadem exprimere poſſet, vel maxime ibi eadem voce utendum putarunt, ubi ipſa Hebræa vox פרדס apparebat, quæ & ipſa amœnum hortum, locum arboribus conſitum ſignificabat. Vox Perſarum occaſionem dedit, ut ante expoſuimus, ut ipſi Græci quoque amœnos hortos vocarent παραδείσους. Deinde Græci Interpretes ea voce ut indigena ſunt uſi. Cæterum & hoc nunc conſtat, non unam modo gentem Orientalem, ſed omnino plures voce פרדס fuiſſe uſas. De Perſis jam conſtat. De Hebræis itidem. Cum Lingua Hebræa ſatis pura adhuc eſſet, nec aliarum gentium vocabulis inquinata, Hebræi illa voce jam fuerunt uſi, temporibus Salomonis puta. Nec dubium eſt, quin & Chaldæi ea voce plurimum uſi fuerint. Et illum quidem κρημαστὸν παράδεισον, quem a Nabuchodonoſoro conſtructum ex fragmento Beroſi ſupra intelleximus, ipſi Chaldæi ſine dubio vocarunt פרדס התלי Sane Chaldæi quoque Interpretes ea voce non raro ſunt uſi. In Cant. II. 5. ubi & in Hebr. eſt יפרדסים ſic legitur, גנת שקין ופרדסין *horti irrigui & pomaria*. In Gen. XIV. 2. voces עמק השדים ſic expreſſæ ſunt, מישר פרדריא *vallis hortorum*. Rabbini quoque plurimum ea voce ad ſignificandum *hortum* utuntur. Et quidem πληθυντικῶς dicunt etiam פרדסות Porro & verſio Syriaca quæ in vaſto opere Pariſienſi eſt, Gen. II. 9. τὸ בתוך הגן *in medio horti* ſic expreſſit, במצעתה דפרדיסא Chaldæo-Samaritana quoque quæ in eodem opere eſt, ibidem ſic habet, במיזן פרדיסה. Vides & Syrum, & Samaritanum uſurpaſſe vocem פרדסא, ubi in Hebræo eſt vocula גן. Quod autem Samaritanæ vocis πτῶσις habet ה, id pro ſolenni iſtius Interpretis eſt factum. Habet enim hic Interpres pro Chaldæorum א ubique ה.

X. Sed qui factum eſt, ut in ſacris literis N. T. locns beatorum παράδεισος non ſemel ſit dictus. Intelleximus, eam vocem a Perſis migraſſe ad Græcos: quod & Pollux in Onomaſtico ſuo ferme faſſus eſt. Qua occaſione item ad Græcos ea vox migraverit, id itidem intelleximus. Nunc cogitandum eſt, qua occaſione id ſit factum, quod vox παράδεισος, quæ Græcis *hortum* jam ſignificabat, ad denotandum locnm beatorum ſit uſurpata. Primo eſt locutio metaphorica, cum locum

beato-

beatorum appellamus *hortum*. Deinde nomen commune κατ' ἀντονομασίαν ponitur pro nomine proprio; *hortus* pro *hoc horto*. Quæ vero hujus appellationis occaſio? Hæc nimirum, quod veteres Hebræi locum beatorum פרדס *hortum* appellarunt. Sane multarum tum phraſium, tum quoque vocum ſingularum, quas in ſacris N. T. codicibus obſervamus, ex veterum Hebræorum loquendi modo petenda eſt ratio. De iſto autem loquendi modo ex Talmudicis ac Rabbinicis codicibus conſtare poteſt. Multumque laborarunt viri docti, ut ex codicibus iſtis illum loquendi modum nobis eruerent: quod & feliciter præſtiterunt. Cur S. Johannes Apoc. II. 2. XX. 6. 14. XXI. 8. æternam damnationem vocet θάνατον δεύτερον, ejus utique ratio ex libris Hebraicis, qui circa ea tempora ſunt ſcripta, optime intelligitur. Nimirum iſtius rei occaſio hæc fuit, quod Hebræi iſta ætate æternam damnationem vulgo vocarent מותא תנינא *mortem ſecundam*. Quam appellationem viſere licet in Chaldaicis paraphraſibus Eſ. LXV. 6. 15. Jer. LI. 39. 57. & alibi. Item, cur ſacri ſcriptores hunc mundum αἰῶνας voce pl. num. nuncuparint, ex ſcriptis Hebraicis, quæ circa iſta tempora compoſita ſunt, itidem ſcimus. Primo quidem vox αἰὼν novam ſignificationem recepit. Nam in vulgaribus Græcis ſcriptoribus mundus non αἰὼν, ſed κόσμος appellari ſolet. Quod autem vox αἰὼν novam iſtam ſignificationem, ut ſcilicet *mundum* ſignificet, recepit, ejus hæc occaſio fuit, quod illa ipſa Græca vox vulgari ſua ſignificatione congrueret cum Hebræa quadam, quæ præterquam quod *æternitatem*, etiam *mundum* ſignificat: cum voce עולם puta. Porro עולם *muudum* Hebræi dividunt in tres magnas partes, ſupremam, mediam & infimam: & ſingulas quoque partes eodem nomine appellant, quo ipſum totum. Supremam partem vocant עולם העליון *mundum ſuperiorem*: mediam partem vocant עולם התכון *mundum medium*: infimam vocant עולם התחתון *mundum inferiorem*. Ita jam habemus tres עולמים *mundos*. Et ad tres iſtas partes deſignandas ſacri Scriptores N. T. uſi eſſe videntur nomine pl. num. αἰῶνες. Cujus rei exemplum eſt Hebr. XI. 3. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ. Cæterum quemadmodum Hebræi partes mundi עולמים, & Scriptores N. T. αἰῶνας appellarunt: ita & S. Clemens in epiſt. ad Corinthios, quam Patritius Junius edidit, magnas mundi partes κόσμους appellavit. Οἱ μετ' ὠκεανὸν κόσμοι, inquit, ταῖς αὐταῖς ἐπιταγαῖς τοῦ δεσπότου διϊθύνονται. Ut igitur multa alia, ſic etiam vox παράδεισος uſurpata eſt a novi Fœderis Scriptoribus: quod ſcilicet ad Hebræarum vocum vim ac uſum reſpicerent, qui ipſorum ætate obtinebat. Quod vox פרדס quæ *hortum* ſignificabat, vulgo per metaphoram, & deinde per ſynecdochen uſurparetur ad locum beatorum deſignandum, iſti quoque novi Fœderis Scriptores ad eundem illum locum deſignandum tali voce ſunt uſi, quæ ipſorum ætate Græca civitate donata jam erat, & *hortum* vulgo ſignificabat. Cumque conſtet, veteres Hebræos locum beatorum appellaſſe פרדס, conjicere ſane etiam licet, ipſum Salvatorem in iſtis verbis, quibus latronem in cruce pendentem affatus eſt, ipſam vocem פרדס vel פרדסא expreſſiſſe. Cæterum obſervare etiam licet Interpretem Arabem eadem voce ad eundem locum deſignandum uſum eſſe in cap. XI. ep. ad Hebr. v. 5. Habet a. ſic: *Per fidem Hanochus* رفع الى الفردوس *elevatus eſt in hortum, paradiſum*.

XI. Quę vero iſtius appellationis, quam ipſi Hebręi uſurparunt, occaſio fuit? Hæc nimirum, quod locum divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum Spiritibus deſtinatum, ut Tertullianus loquitur, ſoliti fuerunt comparare cum horto iſto qui in Edene fuit, & in quem primi homines immiſſi fuerunt. Frequens ſane eſt, in ipſis quoque ſacris literis, conditionem beatorum, qua poſt hanc vitam ipſi utuntur, deſcribi per amœnitatem hujus vitæ. Cum igitur de horto quodam amœniſſimo, qui in omnium rerum primordio fuiſſet, Hebræis ex ſacris literis conſtaret, libuit illis locum beatorum פרדס *hortum* appellare. Itemque τὸ *æterna beatitudine frui* expreſſerunt per *comeſtionem ex arbore vitæ*. Qua phraſi uſus quoque eſt S. Johannes in Apocalypſi. Nim. in cap. II. v. 7. ſic ſcribit: Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ quod eſt in medio horti Dei*. Vulgata verſio habet: *quod eſt in paradiſo Dei mei*. Quæ quidem verſio expreſſa eſt juxta hanc quorundam codicum Græcorum lectionem, ἐν παραδείσῳ τοῦ Θεοῦ μου. Sed altera lectio ſine dubio rectius ſe habet. Nam & in Geneſi, cap. II. v. 9. legitur, *arborem vitæ fuiſſe* בתוך הגן *in medio horti*. Cæterum *arboris vitæ* alibi quoque in Apocalypſi fit mentio: itidem ad deſignandam conditionem beatorum. In cap. XXII. v. 14. dicitur, ἐξουσίαν τῶν ποιούντων τὰς ἐντολὰς τοῦ Θεοῦ ἔσεσθαι ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, *poteſtatem eorum qui mandata Dei faciunt, fore in arborem vitæ*, hoc eſt fore, ut ipſis liceat ex

arbore vitæ comedere. In v. 2. quoque ejuſdem cap. memorat S. Johannes, demonſtratam ſibi fuiſſe arborem vitæ, quæ duodecim fructus habuerit, *& ſingulis menſibus fructus reddiderit: folia quoque iſtius arboris medicinam eſſe gentium*. Cæterum ſolent quoque Hebræi locum beatorum cum addito appellare פרדס נשמות *hortum animarum*: uti etiam notatum eſt Viro Cl. Guil. Vorſtio, in notis ad Hal. Maimonidæ de Fund. legis. Idque ad differentiam alterius פרדס *horti*, quem itidem cum addito vocant פרדס חכמה *hortum ſapientiæ*. Per hunc autem intelligunt ipſam ſapientiam & cognitionem rerum. Maimonides in cap. IV. Hilch. Jeſudoth ſive de Fundamentis legis, de poſteriore iſto ita: ועניני ארבעה פרקים אלו שבחמש מצות אלו הם שחכמים הראשונים קוראין אותן פרדס *Materiam quatuor iſtorum capitum, quæ iſtis quinque continetur præceptis, vocarunt priſci ſapientes Paradiſum*. Vide & Notas Guil. Vorſtii ad hunc locum.

XII. Porro non tantum פרדס appellant locum beatorum, ſed & גן עדן *hortum Edenis*: illo ipſo ſcilicet nomine quo Moyſes deſignavit hortum iſtum quem in rerum primordio Deus creavit. Hinc etiam iſtæ pro defunctis orationes: תהי נפשו בגן עדן *ſit anima ejus in horto Eden*. נשמתו תהא צרורה בגן עדן *anima ejus ſit collecta in horto Eden.* Diſtinguunt etiam Rabbini hortum Eden hujus ſeculi, & hortum Eden futuri ſeculi. In antiquo Comment. in Gen. בראשית רבה dicto, proditum eſt de duobus Rabbinis de pœna Adami inter ſe diſſentientibus: וישלחהו יי׳ מגן ר׳ יהודה ור׳ נחמיה ר׳ יהודה אמר שלחו מגן עדן בעולם הזה ושלחו מגן עדן בעולם הבא ר׳ נחמיה אמר שלחו מגן עדן בעולם הזה ולא בעולם הבא. Senſus eſt, R. Jehudam dixiſſe, Deum expuliſſe Adamum ex horto Eden & hujus & alterius ſeculi: R. Nehemiam autem dixiſſe, expuliſſe duntaxar ex horto Eden hujus ſeculi. Quidam etiam Rabbini גן עדן diſtinguunt ab illo loco, in quo beati futuri ſunt poſt reſurrectionem. R. Joſeph Jachiades v. 13. cap. XII. Dan. ſic παραφράζει: ואתה דניאל לך לקץ חייך בעולם הזה ואחר כך במותך תנוח במנוחות גן עדן. ולקץ הימים תעמוד ותחיה בתחיות המתים ותזכה גורלך הטוב בעולם הבא *Tu autem Daniel, perge ad vitæ tuæ terminum in hoc mundo. Poſtea vero cum mortuus fueris, quieſces quiete horti Edenis. At in fine dierum conſiſtes & vives in reſurrectione mortuorum, & aſſequeris ſortem tuam bonam in mundo futuro*. Vide & eundem Jachiadem ad cap. VIII. Dan. v. 14.

XIII. De Muhammede, qui in ſeptimo ſeculo poſt Chriſtum natum exortus fuit, notum eſt ipſum in ſacerrimum ſuum librum, quem Coranum vocavit, plurima ex ſcriptis Talmudicis transtuliſſe. Quod ipſum etiam peculiari quodam capite demonſtravit Vir Cl. Theod. Hackſpanius in tractatu ſuo de vario ſcriptorum Judaicorum uſu. Sic igitur & hoc ex Talmude & ſcriptis Rabbinicis hauſit Muhammed, quod locum beatorum & ipſe *hortum* vocat. In Surata LXXIX. quaſi magna eum ſanctitas inceſſiſſet, ſcribit in hanc ſententiam: *Quisquis exorbitarit & prætulerit vitam ſeculi hujus, certe ejus domus erit infernus. Timens autem ſtationem Domini ſui, animamque ſuam reprimens a concupiſcentia,* فان الجنة هي الماوى *utique hortus erit poſſeſſio ejus.* In Surata XLIII. exponit, quanta carnalis voluptas futura ſit in horto. *O ſervi mei*, inquit, *non erit tunc ſuper vos timor, neque triſtes futuri eſtis. Qui crediderunt ſignis noſtris, & fideles fuerunt,* ادخلوا الجنة *ingredimini hortum vos & uxores veſtræ: circumferetur inter eos patina ex auro, & phialæ in quibus erit quidquid animæ concupiverint, dulces erunt fontes, voſque perpetuo ibi vivetis*. In his locum beatorum vocat جنة *hortum*, ſine addito. Alibi vero vocare etiam ſolet جنات عدن *hortum voluptatis*, ut in Sur. XXXVIII. & XL. Item جنات النعيم *hortum amœniſſimum*, ut in Sur. XXXIX. Multa quoque alia de ſuo quem ſtatuit paradiſo, prodidit planus iſte. Ut in modo dicta Surata XXXVIII. *In horto voluptatis aperientur ipſis portæ; diſcumbent in eo, potientur in eo fructibus multis & ſorbitione*. Item in Surata XLIV. *Veſtientur holoſerico & ſplendidiſſimo. E regione poſitæ conjuges eorum cum excellentia oculorum*. Item in Surata XXXVII. *Talibus erit victus nobiliſſimus, poma. Et ipſi honorabiles erunt in horto amœniſſimo, ſuper grabatos ex adverſo poſiti. Circumibit inter eos in poculo de fonte clarum ſuavitate ſorbentibus, in quo non defectus, nec ipſi inde damnum accipient*. Congeſſit hæc, & in iſtum modum vertit Cl. Schickardus in brevi quadam de Paradiſo Saraceno Judaica diſſertatione. His ſubjungo nunc narratiunculam quandam, quam Geſnerus de ave paradiſi, quam vocant, in hiſtoria animalium habet: *Reges Marmin* (in Inſulis Moluccis) *paucis ante annis immortales eſſe animas credere cœpere, haud alio argumento ducti, quam quod aviculam quandam pulcherrimam nunquam terræ aut cuiquam alii rei, quæ in terra eſſet, inſidere animadverterent, ſed aliquando ex ſummo æthere exanimem in humum decidere. Et cum Mahumethani, qui ad eos commercii cauſa commearent, hanc aviculam*

in

in paradiso (loco isto, quem Muhammed جنة *hortum* κατ' ἐξοχὴν appellavit) *ortam*, *paradisum vero locum animarum quæ vita functæ essent, attestarentur*, *induerunt hi reguli Mahumethi sectam*, *quod hæc de hoc animarum loco mira polliceretur*. *Aviculam vero*, manucodiata, *id est*, *aviculam Dei appellant: quam adeo sancte religioseque habent*, *ut se ea reges tutos in bello existiment*, *etiamsi suo more in prima acie collocati fuerint: plebeji autem caphræ*, *id est gentiles sunt*.

XIV. Apparuit hortum istum, quem initio rerum Deus creavit, & protoplastis habitaculum esse voluit, occasionem dedisse, ut locus beatorum פרדס *hortus*, & גן עדן *hortus Eden* sit appellatus. Ergo de ipso illo primævo horto quoque qui appellationis occasionem dedit, paucis nunc dispiciamus; præsertim cum & hunc paradisi nomine vulgo insigniri animadvertamus. Sulp. Severus lib. 1. hist. sacræ scribit, *Adamum & Evam constitutos fuisse in paradiso*. Quibus verbis voce *paradisus* hortus qui in Edene fuit, utique designatur. Sic & Augustinus lib. VIII. in Gen. cap. 7. paradisum vocat in his verbis. *Quoniam locus paradisi a cognitione hominum est remotissimus*, *inde quatuor aquarum partes dividi credendum est*, *ut fidelissima Scriptura testatur*. *Sed ea flumina quorum fontes noti esse dicuntur*, *alicubi isse sub terras*, *& post tractus prolixarum regionum locis aliis erupisse*, *ubi tanquam in suis fontibus noti esse perhibentur: nam hoc solere nonnullas aquas facere*, *quis ignorat?* Cæterum Paradisi situm, ut apparet, S. Augustinus existimavit a cognitione hominum esse remotissimum. Prędictus Sulpitius vero cum aliis veterum credidit, paradisum fuisse extra hunc orbem. Scribit enim amplius sic: *Sed constituti in paradiso*, *cum interdictam sibi arborem degustassent*, *in nostram velut exules terram ejecti sunt*. Verum enimvero constare primo satis certo potest, hortum istum; in quo protoplasti primitus egerunt, in hac nostra terra, in hoc nostro orbe fuisse. Sic enim situm illius descripsit S. Moyses; ut facile appareat, ipsum certum quendam locum in hoc orbe, & hominibus, præsertim illis qui ipsius ætate vixerunt, satis notum, voluisse demonstrare. Primo prodidit, hortum fuisse בעדן. Quod Latinus Interpres, vertit, *paradisus voluptatis*. Vox עדן significare quidem potest *voluptatem*, *oblectationem*: atque ita appellativum quoque nomen est, ut Grammatici vocant. Hic tamen ea significatio obtinere non potest: & sine dubio vox ista est nomen proprium cujusdam regionis. Non dicitur גן עדן: sed vero גן בעדן. Hortus iste dicitur fuisse in ista re, quæ voce עדן significatur. Eam igitur rem oportet fuisse regionem quandam. Et ipsa regio *Eden* tum fuit dicta. Cum dixisset, hortum fuisse *in Edene*, mox deinde addit, fuisse מקדם *ad Orientem*. Scribit item, ex regione Edene profluxisse fluvium ad hortum irrigandum, & inde divisum fuisse eundem fluvium in quatuor ראשים *capita*. Amplius id quoque addit, quænam singulorum *capitum* nomina fuerint.

XV. Non tantum ex his apparet, S. Moysem certum quendam locum in hoc mundo, qui notus esse posset, voluisse demonstrare: sed & liquido ex his intelligere potuerunt veteres Hebræi, ubinam hortus iste jacuisset. Nobis quoque, qui loca ista raro adimus, & si quando adimus, non tamen omnia nomina, quæ Moyses recensuit, nunc perinde ut olim frequentari animadvertimus; nobis quoque, inquam, de situ prædicti horti, sic ut de aliorum locorum situ, ex veteribus monumentis conjicere haud adeo difficile est. Vox עדן sine dubio regionem designat, uti dixi. Nec curandum quod Bellarminus in lib. de grat. pr. hom. c. 13. ἀπορεῖ. Persuasit ipsi autoritas vulgati Interpretis & aliorum quorundam, ut vocem עדן in Cap. II. Gen. crederet non nomen loci esse, sed esse nomen appellativum, & *voluptatem* significare. Non potest ita, Bellarmine. Si parum id est, quod jam dixi, in Hebræo non esse עדן, sed בעדן, sive æquum sit credere, ipsos fontes esse corruptos: saltem illud persuadeat, quod paucis interjectis, vers. X. cap. II. Gen. sequitur, מעדן *ex Edene* manasse fluvium. Ex quo fluvius manavit, id, credo, locus fuit. Iste vero *Eden* vocatur. Quamobrem sine dubio vox *Eden* locum designat. Quem vero locum in cap. II. Gen. designat, cum sine dubio designat etiam in cap. IV. Gen. v. 15. ubi Cain dicitur *habitasse in terra Nod* קדמת עדן *ad plagam istam quæ respectu regionis Eden orientalis sit*. Quis vero locus iste? & ubinam jacuit regio *Eden*, quæ hortum habuit? Licet id quoque ex sacris literis scire. In cap. XXVII. Ezech. recensentur variarum regionum incolæ, qui cum Tyriis negotiati fuerint: & qui vicini fuerunt, illi ibi conjunguntur. Inter alios vero nonnulli etiam memorantur his nominibus, חרן וכנה ועדן. Facile apparet, nomina locorum posita esse pro incolis: quod & sæpius in isto capite, uti & alibi, fieri solet. Ceterum de חרן *Charan* satis constat, fuisse urbem Mesopotamiæ, quæ a Latinis scriptoribus *Charrhæ* appellatur. Quare & *Eden* illinc non procul

 distare

diſtare oportet . De כנה obiter moneo , videri illam urbem eſſe quæ Gen. X. recenſetur inter eas quas Nimrodus condidit , quæque ibi כלנה appellatur. Conjungitur & alibi nomen *Eden* cum nomine *Charan*. In II. Reg. XIX. recenſetur oratio , qua Sennacheribus uſus eſt ad S. Hiskiam . Ea vero oratione dictum eſt , Sennacheribi majores debellaſſe inter alios *Goſan* , *Haran* , *Regeph* , *&* בני עדן *filios Eden* , *qui fuerint in Thelaſſar* . Vocibus *Goſan* , *Haran* , *Rezeph* , deſignantur itidem locorum quæ iſtæc nomina habuerunt , incolæ . Eodem modo vox עדן quoque ſine addito poni potuiſſet , ut nihilominus incolas loci ſignificaret ; quemadmodum ſc. in prædicto Ezech. loco eſt factum. Sed addita eſt vox בני, qua ipſi incolæ loci cui Edenis nomen fuit , deſignantur . Porro quomodo in hoc proximo loco dicitur : ita & in Eſ. XXXVII. ubi & eadem hiſtoria eſt , legitur. Satis ergo apparet , *Eden* eſſe circa Meſopotamiam . Amplius vero idem ille locus ſine dubio etiam deſignatus eſt in cap. LI. Eſ. v. 3. *Fecit deſertum ejus* , *ut Edenem*, *& eremum ejus ut hortum Dei* , *hoc eſt amœniſſimum* . Quidam putant fuiſſe & in Syria Cœle urbem nomine עדן *Eden* : eamque indigitatam eſſe in cap. I. Amos. v. 5. Sed videtur iſti urbi nomen fuiſſe non עדן , ſed בית עדן . Dicit ibi Deus, *ſe exciſurum tenentem ſceptrum* מבית עדן *de Betheden*. Sic & paulo poſt dicit , *ſe exciſurum ſceptrum* מאשקלון *ex Aſcalone*.

XVI. Amplius S. Moyſes prodidit , hortum iſtum , in quo initio egerunt protoplaſti , fuiſſe מקדם . Quod vertendum eſt , *verſus orientem* . Latinus vertit, *a Principio* . Et ita quidem verti poteſt in aliis quibuſdam locis . Hic vero altera iſta verſio commodior eſt . Quoniam ſcil. S. Moyſes ſitum horti demonſtrare jam cœpit voce בעדן , veriſimile eſt voce מקדם quoque ſitum loci eum demonſtrare voluiſſe . Sed dubitet quis , an vox iſta cum iſto præfixo , ad demonſtrandum ſitum loci ſatis ſit apta. De voce קדם quidem facile liquere poteſt , quod orientalem mundi plagam ſignificet . Præfixum מ autem iſto ſignificatu paulo rarius eſt . Sed obſervare tamen & alibi licet conſimilem iſtius præfixi vim. Manifeſtum exemplum eſt Gen. XIII. II. ubi Loth dicitur profectus fuiſſe מקדם *verſus orientem* . Verſabantur Lotus & Abrahamus in Palæſtina , & unis iiſdemque uſi fuerant paſcuis . Tunc vero , monente certis de cauſis ipſo Abrahamo , diſceſſerunt a ſe invicem , ut paſcuis poſt illa uterentur ſeparatis . Et Lotus quidem elegiſſe ſibi dicitur planitiem Jordani , atque ita profectus fuiſſe מקדם *ad orientem* . Cum igitur מקדם τὸ idem quod *verſus orientem* , ſignificare poſſit , quis dubitet amplius in cap. II. Gen. quoque idem illud ſignificare ? Id vero cum prioribus illis apprime congruit . Dixerat Moyſes , hortum fuiſſe *in Edene* . Nunc addit , fuiſſe *verſus orientem* . Conſtat vero *Edenem* regionem reſpectu Ægypti & deſerti Arabiæ , in quorum alterutro S. Moyſes ſine dubio Geneſin ſcripſit , omnino verſus orientem jacere . Certe Meſopotamia & Babylonia reſpectu Ægypti & deſerti Arabiæ verſus orientem vergunt . Quare & *Eden* regio , quam circa Meſopotamiam, ac Babyloniam jacuiſſe paulo ante oſtendimus , reſpectu eorundem locorum verſus orientem jacuit .

XVII. Plura adhuc ſuppeditat S. Moyſes , ex quibus, ubinam hortus fuerit, dignoſcere licet . Prodidit ſcilicet & de fluviis qui *Edenem* regionem, ubi ipſe hortus fuit , permearint . Verba ipſius Moyſis ſic habent : *Et fluvius exibat ex Edene ad irrigandum hortum*, ומשם יפרד והיה לארבעה ראשים *& inde dividitur fluvius* , *fiuntque ex eo quatuor capita* . Hic obſerves velim, primo unum fluvium dixi exiiſſe ex Edene , & quidem ad irrigandum hortum : deinde unum iſtum fluvium dici in quatuor capita dividi . Ergo apparet , in ipſa regione Eden [an & per totam illam , non liquet] fuiſſe unum quendam fluvium , unumque alveum . Deinde , unum iſtum fluvium in ipſa illa regione dividi in quatuor capita . Sed quid illud , fluvium יצא *exire* , *egredi ex Edene* ? An illud , *in Edene fluvii iſtius fontem eſſe* ? Ita ſane Bellarminus voluit . Vide lib. ejus de grat. pr. hom. cap. XII. Negat is , paradiſum fuiſſe in Meſopotamia , & adverſus idem illud ita diſſerit : *In ipſo Paradiſo oriebatur fluvius* , *qui inde dividebatur in quatuor capita* , *quorum nomina ſunt Euphrates* , *Tigris* , *Phiſon* , *& Geon* . *At in Meſopotamia nullus iſtiuſmodi fluvius oritur* . *Fluunt quidem per Meſopotamiam Euphrates & Tigris* : *ceterum non ibi oriuntur* , *ſed in Armenia ſuos fontes habent* . *Quare ſecundum hanc rationem Armeniæ potius* , *quam Meſopotamiæ paradiſi nomen congrueret* . *Porro Phiſon & Geon* , *neque in Meſopotamia fontes habent* , *neque in ea ullo modo reperiuntur* . Contra hæc Bellarmini , primo obſervetur , quod S. Moyſes non ſcripſerit , fluvium exiſſe ex paradiſo ſive horto: ſed vero exiſſe מעדן *ex Edene regione* , *& quidem ad irrigandum hortum* . Ex quo & amplius intelligi licet ,

non

non in ipſo horto iſtam fluvii in quatuor capita diviſionem factam fuiſſe : ſed factam eam fuiſſe in regione *Eden* , quam ſane paulo ampliorem fuiſſe oportet , quam ipſe hortus fuit.

XVIII. Quam vero inſulſum illud , quod Bellarminus credidit , fontem fluvii iſtius qui in quatuor capita diviſus fuit , in paradiſo fuiſſe . Capitum iſtorum ſine dubio unum fuit Euphrates : alterum Tigris : tertium Piſon vocatur : quartum denique Gihon . Ergo jam quatuor capita ex uno eodemque fluvio orta unum eundemque fontem habuerunt. Et Euphrates quidem Tigriſque ex uno eodemque fonte profluxerunt . Hæc plane εὐήθη ſunt atque inepta . Memoravit S. Moyſes fluvios iſtis nominibus , quæ ipſius ætate , & ulterius quoque illi habuerunt , ניחון פישון חדקל פרת . De horum vero duobus ne ipſe quidem Bellarminus dubitaverat , eſſe Euphratem & Tigrim . Nec ſane de his difficile eſt conjicere : ſi quidem in ſacris literis duorum iſtorum ſæpenumero fit mentio . An ergo cuiquam veriſimile fieri poteſt , Euphratem & Tigrim communem aliquando habuiſſe fontem ? Quis tandem communis iſte fons erit ? An ille , ex quo aliquot jam annorum millibus profluxit Euphrates ? An vero is ex quo multis itidem annorum millibus ſcaturivit Tigris ? Horum alterutrum ſi dixerit Bellarminus , oportebit ſane regionem Eden juxta unum iſtorum fontium jacuiſſe . Sed nec ad Euphratis fontem , nec rurſus ad fontem Tigris regionem Eden jacuiſſe Bellarminus exiſtimabit , ut ex his quæ in prædicto libro ſcriptitavit , facile intelligi poteſt . Quid igitur ? An neuter iſtorum fontium , quos hodieque habent Tigris atque Euphrates , initio omnium rerum , & cum hortus exſiſteret , duorum iſtorum fluviorum communis fuit ? An uterque illorum fontium ex uno quidem , ſed ab hodiernis illis plane diverſo fonte promanavit ? Quis igitur credet , fluvios ſic manere potuiſſe eoſdem illos , qui initio omnium rerum fuerunt ? Moyſes , ut dixi, fluvios vocat talibus nominibus quæ ipſius ætate hominibus ſatis cognita fuerunt, *Phrat* ſcil. & *Chiddekel* . Et ſine dubio intellexit duos iſtos , qui ארם והרים ſive τὴν Μεσοποταμίαν incingunt . Si autem tales duos intellexiſſet , quorum utriuſque fontes diverſi fuiſſent ab iſtis fontibus quos ipſius Moyſis ætate , Euphrates & Tigris habuerunt , non potuiſſet illos פרת & חדקל appellare . Neque enim veroſimile fieri poteſt , duos fluvios qui vel unum vel plures fontes habeant diverſos ab iſtis fontibus , ex quibus Euphrates & Tigris promanant , nominibus Euphratis & Tigris tamen poſſe appellari . Habuiſſent ſane fluvii iſti alveos diverſos ab his per quos Euphrates & Tigris in ſinum Perſicum devolvuntur , & propterea aliis quoque nominibus appellandi fuiſſent.

XIX. Quod igitur S. Moyſes prodidit, fluvium exiſse ex regione Eden, indidemque diviſum fuiſſe in quatuor ראשים *capita*, id multo aliter intelligendum eſt, quam Bellarmino viſum fuit. Nimirum propterea fluvius dicitur exiſſe ex regione *Eden*, indidemque in quatuor capita diviſus fuiſse , quod primo Euphrates & Tigris , cum ambo a Septentrione devoluti regionem Eden attigiſſent , ibidem in unum eundemque alveum concurrerent , atque ita unum quoque conficerent flumen : quod item alii duo fluvii , Piſon quidem & Gichon dicti , in eundem iſtum alveum concurrerent . Regionem Eden igitur apparet ibi fuiſse ubi Euphratis Tigriſque confluens eſt . Quid vero de alteris duobus fluviis , Piſone & Gichone dicemus ? Plurimi Veterum putarunt , Piſonem eſse Gangem Indiæ : Gichonem vero eſse Nilum Ægypti fluvium . Ita Joſephus , Epiphanius , Hieronymus , Ambroſius , Auguſtinus , aliique . Sed hæc Veterum de duobus fluminibus opinio nulla ratione fieri poſſit veroſimilis . Quid Nilo & Gangi cum Euphrate & Tigri ? Ergone putandum , Nili & Gangis aquas commixtas initio fuiſse cum aquis Euphratis & Tigris ? Si talis rerum metamorphoſis facta fuiſſet , non video , quomodo ſacer Scriptor iſtis nominibus appellare potuiſſet fluvios , quæ ipſius ætate obtinuerunt.

XX. Alii Viri docti ſuſpicati ſunt per Piſonem & Gichonem deſignari duo brachia in quæ rurſus ſciſsus fuerit Euphrates , antequam in ſinum Perſicum devolveretur . Atque horum ſententiam inter alias recenſet quoque Bellarminus : ſed eam non approbat . *Reſpondent aliqui*, inquit , *in Meſopotamia Euphratem & Tigrim conjungi , & paulo poſt iterum ſeparari , atque ita effici quatuor capita ac veluti flumina* . Eam ſententiam tenuit etiam Magnus Scaliger. In lib. V. de Emend. temp. p. 369. de quatuor unius fluminis capitibus ita ſcribit : *Sciunt omnes Tigrim & Euphratem commiſceri , & ingenti alveo in mare Perſicum exonerari ; ſed antequam excipiantur ſinu Perſico, iterum in duo ingentia flumina ſcindi inſtar Padi & Rhodani . Fluentum igitur Orientale Moſes vocat* פישון , *hoc*

eſt

est πλημμύροα, *propter paludes ingentes, quas efficit, cujuſmodi eſt Paduſa, quam Padus fluvius facit. Alterum quod Occidentem ſpectat, vocat* גיחון, *hoc eſt, emiſſarium. Eſt enim porrectius altero, & propterea dictum eſt emiſſarium.* Nobis quoque nihil aliud nunc ſuccurrit, quam Piſonem & Gichonem eſse duo brachia, in quæ unum fluentum, quod ex Euphrate Tigrique ortum ſit, ſeſe dividat, atque ita in ſinum Perſicum devolvatur. Statuendum jam igitur, regionem *Eden* fuiſse circa Euphratis & Tigris confluentem. Et quia amœniſſimus iſte hortus, quem Deus protoplaſtis initio habitaculum eſse voluit, dicitur fuiſse in regione Eden, oportet ipſum quoque hortum circa eadem loca fuiſse. Ipſam appellationem Eden procul dubio accepit regio iſta, quod præcipue illa amœna eſset. Vox עדן utique *voluptatem*, *delectationem* ſignificat. Et maniſeſte ad iſtam loci amœnitatem in cap. LI. Eſ. v. 3. alluditur. Nec extincta plane fuit amœnitas iſta, poſtquam protoplaſti lapſi fuerunt. Conſtat quoque de eadem amœnitate, ex Curtio, Plinio, aliiſque Scriptoribus, qui multis ſeculis poſt Moyſem, & multo pluribus poſt exordium mundi vixerunt.



H A-



HADRIANI RELANDI DISSERTATIO DE MONTE GARIZIM.

I. NOmen hujus montis ſcribitur in Sacro Codice הר גרזים *mons Gerizzim* , *Deut.* XI. 29. Chaldæus Interpres habet טורא דגריזין , Hieroſolymitanus דגריזים , Græcus ὄρος Γαριζείμ , & Γαριζείν . Ita enim ſolebant Græci terminationem pluralem efferre per εὶμ & εὶν vel ὶν , & Scheva per α , ut in Σαμουὴλ , Σαλωμὼν , &c. Syrus ܛܘܪܐ ܕܓܪܝܙܝܢ , Arabs ab Erpenio editus , جبل جرزيم , a Waltono , كرزيم , *Kerizim* , mutato ג vel ج in literam ejuſdem organi , ut loquuntur Grammatici . Ipſi Samaritani in Pentateucho ſuo , uti in literis , & in Chronico ſuo MS.to , ſive libro Joſuæ , quem poſſideo , هرجرزيم . Nonnunquam a Græcis nomine ex duabus vocibus conflato dicitur *Hargarizim* . Ita Eupolemus Ἀργαριζὶν appellat , & interpretatur illud ὄρος ὑψίστου , *montem altiſſimi* , quum debuiſſet ſcripſiſſe *montem Garizim* , הר גריזים . Marinus quoque Photio laudatus *cod.* 242. ἐν ὄρει , inquit , Ἀργαριζῷ καλουμένῳ Διὸς ὑψίστου ἁγιώτατον ἱερὸν , *in monte dicto Argarizo* (*Har* , ſive monte , *Garizim*) *Jovis altiſſimi Sanctiſſimum Templum* . Auctor etiam antiquus Itinerarii Hieroſolymitani . *Civitas Neapoli . Ibi eſt mons Agazaren*, lege, *Argarizim*. Apud Malalam quoque in Chronico , ubi agit de ſtrage Samaritanorum, ſub imperio Juſtiniani , quum viginti millia eorum ceciderunt , male nomen hoc legebatur , ἔφυγον εἰς τὸ ὄρος τὸ λεγόμενον Ἀρπαριζὶν , *fugerunt in montem Arparizin* . Nec aliter quam conjunctim in Pentateucho ſuo & in literis ad Cl. Ludolfum aliosque Europaeos datis , appellant hunc montem ࠄࠓࠂࠓࠉࠆࠉࠌ , הרגריזים . Quod ideo accuratius noto , quia in indagandis iſtiuſmodi vocum originibus , diviſio debet inſtitui , & modo una modo altera explicari : quod ſæpe video negligi . Exemplum hujus rei ſit Judæ proditoris nomen , quod in ſacris literis Ἰσκαριώτης & Ἰσκαριὼθ ſcribitur, quod Cl. Ligtfootus derivat , quaſi una vox foret , ab אסקורטיא , quod & ſono & ſignificatione *Scorteum* exprimit . Quum tamen nihil videatur probabilius , quam τὸ Ἰσκαριὼθ eſſe conflatum ex איש *Vir* , & קריות, Καριὼθ , quod nomen urbis eſt ex ſacro Codice notæ . Unde una vox facta eſt e duabus , uti in βαρτολομαῖος , βοανέργες , βηθσαϊδὰ , καπερναοὺμ , ἀκελδαμὰ & ſimilibus . Notiſſimus eſt hic loquendi modus איש קריות , *Vir e Karioth* , ſc. oriundus , vel eminens inter incolas illius civitatis . Sic Antigonus, qui Legem oralem a Simeone Juſto accepit , dictus eſt איש סוכו *Vir e Soco* , id eſt , Sochaeus . Sic & inter doctores Mini-

§.I. Varia nomina montis Garizim.

Miſnicos ſunt , איש ברתותא *Bartotenſis* , איש כפר חנניה *Vir e pago Canania*, &c. Atque ita dictus eſt *Judas Iſcarioth* , id eſt , *Cariotenſis* . Quod non parum firmatur teſtimonio Bezae , qui ſcribit in vetuſtiſſimo Codice ſuo manu exarato ubique apud Joannem legi ἀπὸ Καϱιώτȣ , *ex Carioth* , pro vulgata Lectione Iʼσκαϱιώϑ : quæ varia lectio notata non eſt inter illas , quas aut Curcellaeus aut Angli ex plus centum Codicibus collegerunt . Vidit quoque Cl. Bartoloccius in Eruditiſſimo volumine , *Bibliotheca Rabbinica* , *part*. 3. *pag*. 23. (cujus novam editionem aggreſſus fuit Amſtelodami meo conſilio & ductu *S. Petzoldus* , ſed quum folia quædam typis jam eſſent excuſa , obitu ſuo filum operis abrupit : quod ideo moneo quia in præfat. Analectorum Rabbinicorum illam editionem promiſi , quæ an ab aliis perficienda ſit , dubito] nomen Iſcarioth dividi debere in duo , & compoſitum eſſe : ſed pro *Carioth* , nomine proprio loci , ſubſtituit meo judicio minus apte קורייטא *Caryotas*, & vult איש קורייטא eſſe virum , qui in loco Caryotis (palmæ id genus eſt) abundante natus eſt, & certum eſſe ait Judam a valle Jerichuntina , ubi caryotarum copia erat , Iſcarioten eſſe dictum . At non videtur genius Hebraiſmi pati talem expoſitionem, non magis quam illam, quam ibi quoque tuetur Vir Doctiſſimus , Antigonum dictum eſſe איש סוכו , quod ex loco *tabernaculis* abundante, oriundus ſit, a סכות.

§.II. Mons benedictus appellatur.

II. A Samaritanis vulgo *Mons benedictus* appellatur , & ipſi ſe vocant , *Montis benedicti accolas* . Quod quare ab iis fiat , nemo ignorare poteſt, niſi qui in rebus Samaritanis plane hoſpes eſt . Mons is cultui divino ſingulari ratione ſacer eſt, & benedictionibus olim juſſu Dei in eo recitatis illuſtris ex ſententia Samaritanorum , & quem ipſæ piaculares aquæ in univerſum terrarum orbem tempore Noachi effuſæ refugerunt , ſic ut ſiccus remanſerit : qua de re plura dicemus poſtea. Verum, antequam hunc titulum Montis benedicti miſſum faciam, monendus es, Lector, in Epitome Chronici Samaritanici , quam Exercitationibus Antimorinianis ſubjunxit Cl. Hottingerus, hæc legi ad *c*. 23. *p*. 112. *Joſua* في طور بريك يعرف شمرون *in monte benedicto , id eſt , Samaritano non tantum arcem ſed & templum in ejus vertice conſtruxit* . Proprie illa verba , citata ex Chronico , ſonarent , *in monte benedicto, qui notus eſt nomine Schomron*, ſive, *id eſt*, *Schomron*. Unde videretur colligi debere montem Shomron, cui Samaria urbs inſidet , a Samaritanis etiam montem benedictum appellari. Sed omiſit Hottingerus præcedentia, a quibus ſenſus pendet . Ita ibi legitur وبنا يوشع الملك حصن علي الجبل من شامي طور بريك يعرف بشمرون *Et conſtruxit Joſua Rex (vel Princeps) arcem ſuper montem , qui eſt ad ſiniſtrum latus montis benedicti , qui dicitur Schomron* . Eſt itaque mons Schomron alius a monte benedicto . Hæc moneo , ne quis imprudens his verbis fallatur, non ut detraham meritis Viri Eruditiſſimi, qui omni ope has literas illuſtrare anniſus eſt,& alibi errorem ſuum videtur agnoviſſe. Utinam inter Chriſtianos multi tales exiſterent!

§.III. Dicitur & פלטנוס unde?

III. Mirum vero illud nomen eſt, quo Judæi volunt montem Garizim dictum eſſe in antiquiſſimo Commentario in Geneſin , Bereſhith Rabba *Sect*. 32. & 8. 1. §. 3. ſc. פלטנוס, ut poſteriori loco ſcriptum extat, quam ſcriptionem ſequitur Auctor Lexici, Aruch dicti, qui fidem ſuam in exhibenda vera vocum barbararum lectione ſæpe mihi probavit , ſic ut illius ſcriptionem præferre ſoleam vulgatis editionibus Talmudis, Bereſhith Rabba , & aliorum vetuſtiſſimorum librorum . Idem ait hanc vocem ſignificare *montem*, Commentator ad Bereſhith Rabba, *montem Garizim*: quod ex duobus illis locis videtur liquere, & ex aliis libris antiquis, ubi eadem hiſtoria narratur, & pro eo *Neapolin Samaritanorum* ניפולין של כותיים ſubſtituerunt. Unde illa vox ducta ſit, non puto hactenus quenquam docuiſſe . Ego conjicio , quum Græca vocabula plurima tempore Jonathanis, & Iſmaelis fil. Joſephi, addo & illo , quo is commentarius ſcriptus eſt, permixta eſſent ſermoni Judæorum, non incommode vocem Græce exprimi per πελεϑȣ ναός, פלטנוס, id eſt , *ſtercoreum delubrum* , quod in monte Garizim erat, id eſt, dicatum cultui idololatrico , ut Judæi credebant . Solent autem falſos Deos ſtercoreos appellare & *ſtercora* גלולים *Deut*. 29. 17. 1.*Reg*. 15. 12. & plurimis aliis locis. Atque eo magis mihi ſe probat hæc conjectura , quod Samaritani ſolerent eodem nomine appellare Templum Hieroſolymitanum. Id liquet ex colloquio R. Jonathanis & Samaritani; quorum hic, præſtaret, inquit, te precari in hoc monte Gerizim quam in illa בית קלקלתא, id eſt, *æde ſtercoris* , innuens Templum Hieroſolymitanum, quo R. Jonathan proficiſcebatur. Plane ſonat hoc idem quod πελεϑȣ ναός, פלטנוס: unde mutuo & Judæi & Samaritani , hi Templum Hieroſolymitanum, illi Garizimiticum, fœdo hoc nomine appellarunt.

IV. Ut

§ IV. Etymon montis Garizim.

IV. Ut & de etymo vocis Garizim aliquid addam, sine dubio radix ejus, ut loquuntur Hebræi, sive vox primitiva est גרז, quod Lexica transferunt per *Excidere*, *succidere*, *abscindere* & hoc sensu legitur *Ps.* 31. 23. Hinc derivatum גרזן *securis*, quæ abscissioni inservit. Apud Arabes eandem hæc vox significationem habet [جرز] & usurpatur de qualibet resectione vel amputatione, uti arborum, tritici, &c. quo sensu Arabs transtulit אלם *Gen.* 37. 7. [quo solo loco hæc radix in V. T. occurrit & quæ vulgo transfertur per *ligare*] per جرز גרז, ut sensus sit, *eramus metentes*, *sive resecantes*, *manipulos*. Et, profecto sunt derivata vocis אלם, uti אלמנה *vidua*, &c. פ׳ אלמוני *Hic ille*, N.N. quæ melius a notione *resecandi* fluunt, quam ab illa *ligandi*. Quicquid sit, גרז est *abscindere*, & hinc גריזים notabit *scissores*, qui amputandi munere funguntur, *messores* qui triticum resecant, vel, si malis vulgatam expositionem *Gen.* 37. 7. sequi, qui manipulos tritici *colligant*. Nam גריז in participio Pehil nonnunquam agendi æque patiendi notionem habet, ut docent Grammaticorum filii. Erit itaque dictus *Mons Messorum* vel sectorum, ob summam fertilitatem, a qua hic mons commendatur, opposite ad Ebal, qui sterilis erat. Montes autem in Palæstina plurimi, pastui pecorum licet minus apti sint, triticum tamen proferunt, & alias frumenti species, quæ Eruditissimi Maundrelli, L. A. M. & membri Collegii Exeterensis observatio est, ipsa illorum locorum lustratione id edocti. De etymo montis עיבל *Ebal* & hoc monendus es, lector. Hebræis vocem primitivam עבל non esse in usu, sed Arabibus, & inter alia significare, *foliis nudare arborem* & derivatum أعبل אעבל *saxa albicantia*, & *montem* ipsum *in quo tales lapides inveniuntur*: quæ suadere videntur vel a sterilitate vel a saxis montem illum ita fuisse appellatum. Ebal enim aridus erat, adhuc tempore R. Benjaminis, *sicut saxum & petra*, uti ipse testatur. Garizim autem fontibus, hortis, vineis & olivetis amœnissimis instructus. Sic ut ipsa utriusque montis facies benedictionem & maledictionem in eo peragendam luculenter exprimeret.

§. V. Situs montis Garizim. Duplex Gilgal.

V. In inquirendo situ montis Garizim ante omnia examinanda sunt nobis verba Epiphanii; & eo quidem magis, quo majori cum fiducia certam lectori suo sententiam pollicentur. Ita ille *Hær.* VII. Τῷ βουλομένῳ ἀκριβῶς περὶ τοῦ ὄρους Γαριζεὶν ἐρευνᾶσθαι, ἰστέον ὅτι πρὸς τῇ Ἱεριχῷ κεῖνται τὰ δύο ὄρη, τό τε τοῦ Γαριζεὶν, καὶ τὸ τοῦ Γεβὰλ πέραν τοῦ Ἰορδάνου πρὸς τῇ ἀνατολῇ τῆς Ἱεριχῶ, ὡς ἔχει τὸ Δευτερονόμιον, καὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ ἡ βίβλος. *Si quis de monte Garizim explorati quidpiam habere velit, sciendum est ad Jerichuntem duos esse montes Garizim & Gebal ultra Jordanem, ad orientem Hierichuntis, uti in Deuteronomio & libro Josuæ filii Nave scriptum est*. Crassum hunc esse errorem multi, nec immerito, ostendere conati sunt; tum, quod mons Gerizim prope Sichem collocetur *Jud.* 9. 6. tum, quod ex Josephi, aliorumque veterum, testimoniis, quæ nostrorum temporum experientia confirmantur, liquido constet, in portione tribus Ephraim ad Neapolim, quæ olim Sichem dicebatur, eum esse quærendum. Unde autem natus est hic error Epiphanii? Et quæ occasionem dare potuerunt Doctissimo scriptori hac ratione commentandi? Scilicet, legerat Epiphanius in Sacris literis *Deut.* XI. 30. montes Gerizim & Ebal esse מול גלגל, id est, *contra Gilgalam*, uti Vulgatus Interpres, ἐχόμενον τοῦ Γαλγὰλ, *apud Galgal*, ut LXX. vel *versus Gilgal*, *e regione Gilgal*, לקבל גלגלא ut Targumista & alii, & sibi persuasit nullum alium locum Gilgal esse dictum præter eum, qui Hierichunti & Jordani proximus ita appellatus est a Josua, quod Deus circumcisione ibi peracta opprobrium Ægypti ab iis devolvisset, uti legere est *Jos.* 5.8. At aliud erat Gilgal, versus quod mons Gerizim erat situs, quod vel ipsa Mosis verba *Deut.* XI. 30. collata cum ratione temporum ostendunt. Nam Moses loquitur de montibus, & locis, jam suo tempore hoc nomine notis, *Gerizim*, *Ebal*, *Galgal*. Atqui Gilgal prope Jerichuntem post mortem demum Mosis a Josua id nomen accepit *Jos.* 5. 8. Nec est necesse ut fingamus Mosi revelatum hoc nomen fuisse a Deo, huic loco dandum post ejus obitum. Præterea Galgal aliquod fuisse distinctum a Galgal in campestribus Hierichuntis, videtur suadere distincta recensio מלך גוים לגלגל *Regis Gentium Galgal* *Jos.* 12. 23. ubi non potest intelligi Gilgal Hierichuntinum, quod probabiliter Regi Jerichuntis paruit, nec urbs fuit, sed campus: certe debuisset recenseri in initio hujus seriei *Jos.* 22. 9. ubi Regum a Josua devictorum catalogus servato ordine temporis, & itinere instituti incipit ab Regibus *Jerichuntis*, *Ai*, & pergit memorare reges *Hierosolymæ*, *Hebron*, *Jarmoth*, *Lachis*, *Eglon*. Quod si alicubi idem is ordo in progressu illius seriei non videatur observatus, erit vel exigua intercapedo, vel situs terrarum attendetur. Quumque Rex *Galgal* penultimo loco ponatur, & jungatur Regibus *Carmeli*, & *Doræ*, & *Cadesch*, & *Tirsa*, locorum satis notorum, patet id Galgal longe aliud esse, quam Galgal, in campestribus Hierichuntis, quod primum

 vel

vel ſaltem inter prima loca [niſi hanc enumerationem Joſuæ maxime confuſam & inordinatam ſeriem velimus appellare] debuiſſet recenſeri. Et ſi Galgal Hierichuntinum innuitur *Joſ.* 12. 23. quid ſibi vult vox addita גוים *Gentium*? מלך גוים לגלגל, *Rex Gentium Galgal*. Vel hoc ſolum anſam ſuſpicandi dedit magnis viris, per hæc verba partem quandam Galilææ innui, quæ ſequentibus etiam temporibus *Galilæa Gentium* dicta eſt, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν, & גליל הגוים *Jeſ.* 9. 1. Inter illos præcipue videndus eſt Cl. Ligtfootus in *Centuria Geographica cap.* 88. qui per גלגל *Joſ.* 12. 23. intelligit Galilæam, & confert verſionem Alexandrinam, quæ pro לגלגל loco citato habet Γαλιλαίας, & Joſephum, ſcribentem Demetrium caſtrametatatum eſſe ἐν Ἀρβήλοις πόλει τῆς Γαλιλαίας, cum verbis ſcriptoris libri 1. *Maccab.* IX. 2. ἐπορεύθησαν ὁδὸν τὴν εἰς Γάλγαλα καὶ παρενέβαλον ἐπὶ Μεσαλὼθ τὴν ἐν Ἀρβήλοις. Quicquid ſit, ſive per גלגל *Joſ.* 12. 23. debeamus ipſam Galilæam intelligere, vel partem ejus, vel civitatem; id certum videtur illud Gilgal diverſum eſſe a Gilgal prope Jordanem, & vicinum eſſe regioni, in qua Dora, Cadesh, Tirſa; & regem Gilgalis inter ultimos fuiſſe a Joſua devictos. Quare ſi conſideremus locum, ubi Moſes verba pronunciavit relata *Deut.* XI. 30. ſc. cis Jordanem, in campeſtribus Moab, rectiſſime deſcribi montem Gerizim, מול, *prope*, vel e *regione*, vel *verſus*, quod magis probo, *Gilgal*, apparebit. Id enim inſpectio mappæ Geographicæ clariſſime docet. Unum addam, quod ad ſententiam illam, quæ Gilgal *Joſ.* 12. pro Galilæa habet, illuſtrandam facit, ſcilicet Samaritanos in Chronico ſuo Manuſcripto ſive Libro Joſuæ, [de quo nos alia, Deo volente, fuſius agemus] Gilgal illud Hiericunthinum גליל جليل *Galil* appellare *cap.* 16. eodem ſc. nomine, quo Galilæa paſſim apud Arabes, & Interpretem Novi Teſtamenti dici ſolet. Quod videtur docere Galilææ nomen olim idem fuiſſe cum גלגל *Gilgal*, & poſtea mutatum in גליל *Galil*. Quæ duo Gilgal quum non diſtinxerit Epiphanius, lapſus eſt in errorem, & in eundem alios induxit. Euſebius enim in *lib.* de locis Hebraicis, Interprete Hieronymo, ita ſcribit: *Errant igitur Samaritani qui juxta Neapolin Garizin & Ebal montes oſtendere volunt, quum ipſos juxta Galgal eſſe Scriptura teſtetur*. At profecto non errant illi, ſed certiſſima proferunt.

§. VI. Garizim mons unus non tractus montium.

VI. Quum itaque probatum dederimus duplicem locum Gilgal eſſe dictum, non videtur neceſſe ſtatuere cum Gerardo Mercatore montem Garizim, (quem ipſe fatetur partim imminere urbi Sichem, motus auctoritate loci *Jud.* 9.) fuiſſe tractum montium, qui ſe a Sichem protendat ad Gilgal illud quod prope Jordanem eſt. Quod ideo tantum finxiſſe videtur Vir doctus, ut explicaret illud *Deuteron.* XI. 30. Garizim eſſe מול *prope*, vel *verſus Gilgal*, non aliud Gilgal eſſe ratus, quam quod in Campis Jerichuntinis eſt. Nec enim tuetur hanc opinionem ulla auctoritate, quin e contrario certum eſt tale dorſum montium non protendi a Sichemo ad Jordanem, ſed Gerizim eſſe montem unicum ſeparatim, adverſum Hebali & valle intermedia diſtinctum. Quod ſi & Ebal & Garizim tam late protenderentur, nullum certum locum deſignaſſet Moſes, unde benedictiones maledictioneſque pronunciarentur, ſed vagum illum & indeterminatum, qui æque ad Jordanem quam in locis mediterraneis Palæſtinæ concipi poſſet. At diſertis adeo verbis circumſcribit hos montes Divinus Scriptor, eoſque locat אצל אלוני מורה *prope quercus Moreh*, ut dubitari non poſſit; quin ſingularis mons & locus vicinus urbi Sichem innuatur, nam אלון מורה eſt prope Sichem. *Gen.* 12. Quod ſi a Gilgal Hierichuntino protenderentur hi montes per vaſtiſſima terrarum ſpatia uſque ad Sichem vel quercus More non videntur montes illi deſcribi poſſe, quaſi tantum ibi, prope quercus Moreh, ſiti eſſent, uti Moſes ait: *An non illi montes ſiti ſunt trans Jordanem, poſt viam quæ ducit ad occaſum, &c. prope quercus Moreh?* Quorſum locat illos montes prope quercus Moreh, ſi non ibi, ſed prope Gilgal Hierichuntinum, illæ benedictiones & maledictiones debuerunt recitari, uti Mercator putat? Quorſum illa deſcriptio, quæ videtur magis obſcurare verum locum peragendarum ceremoniarum quem innuere vult Moſes, quam indicare? Idem hoc mihi videtur ac ſi dicam: ſi Roma velis Anconam proficiſci, tranſeundus eſt Mons Apenninus. An non iſte mons ſitus eſt in regno Neapolitano & propinquus ſinui Tarentino? Hoc enim noſſe nil facit ad ſitum indicandum montis, quem aliquis Roma Anconam tendens, tranſire debet. Sic etiam, licet Gerizim ab Gilgal Jerichuntino ad Sichem protenderetur, quia tamen ex hypotheſi Mercatoris, cerimoniæ a Moſe præſcriptæ & ibi agendæ, prope Gilgal Hierichuntinum peragi debebant, non poterant ſcire, ubi is locus eſſet ex tali deſcriptione: an non ſunt ... prope quercum Moreh? unde longiſſime diſtabat verus locus peragendarum ceremoniarum juxta viri docti opinionem. Nam inde debuiſſent Hebræi colligere prope quercum

More

More hæc vota & diras recitari debere, (quod vir doctus negat) quia præcipiuntur illa peragenda in montibus, qui, ut noti fiant Hebræis, dicuntur esse apud quercus Moreh, id est, prope Sichem. Sed huic rei non immorabor diutius, quum falsæ illi hypothesi innitatur, unum modo locum in sacris Gilgal esse dictum, & hinc visa sit maxima difficultas Mercatori, eundem montem prope quercus Moreh, & Gilgal, loca maxime dissita collocare, quam amoliri posse non videbatur, nisi statueret tractum montium intelligi, & hos esse extensionis terminos. Verum, quod plerumque fieri solet, dum hæc sibi persuadere conatus est Mercator, alia quoque conquisivit hujus sententiæ suæ firmamenta, uti, quod mox post captam urbem Ai, hæ cerimoniæ in monte Gerizim & Ebal fuerint actæ (quod tamen non liquet, nec ex serie qua res recensentur doceri potest, quia sæpe temporum ordo invertitur) quodque lapides ex Jordane usque ad Ebal deferri non potuerint, quasi certum sit eosdem illos fuisse qui Galgalis & qui in Ebal fuere collocati. Quæ sigillatim examinare non constitui, quum Vir Eruditissimus Andreas Masius id abunde præstiterit in Commentario ad Josuam, *cap.* VIII. 30.

§. VII. Urbs Sichem illi monti adjacet.

VII. Accuratius vero situs montis Garizim intelligitur ex eo quod urbs שכם, *Sichem*, ei vel insita vel adsita fuerit, uti apparet, ut *Jud.* 9. 7. Erat autem urbs Sichem in portione tribus Ephraim *Jos.* 20. 7. Monti ipsi illam insedisse quidam opinati sunt, quod illa urbs frequenter in Sacris literis appelletur *Sichem in monte Ephraim*: verum ego existimo hoc loquendi modo tantum indicari sitam illam fuisse ad montem, vel in illa parte terræ, quæ, quod non tot campos haberet, ac ora maritima, inde הר אפרים, *mons Ephraim*, dicta est. Et notatum est ab iis, qui iter instituerunt per ea loca, regionem a mari mediterraneo usque ad Sichem, campestrem, at ulterius versus ortum, montanam & saxosam magis existere: quod observo, ne quis putet hæc contraria esse textui *Deut.* II. 30. ubi Gerizim *in regione regis Canaæi, qui in campestribus habitat*, locatur. Nam & ipsa regio ad occasum montis Gerizim campestris erat, ad ortum paulatim montosior, sic ut ipse mons quasi in confinio regionis montosæ & campestris situs fuerit, & sub ditione Regis Cananæi, qui in locis campestribus sedem habebat. Fuit ergo adsita monti, quod & vulgatius & probabilius est, & ita quidem ut inter duos montes Gerizim & Ebal media esset, illo ad austrum, hoc ad septentrionem sito, γαριζεῖς μὲν τοῦ ἐκ δεξιῶν κειμένου, τοῦ δὲ ἐκ λαιῶν γιβάλου προσαγορευομένου apud Josephum *Antiq.* IV. *ult.* & *l.* V. *c.* 9. qui montem Garizim imminere urbi Sichem testatur his verbis, historiam Jothanis (*Jud.* 9.) narrans, τὸ ὄρος τὸ Γαρίζειν, ὑπέρκειται δὲ τῆς Σικίμων πόλεως. Idem in fine ejus libri Sichem sitam ad montem Garizim refert & eam Metropolin Samaritanorum eo tempore fuisse; σαμαρεῖται, scribit, μητρόπολιν τότε τὴν Σίκιμα ἔχοντες κειμένην πρὸς τῷ γαριζὶν ὄρει.

§. VIII. Sichem unde dicatur Morthia & Mamortha.

VIII. Facile ex iis, quæ notavimus, colliget Lector meus, unde Sichem appellata fuerit in Nummis ΜΟΡΘΙΑ, ubi ita legitur ΦΛ. ΝΕΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΜΟΡΘΙΑ. id est, FLAVIA NOVA (ita enim postea vocata fuit, uti ex Nummis antiquis, quos plurimos recenset Cl. Harduinus in *Numm. antiq. populor. & urb. illustr. pag.* 340. *& seqq.* & Cl. Vaillant *in Numm. Coloniar. pag.* 150. & *seqq.* & aliunde liquet, & in Chronico Samaritano نابلس *Nabolos*, quod nomen hodieque retinet, & vulgo *Naplousa* effertur) METROPOLIS MORTIA. In Plinio id nomen legitur *Mamortha*, in quam codices, Josepho Μάβαρθα. Sed quum nummi minus obnoxii sint corruptioni illos sequimur, & ΜΟΡΘΙΑ legendum arbitramur. Cl. Cellarius, vir doctissimus & amicus noster singularis, in *Collect. histor. Samar. p.* II. illud מרתא sive ܡܪܬܐ *Dominam* notare conjicit, quod esset civitas princeps & dominatrix illius regionis. At nos credimus esse illud nomen מורה *Moreh*, quod Græca terminatione addita vix aliter scribi poterat quam Μόρθια, Nam ה, adspiratio, nequit a Græcis in media voce collocari, ideoque litera ex T & H composita ejus loco substituitur, velut in voce ΜΙΘΡΑ, quæ a Persis scribitur مهر *Mihr*, ubi ه, ה, eodem modo in Θ mutatum est. Adde quod ipsi Hebræi pro *He* soleant *Thau* uti, quum illa quiescens in medio vocis deberet legi, quod vel tyrones in lingua Hebræa norunt. Esse autem nomen *Moreh* olim datum urbi Sichem constat ex Codice Talmudico *Sota*, ubi R. Eliezer ben Jose quamvis fateatur Elon Moreh esse Sichem, eos male addidisse ait vocem שכם *Sichem* fini versus 30. *Cap.* XI. *Deuteron.* post מורה. Quod si ipsa urbs Sichem non fuerit Moreh, aut Elon Moreh, certe hæ sive quercus sive planities, fuerunt urbi Sichem proximæ, quod nemo, opinor, negabit, qui illos textus, in quibus mentio fit horum locorum, examinavit,

Ipſi certe Samaritani textui *Deut.* XI. 30. poſt ultimas voces , *juxta Elon Moreh* , addiderunt , ſed ex ſuo ingenio ࠌࠒࠋ ࠔࠊࠌ *prope Sichem*. Si porro aliquis me roget , quid cenſeam de nominibus *Mamortha* , *Mabartha* . quæ a Plinio & Joſepho urbi Sichem dantur , modo conſtet vere illos ita ſcripſiſſe , nec irrepſiſſe per errorem librariorum , crederem quoſdam confudiſſe *Moreh* , cum *Mamre* . Uterque locus legitur cum voce *Elon* vel *Elone* , uterque ab Abrahamo inhabitatus , & in terra Iſraelitica ſitus; unde forte unum pro alio acceperunt. Quod ne quis factum miretur , ſciat in verſione Syriaca , ubi textus Hebræus habet *Moreh* מורה *Gen.* 12. 6. & *Deut.* 11. 30. legi ܡܡܪܐ *Mamre*. Inde , quemadmodum ex *Moreh* , Μορθια , ſic geminata prima litera *Mem* , Μαμορθα . & *μ* in *β* mutato ut in βύρμηξ , μύρμηξ &c. Μαβαρθά vel Μαβορθά . Arabica etiam verſio , a Cl. Waltono inſerta Bibliis Polyglottis Anglicanis , pro מורה habet ممري *Mamri :* at altera , quæ ab Erpenio eſt edita , ſervat Hebræum מורה مورة : Tertia ſed inedita verſio Arabica [quam juxta verſionem Lxx. interpretum tranſtulit in linguam Arabicam الحرث ابن سينان *Harith Ibn Sinan* , uti in exemplari meo legitur) habet hic pro מורה العالية , *excelſa* , Græcos ſecuta , qai tranſtulerunt ὑψηλὴν , quaſi legiſſent רומה vel מרום . Quarta verſio , quæ auctorem habet celebrem R. Saadiam Gaon (quam aliqui crediderunt eſſe eandem cum Arabica verſione Polyglottorum Pariſienſium , qoos in Analectis ſui jure confutavit Cl. Hottingerus *p. 98.*] cujus ego ſolam Geneſin manuſcriptam poſſideo , at quæ typis Hebræis dudum edita eſt , habet مرج ممرا *Planitiem Mamre* . Sic ut Syriaca & duæ Arabicæ verſiones , pro מורה habeant *Mamre* : & ſcholia vetera , verſioni Græcæ addi ſolita ſimiliter Μαμβρῆ . Unde vox Μαμορθα videtur duxiſſe originem .

§. IX. Sichem quare vocatur Sichar Joh. IV. 5.

IX. Unde autem urbs Sichem dicta fuerit *Sichar* , in Novi Teſtamenti tabulis , variæ ſunt conjecturæ. Legitur ea vox *Job.* IV. 5. ἔρχεται ὖν εἰς πόλιν τῆ Σαμαρείας, λεγομένην Σιχὰρ , *venit autem (Jeſus) in urbem Samariæ quæ dicebatur Sichar* . Intelligi autem Sichem patet, quod ſitus ejus determinetur ibidem , πλησίον τῦ χωρίυ ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ ὑιῷ αὐτῦ, *prope prædium quod Jacob dedit Joſepho filio ſuo.* Ego exiſtimo dictam eſſe urbem illam, quam pro idololatrica habebant , a Judæis (nam non ſine emphaſi textus ſacer habet λεγομένlω , *quæ ita appellabatur* tunc temporis & vulgo nota erat) שקר *Schecar*, cujus primam literam cum puncto , *Sche* , deflexerunt in Σι , uti in vero nomine שכם *Schecem* , Σιχὴμ . Atque ita Σιχὰρ שקר notabit *mendacium* , *falſum*, quod vel de toto cultu Samaritico, qui in illa metropoli vigebat, vel de idolis, quorum cultum objiciebant Judæi Samaritanis poteſt intelligi. Sunt enim idola, שקר, *mendacium*, אלילים, *nihil* . Elegans eſt locus, ad quem reſpexiſſe Judæos quum hanc urbem ita appellarent certo mihi perſuadeo , (an perſuaſurus ſim lectori meo , neſcio) *Habacuc.* II. 18. ubi idolum ſculptum appellatur מורה שקר, *Moreh Schaker*, *Doctor mendacii* : verſio Græca habet φαντασίαν ψευδῆ. Latere itaque videtur in voce שקר Σιχὰρ (uti tunc temporis loquebantur , & in Chaldaica ejus loci Paraphraſi eſt] & ſubintellecta fuit a Judæis vox addita a Propheta , מורה, *Moreh* , quod ipſum etiam nomen urbi ſuæ Sichem dabant Samaritani, & fatebantur Judæi *Moreh* eſſe nomen Sichem in *Sota*, de quo in ſequentibus agemus. Quum ergo urbem illam Judæi Σιχὰρ appellarunt , *vanitatem*, *mendacium*, falſi cultus eam arguerunt, & tacite voluerunt innuere id reſpici debere, quod erat, ut loquuntur, על צדו *ad latus ejus* , ſc. *Moreh* , & *Moreh* nomen loci adeo ipſis amati revera eſſe *Moreh Sichar* , *doctorem meudacii* . Similem malignam alluſionem ad vocem *Moreb* ex lingua Græca petitam videor mihi deteχiſſe in verbis *Sapient. Jeſu Sirach cap.* 50. 28. ubi hæc verba. Οἱ καθήμενοι ἐν ὄρει Σαμαρείας , φυλιστιὶμ , καὶ ὁ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις . *Qui inſident monti Samariæ, Philiſtæi, & populus ſtultus*, μωρὸς [NB.] *qui habitat in Sichem*. Nec enim videtur eſſe ratio, cur illos, qui montem Samariæ incolebant , & Philiſtæos , minus ſtultos diceret, quam Sichemitas. Sed alludere voluit ad nomen Moreh , uti ego quidem exiſtimo. Solent ita Judæi nomina & locorum & rerum ipſis odioſarum , aut deflectere in ſenſum malignum, aut paulum corrumpere , quod Chriſtiani in *Euangelii*, & ſanctiſſimo *Jeſu*, Soſpitatoris noſtri , nomine , quod ipſis angelis venerandum eſt, at his canibus neutiquam, jam olim experti ſunt . Et Samaritani viciſſim nunc Hieroſolymam non appellant , בית מקדש, *ædem Sanctam* , vel بيت المقدس , quod idem eſt, uti in Chronico ſuo MS.to & Mohammedani vulgo, illam nominant , ſed mutatis duabus literis בית מכתש, *domum plagæ* ; id eſt , everſam, quo ſignum hoc eſſe Divinæ iræ innuunt.

§. X. Num Sichem etiam dicta fuerit Salem.

X. Inquiramus & de alio nomine urbis Sichem. Si Euſebio credimus , dicta fuit olim *Salem*. Ita ille in *lib. de loc. Hebr.* quem Latine vertit Hieronymus. Συχὴμ ,

ϗ ἡ Σίκιμα ἡ ϗ Σαλὴμ, πόλις Ἰακὼβ, νῦν ἔρημος. Δέικνυται δὲ νῦν τόπος ἐν προαστέιοις Νέας πόλεως: *Sichem, Sicima, quæ & Salem, urbs Jacobi, nunc desertum. Locus autem ostenditur in suburbiis Neapolis*. At, quo minus hoc credam, facit, quod soli illi hoc scribant, quorum testimonium tanti non est, ut eo solo niti liceat, & quod Sichem & Salem manifesto distinguantur, ut loca diversa *Joh.* 3. & *Joh.* 4. At subodoratus sum, unde nostri hanc sententiam hauserint, sc. ex *Gen.* 33. 18. ubi hæc verba ויבא יעקוב שלם עיר שכם. *Et venit Jacob incolumis ad urbem Sichem*, quidam transferunt; *& venit Jacob ad Salem, urbem Sichem*. Sed nulla est ratio, cur fingamus שלם, quum sit vox appellativa, & usitata, esse propriam loci, ideoque etiam Judæorum Paraphrases Chaldaicæ, & ipsi Samaritani, qui optime id nosse poterant, si nomen proprium urbis suæ fuisset, hoc transferunt per *salvus*, *in pace*. At versio Græca, quam Patres plerumque sequebantur, habet, ϗ ἦλθε Ἰακὼβ εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων, & vulgata Latina, *Transivitque in Salem urbem Sicimorum*. Hinc natus error, quasi ipsa Sichem Salem diceretur. Porro quam bene id, quod de Salem narratur [*Joh.* 3. 23.] [nam eam innui ibidem putant sententiæ hujus patroni] convenit nostræ Sichem? Quia ibi erant aquæ multæ, Johannes ibi baptizabat. At urbs Sichem adeo abundabit aquis, ut mulier debuerit aquam petere extra urbem ex puteo, quam biberet: nam, *da mihi*, inquit, *aquam istam, ne sitiam & huc veniam haustum Joh.* 4. 15. Adde, quod non videatur locus baptismo Johannis nobilitatus in medio regionis Samariticæ quærendus, sed in Judæa potius, vel Galilæa.

§.XI. Num Sichem sit eadem urbs cum Sebaste.

XI. Sunt qui existiment Sichem, quæ Naplousa hodie audit, eandem esse urbem cum Sebaste, quæ mira confusio est. Nollem id excidisse calamo Viri Eruditissimi, & de literis Orientalibes optime meriti, D'Herbelotii, qui in *Bibliotheca Orientali* hæc habet *pag.* 753. *Hyrcan Roy & Pontife des Juifs ruina entierement Samarie sous le regne de Ptolomee, dit Euergetes: mais elle fut rebatie par Herode qui luy donna le nom de Neapolis & Sebaste. C'est celle que les Arabes appellent aujourdhuy Nabolos, & que nous nommons ordinairement Naplouse*. At alia est urbs Samaria, quæ a monte Schomron ita dicta est, cui inædificata est ab Omri, qui montem illum a Schemer emit, 1. *Reg.* 16. 26. & postea Sebaste dicta, hodie Sebastia; alia est Neapolis, sita inter montem Gerizim & Ebal, uti ex Plinio, Josepho, Ptolomæo, versionibus Bibliorum antiquis, & Nummis plurimis, quorum illi Σεβαστηνῶν, hi Νέας πολέως præferunt, demonstrarem, nisi putarem a quovis examinante veterum scriptorum testimonia id posse fieri. Utique certum est Sichem & Samariam urbes olim fuisse distinctas. Illius jam fit mentio *Gen.* 34. 18. hæc demum condita est ab Omri. 1. *Reg.* 16. Naplousa & Sebastia hodie sunt etiam urbes distinctæ. Id omnia Itineraria & descriptiones chorographicæ confirmant. Atqui Sichem est Naplousa, uti patet ex testimonio veterum & Nummis, & Sebastia est Samaria, quod Strabo Josephus, Hieronymus, Procopius, & alii constanter tradunt. Ergo Naplousa vel Neapolis non est eadem cum Samaria. At confusio mihi videtur nata ex eo, quod utraque & Sichem & Samaria metropoles aliquando Samariticæ regionis, & vicinæ sibi fuerint. Notetur itaque error, quem & Stephanus in Ἐθνικοῖς erravisse videtur, e quo ipsius epitomator hæc exhibet: Σάμαρεια πόλις Ἰȣδαίας, ἡ μετονομασθεῖσα Νεάπολις. *urbs Judææ, postea dicta Neapolis*. Quem plures elapso sæculo secuti sunt.

§.XII. De altitudine montis Gerizim.

XII. De altitudine hujus montis scriptum reliqnit Josephus *Antiq. lib.* XI. *c.* 8. illum vicinorum *montium esse altissimum*, ὃ, inquit, τῶν ἄλλων ὀρῶν ἐστὶν ὑψηλότατον. Nec enim illud ἄλλων omnes totius universi montes designare videtur. Ceterum hujus montis insignis eminentia forte fabulæ occasionem dedit, non fuisse illum immersum aquis diluvii. Ita narratur in *Bereschith Rabba*, *Parascha* 32. §. 16. ad hæc verba Sacri Codicis. *Et aquæ creverunt valde super terram*, &c. רבי יונתן סלק למצלייה בירושלים עבר בהדין פלטאנוס [in margine הר גריזים] וחמתיה חד שמריי אמר ליה להיכן את אזיל אמר ליה למיסק למצלי בירושלים אמר ליה לא טב לך למיצלי בהדין טורא בריכא ולא בההיא ביתא קלקלתא אמר ליה למה הוא בריך אמ׳ ל׳ דלא טף במוי דמבולא *Rabbi Jonathan* [Cl. Ligtfootus videtur legisse *Jochanan*, in *Hor. Hebr.* ad *Evang. Joan.* IV. 20.] *profectus Hierosolymam transiit istum Peltanum* [*montem Gerizim*] *quod videns aliquis Samaritanorum, quo tendis? ait: precatum, inquit, Hierosolymas. At alter, melius esset tibi orare in hoc monte benedicto, quam in ista domo stercoraria. Cur, autem, rogavit hic; mons ille benedictus est? quia, respondit alter, non fuit submersus aquis diluvii*. Quod si verum sit hanc fuisse opinionem omnium Samaritanorum, non est quod Judæi hæc ægre ferant, inter quos etiam antiquitus fuere, qui putarunt terram Israeliticam plane intactam ab aquis diluvii, quia illa

illa erat terra Sancta. At plane contrarium nos docent verba Moſis *Gen.* 7. 19.

§. XIII. De columbæ imagine, monti Garizim impoſita.

XIII. Columbæ imaginem coluiſſe Samaritanos, huic monti impoſitam, Judæi & nunc & olim tradiderunt, quorum teſtimonia multa collegit Eruditiſſimus Bochartus in Hierozoic. ubi de Columbis agit. Verum, uti ego Judæis fidem habendam cenſeo in omnibus iis hiſtoriis quas de ſe narrant, modo nec rei naturæ nec certiſſimis aliarum gentium, quæ habemus teſtimoniis adverſæ ſint, ita parum ipſis fido, quum de Samaritanis, gente adeo inviſa & inimica loquuntur. Attamen non puto voluiſſe eos tam grave crimen iis objicere, quod nullum haberet veri ſpeciem. Unde diſquiſitum eſt a viris doctis, quæ res anſam dare potuerit huic gravi accuſationi. Sunt qui arbitrentur, Samaritanos effigiem columbæ, tanquam ſignum Aſſyriorum, quos venerabantur, in monte Garizim erexiſſe, & hinc natam fabulam: vel ipſos Aſſyrios in ſignum dominii, id feciſſe, uti Romanorum ſignum aquila monti Sioni, & majori portæ templi Hieroſolymitanæ impoſita fuit, ſed mox detracta. Pati enim voluiſſe illam columbæ effigiem Samaritanos, fidem facit eorum ingenium, quod ſe facile ad nutum dominorum ſuorum componebat, ſic ut ſe fratres Judæorum dicerent, quum res iis proſperæ eſſent, Sidonios autem & Judæis inimicos, quum reges Syriæ prævalerent. Ego tamen nihil inveni in ipſo Samaritanorum Chronico de columbæ cultu, ſed, quod occaſionem dediſſe huic narrationi Judaicæ potuit, ſc. Babarrabam ببارده filium primogenitum Nathanaelis, filii Acbonis, Pontificis Maximi, *confregiſſe avem æneam* [Nota bis alibi in hoc Chronico columbam, quæ literas Joſuæ deferebat ad Nebichum, Regem 2. tribuum & dimidiæ trans Jordanem, & ad Eleazerem P. M. ſimpliciter طير *avem* appellari, ſic ut ſuſpicari liceat hic quoque columbam, avem in Palæſtina frequentiſſimam, intelligi] الطير النحاس *quæ monti erat impoſita* [*a Romanis*] *ut arcerentur Samaritani ab ejus adſcenſu*. Ita legitur *cap.* 48. *pag.* 248. Et *cap.* 49. *pag.* 252. illam avem appellant طلسم *Tilſem*, i. e. *Teleſma*, & *arcebant nos ab adſcenſu montis per Teleſma, quod in ejus vertice confecerunt*. Et multo accuratius, ultimo *Capite* 50. *pag.* 253. illius exemplaris, quod Samaritani ab ipſo monte Garizim ad Illuſtr. Scaligerum miſerunt, unde meus Codex deſcriptus eſt; ubi hæc verba, quæ Latine tantum dabo. *Prohibuerunt Samaritanos ab adſcenſu montis, ita ut, qui aſcendere auderet, certo certius occidendus eſſet, feceruntque Romani in vertice montis Teleſma, ſive avem æneam, quæ juxta curſum ſolis ſe converteret. Si quis autem Samaritanus adſcenderet, clamabat*, Hebræus, *unde Romani certiores facti Samaritanum in monte eſſe accurrentes eum interficiebant. Nec potuerunt ex hac calamitate emergere, niſi quum ortus eſt Babarraba*. Et quidni verum hoc eſſe partim potuit, quum non iſtis ſolum temporibus, ſed & ante & poſt, conſuetudo iſtius modi Τελέσματα faciendi apud Romanos & alias gentes, præcipue Aſiaticas, locum habuerit? Ita Appollonius Tyaneus, qui imperante Domitiano floruit, Byzantii teleſma fecit contra ciconias, Antiochiæ in Syria adverſus ſcorpios, quo fuſo ſcorpio æneo, & ſub terra recondito, columnaque ſuperpoſita fugaſſe dicitur. Nec poſtea defuerunt, quos inter Vir Doctiſſimus Jac. Gaffarellus in libro, cui titulum dedit, *Curioſitez inovies ſur la ſculpture Taliſmanique des Perſans*, quemque retractare poſtea debuit, qui miram vim Teleſmatum, & imaginum ſub certo cœli & aſtrorum ſitu, quorum radios aeri noſtro communicatos recipiunt, compoſitarum agnoſcunt, procul tamen a magicarum artium uſu ſemoti, quum ſola vi & influxu aſtrorum, quem corpora talia conſervant, id fieri arbitrentur. Legere illic eſt, Conſtantinopoli erectum in Hippodromo olim fuiſſe τέλεσμα Serpentis ænei, cujus pars quædam poſtquam confracta eſſet eo quum Mohammed II. ea verba potiebatur, ex eo tempore maximam Serpentum copiam urbe cœpiſſe infeſtare Conſtantinopolim; Emeſſæ in ſaxo turris figuram Scorpii extare, quæ urbem a ſcorpiis liberet, & ſi qui experimenti faciundi gratia apportentur, omnes necet; & multa alia, quæ fidem apud omnes non invenient. Quicquid ſit, iſtiuſmodi Columbam æneam pro teleſmate ibi erectam fuiſſe a Romanis ſcribunt Samaritani: quod niſi Romanos auctores dicerent, poſſet quis ſuſpicari Samaritanos ipſos teleſma columbæ in eo monte poſuiſſe ad fugandas columbas, quæ ſanctiſſimum montem & Templum fœdare poterant: ad quem ne quid impuri accederet, ſepto illum cinxerunt, ut in Nummis antiquis videre eſt. Quumque omnia animalia arcere ſepto poſſent, exceptis avibus, forte per teleſma iſtiuſmodi avis, in Palæſtina frequentiſſimæ, arcere aves conati ſunt.

XIV.

§. XIV. De idolis sub monte Garizim abscondi-tis.

XIV. Faciem convertunt ad montem Garizim Samaritani, dum precantur, uti Judæi ad Templum Hierosolymitanum, Mohammedani ad Cabam Meccanam facere solent. Ita scribit Epiphanius *Hær. 9.* Εἰδωλολατρῦσιν ἒν ἀγνοῦντες ἐκ τῦ πανταχόθεν προσέχειν, πρὸς τὸ ὄρος ἐν τῷ αὐτῦς εὔχεσθαι, δῆθεν ὅτι ἡγίασαι. *Inscii ergo simulacra [sub monte Garizim abscondita] venerantur, quum, ubicuuque sunt, inter precandum faciem illi sancto obvertunt.* Ipsi quoque in literis ad Scaligerum datis id fatentur. Quod autem addit Epiphanius, de idolis sub illo monte absconditis videtur ex historiis Samaritanis perperam intellectis petitum. Quandoquidem autem in Capite 40 Chronici Samaritani latere originem hujus fabulæ arbitror lubet paulo altius in istam rem inquirere, & fontem commenti indagare. Mentio fit illic Pontificis cujusdam, nomine عزى *Ozi*, & *cap.* 42. traditur sub ejus Pontificatu, 360 annis post ingressum Israelitarum in Palæstinam (in Chronico Abulfetachi habetur, 260 annis] vasa sacra jussu & judicio Dei abscondita fuisse in spelunca montis Garizim, quæ deinde cum repetere vellent, invenire non potuerunt. Quæ historia pluribus verbis ibi narratur. Disquiremus ergo, quis Ozi iste fuerit, & an in aliis quoque scriptis vestigia quædam hujus absconsionis vasorum sacrorum indagare possimus. Primum quod attinet, Cl. quidem Hottingerus in *Enneade Dissert. pag.* 30. ita scribit. *Alius* [sacerdotis] *quem ultimum tempore pacato fuisse tradit, mentio fit, nominr* عزي, Ezram *velit, an* Eli, *nescio*. Quod Ezram hic innui putet Hottingerus, sola facit vocum عزي & عزير affinitas, quarum ultima *Ozair* in Alcorano *Surat.* IX. 30. Ezra notari creditur. Sed nomina hæc sine dubio diversa sunt & scriptione & pronuntiatione, nec sunt temere confundenda, nec Ezra Pontifex Maximus fuit, uti hic Ozi fuisse traditur, nec etiam Ezræ historia ante illam Samuelis, quæ capite sequenti demum in hoc Chronico narratur, narrari potest. Adde, quod Ezræ mentionem non soleant facere Samaritani, sine addita nota maledictionis, uti ex literis eorum ad Ill. Scaligerum datis videre est. Verum non de Ezra tantum sed de *Eli* cogitat Cl. Hottingerus. At nec illud congruum videtur. Aliud enim est Ozi, aliud Eli, & Pontificis quidem Eli mentio fit in hoc Chronico *Cap.* 44. post traditam historiam τῦ Ozi, adeoque unus cum altero confundi non potest. Ego vero illum intelligi puto per عزي *Ozi*, qui Ὀζὶς Josepho, Ὀζεὶ Eusebio *in Chronico*, Ὀζὶ Interpretibus Græcis V. T., & עזי *Ozi* Hebræis dicitur, quique Pontifex Maximus fuit, quintus ab Aharone, de quo vide 1. *Chronic. 6. 6.* Nam utrumque nomen عزى Ozi & עזי idem est, & uterque Pontificatu functus esse traditur, & ratio temporum convenit. Τῦ Ozi enim historia ante illam τῦ Eli narratur proxime, illius *cap.* 42. hujus *cap.* 43. Et עזי sive Ozias aut Ozis ille, cujus Sacræ literæ & Josephus meminerunt, successorem Eli habuit in Pontificatu. R. Abraham Zacuthus in Eruditissimo opere, *Juchasin*, ita scribit בזמן שמשין מת עזי בן בוקי מזרע אלעזר ונתחלפה הכהונה לזרע איתמר ועלי היה ראשון *Tempore Samsonis* (nota συγχρονισμὸν, & in Chronici nostri eodem capite *Samsonis* & hujus عزى *Ozi* mentionem fieri) *diem obiit Ozias fil. Bokiæ ex posterit Eleazaris. Tunc translatus est Pontificatus ad Ithamaridas, quos inter primus fuit Eli.* Non aliam seriem observat Josephus *l. 5. antiq. c. ult.* Ὀζὶς, inquit, post Boki Pontificatum adeptus est, μεθ' ὃν Ἠλὶς ἔσχε τὴν ἱερωσύνην, *post quem Eli functus est summo sacerdotio*. Meminit hujus Oziæ auctor Chronici Alexandrini, meminerunt alii. Et ni vehementer fallimur idem hic est, qui ab Epiphanio *hær.* 55. Ἀζίας [legendum itaque Ὀζίας) pater τῦ ζαρᾶ, avus τῦ Μωεὶκ, appellatur. Filius enim Oziæ Seraia & nepos Meraiot *Chrọn. 6. 6.* memorantur. Ex his satis liquere arbitror quis pro nostro Ozi عزى haberi debeat. Ad secundum progredior, absconsionem vasorum sacrorum in spelunca montis Gerizim, ab ipso, jussu Dei peractam, si Samaritanis credimus. Fateor de illo nihil simile in sacris aut profanis scriptoribus lectum memoriæ meæ succurrere, at insignis est in Josepho locus, qui ad rem præsentem mire facit, si a vulgari lectione parumper recedamus & pro *Mose Ozim* legamus. Quæ emendatio mihi tantum non necessaria videtur, eo quod Josepus nec ex sua nec ex Samaritanorum opinione ea Mosi adscribere potuerit, quæ adscribit, si vulgata lectio retineatur. Judica ipse, Lector. En verba Scriptoris *Antiq. lib.* XVIII. *cap.* 5. Οὐκ ἀπήλλακτο δὲ θορύβυ καὶ τὸ Σαμαρέων ἔθνος· συστρέφει γὰρ αὐτῦς ἀνὴρ ἐν ὀλίγῳ τὸ ψεῦδος τιθέμενος καὶ ἐφ' ἡδονῇ τῦ πλήθυος τεχνάζων τὰ πάντα, κελεύων ἐπὶ τὸ Γαριζεὶν ὄρος αὐτῷ συνελθεῖν, ὃ ἁγνότατον τε αὐτοῖς ὀρῶν ὑπείληπται, ἰσχυρίζετό τε παραγινομένοις δείξειν τὰ ἱερὰ σκεύη τῇ δὲ κατορωρυγμένα, Μωϋσέως τῇ δὲ αὐτῶν ποιησαμένυ κατάθεσιν. *Interea ne Samaritani quidem tumultu caruerunt. Concitavit enim eos impostor quidam, mendacium pro nihilo ducens & omnia*

com-

comminiſcens ad plebis gratiam, jubens ut convenirent in montem Garizim apud eam gentem Sanctiſſimum; affirmans ſe illic eis oſtenſurum ſacra vaſa recondita, quæ ibi *Moſes* (lego Ozis) *depoſuerit*. Quid tibi videtur Lector? nonne ad amuſſim hæc conveniunt cum traditione Samaritanorum in hoc Chronico, ſi *Ozim* legamus? Certe vaſa ſacra reſſoſſa fuiſſe ſub monte Garizim, & ita ut inveniri non potuerint, quod tamen ſe præſtiturum hic Impoſtor gloriabatur, heic traditur, quæ ipſiſſima ſunt, quæ in *Cap.* 42. hujus Chronici narrantur. At ſi *Moſen* legamus, ut vulgo fieri ſolet, nullus plane ſenſus ex hoc loco erui poteſt. Quid enim? Num Moſes, qui Jordanem non tranſiit, poteſt dici vaſa ſacra ſub monte Garizim abſcondiſſe? Certe id Joſephus ſcribere ex ſua ſententia non potuit. Nec etiam ex opinione Samaritanorum, qui ex Pentateucho ſatis edocti ſunt Moſen cis Jordanem diem ſuum obiiſſe, & in hoc ipſo Chronico *cap. 6.* id confirmant. At dicet aliquis Joſephus narrat Impoſtorem illum hoc plebi perſuaſiſſe, quamvis contra rei fidem: verum quod non plebeji tantum ſed & alii decepti fuerint, ex ipſa Joſephi narratione manifeſtum eſt; Et quis tam impudenter mendax, & rem affirmans, cujus contrarium omnes, etiam plebeji, vel ex lectione Sacri Codicis vel auditione noſſe poterant & debebant, tantum hominum numerum in hæreſin ſuam congregaſſet, niſi ſtipites illos omnes fuiſſe credamus. Si autem pro Moſe Ozin legamus, nihil eſt quod traditionibus Samaritanorum repugnat, & plana ſunt omnia. Ceterum quæ auctor noſtri Chronici Oziæ tribuit, Scriptor *lib.* 2. *Maccab. c.* 2. 4. *& ſeqq.* Jeremiæ adſcribit. Merentur ſingula conferri, quare, quæ in *Lib.* 2. Maccabeorum leguntur, heic exhibemus. Ἦν δὲ ἐν τῇ γραφῇ ὡς τὴν σκηνὴν καὶ τὴν κιβωτὸν ἐκέλευσεν ὁ προφήτης χρηματισμοῦ γενηθέντος αὐτῷ συνακολουθεῖν. Ὡς δὲ ἐξῆλθεν εἰς τὸ ὄρος οὗ ὁ Μωϋσῆς ἀναβὰς ἐθεάσατο τὴν τοῦ Θεοῦ κληρονομίαν. Καὶ ἐλθὼν ὁ Ἱερεμίας εὗρεν οἶκον ἀντρώδη καὶ τὴν σκηνὴν ἐκεῖ· καὶ τὴν θύραν ἐνέφραξε. Καὶ προσελθόντες τινὲς τῶν συνακολουθούντων ὥστε ἐπισημήνασθαι τὴν ὁδὸν καὶ οὐκ ἐδυνήθησαν εὑρεῖν. Ὡς δὲ Ἱερεμίας ἔγνω μεμψάμενος αὐτοῖς εἶπεν. Ὅτι καὶ ἄγνωστος ὁ τόπος ἔσται ἕως ἂν συναγάγῃ ὁ Θεὸς ἐπὶ συναγωγὴν τοῦ λαοῦ καὶ ἵλεως γένηται. *Erat in eodem ſcripto juſſiſſe Prophetam* [Jeremiam] *accepto Dei reſponſo tabernaculum & arcam ſecum proficiſci. Quum vero ad illum montem perveniſſet, de quo Moſes, quum eum adſcendiſſet, conſpexerat hæreditatem Dei, progreſſum eſſe Jeremiam & inveniſſe demum cavernoſam & illi intuliſſe tabernaculum, arcam & altare ſuffitus, & dein oſtium obſtruxiſſe: alios autem advenientes ex numero comitum ſuorum, ut notarent viam, eam non potuiſſe invenire: at Jeremiam hac re cognita iis iratum dixiſſe, Ignotum fore locum illum uſque ad id tempus quo congregaturus Deus congregationem populi & miſericors eſſet futurus.* Quis non videt paucis mutatis rem eandem narrari? Subſtitue pro Jeremia Ozin, pro monte Nebo, Garizim, cetera convenient. Hebræi Scriptores de occultatione vaſorum ſacrorum ita fere ſentiunt, Joſiam Regem, edoctum ex prædictionibus Huldæ, mulieris divinæ, inſtare Templi Salomonici deſtructionem, ne res ſanctæ Templo contentæ prædæ & ludibrio profanarum gentium cederent, abſcondiſſe arcam fœderis, urnam mannæ, virgam Aaronis & oleum unctioni deſtinatum, in ſpelunca ſubterranea, quam ſub adyto fieri curaverat in hunc uſum Rex Salomo. Hoc illi colligunt ex verbis Joſiæ 2. *Chron.* 35. 3. *Ponite illa in iſta domo, quam ædificavit Salomo, filius David, Rex Iſraelis.* Qui plenius hanc Judæorum ſententiam noſſe cupit *Gem. Joma. cap.* 5. & Interpretes Hebræos ad locum modo citatum conſulat. Catholici nonnulli ea vaſa, quibus Templum Salomonicum ſuperbiebat latere hodie ſub altari quodam Eccleſiæ Lateranenſis, quæ Romæ eſt, populo perſuadent, ac a Tito, urbe everſa, Romam delata eſſe contendunt, quum tamen illa Templo ſecundo non fuiſſe illata ſatis demonſtrari poſſit, adeoque nec a Tito inde erui potuerint. Traditiones tamen illorum legat, qui vult, apud Cl. Hottingerum *Hiſtor. Eccleſ. Tom.* VII. *pag.* 257. Sed eruditiores inter illos & literis humanioribus imbuti eam fabulam exploſerunt. Vir in monumentis Judæorum verſatiſſimus, Julius Bartoloccius *in Biblioth. Rabbin. Tom.* 4. *pag.* 156. Arcam illam, quam in Sacrario Lateranenſi fideles venerantur, fatetur non eſſe Arcam Veteris Teſtamenti, ſed quoddam venerandum monumentum, quod antiquitas ſacravit, & forte partem altaris lignei ad arcæ ſimilitudinem concavi, ſuper quo, cum priſci ſummi Pontifices propter perſecutiones certo loco conſiſtere non poſſent, ſive in cryptis, ſive in cœmeteriis ſive in ædibus piorum, antequam pax Eccleſiæ per Conſtantinum Imperatorem reddita fuiſſet, ſacra faciebant, ut pia traditio habet. Ita ſentit Scriptor Eruditiſſimus, & Marlianum reprehendit, qui arcam fœderis inſculptam putat arcui triumphali Titi, qui Romæ adhuc viſitur.

XV.

§. XV. Fragmentum Theodoti de monte Garizim.

XV. Concludam hanc dissertationem fragmento antiquissimi Scriptoris Theodoti in libro de Judæis, quod nobis Eusebius in *lib. de præpar. Euang.* IX. 22. conservavit, quo situm montium, Garizim, Ebal, & urbis Sichem describit.

Ἡ δ᾽ ἄρ᾽ ἔην ἀγαθή τε καὶ αἰγινόμος καὶ ὑδρηλή,
Οὐδὲ μὲν ἔσκεν ὁδὸς δολιχὴ πόλιν εἰσαφικέσθαι
Ἄγροθεν. Οὐδέποτε δεῖα λαχνήεντα πονεῦσιν.
Ἐξ αὐτῆς δὲ μάλ᾽ ἄγχι δύ᾽ οὔρεα φαίνετ᾽ ἐρυμνὰ
Ποίης τε πλήθοντα καὶ ὕλης. Τῶν δὲ μεσηγὺ
Ἀτραπιτὸς τέτμηντ᾽ ἀραιὴ αὐλῶπις. Ἐν δ᾽ ἑτέρωθι
Ἡ δ᾽ ἱερὴ Σικίμων καταφαίνεται, ἱερὸν ἄστυ,
Νέρθεν ὑπὸ ῥίζῃ δεδμημένον. Ἀμφὶ δὲ τεῖχος
Λίσσον ὑπώρειαν, ὑπὸ δ᾽ ἔδραμεν αἰπόθεν ἕρκος.

Quæ F. Vigerus ita transtulit:

Quippe hæc terra ferax, tenerisque aptissima capris,
Irriguique soli: brevis unde excursus in urbem.
At nulli fessos molli lanugine saltus
Hic recreant. Tecti juncto prope vertice montes
Hinc gemini excipiunt, herbasque nemusque ministrant.
Quos inter raro angustus discrimine callis
Rumpit iter. Parte adversa se tollit in auras
Urbs ingens Sicimum, radicem exstructa sub imam:
Qua circum lævi consurgunt mœnia saxo,
Atque infra supraque urbem munimine cingunt.

In quibus id mirum, utrumque montem tam Ebal quam Garizim ab eo describi ut fertilem, quum alii Ebal sterilem appellent, uti hodieque est. Observa quoque Sicima ad radicem montis collocari & medio inter utrumque situ, quod & αὐτοψία viatorum firmat. Sed & hoc silentio præterire non possum, quum descriptionem hanc lego & versionem contero, illam mihi minus placuisse versu tertio.

At nulli fessos molli lanugine saltus
Hic recreant.

Nam quomodo dicere posset Theodotus hic nullos esse arborum saltus, quum mox ὕλης meminerit, & ipse Interpres canat:

------ *tecti juncto prope vertice montes*
Hinc gemini excipiunt, herbasque nemusque ministrant.


Et ipsa sacra Scriptura vel in ipso loco, vel vicino אלן & אלה memoret, per quas voces plerique Interpretes quercum aut arboris speciem intelligunt. Quid? quod Theodotus, ut unusquisque facile videt, hic sit in commendanda regione Sichemitica a situ & fertilitate, ubi non conveniret dicere, ibi nullas arbores esse, quæ fessos umbra sua levarent. Id enim ad vituperium non laudem loci facit. Hic autem scopus ejus non est deprimere regionem Sichemiticam, sed dignis laudibus extollere. Ego itaque hos duos versus (non collocato puncto post ἄγροθεν, uti vulgo fit) ita conjungendos judico:

Οὐ δὲ μὲν ἔσκεν ὁδὸς δολιχὴ πόλιν εἰσαφικέσθαι
Ἄγροθεν, οὐδὲ ποτὶ δεῖα λαχνήεντα πονεῦσιν.

Ut sensus sit non longam esse viam ut aliquis ex pascuis vel urbem intret vel nemus: utrumque prope esse, quod ad regionis hujus commendationem facit, & elegantiam repetitæ particulæ οὐδὲ docet. Pro πότε, legendum videtur ποτὶ, qua particula eodem sensu utitur Homerus *Odiss.* ξ.

Ἀλλ᾽ ὅτε δὴ ἱκόμεσθα ποτὶ πτόλιν, αἰπὺ δὲ τεῖχος.
Quando vero ivimus ad urbem & altum murum.

Ceterum de Templo, quod in hoc monte exstructum fuit, nunc nil dicemus, quod id peculiarem Dissertationem postulet.



ISEBRANDI EILHARDI HARKENROTHII DISSERTATIO TOPOGRAPHICA DE MONTE SUBLIMI.

In quo Christus a Diabolo tentatus perhibetur . *Matth.* IV. 8. *Luc.* IV. 5. *6.* qua modeste inquiritur , de Montis situ , e cujus cacumine eminus Servator videre potuit , *omnia* Regna *Mundi & gloriam eorum* , qui conjicitur idem fuisse, in quo Christus transfiguratus legitur. *Matth.* XVII. 1. *Marc.* IX. 2. *Luc.* IX. 28.

§. I.

SApientissimo mortalium Salomoni quondam demiranda in intellectu obversabatur דרך נחש עלי צור *Via* Serpentis *super Petram* ; ut ipse in Sermone, quem habuit לאיתיאל , profitetur *Prov.* xxx. 18. ingenue subinnuens , se non adeo posse illam assequi . Quis unquam tanto præditus ingenio acri , tanta præ aliis valuit dicendi facundia , qua potuerit affari non solum τὰ βάθη τȣ͂ Σατανᾶ, sed & μεθοδείας illas veteratoris , quibus aggressus Dominum nostrum , verum *Illud Mulieris Semen* , tentavit , quamvis irrito conatu ; nec dicere est , quam funestissima consilia fuerit molitus adversus *Rupem sæculorum* , & omnes illos , qui vera fide fissuras ejus inhabitant . Mirabile sane præludium , imo stupendum plane , (si quis attenta mente fuerit contemplatus,) ipse edidit, tribus singulis vicibus jejunantem Christum, servatorem nostrum, adortus , prout uterque Evangelista *Matthæus* IV. 8. & *Lucas* IV. 5. *6.* totam tentati Sospitatoris historiam , omnibus suis circumstantiis descriptam reliquit , in qua, si quid hactenus Interpretibus , quod sciam , difficile explicatu visum fuit , eorumque torsit ingenia , non absque gravi ratione dixerim , esse illum Diaboli Tentatoris , gressum , quo in monte sublimi constitutum Christum adortus , monstravit Domino intuenda omnia regna Mundi eorumque gloriam ἐν στιγμῇ χρόνȣ . *Luc.* IV. 5. *in puncto temporis* , vel ut *Syrus* vertit , *in tempore parvo*. Pluribus visum fuit, non ita ἱστορικῶς contigisse , sed debere intelligi de modo aliquo visionis in Spiritu, vel repræsentationis , ad animum Christi , exhibentis aliquod schema horum omnium regnorum mundi . Ubi autem attentius de circumstantiis rei gestæ ejusque relationis cogitare cœpi , putavi quempiam posse , difficultates , quæ aliquatenus viden-

tur

tur obſtare, ſi rem recte inſtituat, ſuperare, quod an probavero ſequente Diſſertatione, ipſe eruditus & benevolus Lector experiatur.

§. 2. Ipſam relationem Hiſtoriæ, verbis Evangeliſtarum, conſignabo. *Matthæi* IX. 8. Πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ Διάβολος, εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν, καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν. (a) *Rurſum aſſumit eum Diabolus*, in montem *valde* ſublimem, *& oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum*. Nec non *Lucæ* IV. 5. Καὶ ἀναγαγὼν αὐτὸν ὁ Διάβολος εἰς ὄρος ὑψηλὸν, ἔδειξεν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης ἐν στιγμῇ χρόνου. *Tunc quum ſubduxiſſet eum Diabolus* in montem ſublimem, *oſtendit ei omnia regna terræ puncto temporis*.

§. 3. Priuſquam de *Monte* hoc *ſublimi* inſtituam, pauca monenda habeo, de vera quoque verborum ſignificatione quædam anticipabo, ita facilior fortean evadet notitia Hiſtoriæ, rei geſtæ & clarior: intercedit quippe inter *Matthæum* & *Lucam* differentia, in relatione ordinis tentationum, *Matthæus* hanc in *Monte* ultimam, *Lucas* ſecundam fuiſſe tradit; non adeo anxius jam hæreo de illa Evangeliſtarum ἐναντιώσει, cum mihi pro inſtituto perinde ſit, utrum quis eligat; pluribus *Lucas* hactenus viſus fuit accuratiorem, præ aliis Evangeliſtis, temporis rei geſtæ habuiſſe rationem; *Spanhemio* [*Dub. Evangel.* LVI. §. 4. *part.* III. p. m. 250.] videtur *Matthæus* in hac relatione ordinem hiſtoricum ſecutus, quia *Stapulenſis* monuit vetuſtiſſimos Codd. quoſdam eodem ordine tentationes illas in textu *Lucæ* referre, quo nunc in eo *Matthæi* leguntur, prout etiam ex *Ambroſii in Lucam* Commentario conſtat, addidit adhuc alias rationes, quibus acquieſco, quia de monte hoc propior in Galilæam Chriſto patebat via, qua receſſit utriuſque Evangeliſtæ & *Marci* I. 44. fide.

§. IV. Ne autem quis τὸ παραλαμβάνειν adhuc tam violenter torqueat, quaſi admitteret ſignificationem τοῦ, *per aerem* rapere, debui unum alterumve locum proferre, in quibus *ſe alicui* jungere *comitem* indicat, ſtylo ſcriptorum N. T. *Matth.* XVII. 1. XX. 17. XXVI. 37. *Luc.* IX. 10. 28. XI. 26. & *Æliani* Var. Hiſt. II. 4. καὶ κοινωνὸν αὐτοῦ μὴ θελήσας παραλαβεῖν τὸν ἐρώμενον, *& amaſium in ſocietatem ejus facinoris* aſſumere *nolebat* 18. *Timotheus* παραληφθεὶς aſſumtus *a Platone ad convivium in Academia* aliorumque. *Lucas* ἀνάγειν adhibuit eadem ſignificatione, IV. 5. conf. XXII. 66. *Act.* IX. 39. XVI. 34. Ἀνάγεται Heſychio ὁδηγεῖται. Elegans hujuſce uſus penes *Ælianum* V. H. XII. 1. ubi de Aſpaſia, *unus ex ſatrapis Cyri cum aliis etiam Virginibus* ἀνήγαγεν *eam* duxit *ad Cyrum*, in Regis conclave, & *Herodianum* II. 4. de Pertinace *ut filium quoque jam adoleſcentem* μήτε εἰς τὴν βασίλειον αὐλὴν ἀναγαγεῖν *in aulam regiam nunquam* adduxerit: LXX. *Jer.* XVI. 14.

§. 5. Δεικνύειν *monſtrare* eminus ſitum locum, non eſt quod impediat, βασιλείας *ditiones*, quid ſi verterem, vel *regna*, nihil obſtat, ſubintelligo *incolas* regni, Regi ſubditos. *Matth.* XII. 25. XXIV. 7. *Marc.* III. 24. XIII. 8. *Luc.* XI. 17. 18. XIX. 12. 15. *Job.* XVIII. 36. Judæa regnum. *Luc.* I. 5. in Tetrarchias diviſum filiis Herodis Magni parebat. III. 1. οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς *Act.* IV. 26. dicti, qui ſumma, penes Judæos Chriſti tempore, auctoritate pollebant: hinc Herodes Antipas, Galilææ & Perææ Tetrarcha, *Marco* βασιλεὺς dicitur. VI. 14. qui aliis Evangeliſtis Tetrarcha: non adeo ineptum foret, ſi τετραρχίας & βασιλείας conferrem, limites cujuſque regni non ſemper æque late extenſi patent, accedit Judæam & Samariam diverſo Regi paruiſſe olim, & regiones Terræ Sanctæ conterminas etiam parvas quaſdam, Regibus ſingulas paruiſſe, nec abluderet ſtylus exoticorum ſcriptorum, qui anguſtas ditiones Regi ſubjectas, βασιλείας dixere, ut conſtat. Deinde κόσμος *Matthæi*, οἰκουμένη *Lucæ* indigitent *Terram Sanctam*, vel liberalis ero, & *omnes adjacentes regiones* Philiſtæorum, Syrorum, Arabum, Moabitarum, Ammonitarum, Idumæorum, aliorumque. Δόξα αὐτῶν *gloria eorum* ſit locuples urbium, fortalitiorum, ſubditorum, numerus. ברב עם הדרת מלך *In multitudine* populi *eſt* gloria Regis. *Prov.* XIV. 28. Hæc præmonuiſse ſufficiant.

§. 6. Jam, ubi de *Monte* hoc *ſublimi* inſtituam, non abs re monendum duxi, Montem hunc fruſtra quæri vel nihil certi de ejus ſitu poſse definiri, ſi non aliqua ejus ratio ex relatione utriuſque Evangeliſtæ iniri poſſit & ex nexu hiſtoriæ inveſtigari legendo veſtigia Immanuelis, quod hactenus mihi non in animum induxi, nec induci patiar: *montem* ὑψηλὸν imo ὑψηλὸν λίαν hunc ſuppono [α] ſitum fuiſſe haud ita procul finibus Galilææ, quo reverſus eſt tentatus Chriſtus, imo in ipſo Galilææ limite, ex quo propior in Galilæam via. *Matth.* IV. 12. *Marc.* I. 14. adeoque in contiguo limite Nephtalitarum & Zabulonitarum, nec ita procul eremo

(a) Liceretne cum his comparare hæc Ovidii Met. L. II. vſ. 95. *Denique, quidquid habet dives circumſpice mundus, Eque tot ac tantis cæli terræque mariſque Poſce bonis aliquid.*

juxta Jordanem fluvium ad hujus utramque ripam ſpatioſus undique campus erat, cinctus ingente montium tractu, diſtante a Montano Judæ CL. ſtadiorum latitudine, autore *Joſepho* Antiq. Jud. XII. I, tota planities ad Lacum Aſphaltitem excurrebat de *Bello Jud.* III. 18. Ne quis amplius rejiciat eorum ſententiam, qui πέραν τȣ̃ Ἰορδάνȣ *Joh.* I. 28. 29. coll. *Matth.* III. 1. 6. eremi partem ſtatuunt cum utraque Jordanis ripa alluat πολλὴν ἐρημίαν, fide Euſebii Demonſtr. Evangel. IX. *p. m.* 268. Edit. Lutet ex Officina *Rob. Stephani* [β] de huiuſce montis vertice potuiſſe monſtrari omnia regna mundi, ditione Judææ, Samariæ, Galilææ, Iturææ, Trachonitidis, Abilene, & hiſce confines: quod ſi aliqua ſaltim probabilitatis ſpecie lectori erudito commendavero, accideret mihi gratiſſimum, paucis quantum pote defungar.

§. 7. In Monte *Tabor* pedem figam, ne nimis vagus videar, duce Hiſtorico Sacro Θεοπνεύϛῳ ſitum hujuſce inquiram & definiam, de etymologia ejus parum ſollicitus: in finibus regionis tribus Iiſſaſchar memoratur *Joſ.* XIX. 17. 23. *Et fuit* terminus Iiſſaſcharitarum *in familiis ſuis.*

יזרעאלה	Alex.	Ἰεζραὴλ	*Jizereelah.*
הכסלות		Ἀχάσελωθ	*Hakkeſylloth.*
שונם		Σȣνὼμ	*Schouneem.*
הפרים		Ἀφεραεὶμ	*Chapheraim*
שיון	*Ald.* & *Compl.*	Σηὼν	*Schijon.*
אוחרת	*Vatic.*	Ἀναχέρεθ	*Anacharath*

in *Cod. Vaticano*, inter duas Urbes modo memoratas, inſerta legitur Ῥενρὼθ & mox Δαβερὼν contra Textus Hebræi fidem.

רבית	*Alex.*	Ῥαββὼθ	*Rabbith.*
קשיון	*Vat.*	Κιϛὼν	*Kiſchjon.*
אבץ	LXX.	vitioſe	*Abetz.*
רמת			*Remoth.*
עין-גנים	*Compl.*	Ἐγγάνιμ	*Engannim.*
עין חדה		Ἀνναδὰ	*Enchaddah.*
בית פצץ		Βηθφαϛῆς	*Bethpatzetz.*

deinde pergit ופגע הגבול בתבור ϗ̀ συνάψει τὰ ὅρια ἐπὶ [*Vat.*] Ταιβὼρ [rectius legitur in *Edit.* Ald.] Θαβὼρ. *Et pervenit terminus in* Thabor

& תחצומה *Ald.* & *Compl.* Σασιμὰ *Schachatzimah* ita me docuere, nomen hujus urbis ſcriptum per ו *vau* legendum eſſe per י *jod*, eruditi *Maſorethæ*, quod ab Interpretibus Græcis obſervatum videmus. In *Cod. Vaticano* Græcæ *Verſionis* redditur Σαλὶμ κατὰ θάλασσαν.

& בית שמש *Bethſchemeſch.* Jam probe novimus, quod a *Bethpatzetz* Iiſſaſcharitarum *terminus* pertingat *ad* vel *verſus THABOR*, quæ Urbs fuiſſe credatur, quia cenſum *ſedecim* Urbium Iiſſcharicæ tribui aſſignatarum ingreditur vſ. 22. habeo autem, quod moneam Celeb. *Relandum* [*Palæſt. Illuſtr.* tom. III. *p. m.* 657.] jam obſervaſſe, phraſin --- גבול פגע ב in diſterminandis regionum finibus paſſim indigitare, *incidit*, *pertingit*, *pervenit* limes *ad*, *in*, *verſus;* quin imo adhiberi etiam de locis extra regionem tribus ſitis, ut de termino Ephraimiticæ portionis. *Joſ.* XVI. 7. פגע ביריחו *incidit* verſus *Jerichuntem*, Benjamiticæ accenſendam. XVIII. 21. nec opus huic inhærere: adeoque mons *Thabor*, in cujus acclivi ſita Urbs ejuſdem nominis, clauſit terminum regionis Iiſſaſcharitarum. Teſtem nuncupo *Flav. Joſephum*, autorem graviſſimum, *Antiq. Jud.* V. *p. m.* 141. *poſt hos* Menaſſitas *Iiſaſcharis* regio κάρμηλόν τε ὄρος, ϗ̀ τὸν ποταμὸν τȣ̃ μήκȣς ποιοσαμένη τέρμονα τὸ δὲ Ἰταβύριον ὄρος τȣ̃ πλάτȣς, quam *Carmelus mons & fluvius* Kiſchon *ad longitudinem*, mons Itabyrius *ad latitudinem* diſterminat quippe a latere boream verſus, ad ortum aliquatenus flexo.

§. 8. De regione Zebulonitarum, ad meridiem verſus aquilonem maxime inflexa, non videtur tota ad mare Tiberiadis uſque protenſa fuiſſe, terminus ejus excurrebat. *Joſ.* XIX. 10. *ad Sarid*, inde redit, *a Sarid anteriori* verſus ortum Solis *ad terminum* כסלת תבר in *Edit.* Complut. LXX. *Viralis* Græcæ *Verſionis* Χασέλλωθ Θαβὼρ *laterum* Tabor. Hic quæras *Tabor* Urbem, ejuſque ſuburbia, quæ Merari-

tis

tis e portione tribus Zebuloniticæ cessisse legimus. 1. *Chron.* VI. 77. & attendas *Capernaum*, τὴν παραθαλάσσιαν fuisse ἐν ὁρίοις Ζαβυλὼν καὶ Νεφθαλείμ *in finibus* Zabulon *&* Nephthalim. *Matth.* IV. 13.

§. 9. De finibus regionis tribus Nephthali, ita pergit Autor, vere Divinus, Libri *Josuæ* XIX. 32. 34. *Et fuit terminus eorum* a חלף *Cheleph* & *ab Elon in Tzagnannim*, & *Adami hannekeb* & *Janbeel* usque ad לקום (in *Edit.* τῶν ὁ *Complut.* Λακκούμ) *Lakkoum* & *fuerunt exitus ejus* Jarden. *Et redit terminus ad Mare*: [*puta* Gennesar] אזנות תבור *Alex.* Cod. Ἀζανὼθ Θαβώρ *Aznoth Thabor*, & *progeditur illinc Chykkokah* & *pervenit ad Zebulon a Meridie* & *ad Aser pervenit ab Occidente*, & *ad Jehudah* in *Jardenem*, *ab ortu Solis*.

§. 10. Jam ex adductis colligo montem Thabor tantæ molis fuisse, ut tribus *Iissascharis*, *Zebulon* & *Nephthalim* non absque ratione dixerim, in ejus pede seu pedis lateribus, terminos portionis suæ, singulas posuisse, prout abunde constat cuique ex intemerata fide Historiographi seu Geographi sacri. Jam de ipsius hujusce montis situ pauca instituam, [videatur Clar. *Hadriani Relandi* Palæst. Illustr. *Lib.* I. *cap.* 51.] ex *Eusebio*. Θαβώρ, ὅριον Ζαβουλὼν ἔστι δὲ ὄρος ἐν τῇ πεδιάδι κείμενον, ἀπὸ σημείων ὁ Διοκαισαρείας κατὰ ἀνατολάς. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ ὅριον ἦν φυλῆς Ἰσσάχαρ καὶ Νεφθαλείμ Thabor, *terminus Zabulon*: *est autem mons in planitie situs in decimo milliario Diocæsareæ versus Orientem. hic autem etiam erat terminus tribus Issachar & Nephthalim*. Fallitur itaque *Jac. Zieglerus*, qui pro ratione sui ævi, *Terram Sanctam* descripsit, *fol. m.* 29. ubi de tribu Nephthali, & hocce Monte, *omnino est is diversus* a Tabore, *qui per latam tribum Isaschar*, *extenditur*. Etiam *Josephum* potuisse nuncupare testem, qui eundem monti huic situm tribuit, sed prolixiori indigeret demonstratione, cui in sententia adeo trita illustranda non operosus inhærebo, ne limites dati Bibliothecæ spatii transiliam.

§. 11. De altitudine montis hujus paucis defungar, supponens quemvis Lectorem, ex ampla latitudine pedis posse conjicere, cacumen montis præaltum. *Hieronymus* addit *Eusebio* jam citato in *Thabor*, *esse montem in medio Galilææ*, mira rotunditate *sublimem*. ὄρος ὑψηλὸν λίαν. *Matthæus* apprime dixit. IV. 8. ὄρος ὑψηλόν. *Lucas* IV. 5. quo epitheto nullus alius in Codice Novi Instrumenti mons cluet, de verbis *Marci* IX. 2. mox dicam, quæ Johanni in spiritu obtigit visio mistice accipienda. *Apoc.* XXI. 10. omnino non contrarium suadet. Hinc adeo emphatice *Hieremias* XLVI. 18. כתבור בהרים *ut* Thabor *inter montes*, οὗ τὸ μὲν ὕψος ἐπὶ τριάκοντα σταδίους ἀνίσχει, μόλις προσβατὸν κατὰ τὸ προσάρκτιον κλίμα. Πεδίον δὲ ἐστιν ἡ κορυφὴ σταδίων ἕξ καὶ εἴκοσι πᾶν τετειχισμένον. *cujus altitudo quidem* triginta stadiis *exsurgit*, *septentrionali tractu* fere inaccessus mons. *In vertice autem* viginti sex [*Rufinus* viginti] stadiorum *planities patet*, *tota muro circumdata*. Si non laborat *Josephi* fides de *Bello Jud.* IV. 6. vel 2. juxta distinctionem Interpretis Latini. Illum in definienda altitudine sequuntur *Jac. Zieglerus*, *Wolfg. Weissenburgius* in *Descript. Terræ Sanctæ* fol. m. 141. b. in *Thabor*, hunc in latitudine verticis. *Polybius*, autor gravissimus, *Hist.* V. 70. ubi de Urbe *Atabyrio* [memorata *Jos.* XIX. 12.] neutiquam refragatur *Josepho*, dum refert, κεῖται μὲν ἐπὶ λόφου μαστοειδοῦς τὴν δὲ πρόσβασιν ἔχει πλεῖον ἢ πεντεκαίδεκα σταδίων, ex Versione *Is.* Casauboni. *Id oppidum in colle situm est*, *ex plano leniter se attollente*, *ad cujus summum verticem stadia numerantur quindecim*. Si modo oppidum hoc in medio montis acclivis situm ponas. Octo stadia si confecerint integrum milliare Romanum, facile quis altitudinem montis demetiretur, & verticis latitudinem.

§. 12. Distabat mons *Thabor* itinere *bidui*, autore *Michaele Glyca* Annal. *part.* III. *pag.* 215. citante *Relando* l. c. vel *tridui*, perinde enim est, Hierosolymis, sancta Urbe, conf. *Matth.* IV. 5. *Luc.* IV. 9. intervallum, quod Sospitator noster pedibus confecisse credatur, nihil obstat. Proxima monti patebat in Galilæam via. *Matth.* IV. 12. videtur quam apprime sententia qualiscunque nostra simplici narrationi Evangelistarum & commoditati Historiæ convenire: utinam & ego ita satisfacere possem Lectori æquo & benevolo, in sequentibus, ubi de commonstratione regnorum Mundi agam, forte Domini nostri & Diaboli oculorum acies longe obtusior cuipiam videbitur, non mihi: undique enim de cacumine Montis patebat prospectus altior & clarior, quem terminabant passim jugera montium in confinibus *Terræ Sanctæ* tractibus eminus, longe quidem, sed distincte Topographiæ Sacræ peritissimo, Christo & vaferrimo ipsius hosti, Principi Mundi, intuenda, monstranda. Quantum pote elucidabo, ne vel minima resideat difficultas, remoturus cuncta, quæ videbuntur obstare huic asserto, versus quatuor mundi plagas.

§. 13. Orientem versus, e vertice Thabor, eminus monstranda veniebat, Regio Trans-

Transjardenensis מנחל ארנון עד הר חרמון *a fluvio Arnon usque ad monrem Chermon* terminans. *Deut.* III. 8. conf. IV. 47. 48. 49. quondam *Emoræorum*, *Moabitarum*, *Ammonitarum* sedes montana : austrum versus termini Terræ Sanctæ sunt iidem ac regionis tribui Judæ assignati, a littore australi Lacus Asphaltites usque ad fluvium Ægypti, describuntur. *Jos.* XV. 1. 4. integer hicce tractus montanus *Idumæis* quondam & filiis *Seir* cesserat : limes Occidentalis Terræ promisæ legitur Mare Magnum, Sidonem usque *Num.* XXXIV. 6. a latere Boreali, excurrit usque ad *Chamatham* v. 7. 8. Damasco vicinam. Ita rudiori penicillo terræ Immanuelis fines depinxisse sufficiat, ex monumentis historiæ sacræ antiquioris ævi, cui illa serioris respondet, quatenus ex Codicibus Evangelistarum confici proclive est. Tota terra & tractus vicini, *Judæa*, Tetrarchia *Galilææ*, *Ituræ*, *Trachonitidis*, & *Abilenes*. *Luc.* III. 1. vel *Galilæa*, *Decapolis*, *Judæa* & *Peræa*. *Matth.* IV. 25. τὰ μέρη Τύρε ϗ Σιδῶνος, ex qua termini totius Palæstinæ Septentrionalis, *Peræa*, ex qua Orientales, *Samariæ* & *Judææ*, ex qua Australes nobis innotescunt, satis graphice consignatam reliquit, *Josephus*, qui diebus Messiæ incarnati ætate proximior & fide dignior Historicus de *Bello Jud.* III. 2. Merentur conferri, quæ monuit Clar. *Ligtfothus*, & *Relandus*, de limitibus Terræ sub Templo Secundo.

§. 14. Jam quæ difficultas, quæ idonea dubitandi ratio, de eo, non ita ἰσοεικῶς contigisse ; quod Satanas tentator monstraverit omnia regna Mundi Christo tentato, cuiquam Geographiæ Sacræ perito supersit, fateor me adeo ignorare, num ex monte prægalto Thabor non poterit eminus monstrari, conspici, ortum versus, prisca Moabitarum montana sedes & vicinorum ab utroque latere populorum, occidentem versus Mare magnum eique continuus Carmel, ad Austrum, Idumæorum tractus, quamvis remotior, favente planitie ad Jardenem usque Mare Sodomiticum protensa, qui alto jugerum vertice surgebat usque versus Ægypti limites, ad Boream Κλίμαξ Τυρίων, Libanus, Anti-Libanus, prægalta montium jugera, imo ipsa Trachonitis Arabiæ proxima ; huc apprime veniunt verba *Phocæ* citata Celeb. *Relando* [Palæst. Illustr. *Lib.* 1. 51. *p. m.* 334. ex hoc monte potuisse spectari *Libanum* ϗ δύο μεγάλες βενὲς ὧν μέσον ἡ Δαμασκὸς ἵδρυται & *duos* magnos colles [*Trachones* quorum meminit *Strabo* Geogr. XVI.] *in quorum medio* Damascus *sita est*. Non habeo, quod moneam Terram sanctam ejusque confines populos & regna contigua, ditiones conterminas, quæ sustinent emblema Gentium Mundi, vidisse, idem valeat stylo sacro ac *vidisse omnia regna Mundi eorumque gloriam*. Si autem alicui non videatur altitudo Montis huic remotiori conspectui suffecisse, attendat latitudinem verticis viginti stadiis demensam, in cujus planitie constitutus Dominus obambulabat cum Tentatore, quæ latitudo, in circulo suo, spectatorem undecunque objecto visus propriorem totidem stadiis sistebat. Si quis ad leges calculationis Mathematicæ hujus asserti velit inire rationem, montem prægaltum ultra septem milliaria Germanica a littore Maris dissitum, a nautis, sudo cælo, posse eminus videri e malo navis, ad totidem milliarium a littore distantiam, jam quatuordecim milliarium Germanicorum intervallum, oculorum acies superat e malo septuaginta pedum, altitudinem montis XXX. latitudinem XX. stadiorum in vertice, observet, forte mihi adstipulabitur, quippe altitudo unius milliaris Germanici admittit spatium quinquaginta quinque horarum & viginti minutorum.

§. 15. In monte Moriah, promissionis filius, Isaacus unigenitus, jussu Dei, tentantis in bonum Abrahami patris fidem, immolandus, a patre suo, ligno impositus, minante gulæ cultro, e præsentissimæ mortis faucibus, in vitam quasi restitutus. *Hebr.* XI. 17. 19. hæres Mundi, sensu μυστικωτέρῳ, declaratus est. *Gen.* XXII. 17. 18. & *Semen Benedicens*. *Gal.* III. 16. Arca Jehovæ, a Philistæis capta, in triumphum acta, Asdodi in Templo Dagonis, ut opima belli spolia, posita, mox dejectum Dagonem & capite & manibus truncatum plectit ad limen januæ 1. *Sam.* v. 1. 3. hi sunt apices viarum Messiæ, cujus morte scisso velo, cœlis apertis, licet credentibus sub Oeconomia gratiæ testamenti Novi ἀνακεκαλυμμένῳ προσώπῳ intueri, in atrio templi mystici, Mare Æneum, & thronum gratiæ, glorificati in cœlis, Sanctissimo Adyto Christi Domini nostri, fundatum æterno fundamento plenariæ jastificantis Sanctificationis, acquisitæ sanguinis in morte Goelis effusi imo ipsius mortis, pretio inæstimabili, depicto quondam rivo sanguinis victimarum ad latus Altaris Ænei mactatarum : passim idem locus & exinaniti & exaltati Christi, illustre exhibuit theatrum, a singulis credentibus in fide contemplandum, ad radicem Montis Oliviferi, in horto Gethsemane, sensisse cepit extremos animi dolores contristati, servator noster, peccatorum nostrorum onere

onere pressus, e cujus acclivi vertice prope Bethaniam, intra quinquaginta abhinc dies, adscensione in altissimum cœlum glorificandus erat, neutiquam quis existimet, me adeo aberrare via, si dixerim, montem Thabor, theatrum humiliati Messiæ a Diabolo tentati, etiam exhibuisse, illud, glorificandi, in Regno suo, Christi sub schemate transfigurati, cujus illustris Historiæ testes *Matthæus* XVII. I. *Marcus* IX. 2. *Lucas* IX. 28. & ipse ἐπόπτης τῆς ἐκείνου μεγαλειότητος *Petrus* II. Epist. I. 16. 17. 18. sunt.

§. 16. Quamvis sententia hæc non nova sit, sed dudum ab omnibus fere antiquioris Ecclesiæ Christianæ Doctoribus recepta, quæ magnos superioris subsellii Viros Clarissimos adversarios nacta, tamen me [quamvis exigua nec adeo ampla supellectile instructo,] vindice digna est, vestigia Christi legam ex simplici & unanimi trium Evangelistarum relatione, ut a pluribus hactenus rejecta sententia, quæ canam antiquitatem præ se fert, quantumpote evadat notior & clarior. Iter suum Dominus noster Jesus Christus ita instituit, fide *Matthæi* XIV. 34. e regione Gennesar secessit ad fines Tyri & Sidonis. XV. 21. inde ad Mare Galilææ *vs.* 29. navi trajecit in regionem Magdalæ contiguam, mox in confinia Cæsareæ Philippi se contulit. XVI. 13. sexiduo post, cum tribus discipulis, Petro, Jacobo & Johanne, comitibus, montem, in quo transfiguratus legitur, conscendit. XVII. I. tum per Galilæam vs. 22. Capernaumum vs. 24. pergit, Jardenem trajiciens, per Peræam in Judæam tendit, & per Jerichunta ac Montem Oliviferum versus Hierosolymas iter instituit. XIX. I. XX. 29. XXI. I. prout *Marcus* & *Lucas* prodidere. Spatio *sexidui* Christum substitisse in vicis Cæsareæ Philippi, nemo hactenus, quod sciam, idoneis argumentis adstruxit, quamvis qui contrariam tuentur, nobis studeant tacite persuadere, quid si liberalis adeo, ipsis biduum vel triduum indulgerem, eandem & ego expostularem liberalitatem, quæ sufficit subministrando justum tempus, quo iter e vicis Cæsareæ Philippi ad Thabor instituere ac intervallum superare potuerit Dominus; quin imo ex hoc monte propior in Galilæam, atque Capernaumum ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλεὶμ tendebat via. Si autem alicui videatur ratio hujus itineris [quæ ipsi adeo ignota ac mihi] suadere, Jesum a Cæsarea Philippi non esse profectum ad montem Thabor & inde reversum ad Capernaumum, propius adeo diverticulum, Christi ἰδίαν πόλιν, merum figmentum est, quod nostram qualemcumque sententiam autoritate & consensu tot Doctorum, ætatis ævo Christi Apostolorum proximioris munitam, non evellit, potuit Servatori constitisse ratio, quam si scirem, supprimere sacrilegium dixerim, si cui videatur dissonum Dominum tam cito sua relegisse vestigia, ipse in hac connexa attendat præcedente Historia, ipsum e regione Gennesaritide ad fines Tyri & Sidonis, inde ad Mare Galilææ iter instituisse, cujusmodi plura, si vellem adeo operosus immorari, promerem. Multum præsidii *Ligtfoothus* [*Horæ Hebr. in Marc.* IX. 2.] sententiæ suæ, nostræ vel communis antiquæ, adversariæ quæsivit, in eo, Evangelistas nullam loci mutationem innuere, hoc tantum dicentes, quod tres ex discipulis suis Christus in montem duxit, de hac qualicunque hæsitatione Clarissimi & Magni Viri honorifice sentio, verum tamen inficior, ex eo quod Evangelistæ loci mutationem reticent, posse colligi, Messiam non mutasse solum, imo, ubi locum alium memorant, assignando justum tempus itineri instituendo sufficiens, illico idoneis rationibus adducor, ut credam; Illum eo iter instituisse, non enim habeo, cur de veritate historicæ relationis dubitem: quamvis fatear haud ita procul Cæsarea fuisse montem satis altum, quem nunquam ea intentione *Ligtfothus* quæsivisset, si non hisce præjudiciis fuisset obsitus, reticentiam Evangelistarum, (sane imaginariam, nam interstitium sexidui produnt,) probare Messiam non mutasse locum, quam si in omnibus ipso duce attenderemus, utique misere cæspitantes, nosmet aliorum exponeremus cachinno. Urget Cl. *Relandus* Palæst. L. I. c. 51. p. m. 335. illud κατ' ἰδίαν sive *seorsim Matth.* XVII. I. & *Marc.* IX. 2. non spectare ad montis situm, nec credi debere, redundare, si referatur ad *ducere*, licet sequatur penes *Marcum* μόνους, nam potuissent plures seorsim duci, quam hi soli, certe veteres Christiani Doctores illud κατ' ἰδίαν sumsere, de monte Thabor non aliis montibus juncto; sane non video, esse quid in eo argumenti, quo inductus, sententiam mutare cogar, etiamsi fatear me hoc concedere Viro Celeberrimo, νῦν Μακαρίτῃ, quin imo ne hilum quidem decedit ponderis nostræ satis probabili conjecturæ, vel aliquibus saltim ἑτοιμοῖς aliorum rationibus firmatæ, quibus addo. Si hoc verum sit, Christum esse glorificatum in Monte prope Cæsaream Philippi, qui potuit ipsi & Discipulis ejus tribuere ἀναστρέφεσθαι ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ *Matthæus* XVII. 22. loci mutatio non refertur sed morari in Galilæa, colligo inde montem hunc in Galilæa vel huic regioni prope Capernaumum. vs. 24.

vſ. 24. contiguum fuiſſe. Accedit ipſum e via *in domum alicujus* divertiſſe. *Marc* IX. 28. & ambulaſſe per agrum & vicos Galilææ. vſ. 30. deinde iter Capernaumum inſtituiſſe. vſ. 33. quod longo poſt tempore accidiſſe videtur, [imo poſt Feſtum Encæniorum, in menſe Adar, celebrandum Hieroſolimæ,] probandum ex ſolutione Διδράχμων. *Matth.* XVII. 24. 27. Lunaticum ſanatum in regione Galilææ, nemo forte an dubitabit, haud ita procul monte Transfigurationis glorioſæ. Videtur id probabile, vel ex eo, quod Diſcipulis ſuis reſpondiſſe Dominus perhibeatur præter cætera: *Si habebitis fidem, ut granum ſinapi dicetis* τῷ ὄρει τούτῳ *monti huic* coram ſito, alto, magno. vſ. 20.

§. 17. Ne ad nauſeam Lectoris videar huic Monti inquirendo inhæſiſſe, brevibus ſententiam qualemcunque noſtram, vel aliquibus rationibus ceu argumentis dedi probabilem. Abſque ſalutis diſpendio ab aliis invicem diſſentiunt Eruditi in rebus affinis materiæ, ſi autem quis hæreat, quam ſequatur, ſtabit iu bivio, potius aliquid dicendum exiſtimem, ſilere enim bruti eſt; ſi cui noſtra non arrideat conjectura, ejus vel levem jacturam patiar, eſt autem firmata, (ſi non cœcus ſim,) iiſdem rationibus probabilibus, ac ea, quam alii tuentur, quiſque ſuo abundet ſenſu, ſi certiora documenta adverſus communem & noſtram ſententiam quis protulerit ei gratias agam, utpote qui ex eorum numero me eſſe lubens profiteor, qui proficere ſtudent ex aliorum & proprio ſtudio, orbique Literato otiorum ſuorum dare idoneas rationes non erubeſcunt.



THEO-



THEODORI HASÆI OBSERVATIO DE MONTE SUBLIMI.

ARGUMENTUM.

Variæ variorum de illo ſententiæ. Nihil certi de eo afferi poteſt. §. 1. An fuerit mons Oliveti, vel Calvariæ, vel Nebo §. 2. Veroſimile eſt fuiſſe partem montis Sionis. Quod oſtenditur [A) ex ipſo narrationis Evangelicæ ſerie. Πτερύγιον. Πεϱιλαμβάνειν. Ανάγειν. §. 3. (B) quod ita diſcrepantia inter Lucam & Matthæum imminuatur. §. 4. (C) Quia illi convenit deſctiptio montis τῦ ὑψηλῦ λίαν. Talis enim fuit mons *Sion*. §. 5. Id quod inter alia docetur Pſalm. XLVLIII. 3. Verba יפה נוף illuſtrantur, & vertuntur. *Pulcher altitudine*. Propria enim notio τῦ נוף involvit *altitudinem*. ناو. §. 6. altitudo Sionis etiam aliis memorata. §. 7. Ex eo (D) fuit proſpectus in longiſſime diſſita loca. §. 8. Locus Jer. IV. 6. Sion notat *ſpeculam*. Etymon *Morias* §. 9. Quomodo inde potuerint cerni *omnia mundi regna* §. 10. Cur (E) ille mons huic velitationi fuerit adhibitus §. 11. Non potuit [F] mons eſſe a Sione diſtantior §. 12. Auctores, qui hanc tentationis hiſtoriam illuſtrarunt §. 13.

§. I.

Variæ ſunt Virorum doctorum de hoc monte ſententiæ: Communis maxime & pervulgata eſt opinio plerorumque, qui Palæſtinam perluſtrarunt, eum eſſe, qui etiamnnm ut talis monſtratur & vulgo *Quadrantana* ſive *Quarantena*, appellatur; quod nomen non dubito, quin ab Italis, qui *quadraginta* dierum Chriſti in eo moram, ſignificare voluerunt, fuerit nactus. Alii eum non procul ab urbe Bethaven collocant, eumque in hodiernum uſque diem *montem Diaboli* dici ſcribunt, qui montem a Talmudicis ſcriptoribus *regalem*, in ſacris autem paginis הר יהודה, τῆς ὀρεινῆν Iῦδα, dictum intelligunt. Neque deſunt, qui terminos fere Phœnices tranſiliunt, & Libanon illam palæſtram fuiſſe, in qua cœlorum Dominus cum tenebrarum Principe decrevit, exiſtimant. Bochartus cauſas ſibi eſſe exiſtimat, ob quas mons Horeb intelligendus ſit. Id omnium certiſſimum eſt, nihil certi hic figi poſſe, cum enim tota Judæa erat ὀρεινὴ, atque Hieroſolyma circumquaque montibus cincta, ut legitur

Pſ. CXXV. 2. ecquis nobis ſilentibus Evangeliſtis indubii aliquid oſtenderit ? Præſertim cum occurrant tot ibi locorum montes alii, ὑψηλοὶ λίαν , & e quorum verticibus in late circumjacentes campos proſpectus patebat pulcherrimus.

§. 2. Talis v. gr. erat Mons Oliveti , excelſæ altitudinis , ex quo licuit oculos uſque in mare mortuum , longiuſque etiam diſſitas plagas conjicere . De illo ego cogitavi ſæpius , ſed , quod meas in illo cogitationes haud fixerim , inde factum eſt , quod cauſam indagare non potui , ob quam Evangeliſta eum ſuo non expreſſerit nomine , id quod tamen ſit alias . Quid dicam de ipſo Calvariæ monte ? Pateret ſane latiſſimus pulcherrimis meditationibus campus , ſi oſtendi poſſet in illis locis Satanam primo Soſpitatorem aggreſſum , vel in quo poſtea eum diriſſimo quidem adortus eſt certamine , ſed & in quo ipſemet contrito capite victus fuit & ex quo deinde Dominus tanquam triumphator in cœlos rediit . Quid memorem montes Sapha , vel Zophim , Gareb , Hebal , Garizim , Salmon , Silo , Hermon , Galaad , Baſan , Carmel , Sina , ſimileſque , quos omnes in Palæſtina , viciniſque regionibus altitudinis fama eminuiſſe conſtat ? Adderem & Nebo , ex quo olim Moſi licuit magnam Cananitidis partem intueri, niſi ſcirem eum non ejus fuiſſe eminentiæ, ut nomen λίαν ὑψηλȣ̃ potuerit ſuſtinere. Ecquis nunc nobis dixerit, tanquam indubium , quis horum montium fuerit , in quo Servatorem aggreſſus eſt Satanas?

§. 3. Si tamen conjecturis probabilibus quiſquam delectetur , is ſane, quod quærit , inveniet, in monte illo, in quo ædificatum fuit templum' ſive eum Sionem , ſive Moriam quæ Sionis erat pars , velis dicere . Tota enim (A) narrationis ſeries apud Matthæum edocet , tres illas tentationes non longo vel locorum , vel temporis intervallo fuiſſe inter ſe disjunctas . Omnes enim uno eodemque die videntur contigiſſe . Prima facta eſt in eremo , in qua quadraginta dierum moram fecerat Salvator, quæ haud dubitanter non longe ab urbe Hieroſolyma diſtabat. Hinc comitante (a) illum Satana ſpecie humana induto, ſe contulit iu urbem ſanctam , montemque adſcendit, in quo ſitum erat templum . In eo duplicem paſſus eſt adverſarii ſui impetum , unum in πτερυγίῳ templi , alterum in ἐν ὄρει ὑψηλῷ λίαν . Quis horum prius in eum irruerit , non habemus dicere, cum Matthæus & Lucas heic a ſe diſcrepent , ita ut uter horum temporis ordinem ſervaverit accuratius , non liceat definire . Quemadmodum autem per πτερύγιον templi intelligo eam porticum , inter reliquas exſtantem quæ in auſtrali templi parte erat , cui tantam altitudinem (παμμεγέθες ὕψος) tribuit Joſephus Ant. L. XV. c. 14. ut nemo in *adjacentem profundiſſimam vallem* (ἀμέτρητον βύθον) potuerit deſpicere , ſine caligine & vertigine oculorum , ita per ὄρος ὑψηλὸν λίαν pariter pars aliqua, aut vertex aliquis montis Sionis, cujus ornamentum erat templum , videtur indicari . Neque legimus poſt alteram tentationem repulſam Chriſtum ſe rurſus dediſſe in viam , & profectum eſſe in Galilæam . Quid itaque judicabimus vero magis ſimile , utrum Chriſtum Satana comite ex urbe Hieroſolyma atque templo poſt primum eluſum πειρασμὸν denuo iter trium dierum , quod ab Urbe ad Thabor faciendum erat , confeciſſe, ut eum in illo aggrederetur tertium, an vero continenter eopſe die, ex uno montis Sionis loco in alium ex πτερυγίῳ nempe in quendam ejus verticem aut colliculum ſe contuliſſe , ex quibus in circumjacentes plagas commodiſſimus erat proſpectus ?

§. 4. Atque ita (B) magis , ac facilius imminui poteſt difficultas , quæ ex diſcrepantia , quæ Matthæo cum Luca circa ordinem temporis intercedit , quæ quoque a reverendo ſuperioris eruditæ diſſertationis Auctore indicata eſt . Si enim eodem fere tempore eodemque in loco factæ ſunt ſecunda , tertiaque tentationes , vides non tam neceſſe fuiſſe ut accurata ſeries temporis obſervaretur , quam ſi altera tentatione profligata , ſe Dominus trium dierum itineri accinxiſſet , tertiam ut ſuſtineret.

§. 5. Porro (C) illi monti epitheton τȣ̃ ὄρȣς τȣ̃ ὑψηλȣ̃ probe convenit . Ille dubio procul eſt, qui Ezech. XXVII. 22. 23. vocatur הר מרום & הר-גבה ותלול ישראל , *Mons altitudinis Iſraelis* , & *mons excelſus* & *exaltatus*. Oἱ ό transferunt, ὄρος ὑψηλὸν καὶ μετέωρον Eo enim nomine in ſacris etiam alibi venit ; Ezech. XX. 40. dicitur הר מרום ישראל , *mons excelſitatis Iſraelis* , LXX. vertunt , ὄρος ὑψηλόν. & cap. XL. 2. הרמאר נבה , mons valde excelſus . LXX. reddiderunt , ὄρος ΤΨΗΛΟΝ CΦΟΔΡΑ . Hunc autem locum de monte Sionis intelligendum egeegie comprobavit C. *Utrinaga* P. in libro de templo Ezechielis c. 3. Hinc emphaſis elucet phra-

(a) Ita enim vocem παραλαμβάνειν apud Aelianum ſumi recte oſtendit R. Harckenrotius. Similem locum ex Plut. περὶ ἀοργησίας produxit G. Olearius in obſ. ad Matth. qui de Socrate ſcribit eum ἐκ παλαίστρας παραλαβεῖν τὸν Εὐθύδημον, ex *palæſtra ſecum abduxiſſe Euthydemum*.

phraseos Pſ. LXXVIII. 68. 69. uti Deus dicitur *ſanctuarium ſuum exſtruxiſſe* כמו רמים, *tamquam altitudines* ſive excelſa. Talis altitudo ejuſdem montis ponitur in vaticinio Jeſ. II. 2. & Mich. IV. 1. quando mons *Domus* Domini dicitur fore *in vertice montium*, & *exaltatus ſuper colles*, quod ſenſu ſpirituali de eccleſia dici non potuiſſet, niſi ejus typo Sioni id ſenſu proprio conveniſſet.

§. 6. Porro huc retulerim Pſ. XLVIII. 3. ubi mons ille non ſolum הר קדשו, *mons ſanctitatis ejus*, ſed & יפה נוף vocatur. Non videntur interpretes hujus vocis נוף vim atque ſignificantiam accurate cepiſſe, unde variis expoſita fuit, iiſque quandoque ſatis contortis verſionibus. Reddiderunt quidam *terminum*, alii *regionem*, vel *clima* vel tractum, nonnulli *nymphas*, (alludendo ad ſimilitudinem literarum, vel *ſponſam*, inter quos eſt Chaldæus paraphraſtes Oi ἑβδομήκοντα habent εὐρίζων ἀγαλλιάματι. Plurimis placuit notio *rami*, vel *ſurculi*; Hinc Aquila habet, καλῷ βλαστήματι, Hieronymus *ſpecioſa germine*, Lu. ein ſchön Zweiglein. Tigurin. Ein ſchöner Pflanßte. Sed ſi ad veram radicem vocis animum advertiſſent, planior iis ſe obtuliſſet expoſitio. Illa autem matri filia reſtituere debet, i. e. repetenda eſt ex lingua Arabica, quod plus millies alibi quoque fieri conſtat. Apud illos autem ناو notat *eminere*, *longum* atque *elatum eſſe*, *excreſcere*. Hinc نّو notat *elatiorem cameli gibbum* تّياو, non ſolum *camelum* ſignificat longum atque eminentem, ſed & *Virum proceræ ſtaturæ*. Neque illa ſignificatio prorſus inter Hebræos deſiit, id quod lexica affatim docent. Ipſe Chaldæus per ארים, *exaltare*, *ſurſum efferre* reddidit. Septuaginta aliquoties vertunt αἴρειν, ἀναφέρειν, ἐπαίρειν. Immo reliquæ voces, quæ ex eodem hoc fonte promanant, altitudinis ſignificantiam involvunt. Sic, quando notat *agitationem*, *ventilationem*, id fit, quod illa fieret ſurſum, deorſum. Hinc תנופה dicta eſt cærimoniæ in ſacris ſpecies, qua res in ſublime attollebatur. Hinc etiam pro quibusvis oblationibus ſacrorum ſumitur. Et quia *rami* arborum in altum excreſcunt, hnic נוף *ramum*, *germen* indicat. Et, quia in ſtillationibus atque irrorationibus guttæ *ex alto* cadunt, hinc *ſtillare*, *effundere* eadem vox indicat. Unde & pro *imbre* ſumitur Pſ. LXVII. 10. Quin parum abeſt; quin putem hinc Latinorum *nimbus* deſcendere, dages in m. ut ſæpiſſime fit transmutato. Neque dubito, quin huc Græcorum νέφω & νίφω, *ningo*, ſint referenda; Uti & νίφας & νίβα, i. e. nix, quæ ex alto decidit, & νέφος, & *nubes*, quæ in alto ſuper nos conſpiciuntur. Etiam in ſuffimentis nidor ſurſum ſe effert & in alto diſpergitur, hinc *ſuffiendi* obtinuit ſignificatum. נוף itaque *altitudo eſt*, & הר יפה נוף, perapte verti poteſt, mons *ſpecioſus* & *pulcher ALTITUDINE*, i. e. ὑψηλὸς λίαν.

§. 7. Hanc autem excelſitatem montis ſancti alii quoque ſcriptores innuunt. Sic Joſephus L. VI. de B. Jud. c. 6. ſcribit Hieroſolymam *impoſitam fuiſſe duobus collibus, quorum unus in ſuperiori urbis parte, ubi templum erat, dicitur* ὑψηλότερος τῷ πολλῷ, *multum eminentior*. Tacitus L. V. hiſtor. c. 11. illi conſonat. *Duos colles IMMENSUM EDITOS* (i. e. ὑψηλοὺς λίαν) *claudebant muri per artem obliqui*, *aut introrſus ſinuati*; *Extrema rupis abrupta*, & quæ ſequuntur.

§. 8. Notandum (D) præterea, ipſum hujus montis verticem valde fuiſſe aptum, ad circumferendum longe, lateque oculos, & oſtendendum πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου, καὶ τὴν δόξαν αὐτοῦ; Urbs enim ipſa Hieroſolyma altiſsimo ſita loco erat. Unde phraſis Judæis uſitata, neque in ſacris paginis ignota, qua Hieroſolymam adeuntes, dicebantur ad eam *adſcendere*, quemadmodum ex illa abeuntes dicebantur *deſcendere*, καταβαίνειν, ut ille apud Lucam x. 30. qui Hierichuntem proficiſcebatur. Tacitus vocat *urbem arduam ſitu*, loco citato. *J. Cotovicus* in itinerario deſcribit *urbem in montibus altiſſimis poſitam*, *loco ceteris eminentiori*, & *tanquam regiam inter omnes accolas*, & *veluti caput eminere in corpore*. Vulgaris ſane traditio erat inter Judæos, omnium terræ regionum altiſsimam Palæſtinam eſſe, & in illa Hieroſolymam; Audiamus Kimchium, ad Ez. XL. 2. וגם בעצמו הוא גבוה לפי מקומו כי ארץ ישראל גבוה מכל ארצות וירושלם גבוה מכל ארץ ישראל. *Etiam* (mons ſanctuarii) *in ſe ipſo altus ratione loci*. *Sicut terra Iſraelitica alta præ omnibus terris*, & *Jeruſalem alta præ omni terra Iſraelis*. Hoc idem eſt, quod in epiſtolis Paulæ & Euſtochii ad Marcellam p. 548. legitur. Quanto *Judæa ceteris provinciis*, *tanto hæc urbs cuncta ſublimior eſt Judæa*. In urbe diverſi colles eminebant; Inter colles illos tantum caput ſuum efferebat apex montis, cui impoſitum erat templum, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi*. Ex illis in circumſitas regiones proſpiciebatur, longe lateque. Ita Chriſtophorus Furer von Haimensdorff in itinerario ſuo edito Noribergæ, 1646. ſitum Hieroſolymæ deſcribit, *eſſe EUM valde altum*, *ut in montes circumſitos late pateat adſpectus*, *ita ut ad Orientem ſe* oculis

oculis ingerant mare mortuum, *montana Seir*, *ad austrum deserta Arabiæ*, *ad septentrionem montes Ephraimi*. Et talia in terræ sanctæ descriptionibus testimonia passim occurrunt, quæ utpote in re nota cumulare, supervacaneum puto.

§. 9. Factum inde est, ut ille *speculæ* locum obtinuerit. Huc referunt locum Jer. IV. 6. ubi dicitur *elevate signum in Zion*, quod intelligunt de specula, in illo erecta, unde e longinquo adventantes hostes prospicere integrum erat. Immo inde a prospiciendo nomen datum monti putant. Ita ad radicem ציין, speculatus est, unde מצונון, *speculatores* dicti, nomen illud refert Schindlerus. Certe Hieronymus Zion in locis Hebræis sæpe vertit *speculam*, & in commentario ad Jeremiæ locum interpretatur *speculam vitæ*. Huc respicit Adrichomius, quando in descriptione terræ sanctæ p. m. 149. Sionem describit montem *cæteris montibus excelsiorem ac veluti SPECULAM in eminenti*, *solida ac prærupta undique rupe divinitus fundatum*. Et hinc ipsi Moriæ monti videtur nomen inditum, dicto מוריה, a ראה *videre*, quod & e longinquo *videri* potuit, & ex eo in longe dissita loca oculorum penetraret acies. Saltem Abrahamus illum e longinquo vidisse legitur Gen. XXII. 4. Ob quam caussam recte mihi videtur transtulisse Simmachus τὴν γῆν ὀπτασίας & Aquila, τὴν καταφανῆ: i.e. ut LXX. habent, τὴν γῆν τὴν ΥΨΗΛΗΝ. Quæ cum ita sint, & Palæstina altissima haberetur terræ regio, & in illa Hierosolyma posita esset loco præ aliis excelso, & inter hujus urbis montis emineret Sion, ut ex ejus vertice jam a vetustis temporibus, tamquam e specula, latissime circumferri potuerint oculi, quis non videt illi perbelle convenire, quæ apud Evangelistam vs. 8. referantur.

§. 10. Quamquam autem nemo facile in eas devenerit cogitationes, fieri potuisse, ut OMNES mundi regiones ex hoc monte viderentur, cum vel ex altissimo quoque id per rei naturam fieri nequeat, nullus tamen unquam etiam alius ostendetur, per totum, qua patet, terrarum orbem, in quo id fieri potuisse multo facilius, commodiusque statuas. Sive enim hæc omnia, quod tamen nollem, per visionem, vel in somnio repræsentata Servatori dicas, sive cum Grotio effictas rerum imagines, quas εἴδωλα Græci vocant, & φαινόμενα ἐν τῷ ἀέρι φαντάσματα exponunt, velis admittere, sive cum Origene ad frigidam ἀλληγορίαν dilabare, & *regnum Diaboli*, quod exercet in mundo, vel regnum h. e. homines in quibus per varia vitia regnat, intelligas sive per usitatam sacris literis ὑπερβολὴν de nonnullis regionibus explices, sive de Palæstina, ejusque maxima parte intelligendum velis; sive illud δεικνύειν, ita malis explicare, ut non solum notet, *digito* aliqnid *monstrare*, sed & *oratione* aliquid *ostendere*, *mentique repræsentare*, quod utrumque meo quidem judicio hic conjungendum putem, tantundem est. Patet enim, nihil horum omnium esse, quod non æque apte monti Sionis, quam cuivis alii applicari facili negotio possit.

§. 11. Accedit, quod (E) si certioribus magis argumentis hæc opinio nostra adstrui posset, non desint, ex quibus pateret, non sine causis Hierosolymam, ejusque illustriorem montem conflictui Christi cum Satana destinatum fuisse. In illo enim loco se Dominum Satanæ gerere voluit, ad quem, tanquam ejus Dominum venturum prædixerant divina oracula. In illo loco voluit a Satana invadi primum, ac in certamen provocari, in quo deinceps cum eo in passionibus congressurus, eumque prostratum debellaturus erat. In eo loco spiritum malignum sub auspiciis muneris sui apparere, ac se adorandum offerre legimus *Domino*, in quo hic sub visibili symbolo spectatus, cultus, adoratus adhuc fuerat, & in quo postquam omnibus muneris sui partibus egregie defunctus esset, Spiritum sanctum sub imagine linguarum ignitarum conspicuum, qui gentes ad se colendum, adorandumque impelleret, emittere voluit. In Sione denique *monte valde sublimi*, aggreditur tenebrarum Princeps τὸν ἀρχηγὸν σωτηρίας ἡμῶν, ex quo, quando Dei domus altior facta erat omnibus montibus & excelsior omnibus collibus, proditura erat lex verbumque Domini, inde ut per omnes gentes propagaretur quo olim πᾶσαι αἱ βασιλεῖαι τοῦ κόσμου cum omni gloria sua fierent Dei, & Christi ejus.

§. 12. Ad extremum (F) id doctissimis Viris, qui vel de Tabore aut Libano, aliove longius ab Hierosolyma distante monte cogitarunt, perpendendum offero, anne iter illud, quod post tentationem Sospitator in Galilæam fecit, comite adhuc Diabolo fecisse, credibile sit. Matthæus non dicit Christum statim, postquam secundam tentationem ἐν τῷ πτερυγίῳ templi excepisset, se ad iter in Galilæam accinxisse, in quo itinere tertiam a Diabolo iterum coitionem subiret, sed postquam tertius, isque ultimus Cacodæmonis conatus repressus, atque hic ab illo derelictus erat, tum angelos ministratum illi accessisse, & his omnibus factis, postquam audivisset Johannem traditum esse in vincula, tum demum in Galilæam concessisse. Vide Matth.

IV.

IV. 10. 11: 12. & Marc. I. 14. Lucas ita rem refert c. IV. 13. 14. συντελέσας πάντα πειρασμὸν ὁ Διάβολος, ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἄχρι καιροῦ; & deinde ὑπέστρεψεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν Γαλιλαίαν. Ex quibus omnibus patet non solum continua serie istas se excepisse tentationes, sed & Christum in Galilæam non prius profectum, quam postquam tribus illis certaminibus, defunctus erat feliciter. Eopse autem die, quo Christus tentatus est, videtur illa Pharisæorum ad Johannem legatio expedita, quæ describitur Joh. I. 19. 28. Altero die Christus ad Johannem invisebat Bethabaræ trans Jordanem baptizantem. Illa autem, quæ apud Johannem inde a commate 29. c. I. ad cap. IV. ennarrantur, gesta sunt illo tempore, quod post tentationes sustentatas ad adventum Christi in Galilæam effluxit. Sed hæc digito tantum tangimus. Puto tamen post illorum omnium considerationem haud facile cuiquam visum iri verosimile, Christo adhuc triduo post discessum ex Hierosolyma Diabolum adhæsisse comitem, & tum demum tentationem tertiam subiisse.

§. 13. Quemadmodum autem in his similibusque incolumi licet dissentire amicitia, ita nunc coronidis loco adducam nonnullos, qui hanc tentationis Christi historiam uberius illustrarunt præter commentationum in Evangelia eorumque harmonias scriptores, ex quorum lectione, quid de hac re sentiendum sit, cognosci possit plenius. Vide itaque G. MOMMÆ Œcon. L. III. c. 5. §. 26. 59. Fr. SPANHEMII P. Dub. Evang. p. III. c. 50. 69. & inprimis S. BOCHARTI epistolas ad N. *Herault*, in app. ad Geogr. S. p. 941. 983. Balth. *Bekkerum* in mundo fascinato L. II. c. 20. eique oppositum J. v. D. *Waeyen* librum §. 1315. 1346. G. OLEARII in Obs. ad Matth. c. II. 12. 13. 14. H. *van der HARDT* in Ephem. Philol. diss. I. &, qui ejus sententiam excussit Casp. CALVOERIUM in *gloria Mosis* c. 8. Sal. DEYLINGIUM, in elegantissimis Observ. L. II. c. 17. Joh. MARCKIUM, Theologum Lugdunensem in Exerc. Bibl. XXVIII. integrasque dissertationes Andr. Godofr. AMMONII, J. Jac. HOTTINGERI, quarum illius Gryphiswaldiæ 1670. & Helmæst. 1676. hujus tres Tiguri a. 1709. & 1714. editæ sunt. Præterea exstat liber integer *Danielis ARENTS*, V.D.M. Zuyderwoudensis, quem inscripsit מסות המשיח, sive *Comm. novum in historiam tentationis CHRISTI a Diabolo illatæ in locum Matth. IV.* I. 12. impressus, Amst. 1691. 8.

JOAN-



JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGI, OCULUS MOSIS ET CHRISTI, E MONTE Editiſſimo Palæſtinam ſpectantium.

CONSPECTUS.

§. 1. *Moſes & Chriſtus in multis ſimiles, in eo etiam ſimilia ſuſtinent fata, quod e monte ſublimi Palæſtinæ regna proſpiciant*. §. 2. *Moſes Cananæam antea nunquam adierat, ſed perſpiciebat eam in confirmationem veritatis cœleſtis & imaginem melioris loci mox adeundi*. §. 3. *Mons Nebo, cujus ſitus delineatur, proſpectui tam Chriſti quam Moſis fuit deſtinatus; mons vero Quarentana tentationis loco non convenit*. §. 4. *Determinatur plus minus altitudo Montis Nebo*. §. 5. *Demonſtratur Mathematicè, ex Nebo omnem Palæſtinam potuiſſe luſtrari, & omnia ejus regna ſeu tetrarchias*. §. 6. *Adduntur, quæ ſpeciatim perhibentur a Moſe & Chriſto eſſe viſa*.

§. I.

MOſes & Chriſtus in eis diſcrepant, quæ ad Œconomiæ divinæ habitum durum ac manſuetum faciunt, tam ratione μεσίτου & indolis quam fœderis cum hominibus conciliandi modo. Optime vero conveniunt in patefactione novæ doctrinæ per miracula, in liberatione gentium, in eductione ſuorum ex oppreſsione & tyrannide, in inſtitutis novis ſanciendis. At Moſes erat nudus homo; Chriſtus θεάνθρωπος: Moſes peccatis obnoxius: Chriſtus ſanctus: Moſes liberator temporarius. Chriſtus æternus & ſempiternæ libertatis vindex. Moſes mortuus, Palæſtinæ non particeps, ſed eminus ſpectator; Chriſtus homo mortuus, aſt glorioſe, triduo peracto, redivivus & regni promiſſi ipſe illico particeps: Moſes, excepta lege naturali in Sinai promulgata, temporarios tradebat ritus, JESUM adumbrantes; Chriſtus legem moralem repurgavit a ſiniſtris interpretationibus, eam ipſe implevit, animumque purum in victimam DEO offerri docuit, ſpiritum, non carnem ſacrificiorum. Id vero inprimis jam animadvertendum eſt, Moſen & Chriſtum, ad munia

munia divina destinatos, quadraginta diebus citra cibum potumque cum solo Deo solos fuisse versatos, verboque Dei esse exsatiatos. Quanto vero erat sublimiori natura & dignitate Christus, tanto humilior & infra ipsius Mosis, afflicti etiam, conditionem pro nobis depressior factus est, a Satana ipse adtentatus, quod de Mose nuspiam perhibetur. Quod igitur Deus Mosi præstitit, ire hunc jubens in montem altum, ut Judæam eminus contemplaretur, ejusque excellentiam, id Christo a Satana evenit, quippe qui suavissimum servatorem in montem editissimum adduxit, ut spectaret orbem judaicum ejusque splendorem & dignitatem. Quare, ut una ex fidelia duos dealbarem parietes, Mosis & Jesu contemplationem, quæ Judæam pro scopo habuit, cominus contueri suscepi. Non ignorant equidem periti rerum arbitri, terminos visionis ex Geographia ac Trigonometria esse explicandos, visionis vero leges ex doctrinis Opticis. Nemo igitur succensebit, quod materiam hanc de intervallis in superficie globi terrestris ex consultis Mathematicorum curatius eviscerare tentaverim. Sicubi nonnullis obscurus forte videar, ei ejus rei culpam in me non transferent, siquidem heic quævis rudimenta Mathematica ab ovo ordiri nequeo. Ubi Mosis spectationem cominus spectare contendi, in id juxta incumbam, ut Jesum ex eodem monte Nebo Judæam adspexisse ostendam. Non vero non fateri possum, Jesu non unum Judææ regnum adparuisse, sed ipsam quoque Nabatæorum regum sedem, Petram [1] cum ipsa, Trachonitide, fortassisque regno Abilenes & Chalcidico in Libani montibus sito.

§. 2. Quantum igitur ad contemplationem Mosis adtinet, ea supervacua videri posset illis, qui non ignorant, Mosen jam antea fines terræ, Israelitis destinatæ, recensuisse. Num. XXXIV. 2. 12. videlicet *ab alveo*, qui Ægyptum a Syria disterminabat, seu lacu Sirbonidis *ad extremam* australem *maris asphaltitici partem*, inde per Jordanem ac confinia tribuum Gad, Manasse & Ruben, ad ortum vergentia; versus *Antilibanum*, inde *Heliopolin*, juxta quam [2] Orontes oritur, & *ad terminum* eorum *circa Posidonium*, quæ mare inter & Orontis alveum sunt posita. At vero Mosen jam olim invisisse Cananææ ac Cœlesyriæ oras, nunquam ulla ratione solida comprobabitur. Adparet id ipsum ex vita Mosis ante acta & legatorum duodecim emissione in Cananæam, qua supersedere potuisset, Moses, si eamdem terram antea jam lustrasset. Adde quod palmarium potuisset legatis illis decem formidolosis in conspectu populi apponere argumentum, ex sua experientia & inspectione depromtum ac derivatum. Deus igitur erat, qui Mosi ostendebat illam finium terræ promissæ delineationem intra animum conspicuam, ratione quidem mandati, non autem figuræ. Præstat tamen, rem sub oculis cadentem inspicere, si fieri possit, quam nudo auditu vel patefactione interiori citra figuram comprehendere. Quocirca major Mosi clariorque notio ingenerari poterat ex lustratione Cananææ, quam ex nuda aliunde suggesta urbium & terminorum denominatione. Quocirca, antequam Moses in sublimiorem regionem & meliorem civitatem, quæ manu humana non est exstructa, eveheretur, imagine etiam ipsa typi seu Cananææ terrestris erat solandus. Certissimum nobis fata Mosis suppeditant argumentum, piis majora superesse post mortem gaudia, quam quæ temporarius mundi decor conciliat, ideoque a fidelibus Vet. T. vitam quoque sempiternam avide fuisse expetitam & sancte creditam, uti Cel. Crosa [3] nuper venuste docuit.

§. 3 Mons Nebo, pars Pisgæ, trans Jordanem in Moabitide adjecta, quæ Gaditis postea cessit, erat specula, unde Moses, jussu divino Cananæam eminus prospiciebat. Josephus [3] eum vocat *excelsum & contra Jerichuntem situm*, τῦτο ὑψηλὸν Ἱεριχῦντος ἀντίκρυς κεῖται. Jungitur etiam cum Libano & Baschan, montibus altissimis, Jer. XXII. v. 20. Eusebius in voce Ναβαῦ cum ὑπὲρ τὸν Ἰορδάνην *supra Jordanem* contra Hierichunta, in sexto milliario urbis Esbus contra orientalem plagam locat. Simul etiam in voce Ἐσεβὼν docet, Esbunta viginti a Jordane millibus fuisse disjunctam. Nebo igitur XIV. millibus passuum a Jordane fuit remotus. Nomen ei adhæsisse videtur ex nomine idoli *Nebo*. Esa. XLVI. I. a quo Babyloniorum quoque reges *Nebucadnezar*, *Nebusaradan*, *Nabonidus*, *Nabonassar*, aliique adpellati sunt. [4] Mercurium designat Nebo a נבא *dicere*, *prædicere*, *pronuntiare futura*, quod Mercurio conveniebat. Eamdem sententiam confirmat Abulpharagius. [5] Chaldæi olim in Syria incolentes, omnino stellam Mercurium magni faciebant, [7] quia sibi videbantur esse *sub virgine & Mercurio*, scientiarum dominis, [8] & Mercurius erat cum ceteris planetis interpres futurorum. [9] Nolit quis suspicari, quæso, hanc de Mercurio notionem non quadrare in ævum Mosis, siquidem jam

Mosis

Moſis ætate ſtellarum cultus penes Syros & Cananæos erat vulgatisſimus , uti ex permultis interdictis aſtrolatriæ oppoſitis liquet , & nomine DEI צבאות " *Ens illud, quod condidit ſtellas*.

§. 4. In eumdem montem JESUS adductus mihi eſſe videtur . Nam in Jordane circa eum tractum idem a Johanne fuit unda ſacra imbutus , juxta Bethabara . Joh. I. 26. 28. Hieronymus . [10] *Bethabara trans Jordanem , ubi Johannes in pœnitentiam baptizabat unde & uſque hodie plurimi de fratribus , hoc eſt , de numero credentium , ibi renaſci cupientes , vitali gurgite baptizantur* . Dicitur *Beth-bara* Jud. VII. 24. A tranſitu בית עברה omnino dicitur , ideoque Jordanes ibi vado [11] vel ſcapha tranſmitti potuit . Oſtenditur noſtra ætate locus ille haud procul Hierichunte . [12] At in mappa geographica, quæ Maſtrichtiano Nov. T. codici inſerta eſt , ad boream eſt protractus , ut intervallum ejus a Lacu Tiberiadis unam tertiam conſtituat , pars vero vergens ad aſphaltiten reliquas duas tertias. Id certum eſt , eum tribui Gad annumerandum eſſe , ex fide illius mappæ . At vero Relandus jam pulchre monuit , uti res ipſa quoque docet , Gaditarum & Rubenitarum ſedes fuiſſe permiſtas . Ubi ſitus ex ſacro codice & Euſebio ac Joſepho incertus eſt , eum ex commoditate multa adpellandi loca ab actu & heic a tranſitu conligere dabitur . Quare quum ſupra & circa lacum aſphaltiten ſolemnis & frequentiſſima fieret Jordanis tranſitio , ideo *Bethabara* ibi ſtatuiſſe ac localſe , non erit inſulſum . Mons quidem ille *tentationis* ad Hierichuntem hodie oſtenditur . [13] Sed ex vana incolarum commemoratione , qui pleraque in Palæſtina contra fidem veterum demonſtrant . Nam quis crederet , montem eum eſſe altiſſimum , quem veteres montibus editiſſimis haud annumerant? Convenientius ille mons intelligitur , in vicinia Bethabaræ , quem Jeremias & Joſephus talem eſſe plane docuerunt . Novimus præterea , diabolum certaſſe de corpore Moſis , quod omnino in locum ſepulcri Moſis ad Nebo optime quadrat , ubi Moſis memoriæ recolendæ aptiſſima ſeſe præbebat occaſio . Et quid , quæſo , in ſimiam Dei magis quadrat , quam imitatio divini ductus , quo Moſes ex Nebo Palæſtinam ejuſque amplitudinem perſpexerat ? Impudentiſſimus ad hæc impoſtor Deum ſuperaturus eſſe videbatur , ubi id Chriſto promittebat , quod Deus Moſi denegaverat . Quod ipſum dum cogito, non poſſum non in montem Nebo conferre mentem & oculos . Eamdem olim ibi Satanas luſerat fabulam , dum ad montis radices Iſraelitas in ſui adorationem pertracturus erat . Baal Peor enim , ſeu Venus domina , diabolicum erat idolum , diaboli inſtinctu conditum & honoratum. Ad hæc conveniebat inſtituto , extra Palæſtinam ſtare , ut ea oſtenderetur . Qui enim domum ſubindicant & oſtendunt , id extra ædes facere ſolent . Ea enim plerumque vocis δεικνύειν obtinet ſignificatio , ut manu ſublata vel digito exſerto rem deſignare aliquantulum remotam denotet . Adde quod Satanas Chriſto *omnia regna mundi* monſtraret, quorum nonnulla conſpici poterant in finibus Palæſtinæ, in ipſa vero Palæſtina vix ultra unum . Mons ſane ad Hierichuntem , uti peregrinatores ſacri memorant , præceps ſatis eſt , at non adeo excelſus , nec in verticem uſque adſcenſui patens , unde finxere fabulam , Jeſum a diabolo in faſtigium editiſſimum verticemque latum fuiſſe , quaſi poteſtati hujus omnino obnoxium & ſatana impotentiorem . Si ad Marcum nos conferimus , is c. I. v. 13. de JESU tradit, quod *a Spiritu eductus fuerit* εἰς τὴν ἔρημον *in locum deſertum ſterilemque , ubi fuerit XL. dies* , ubi fuerit *tentatus a cacodæmone* , ubi fuerit *cum feris* beſtiiſque verſatus. Si igitur in memoriam revocaverimus, eremos Judææ oppidulis viciſque ſparſas & ovium paſtu frequentatas fuiſſe , [14] tum omnino ſolitudinem ejuſmodi , quæ feris beſtiiſque ſcatebat humanoque vacabat cultu, penes inſectos & latrociniis tum cuncta turbantes Arabas quærere oportet . Montes enim Palæſtinæ rigidiſſimi ac abruptiſſimi a Judæis olim varia [15] arte colebantur , ut butyrum ex petris redundaret. Ultra vero Jordanem in montium ac arbuſtorum latebris plerumque omnia latronibus erant obſita & obſeſſa , qui , aliquando ad paſcua montoſa Hierichuntis etiam Judæum occidiſſe , a Chriſto dicuntur . Alium quidam Palæſtinæ noſtræ & ſuperioris ætatis attribuunt locum jejunio Chriſti & lapidibus , quos Satanas poſcebat in panes mutari ; videlicet illam rupem Hiericuntinam maxime præruptam , cujus in latere uno inſit ſpelunca inſtar domicilii ; alium demonſtrationi regnorum mundi vindicant , videlicet ejuſdem rupis verticem , quem ægre vix aliquis adſcenſu contingere poteſt. Mons ipſe vocatur a quadraginta jejunii diebus *Quarantana* ſeu *Quarantaine*. At illud plane ab omni veroſimilitudine abhorret , in eo Satanam regna Palæſtinæ omnia oſtendiſſe. Quomodo enim ibi eſſent perpetuo Θηρία *beſtiæ* , eæque fortaſſis venenatæ [16] prætereaque nulli homines per quadraginta dies , ubi uberri-

mus

mus læissimusque campus Hierichuntem usque per leucam Gallicam porrigitur? [17] Nec id de nihilo est, in summo cacumine extare vestigia alicujus conlapsi cœnobii. [18] Quum enim mons ipse larga sæpius pluvia humectetur, uti Thevenotus suo tempore expertus est, ac inferius leniter sit acclivis, in vertice vero cœnobio sedem præbere potuerit, quid tum probabilius est, quam ovibus, viti serendæ, & balsamo, quod in planitie Hierichuntina ad hunc montem olim proveniebat, [19] montem ipsum ejusque cacumen & radices fuisse destinatas? Accedit quod mons Nebo aptissimus sit prospiciendo Cananæo situ omni, inde ad Dan, ad mare magnum, ad Libanum seu potius Antilibanum, & terminum australem ab extremitate maris asphaltitici ad Aegypti confinia, quandoquidem id de Nebo & inde facta Mosis contemplatione aperte patet. An Quarentana tanta fuerit altitudine, haud facile comprobaveris, quippe in vertice cujus olim habitari potuit. Verum præalta montium cacumina a frigore nocturno & nive brumali nimis ibi infestantur, tantum abest, ut domicilium mortalibus præbere possint. Verosimillimum proinde est, Christum ex Nebo regna omnia Palæstinæ perspexisse, quia Paneada usque, caput Trachonitidis ac Philippi: Tiberiadem regiam Herodis Antipæ: Hierosolymam Pilati procuratoris, qui tetrarchiam Archelai tenebat, sedem prospectus inde patebat. Adde montis non habitati faciem sævam & humano cultui non faventem.

§. 5. Jucundum esset cognoscere penitusque habere exploratum, quanta montis Nebo fuerit altitudo. [20] At quia ea a nemine percognita memoriæque mandata esse legitur, instituendus est labor per *methodum regressus* ex distantia oppidi Dan ad Nebo. Nam quum Moses eo usque prospexerit, altitudo Montis quoque tanto prospectui fuit accommodata. At distantia a monte Nebo ad oppidum Dan æquatur uni gradui & triginta minutis primis, i. e. 90000. passibus Romanis, seu XXIII. Germ. quorum unum 4000. passus Romanos continet. Hoc ita trado ex intervallo curatissimæ tabulæ, quam D. Hadrianus Relandus dimensus est & fabricavit. Jamdudum vero construxi mappam novam, observationibus Chazellii & de l'Isle superstructam, ubi mare mediterraneum inde a Joppe recta in boream procurrit cum ipso Phœnices littore iisque ad Ostium Orontis, quod ipsum ex long. & lat. Alexandriæ, Cairi, Pellussi, Tyri, Aleppi cuique ostendere valeo. Ex hac mappa intercapedinem aliquanto majorem esse didici, videlicet CXXI. mill. pass. Rom. id est XXX$\frac{1}{4}$. mill. Germ. Quia igitur ex calculo paullo post dando prospectus ex monte, cujus altitudo ad perpendiculum est unius milliaris Germanici ac intervallum 42$\frac{1}{2}$. mill. Germ. patet, ergo intervallum 30. mill. Germ. secundam *regulam auream*, exposcit altitudinem montis, quæ tendit per perpendiculi mensuram ad 2847$\frac{1}{17}$. pass. Rom. Id vero non est negligendum, ad Dan & Paneada editissimum eminuisse montem *Panium*, ubi Christus gloria cœlesti adfectus est, [22] qui omnino potuit prospici, licet montis Nebo altitudo non multum ultra mille pass. Rom. exstiterit. Plinius [21] admirandam Casio, Syriæ monti, altitudinem tribuit. *Cujus excelsa altitudo quarta vigilia orientem per tenebras solem adspicit: brevi circumacta corporis diem noctemque pariter ostendens. Ambitus ad cacumen XIX. M. P. est, altitudo per directum* IV. Celeberrimus post fata Cassini altitudinem montis *Canigoa* altissimi invenit 1400. pert. Gall. referente Comite de MARSILLI [22] i. e. 8695$\frac{1}{3}$. ped. Rhen. Nam pertica una Gallica (Toise) facit sex pedes Parisinos, unus vero per particulas 1440. Quare 1440. particulæ reddunt 8400. pedes ejus modi, & hi ipsi 12096000. particulas. Porro particularum talium 1391. constituunt pedem unum Rhen. ac, ubi utrumque in sese dividendo duxeris, emergunt inde pedes Rhenani 8695. circiter. At milliare Gallicum majus, quod est $\frac{1}{4}$. unius majoris Germanici, complectitur 15000. ped. Rom. ut ideo mons ille altus fuerit $\frac{171}{300}$. mill. Gall. seu admodum dimidium milliare Germanicum. Non multo altior fuit Nebo, si in planitie Dan Moses prospicere potuit. At quia id non erat necessarium, dimidium milliaris Germanici tractui ad Dan videndo & eminus cognoscendo utique suffecit. Præterea calculus ille, quo altitudinem montis Nebo ex intervallo a Dan determino, id ipsum ponit, quod diameter telluris polaris sit æqualis diametro axis sub Æquatore. Si vero ponamus, polarem illam [23] se ad diametrum Æquatoris habere, ut 692. ad 689. tum $\frac{1}{4}$ (& paullulum ultra) unius mill. quod 5000. pedes Paris. continet, pro majori declivitate loci Dan inde comprobatur, quam est ea, quæ ex exacta terræ rotunditate adsumitur. Quanto igitur depressior erat ora borealis, tanto patentior & longior erat prospectus.

§. 6. Ut igitur ab eo, quod capitis & principii loco posui, ordiamur, prænotandum est, intervallum a Nebo ad Dan esse milliarium Germanicorum XXIV. vel potius XXX. eam vero intercapedinem, quæ mari mediterraneo & monte Nebo terminatur, milliaribus XVI. Germanicis esse æqualem. Porro diameter telluris censetur esse pedum Parisiensium 39391077. ex diametri ad peripheriam *ratione Metiana*, & hinc semidiametrum 19695539. pedum Paris. unde unus gradus continet 343752. ped. Paris. unum vero milliare Germanicum, decima quinta unius gradus pars, $22916\frac{1}{5}$ ped. Paris. Jam ad rem ipsam accedamus, oportet. C esto Nadir seu meditullium terræ. BC & DC sunto semidiametri telluris. BA esto altitudo montis; EA altitudo oculi a superficie terræ. Sit igitur EA longa 5. ped. Paris. pro altitudine loci, qui nondum $2\frac{1}{2}$. ulnarum longitudinem æquant, adeoque pro statura Mosis facilius contractiores quam largiores sunt. Ut igitur inveniamus distantiam DB, ad quam visus in superficie maris vel terræ pertingit, altitudo montis & oculi addatur semidiametro telluris BC, quæ est 19695539. quum proinde in triangulo A & ad D rectangulo latera AC & DC dentur, invenietur angulus DCA, quem metitur arcus DB, hoc modo per præcepta Trigonometrica, posito, montem Nebo fuisse altum uno milliari Germanico.

C A. 861. C D. 860 -- S. T. 100000000

$$\begin{array}{r} 100000000 \\ \underline{29344984} \\ 129344984 \\ \underline{29350031} \\ 99994953 \end{array}$$

Prodeunt hac ratione $87^\circ. 14'$. pro angulo A, quem si subtrahas a $89^\circ. 60'$. inde emergunt $2^\circ. 46'$. Sed unus gradus facit XV. mill. Germ. & quatuor minuta unum mill. Germ. ut ita ex Nebo ultra Dan prospectus patuerit per planitiem ad $42\frac{1}{2}$. mill. Germ. Si vero ritu altiorum montium Nebo eminuerit $\frac{1}{4}$. mill. Germ. & $\frac{1}{4}$. milliaris, quod 500. pedes Parisinos complectitur, ex inæqualitate [26] diametrorum terræ pro majori depressione ad polos addatur, prospectus tamen ultra 30. mill. patuit, adeoque ex Nebo, altissimo vertice, licet claritas radiorum sensim decreverit, adjuta tamen ope refractionis vernalis Mosi, autumnalis Christo, tum tractus & oppidum Dan adtingi visu potuit. Data igitur distantia DB ex Nebo in Dan XXIV. mill. Germ. ad quam objectum majus videri debebat, inveniemus altitudinem ejus AB, ut adpareat, tantam altitudinem, quam monti Nebo dedi, non requiri ad prospiciendum in Dan usque. Ut hoc fiat, distantia DB convertitur in gradus, nempe hoc loco $1^\circ. 36'$. ita enim innotescit angulus C. A Secante porro hujus anguli AC subtrahitur *sinus totus* BC 10000000. ut relinquatur AB in istiusmodi particulis, quales BC continet 10000000. Infertur tandem: Ut 10000000. ad mensuram ipsius AB in particulis istiusmodi, ita semidiameter telluris BC 19695539 ad valorem altitudinis AB in mensura pedum Parisinorum. En operationem ipsam:

$$\begin{array}{rcl} 10000000. & 1003900 & - \; 19695539 \\ & \underline{1000000} & \underline{3900} \\ & 3900 & 17725985100 \\ & & \underline{59086617} \\ & & 76812602100 \;\; (\,7681. \\ & & xxxx0000000 \;\; (\;\; \text{i. e.} \end{array}$$

$\frac{1}{4}$. mill. Germ. & 1827. ped. Paris. Debuit igitur Nebo altus esse 7681. pedibus Parisinis & non dum dimidio milliari Germanico. Ut vero littora maris magni ad occasum posita ex Nebo adtingi visu possint, 3413. ped. Paris. i. e. paullulum ultra $\frac{1}{8}$. mill. Germ. mons Nebo seu potius oculus spectatoris a superficie terræ elatus esse debuit. Possem ex depressione veræ lineæ horizontalis, qualem Ricciolus suppeditavit, idem comprobare, nisi hæc in præsens sufficere possent.

§. 7. Addenda sunt ipsa loca, quæ uterque & Christus & Moses eminus conspicatus est. Moses ex Nebo perspiciebat omnem Gileaditidem, ad Dan usque, circa fontes Jordanis, omnem Naphthalitidem, Ephraimitida & Manassida, & omnem Ju-

Judæam ad mare uſque mediterraneum, auſtralem plagam & tractum urbis vel potius vallis Hierichuntinæ, [27] *urbem palmarum*, quæ erat *Engedi* [28] non vero ipſa Jericho, ut quidem falſo ſtatuitur, uſque ad *Zearam* in finibus lacus ſalſi auſtralibus Deut. XXXIV. *6.* Situs urbis Engedi recte in veterem locum, unde eum Relandus turbaverat, non debite capiens Joſephum *Ant.* IX. I. nec reſpiciens ad 2. Chron. XXI. 2. ſeqq., reſtituit Jeremias Philadelphus. [29] Chriſtus vero vidit πάσας βασιλείας τȣ κόσμȣ כל מלכות העולם *omnia regna* illius *orbis* i. e. Palæſtinæ, videlicet regnum Philippi in Trachonitide, qui tum vivebat Luc. IV. I. regnum Antipæ in Galilæa cis oppidum Dan, regnum Archelai per Judæam & Samariam, cui paullo ante præſides erant ſubmiſſi in exilium miſſo, regnum Nabatæum, cujus regio erat Petra haud procul a Kades, Aretæ III. qui Herodem tetrarcham aliquando vicerat [30] & Damaſcum per præfectum regebat, [31] aliquas etiam urbes Judaicas tenens. Si quis per *mundum* noluerit Palæſtinam intelligi, ei adverſabuntur multa, primo οἰκουμένην ſæpius notare Palæſtinam, [32] deinceps nullo in loco Sphæricam tellurem oculis ſimul uſurpari poſſe, & in montem adſcenſum eſſe, ut inde oculis, non ſolo animo proſpiceretur, quantum acies oculorum & terræ figura ferebant. Deus vero nos deducat in æternam ſedem promiſſam, quam nunc fide ſublati eminus proſpicimus. Deus eſto oculi noſtri meta & finis, ne diabolo ſuccumbamus.

1 Plinius L. VI. c. 28. Petram tradit abeſſe a Gaza DC. mill. paſſ. a ſinu Perſico CXXXV. mill. Cellarius in *Notitia orbis antiqui* T. II. p. 418. & Relandus *Paleſt.* L. III. p. *632.* numeros eſſe permutatos credunt. At priori loco mihi LX. reſcribendum videtur, quia Petra in vicinia Kadeſæ & montis Hor, inter Phunon & Zoaram fuit ſita, docentibus Euſebio & Hieron. in finibus auſtralibus Judææ, teſte Hegeſippo *de excidio urbis Hieroſ.* L. I. c. 14. Ex hac ratione inter Nebo & Petram recta interjacent 1. gr. 42. min. Rem alibi fuſius oſtendam.

2 Hæc ſingula fuſius demonſtrabo in *Geographia Pentateuchi* Sect. II.

3 In Diſſ. de *mente humana* Groningæ 1726. in 12. Sect. III. §. 51. p. 253. ſeqq.

4 *Ant.* L. IV. c. 7.

5 Jo. *Seldenus* de *DIS Syris Synt.* II. c. 12.

6 *Dyn.* IV. p. 73. *Arab.* 47. *Lat.*

7 Th. *Stanlejus* de Philoſ. Chald. Sect. II. c. 20. p. 1138. ed. Lipſ. *Hiſt. Philoſ.*

8 Idem c. 17. l. c. p. 1139. &c. p. 83.

9 Diod. Sic. L. II.

10 T. IV. de locis Hebr. Hebr. fol. 126. 1. ed. Froben. Baſil. 1516. fol.

11 Negat id quidem *Maundrellus* in *Itinere ſuo in Palæſtinam* p. 114. addens, Jordanem admodum LX. pedes eſſe latum, ſed id de uno loco tradit & de tempore XIII. Mart. unde res ipſa non negatur.

12 Petrus della *Valle in Hodoeporetico* verſ. Germ. Pars I. p. 153. *ed. Genev.* 1674. fol. Joh. Lightfootus in *Diſquiſ. chorographica Joanni præmiſſa* c. I. §. 5. p. 914. ed. Carpzov. Bethabara juxta & prope trajectum Scythopolitanum locat. At 1.) Trajectus celebris & frequentiſſimus erat adverſus Jerichuntem 2. Sam. XIX. 18. 2. Reg. II. 8. Ergo tranſitus ille tanquam potior illico menti ſeſe ingerit. 2.) Ex Jud. VII. 24. liquet, quod Ephraimitæ montani Midianitis occurrere debuerint & occupare aquas uſque Bethbarah & Jordanem (i. e. Jordanem ad Bethbarah, *locum tranſitus.*) At Midianitarum via per trajectum inſtituebatur Hierichuntinum, uti ex ſitu regionis illorum facile pateſcit.

13 Petr. della Valle l. c. H. Maundrellus, in ganz neuer Reiſe-Beſchreibung nach dem gelobten Lande verſ. Germ. 1706. 8. Hamburg. p. 109. Voyage de Mr. de Thevenot *de Levant* en P. I. L. II. c. 41. p. 615. *Nous partimes du camp ſur les dix heures du matin, pour aller a la dite montagne de la Quarantaine elogne de la ville de Jerico d'une lieue* [francoiſe] *elle eſt ainſi dite, a cauſe que Notre Seigneur au ſortir du Jordain y alla paſſer quarante jours & quarante nuits ſans boire n'y manger: elle n'eſt pas tant difficile a monter, que quelques uns ont voulu dire, ſi non en quelques endroits, qui ſont tout-a-fait perilleux, car il faut s'agripper des pies & des mains a la roche, qui eſt liſſee comme du marbre, & quand nous y paſſames, il pleuvoit, ce qui la rendit encore plus gliſſante, mais on s'aide les uns les autres. Nous vinmes au lieu ou notre Seigneur juna quarante jours, c'eſt une grotte -- Il y en eut quelques uns de notre compagnie, qui monterent tout au haut de la montagne, au lieu ou le diable porta N. Seigneur -- Il y a des paſſages ſi perilleux, que le danger y eſt tres-grand, n'aians pas deux pies de large, avec un grand precipice a cote.*

14 Vir Celeber. Theodorus HASÆUS in *Bibl. Bremenſi Claſſ.* 1. *Faſc.* 2. pag. 123. ſqq. Jo. Lightfoot in *Centuria Chorographica Matthæo præmiſſa* c. II. pag. 25. ſqq. & ad Matth. II. 1. pag. 210. ſq. *ed. Carpzov.*

15 Maundrell. I. c. p. 89.

16 Eam enim θηρίον notat Act. XXVIII. 4. & apud medicos Græcos, unde θηριακὰ dicuntur remedia ex venenatis beſtiis parata.

17 Thevenot dans Voyage de Levant L. II. c. 41. p. 614. 615. ed. Paris 1689. 8.

18 I. c. p. 615. 616. *Il y a tout au haut encore quelques veſtes d'un ancien Convent, qui y etoit autrefois.*

19 Jam enim nullus opobalſami frutex ipſe eſt reliquus, teſte della Valle l. c. p. 153. Nam Judæi eum ſub Tito vaſtarunt. Plinius L. XII. c. 25. *Sævire in eamdem Judæi, ſicut in vitam ſuam. Contra defendere Romani, & dimicatum pro frutice eſt.* Romani eum tranſtulerunt in Aegyptiorum maritimam teſte Strabone. L. XVII. T. II. p. 601. unde Turci jam illius fructum ſeu ſuccum potius divendunt, autore A. Gislenio *Busbequio* Ep. legat. IV. p. 359. 390. ed. Amſtelod. 1660. 12.

20 Oſtendi vocem נב & נה habere ſignificationem *altitudinis* & *eminentiæ* Cl. VI. Faſc. V. diſſ. 7. §. *6.* Quidni & hinc ἔτυμον nominis Nebo petendum eſt? Hinc & videtur arceſſenda origo vocis נביאים, qua primum viros dignitate, & virtute eminentes indicarunt; Ubi eo ſenſu videtur dictus Abrahamus Gen. XX. 7. & omnes Patriarchæ, Pſ. CV. 14. 15. ubi regibus æquiparantur. Deinde autem ad prophetas, & amicos Dei translata eſt. T. d. H.

21 Joh. Lightfoot in *Horis ad* Marc. IX. 2. p. 624. ſq. *ed. Carpz.* Hadr. Relandus *Palæſtinæ* L. I. c. 51. p. 334. 336.

22 *Hiſt. Nat.* L. V. c. 22. conf. Solinus c. 49.

23 Dans *Hiſtoire phyſique de la mer* & inde *Acta Erud. Germ.* P. CXIV. Art. I. p. 367.

24 Conf. Scheuchzeri *Phyſicæ* P. II. c. *6.* §. 13. præcipue c. 14. §. 12. p. 114. ſqq. *Hiſtoire de l'Academie Royale* 1701. p. 180. Villemont *Syſt. des Planetes* p. 186. Nevuton *in Philoſ. nat. Princ. Math.* L. III. p. 378. ſqq. ed. Amſtelod. 1723. 4. Hugenius dans *diſcours ſur la cauſe de la peſanteur* p. 113. ſqq. Celeb. Chriſt. Wolfius *Phyſ. Dogmat.* P. III. c. 1. §. 182. & ejus interpres Cl. Ludov. Philip. Thummigius in *Inſtit. Philoſ. Nat.* P. III. c. 1. §. 117.

25 Si diameter terræ media tenet 19615800. ped. Paris. ſeu 3923. mill. quorum ſingula 5000. pedes æquat, terra ad Aequatorem 85200. pedibus vel 17. ejuſmo-

ejuſmodi milliaribus altior eſt quam a Polo uno ad alterum. Scheuchzer l. c. p. 115. Ergo per intervallum curvæ a Nebo ad Dan, intra quod vera linea horizontalis ad quinque ulnas depreſſa fuit, linea recta procurrit ad minimum mill. Germ. 26. in quibus methodo Scheuchzeriana tellus 1287. ped. Paris. & $\frac{39}{43}$ depreſſior eſt, quem ſi eſſet terra exacte ſphærica.

26 Nam ſi ad gradum latitudinis 45. ex altera terræ ſuperficie jam defecit illa major Aequatoris ſemidiameter ad $4\frac{1}{4}$. mill. quorum ſingula ſunt 5000. pedum, quæ ſub Aequatore erat $8\frac{1}{2}$. ergo intra 30. milliaria ejuſmodi ſeu 2. gradus deficit $\frac{1}{4}$. mill. illius, hoc eſt, itidem in intervallo, quod montem Dan a Nebo dirimit.

27 In *Geographia reformata* L. VI. c. 22. Probl. 3. p. 217. & c. 25. Prop. 2. p. 225.

28 Quam *Jerico* & *Arco* vocant Strabo L. XVI. p. 525. Plinius L. XII. c. 25. Solinus c. 38. Juſtinus L. XXXVI. 3. Salmaſius in *Exerc. Plinianis* p. 583. Petrus della Valle l. c. p. 153.

29 2. Chron. XX. 2. Ez. XLVII. 19. Joſeph, *Ant.* IX. 1. Hieronymus T. IV. f. 94. D. *ed. Froben.*

30 In *Bibl. Brem.* Cl. VIII. Faſc. I. Art. I. §. 17.

31 Joſ. *Ant.* XVIII. 7.

32 2. Cor. XI. 32.

33 Sal. Glaſſius in *Rhetorica ſacra Tract.* I. c. 26. p. 451. ſeu edit. Amſtelod. p. 923. conf. Rom. IV. 13. & Targum in Num. XXIII. 13.



ISE-



ISEBRANDI EILARDI HARKENROTHII,

PERICULUM CRITICUM,

QUO

ΛΕΒΗΔΩΝ *HESYCHII*, *aliaque ejus depravata loca explicantur*.

§. I.

Quamvis ſummi Viri certatim HESYCHIO, optimo Grammatico Græco, medicas contulerint manus ope Divæ Critices, extant tamen in illo adhuc loca plura vel intacta vel deſperata iis, quæ inter duo ſelegit THEODORUS HASÆUS, cujus verba, quæ Claſſ. VII. Faſc. II. Bibliothecæ Brem. annexa ſunt, adſcribere non gravabor. „ Locum quendam Arabiæ, ita deſcribit *Heſychius*; Λεβίδων, „ τόπος, ἐν ᾧ ἐθυσίαζον οἱ κατὰ τὴν Λιβαδήσιαν Ἀραβίαν Μωαβίτην. Ita vulgo legitur. At hæc corrigenda dicas ex „ *Gloſſario* MS. quod ſub ſub *Cyrilli* nomine in *Bibliotheca* publica *Bremenſi* exſtat. Ubi ita ſcriptum eſt. Λεβήδων, τόπος ἐν ᾧ ἐθυσίαζον οἱ κατὰ τὴν Λιβαάνησιαν „ Ἀραβίαν Μωαβῖται. Cui etiam conveniunt Lexicon MS. *Cyrilli* Baroccianum, „ quod *Oxonii* in *Bodlejana* aſſervatur, & *Phavorinus*, niſi quod apud hos exigua „ variatione pro Ἀραβίαν legitur Ἀῤῥαβίαν. *Heſychius* paulo ante locum adductum „ hæc quoque habet; Λεβήδων, τόπος τῶν Λευίτων ἔνθα ἐθυσίαζον. Cum nuſquam „ apud Geographos Veteres illius loci Λεβήδων dicti invenire potui veſtigia, haud „ exiguam a me inibit gratiam, plura me de illo, & ſimul, qui per illos *Heſychio* memoratos Λευίτας intelligendi ſint, docere placuerit.

§. 2. Præoccupent animum noſtrum hæ ὑπολήψεις (I.) quod ſi vel ipſo ſolis curru luſtraret quis totum terrarum orbem, vel (ut ajunt) alatis draconibus cum Triptolemo per omnes gentes circumferretur, nullum inveniri poſſe Λεβήδων τόπον, nec uſquam terrarum fuiſſe. Non enim huc pertinet *Lebedos* Joniæ Urbs *Herodoto*, aliiſque memorata. (II.) Quemlibet ſcriptorem, etiam *Heſychium*, eſſe verborum ſuorum optimum Interpretem, foret adeoque ſupravacaneum aliorum operas ſollicitare, cum ipſe Grammaticus idoneam adminiſtret. (III.) Literas majuſculas Λ & Δ ſæpius incuria oſcitantis vel nimium feſtinantis Librarii eſſe in textu *Heſychii* vitioſe mutatas, vel quandoque in quibuſdam Codd. exeſas, injuria temporis: deinde amanuenſem, ex ore dictantis qui excepit, pronunciationem ε & αι

αι affinem Alexandrinis quandoque fefelliffe. Videbuntur in Criticis verfatiori ne quidem hæc præmonenda, cum toto & omni die exempla occurrant, quæ ita fuadent fentire, e re tamen mea fore duxi animum Lectoris hifce præoccupare, ne in fequentibus iis preffius inhærendum effet.

§. 3. Jam ex ordine quæfiti præfcripto inftituam facere periculum tractaturus *primum* illum locum, ΛΕΒΙΔΟΝ dicitur *locus*, *in quo Moabitæ facrificarunt*; quippe pro Μωαβίτην, in *Edit.* vitiofe quod habetur, etiam dudum ὁ Πάνυ *Salmafius* Μωαβῖται legendum cenfuit, cum quo fentio, accedente adhuc auctoritate *Gloffarii* MS. in *Bibliotheca* publica *Bremenfi* & *Lexici* MS. CYRILLI in *Bodlejana* ac *Phavorini* reftituendum *Hefychio* noftro Μωαβῖται quifque videt. Statim in Moabitide hunc locum quæfivi, fubiit enim animum meum conjectura, fuiffe in eo fedem religionis Moabitarum avitæ & aram pofitam, in quo gens hæc Diis fuis facra rite faciebat olim, fluctuabat animus mihi, confulebam Grammaticum, fere præftrinxiffent oculos meos illa *Hefychii*, ΜΩΑΒ ΛΕΒΗΣ ΤΗΣ ΕΛΠΙΔΟΣ ὅλων ἐθνῶν τὸ σύστημα διὰ τῆς τοῦ Μωὰβ προσηγορίας αἰνίττεται· θυσία ἀληθινὴ, τῷ πυρὶ τοῦ θείου πνεύματος θερμαινομένη. Non dubitabam, quin Grammaticus in animo habuerit illa Poetæ facri, juxta verfionem τῶν ὁ Pf. LX. 10. CVIII. 9. מואב סיר רחצי Μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου nimirum Græci Interpretes verbum *fpei* cenfuerunt τὸ רחץ, prout adhibetur *Dan.* III. 28. & a Chaldæo Paraphrafte pro בטח & חסה, quod Philologi dudum monuere, hærebam autem de iis, quæ fequuntur θυσία ἀληθινὴ &c. nec hactenus fum affecutus, aliquando inciderat hæc conjectura ad hunc noftrum locum, quem tractamus, pertinere & pro ΛΕΒΗ ΔΩΝ effe reftituendum Grammatico ΛΕΒΗΣ ΜΩΑΒ, non poteram fenfu commodo explicare, adeoque rejeci illam, nec me hactenus pœnituit jacturæ.

§. 4. Deinde ex certioribus prædicatis cum fit hujus loci notitia verior petenda, quæfivi in Moabitide & ubinam facra fecerint Moabitæ, fuæque religionis pofuerint fedem, fuggerebat ipfe *Hefychius* locum, quem producam ΔΕΗΒΩΝ ῥύσις ἑρμηνεύεται· ἔστι δὲ τόπος ἔνθα ἵδρυται ἱερὸν Μωαβιτῶν, non Μωαβιτῶν ut in *Edit.* vitiofe legitur. *Sopongius*, Vir fane eruditus, fcribendum ΔΕΙΒΩΝ cenfuit & hujus fieri mentionem. *Num.* XXXII. 3. monuit, fed quid ῥύσις? interrogat. An a דאב vel potius דב pro זב ut vult *Coccejus*, notante *Schrevellio*. Nondum huic immorabor, potius quæ è re mea forent, monebo. Intelligimus jam Templum Moabitarum fuiffo in Δεηβὼν vel Δειβὼν ex mente *Sopingii*. Unde autem *Hefychius* haufèrit Templum Moabitis facra facturis fuiffe in *Dibone* vel apud hanc urbem, inquiramus.

§. 5. Urbes a Rubenitis & Gaditis occupata Cananæa poffeffas & inhabitatas in regione Transjardenenfi fuiffe olim Moabiticas, non attinet dicere, quia notiffimum. Sollicitabam operas *Eufebii* & *Hieronymi*, qui Vifione contra Moabitida *Jefaiæ* & *Hieremiæ* memorari Urbem hanc auctores fuere. Vide *Jer.* XLVIII. 22. & *Jef.* XV. 2. Pofterior citatus Vir Divinus declamat fententiam gravem Dei prolatam de Moabo & hujus regione, incolis & Urbibus fingulari judicio tremendo affligendis, quam hifce orditur. *Omnino noctu vaftatus eft Ar Moabi, excifus eft. Certe noctu vaftatus eft Kir Moabi, excifus eft. Afcendit* הבירת ודיבון הבמורת *in Templum & Dibon & ad excelfa*, vel *aras*. (Omnis enim *ara* vel facra domus ædificata Deo alicui Gentium Mundi במה fæpius dicitur ex obfervatione plurimorum Eruditorum Virorum, cui non habeo quod addam.) Græci Interpretes vertunt ἀπολεῖται γὰρ καὶ Δηβὼν, οὗ ὁ βωμὸς ὑμῶν. Citante Summo Viro *Job. Seldeno* de *Dis Syris* Syntagm. II. cap. 12. p. m. 265. LXX. Seniores Νεβων pro Δηβών. Omnino recte Δεβων legendum conjecit & *Nebo* in hac urbe fuiffe cultum numen videbatur ipfi, cui non adfentior, quippe *Camofch* folem Moabitæ fummum Numen divino honore fuerunt profecuti. Jam fumus affecuti, unde defumferit Grammaticus in ΔΕΗΒΩΝ quod in ea fanum Moabitarum fuiffe referat.

§. 6. Jam verum hujufce Urbis fitum definire deberem, fi poffem, nec fubterfugio aliorum judicia æqua & recta, modo liceret hifce, quæ autem de fitu hujus notata monebo, ubi evicero *Dibon* & *Dibon Gad* Mofi *Num.* XXXII. 3. 34. XXXIII. 46. eandem effe urbem, vel villam, hoc fenfu, ut ftatio caftrametantis Ifraelis ad *Dibon* vel *Dibon-Gad* fuiffe probetur, tam liquido, prout dabitur ex monumentis Hiftoriæ Sacræ, non enim alicujus animum deberet fufpenfum tenere auctoritas *Eufebii* & ex eo *Hieronymi*, horum enim fides omnino laborare debet, quando major & dignior obftat Hiftoriæ Sacræ: deinde dubium mihi non adeo Canaanæam urbibus & villis frequentem fuiffe, ac conftans fert fummorum Geographiæ facræ peritorum & de ea illuftranda bene meritorum, quamvis Magni Nominis Virorum, traditio, perfuafi, cujus rationem unam exponat hoc leve fpecimen. *Dibon* ad urbes

bes Rubenitarum & Gaditarum regionis relata, inter *Ataroth* & *Jazer* Mosi memoratur. *Num.* XXXII. 3. jungitur huic *Dibon* במות בעל ובית בעל מעון *& excelsa* Aræ *Baalis & Templum Baalis Maon* vel *Meon* [conf. *Jes.* XV. 2.] *Jos.* XIII. 8. hæc autem a Gaditis condita ac possessa. *Num.* XXXII. 34. adsciscit nomen *Gad* & cognominatur *Dibon-Gad*. XXXIII. 46. quamvis per πρόληψιν sic dicta censeri debeat, sita inter עיי העברים *tumulos* Abarim *finium* & עלמן דבלתים *Almon Diblathaim*. vs. 46. (quasi *manipulus palatharum*) erat autem locus stationis עיי העברים *tumuli Abarim* in limite Moabitidos versus aquilonem, *Dibon Gad* in confinio regionis Rubeniticæ & Gaditicæ sita censeatur, nec erit, quod impediet. Obiter observandum duxi ad locum *Jes.* XV. 7. ubi describit Vates singulare Dei judicium exequendum erga Moabitas, *Ideo divitias* quas quisque *lucratus est & substantias illarum* על נחל הערבים *in vallem Arabim* portabunt, novi quid Interpretes & non ita pridem ὁ Πάνυ VITRINGA P. ad *h. l.* fuerit commentatus, an obstaret quidpiam, si conjecerim perinde ערבים & עברים indicare, ut intelligi deberet *vallis finium*, in tumulis Abarim? sola μετάθεσις literarum ר & ב non poterit impedire ac 2. *Sam.* XV. 28. XVII. 16. scribitur בעברות המדבר legitur בערבות nec infrequens venit hæc literarum μετάθεσις in nominibus urbium & locorum propriis, & omnino observari debet, conducit enim Topographiæ Sacræ illustrandæ, cujus unum alterumve exemplum satis luculentum ὡς ἐν παρόδῳ promam. Memoratur Josua, sepultus XXIV. 39. *in termino possessionis ejus* (conf. XIX. 50.) בתמנת סרח *in* Thimnath Serach, *quæ est in montano Ephraim*. Verum in Libro *Judicum* II. 9. בתמנה חרס *in* Timnath-Cheres *in montano Ephraim tumulo* conditus refertur. Observes in nomine hujus urbis proprio transpositas literas סרח & חרס, eadem urbis *Thimnath Serach* & *Thimnath Cheres*; nec potest quis in eo hærere. Huic liquido satis jungam aliud, quamvis non adeo obvium. *Gen.* X. 19. limites terræ, quam Canaanis filii & nepotes indigenæ possederunt, describuntur, hisce, *Et fuit terminus Canaanæorum a Tzidon dum venis Gerarah usque ad Azah, dum tendis Sodomah & Gomorrah & Adamah & Tzeboim* עד לשע *usque ad Lascha*. ΛΑΣΑ *Eusebio* [non Λασὼν ut legitur in *Edit.*] ὅρων τῶν χαναναίων περὶ τὴν Σοδομῖτιν ut recte emendavit Celeb. *Clericus*, qui de urbe hac sententiam dixit. *Quæst.* Hieronym. III. §. 16. Fallitur autem *Hieronymus*, cui *LASA*, *terminus Chananæorum circa Sidonem* dicitur. Sed *Sodomam* substitui debere, nos monuit Vir summus HADR. RELANDUS *Palæstin. Illustrat.* Lib. III. p. m. 871. ש & ס cum sint literæ ejusdem organi, quid impediet סלע *Petram* intelligere sitam in extremo limite australi regionis tribus Judæ post divisam terram. *Jud.* I. 36. 2. *Reg.* XIV. 7. & quidem in valle, quam lacus Asphaltites alluit.

§. 7. Sita autem hæc *Dibon*, *Dimon*, *Dibon-Gad* in campestri regione fuit. *Jos.* XIII. 9. non ita procul fluvio Arnone & urbe Chesbone ad euronotum, nimirum Chesbon ab Imoræis occupata & vastata ad *Dibonem* refertur. *Num* XXI. 30. quem situm ubi mecum revolvo, vix me abstinere possum, quin credam לדבר *Lidbir* dictam *Jos.* XIII. 26. fuisse eandem urbem, vel huic proxime vicinam, peritiores, si velint, inquirant, jam *Dibon* & *Beth-Baal* [Templum Baalis] & *Bamoth-Baal* (Aræ-Baalis) non adeo longe invicem distitisse credas velim. Novimus olim Deo Tutelari & Domestico Populi vel Urbis ad portam Templum & Aras positas perhiberi possim, ut se hujus Numinis favore & præsidio tutos fore cives persuaserint. Ut autem uno exemplo probetur, promam illud, quod liquidum satis ex Libro *Judicum* VI. in Historia notabili illustris Gideonis, cui urbs natalis עפרם *Ophrah* [1] in Menassitide. vs. 11. VIII. 27. extra hujus Urbis portam extructa Baali, Deo Tutelari, Ara luco circumsepta. *Jud.* VI. 25. 28. 30. avitæ religionis sedes. Jam *Dibon*, *Bamoth-Baal*, *Beth-Baal Meon* (*Jos.* XIII. 17.) seu *Beth-Meon* (*Jer.* XLVIII. 23.] *Baal-Meon* (*Jechezk.* XXV. 9.) urbes, villas contiguas, imo ad *Dibonem* pertinuisse crederem, fuisse in iis locum conventus Populi Moabitici, Camoscho Deo suo Tutelari (ut videtur) sacra facturi ritu solenni. Nec obstat singulas villas a *Dibone* diversas memorari & עיר urbem dici, quippe vel unum domi-

1 Hæc num adeo anxie veniat distinguenda ab illa Beniaminis valde dubito, quamvis summi Viri sic sentiant, ne autem quis absque idonea ratione me animum de ea suspensum tenere præsumeret, revolvat mecum, regionem dimidiæ Menassitidos fuisse in Ephraimitide, seu Ephraimitas e medio sortis Menassen suas occupasse urbes *Jos.* XVI. 9. adeoque unam regionem communem Ephraimitis & dimidiæ tribui Menasseh hæreditariam cessisse. XVI. 1. Jam hujus termini sigillatim descripti non extant, quantum scio, limitem vero australem regionis Ephraimitarum & dimidiæ Menasseh tribui communis incidisse in borealem tribus Benjaminis, a Jardene per aquas Hierichuntinas protensum versus *Bethel*, *Ataroth*, confinia *Beth-Choronis* inferioris & Gerer usque ad Mare Magnum patuisse legimus quibus contiguas *Haavvim*, *Happarah*, ועפרה & *Aphrah* seu *Ophrah* invenies in recensione urbium Benjaminiticarum. *Jos.* XVIII. 23. Viden' Benjaminitidos limitem borealem, Ephraimitidos & dimidiæ Menassitidos australem eundem, cur non & urbes in utriusque regionis limite easdem & עפרה *Aphrah Benjaminis & Ophrah* Menasseh eandem fuisse dicerem?

micilium, una casa in agro, vel cumulo aggestæ terræ vel sepe, distincto hoc nomine venit. Conf. *Gen.* IV. 17. 2. *Sam.* V. 7. Intelligimus igitur pro Λιβαδήσιαν penes *Hesychium* esse legendum Λιβανήσιαν Α'ραβίαν. Late quondam patebat Arabia, ex solo Grammatico nunc sapiam. ΑΡΑΒΙΑ, τόπος Συρίας & refert in ΣΤΡΙΟΙΣ ΚΤΒΟΙΣ Syriam λέγεσθαι γῆν τὴν ἀπὸ Φοινίκης μέχρι Βαβυλῶνος, regio ad ortum Jardenis tota ἐν πλάτει *Arabia* quondam dicebatur, ad Libanum protensa, Λιβανήσια cognominatur.

§. 8. Nunc restat alter locus penes Grammaticum ΛΕΒΗΔΩΝ τόπος τῶν Λευίτων ἔνθα ἐθυσίαζον pro Μωάβιτῶν in præced. hoc in loco Λευίτων legitur, per me si staret Λευίτων esse lectionem mendosam, restituendam *Hesychio* Μωαβιτῶν dicerem. Ubi autem quis dixerit, hoc modo nodum secari, non solvi, nec videri Grammaticum haud multo postquam de loco quodam mentionem fecerat, statim de eo ipso expositionem iteraturum, quod si semel duntaxat fecisset in ΛΕΒΗΔΩΝ rem acu tetigissem, qui autem *Hesychium* consuluerit, inveniet in *Glossario* sæpius repetitas interpretationes, vel bis quandoque verba vel nomina explicasse, non igitur in eo erit, quod remorabitur, num autem nimis severus in hoc restituendo Criticus videar, hæreo, non quod diffidam iis, quæ jam explicando & emendando loco huic hactenus sufficere putavi, sed quia ipse, in Criticis imperitior, non impetrare a me possum ut tam rigidum agam censorem, hæc autem mendo suo purgari non potuit alia opera, ac illa, nisi exercitatior suam adhiberet, qui nostram respuit, non erubescam nostras vires periclitari.

§. 9. Unde ΛΕΒΗΔΩΝ? si *Dibon* huc pertinet, ex ΔΑΙΒΗΔΩΝ. (Vide quæ anticipavi §. 3.) ita enim legebatur in MS. *Alexandrino* Versionis *Græcæ* LXX. Viralis. *Jes.* XV. 2. in quo κὴ Δηβὼν videtur coaluisse. Nec adeo alienum cuipiam in criticis versato videbitur Δ exesa basi Λ referre, ΑΙ & Ε *Alexandrinos* eodem fere sono pronunciasse, ac Η & Ι quondam Græcos accepimus. Sic ex ΔΑΙΒΗΔΩΝ tandem post multas Librariorum curas erupit ΛΕΒΙΔΩΝ, vel ΛΕΒΗΔΩΝ.

§. 10. Merentur adhuc loca quædam ex Grammatici optimi Lexico sub incudem revocari, spectantia Τοπογραφίαν Sacram. ΓΑΛΑΑΔ παλαιῶν ὄνομα, ἢ μέτοχος. Notavit in calce Libri, quo usus fuit Vir summus *Jac.* RHENFERDIUS. „Hic „Oedipo opus erit, ad divinandum sensum interpretationis. Sed quid si saltem „pro postremo legas μάρτυρος? Quid si πόλεως ὄνομα? Optime ἐμοίγι κεῖτη conjecit. Non enim toto cœlo ΠΟΛΕΩΣ quis dixerit distare a vitiosa in *Editis* ΠΑΛΑΙΩΝ, nec ΜΕΤΟΧΟΣ. recepta quamvis lectio restituenda potius ΜΑΡΤΤΣ, si quid judico. Γαλαάδ urbs memoratur *Eusebio* in tractu montano Libani, quam Galaad filius Machir nepos Menasseh ab Emoræo captam tenuit. *Hieronymo* citatur *Jer.* XXII. 6. Γαλαάδ σύ μοι ἀρχὴ τοῦ Λιβάνου. Si Deus vitam mihi dederit & vires distinctius de urbe hac ad *Eusebium* differam. Subiit animum meum conjectura *Hesychium* respexisse *Hos.* XII. 11. Græcæ Versionis, ubi Γαλαάδ גלעד memoratur, & statim fit mentio *Galgalis*, sic penes nostrum sequitur mox.

ΓΑΛΑΛΑ, πόλις ἔθνων. Α'γάλαλα περὶ χελίδων nimis remotum videbitur, itaque emendes titulum cum *Sopingio*, qui sæpius in emendando textu Grammatici hujus feliciter versatus est, ΓΑΛΓΑΛΑ qui porro legendum conjecit πόλις ἐν ἧ ἔθυον. Legitur *Hos.* XII. 11. ἐν Γαλγάλοις (juxta MS. Cod. *Barberini* & Edit. *Aldinam*) ἄρχοντες θυσιάζοντες. De hac autem Versione nihil addam, in Hebr. בגלגל שורים זבחו *in Galgal boves immoiarunt.*

ΜΩΑΒ ΛΕΒΗΣ ΤΗΣ ΕΛΠΙΔΟΣ ὅλων ἐθνῶν τὸ σύσημα διὰ τῆς τοῦ Μωάβ προσηγορίας αἰνίττεται. Vide supra §. 3. sed de hisce quæ sequuntur, θυσία ἀληθινή, τῷ πυρὶ τοῦ θείου πνεύματος θερμαινομένη, adhuc nihil ausim definire, nisi per conjecturam, mihi autem nunc perinde est, sive a manu *Hesychii* hæc profecta dixeris, sive ex Lexico quodam Vetustissimo *Origenis* inserta, sed quid hæc ad hunc titulum? Venit inmentem mihi צרק & ἀλήθειαν invicem quandoque juxta Versionem LXX. Seniorum respondere. Esset Θυσία ἀληθινὴ זבח צדק sic זבחי צדק Θυσίαι δικαιοσύνης memorantur. *Deut.* XXXIII. 19. *Ps.* IV. 6. LI. 20.

ΣΕΔΕΚ πόλις Μωαβιτῶν, ἑρμηνεύεται δὲ μελέτησις. Cl. *Rhenferdius* notavit in calce libri, quo usus fuit. „*Sopingius* recte quidem pro πόα legendum monet πόλις. „Sed quid Σεδεκ? an forte Σέθεμ? Certe mox sequitur Α'σέδεκ ficta interpretibus Græcis *Jes.* XIX. 8. urbe in Ægypto cogitasse, sic Α excidisset, & porro legeres πόλις Α'ιγύπτου. Quamvis nihil definiam nemo tamen regerat, qui Σεδεκ - - - ἑρμηνεύεται μελέτησις, priusquam qui ΠΑΤΛΟΣ *Hesychio* θαυμαστὸς ἢ ἐκλεκτὸς σύμβολος dicatur vel dici possit, exposuerit & in eo forte hærebit. Sacrilegium duxerim supprimere conjecturam RHENFERDII. „Videtur respicere illud *Jes.* 9.

פלא

„ פלא יועץ . Sed hic loco motum est . Sed vide *Hieronymum* de *Nominibus Ebraicis*.

§. 12. Sunt autem adhuc loca plura , de quibus intactis exponant & Critici , si possint , quid sentiant , ΑΒΕΛΛΟΝ ταπεινόν . Videbatur ex *Abela vinearum* אבל כרמים Α᾽βέλα Α᾽μπέλων ortum traxisse , perinde ac ΑΒΙΛΛΙΟΝ οἶνον intelligerem vinum ex contiguo tractu urbis hujus , de qua consulantur , *Eusebius* & *Hieronymus* aliique . Etiam nomen hoc *Abel* in *Abel-Mea*, - *Mecholab*, - *Haschitsim* , unde derivaret RHENFERDIUS , legas in *Nott. Crit.* ad *Eusebium* &c. Opp. *Philol.* p. m. 813. Chaldæi autem אבל sæpe מישר *planitiem* reddunt . Sic Αβελλον ταπεινόν intelligimus , fuit & urbs *Abel* , quæ sita in planitie . 2. *Sam.* xx. 19. אבל בית מעכה 1. *Reg.* xv. 20. 2. *Sam.* xx. 14. nomen ex situ accepisse credatur.

ΑΔΑ ἡδονή, πηγὴ καὶ ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥγα, παρὰ Τυρίοις δὲ ἡ Ἰτέα . Vide quæ dixi in *Dissert.* de *Ænon* prope *Salim* §. 6. inserta *Class.* vii. Fascic. ii. p. m. 354

ΑΖΩΤΟΣ ἔθνος Συρίας καὶ πόλις . Non poterit quis in eo hærere . Vide *Eusebium* & *Hieronymum* aliosque.

ΑΡΑΒΑ τόπος Συρίας καὶ κόσμος γυναικός . In *Editis* ΑΡΑΒΙΑ emendes ערבה (urbs tribus Benjamin. *Jos.* xviii. 18.) ΑΡΑΒΑ.

ΑΣΦΑΛΤΙΤΙΣ ἐρυθρὰ θάλαττα. Dicitur & *Epiphanio* Lib. ii. adv. *Hæreses* p. 397. & in *Anacephal*: p. x45. Quid si nomen *Epiphanii* exiderit , quem bis citavit *Hesychius* notante *Casaubono* ad *Athenæum* , quibus autem in locis fugiebat *Pricæum* , unum in Μνᾶ observavi.

ΒΑΣΑΝ αἰσχύνη ὅ ἐστι δρῦς . Non ΒΑΣΑΝ mox infra ΒΑCΑΝ αἰσχύνη . Referas ad בוש vel בש *pudore affici* . Deinde *quercus* in *Basan* memorantur *Jes.* ii. 13.

ΒΗΡΣΑΒΕΕ μύρῳ Σολομῶντος , καὶ τόπος περὶ τὴν ὀρεινὴν τῆς Παλαιστίνης . Quæ sequuntur in *Editis* cum *Fungero* , *Guieto* , *Meursio* , *Palmerio* referrem ad titulum proxime præcedentem . Pro μυρῳ legerent Μήτηρ , bene , sic *Bathsebah* mater Salomonis Βηθσαβεε in Cod. *Alex.* Græcæ Versionis Βηρσαβεὲ in *Vatic.* & Edit. *Complut.* dicitur . 2. *Sam.* xii. 24. De *Berseba* alibi sæpius legimus , nec huic inhærebo.

ΒΕΘΗΛΟΝ οἶκος Θεοῦ . Fere neglexissem , nisi quis mallet ΒΕΗΛΟΣ legere , quod mihi perinde.

ΓΑΔΕΙΡΩΝ χώρας ὄνομα . Videtur Γαδαρηνῶν γῆ adsita mari Tiberiados *Marc.* v. 1. e regione Galilææ intelligenda . *Luc.* viii. 26. quam terminat ab oriente , dicta an a Γαδαρα urbe ? an quid humani passus *Hesychius* dubitas ? Γάδαρα τὰ περιφράγματα. Φοίνικες. Grammaticus attendit Hebr. גדר.

ΓΑΛΙΛΑΙΑ κατακυλιστή . Originem a גלל petas , גלילא *tractatu suo convoluta* regio Galilæa *Reiskio* redditur.

ΓΕΝΝΗΣΑΡΕΤ πατρὶς ἀρχόντων, Sic pro ΓΕΝΝΙΣΑΡΕΤ legerem, ex *Matth.* xiv. 34. *Luc.* v. 1. vel ΓΕΝΗΣΑΡΕΤ . Intelligit etymon nominis proprii Maris & Regionis (גני סרים *hortorum Principum*) Genesar.

ΔΑΝ μακρὸν ἢ πολὺν χρόνον ἢ λεῖον καὶ χώρα περὶ Δαμασκὸν καὶ Σιδῶνα . Sic fidenter restituendum censui, pro ΔΑΝ μακρῶς ἢ πολὺν χρόνον ἤλειον καὶ &c. *Palmerius* jam μακρὸν legendum monuit , λεῖον *Hesychio* - - - ὁμαλόν.

ΕΛΕΑΛΗ Θεοῦ ἀνάβασις ἐν ὑπερηφανείᾳ . Acsi esset אל עלה memoratur אלעלה urbs condita a Rubenitis . *Num.* xxxii. 37. Vide *Eusebium* in ΕΛΕΑΛΕ.

ΕΣΕΒΩΝ διαλογισμὸς καὶ ποταμὸς Μωαβιτικῆς χωρεία ἄκαρπα . חשבון λογισμὸς *ratiocinium* , suadet etymon, sed pro ποταμὸς RELANDUS [Palæst. *Illustr.* Lib. iii. p. m. 719.] πόλις substitueret , quem consulas , non ego Summi Viri conjecturam adeo rejicio , sed monere debui laudatas piscinas Chesbonis . *Cant.* vii. 5. forte receptam lectionem posse tueri , qui volet & poterit , litem dirimat.

ΘΑΒΩΡ ὄρος Συρίας . Situm hujus montis investigavi in *Diss.* de *Monte Sublimi*, in quo *Christus* a *Diabolo tentatus* perhibetur. (insert. *Biblioth.* Brem. *Cl.* vi. *Fasc.* V. p. m. 975. & seqq.) §. 7. 10.

ΙΤΑΒΥΡΙΟΝ ὄρος ἔχον πηγὴν μίαν ὅθεν τὰ θήλεια πίνει , ἔστι δὲ ἐς τὴν Γαλιλαίαν ἐν Ἰουδαίᾳ. Non ΙΤΑΒΗΡΙΟΝ amplius ut recte monuit dudum *Sopingius* ex *Jerem.* xlvi. 18. *Hos.* v. 1. Græcæ Versionis , qui mons *Tabor* , an fons *Ada* ? inquiras.

ΙΔΟΥΜΑΙΑ τόπος , φησὶ γάρ , ἐπὶ τὴν Ἰδουμαίαν ἐκτενῶ τὸ ὑπόδημά μου . τουτέστιν ἐπὶ τὴν ἐκλέπτουσαν οἰκουμένην ποιήσομαι τὴν πορείαν . Respicit Versionem τῶν ὁ Ps. lx. 8. cviii. 9. quond moneo , quia aliis intactum.

ΚΑΠΕΡΝΑΟΥΜ χωρίον παρακλήσεως . כפר נחום situm urbis *Eusebius* & *Hieronymus* aliique definiunt . [1]

[1] Vide sodes dissert. nostram de *Naphthalitide* Apostolorum patria c. ii. §. 11. 12. T. d. H.

ΚΗΔΑΡ *πένθος*. Referrem ad קדר, lugentes atra induti veſte incedebant. Nomen regionis Arabiæ. *Cant.* I. 5. Jam ΛΙΒΑΝΟΣ ex conſilio prætermitterem, & ΚΑΔΗΣ *Heſychio* *ἁγιασμός*, קדש reſpicit, & quod hiſce præmiſiſſem, ſi voluiſſem ΙΟΠΠΑ *μισόδης*.

ΜΑΓΔΩΛΟΣ *οἰκοδόμημά τι.* מגדל *turris*. *Μαγδῶλος* quid *Herodoto*, an *Megiddo?*

ΜΑΜΡΗ *ἀπὸ ὁράσεως*. ממרא *Gen.* XIII. 18. XXXV. 27. ſic legerem, quamvis non reluctarer ſi quis ΜΑΜΒΡΗ, in *Editis* quod habetur, adeo tueri velit, quia *Joſepho Philoni*, *Epiphanio* adhibetur.

ΜΑΡΙΒΩΘ *ἀντιλογίαι*. Legerem non ΜΑΡΙΟΘ *ἀντιλογία*. Exiſtimem indigitaſſe Verſionem τῶν ό *Jechezk.* XLVII. 19. מריבות *Symmachus* *ἀντιλογίας* reddit, fide *Hieronymi*, qua fretus *Euſebium* emendarem in ΜΑΡΙΒΩΘ.

ΝΑΒΑΤ *ἐγκαθισμός*. Reſpicit *ἔτυμον* nominis proprii montis *Nebo*.

ΡΑΜΑ *ὑψηλή*. Sic רמה paſſim *Chaldæo*, LXX. Senioribus vertitur, Vide *Differt.* ad *Jer.* XXXI. 15.

ΣΑΤΤΙΝ *ὄνομα τόπου*. De quo ad *Euſebium* in *Σαττεῖν* vel ΣΑΤΤΙΝ differam diſtinctius & ΑΒΕΛΣΑΤΤΕΙΝ.

ΣΙΔΟΝΙΟΙ *Φοίνικες*. *καὶ οἱ τὴν ἐρυθρὰν οἰκοῦντες θάλασσαν*. Num Mare Mediterraneum Sidonem alluebat, & dictum eſt rubrum?


ΣΙΚΗΜΑ *ἡ Νέα πόλις ἡ ἀναβαίνουσα, ἤγουν ἡ ἐξ ἐθνῶν Ἐκκλησία*. An non ΣΙΚΙΜΑ? *Sichem* an non dicta *Νεάπολις*? num ne junctim ΣΙΚΙΜΑ *ἡ Νεάπολις* legeris. Vide præ aliis *Cellarium*, *Relandum*.

ΣΩΡΗΧ *ἐκλεκτή*. *Jeſ.* V. 22. שורק an nomen proprium loci tribus Dan, non ultra dimidium milliare a Valle Eſcol. *Jud.* XVI. 4. vel num appellativum? Conſulamus τοῦ *Πάνυ* *Bochartum* & C. VITRINGAM.

ΧΑΛΥΒΩΝΙΟΣ ΟΙΝΟΣ *εἶδος οἴνου ἀπὸ τόπου τινὸς τῆς Συρίας*. Videbatur ΟΙΝΟC titulo excidiſſe, quapropter reſtitutum volui: *Jechezk.* YXVII. 18. memoratur יין חלבון *οἶνος ἐκ χελβών*. Vinum hoc laudatur potui inſerviſſe Perſarum Regi *Poſidonio*, qui agrum Damaſcenum Syriæ vini hujus feracem prodidit, fide *Athenæi* Dipnoſoph. I. monitore *Sopingio*. Ex *Strabone*, *Suida*, *Euſtathio* plura notavit ὁ *Πάνυ* *Bochartus*, qui conſulatur.

ΩΒΩΜ *πόλις Μωαβιτῶν*. Sed qui in *Heſychii* Gloſſario evolvendo exercitatus cenſebit ΩΒΩΣ legendum, quippe ſupra ΕΒΩΒ *πόλις Μωαβιτῶν ἢ καὶ Ὠβώβ*. Per me ſi ſtaret ΩΒΩΘ in utroque loco ſcriberes, ſtatio caſtrametantis Populi Iſraelitici perhibetur. אבת *Ὠβώθ* *Num.* XXI. 10. XXXIII. 43. 44. Vide *Euſebium* & *Hieronymum*.





HIERONYMI VAN ALPHEN H. F.

DE

TERRA CHADRACH

ET

DAMASCO

EJUSQUIETE

ad locum ZACH. IX. I.

DISSERTATIO.

CAPUT PRIMUM.

PROLOGUS.

§. I. *Continet brevem introductionem , qua ostenditur , locum hunc Veteribus Cyrillo , Judæis , Hieronymo difficilem admodum visum fuisse . Quæstionesque simul proponuntur* . §. II. *Ordo , quo quæstiones hæ pertractabuntur , indicatur.*

§. I.



INter loca , quæ in verbo prophetico difficilia numerantur , hic Zachariæ , cui quautum poterimus , lucem affundere cupimus , merito refertur ab interpretibus . Et summo jure dixit Alexandriæ Archiepiscopus Cyrillus comment. in h. loc. Oper. tom. III pag. 729. Οὐκ ἄτραχυ μὲν τὸ προκείμενον δυσέφικτος δὲ κομιδῆ καὶ αὐτὴ τῶν λέξεων συνθήκη . πλὴν ὡς ἔνι λελέξεται πρὸς ὑμῶν τάγε μὴν ἐφ' οἷς εἰρῆσθαι ταῦτα νομίζομεν ἐικότως προσαγορεύειν ἀνάγκη . Νοηθάη γὰρ ἂν ὧδε καὶ μόλις τῆς προφητείας ὁ νοῦς . Interpres Cyrilli . *Locus salebrosus & verborum ista series difficilis ad iutelligendum , veruntamen , quantum in nobis est, eam enodabimus , porro explicandum prius de quibus ista dicta merito existimemus , sic enim & vix tamen vaticinii sensus liquebit* [1].

 Locum

Locum in primis difficillimum reddit vox חדרך nusquam alibi in Sacra Scriptura reperta, & vocabulo ארץ accentu copulativo proxime connexa, quo respectus duarum harum vocum ad se invicem exprimi videtur.

Alter nodus, qui solvendus est, in verbis * דמשק מנוחתו *Damascus requies ejus*, situs est; quæritur enim, cujus מנוחה *Requies*, Damascus hic & quo sensu vocetur, num *Jehovæ*, num *Verbi Jehovæ*, num τοῦ *Chadrach*, quod pronomini relativo proximum est. Hasce quæstiones in præsenti excurrere, & aliqua, si possimus luce circumfundere animus est.

Adsit nobis *τὸ ἐν Προφήταις πνεῦμα Ἰησοῦ Χριστοῦ*, ut, dum in scrutandis Scripturis Propheticis versamur, retectis oculis in verum sensum Spiritus Sancti in verbo Prophetico loquentis, penetremus [2]!

§. II.

Ut ordine decurrat hæc nostra disquisitio, Prima dissertationis pars de voce חדרך, altera de DAMASCO *hujus quiete* aget. Ad priorem quod attinet partem, sententias V. V. D. D. quæ ad notitiam nostram pervenerunt, proponemus & examinabimus, atque deinceps nostras circa hasce voces conjecturas modeste proponemus, quæ si non in omnibus subacti judicii lectoribus arrideant, philologorum conjecturis & juvenilibus Academicisque exercitiis accenseat benevolus Lector.

1 Hieronymus Op. T. V. p. 245. de posteriori Prophetiarum Zachariæ parte in prologo differens: *Ab obscuris*, inquit, *ad obscuriora transimus, & cum Moyse ingredimur in nubem & caliginem. Abyssus in voce Cataractarum DEI, & gyrans gyrando vadit Spiritus, & in circulos suos revertitur.*

* Per totam hanc dissertationem מנוחתו scriptum videas addito ו quamvis in textu originali scribatur מנחתו ne lector loco מנחה legat מנחה demtis enim punctis eædem sunt literæ, & varios antiquarum versionum auctores in errorem induxit hæc literarum utriusque vocis convenientia. Addita littera ו pro matre lectionis itaque habenda.

2 In hunc sane modum, & ipsi Judæi loquuntur, quando Zachariæ nodos solvere satagunt. ואין אנו יכוליך לעמוד על אמיתת פתרונו עד יבא מורה צדק *Nec possumus nos certi esse de vero sensu donec venerit DOCTOR JUSTITIAE*. Quæ Raschii verba ad Zach. sunt.

CAPUT II.

PROPONUNTUR VIRORUM DOCTORUM OPINIONES CIRCA QUÆSTIONES PROPOSITAS de voce חדרך, MISSIS ILLIS, QUÆ CONSIDERATIONEM NULLAM MERENTUR.

§. I. *Minoris momenti opiniones*, Hieronymi, Judæorum, aliorumque *recitantur & rejiciuntur*. §. II. *Sententia* Junii *&* Tremellii, Drusii, Grotii. Lud. de Dieu, Cocceji *tandem*, *eadem fere sentientium*, *proponitur*. §. III. *Aliæ virorum doctorum* Cyrilli, Theodoreti, Rabbi Jose, Adrichomii, Paraphrastis Chaldaici, Sam. Bocharti, Hilleri *opiniones producuntur*. §§. *sequentibus*. *Opiniones de posteriori quæstione*, DAMASCUM REQUIEM *spectantes*, *proponuntur*. §. V. Coccei *de pronomine relativo*, *&* aliorum, *tum de pronomine relativo* ו *EJUS*; *tum de phrasi QUIESCERE &* מנוחת יהוה *In specie* Cyrilli *exhibentur verba*. *Nec non* Drusii; Grotii, L. de Dieu, *&* Munsteri *opiniones*.

§. I.

Antequam autem ad accuratius pensitandas varias V. V. D. D. opiniones accedamus, missas volumus futiles, frivolasque Judæorum pariter ac Christianorum, Patrum inprimis, circa hunc locum conjecturas, huc refero *Judæis* valde receptam opinionem, *Hieronymo* quoque probatam; חדרך nomen esse *Messiæ* ex duabus compositum חד & רך *Acutus* & *Mollis*, quod graviter in hostes animadversurus, mitissimus e contra erga populum Israeliticum se gereret [1] exspectandus *Messias*.

Nec magis illos curamus, qui ארץ חדרך *Terram Gloriæ*, seu *terram honoratam*, reddiderunt, qui, הדרך non חדרך contra fidem codicum, ut nodum secent non solvant, legere maluerunt, nec tamen sensum eo planiorem reddiderunt.

Ejusdem valoris est, quod Alexandrini Interpretes hic loco חדרך legerint *γῆ Σέδραξ*, nihilque refert, sive in codicibus *τῶν* LXX. legi debeat *Χέδραχ* sive *Σέδραχ* res æque obscura manet.

Nec magis illorum opinionem examen mereri putamus, qui hic per vocem חדרך

Ter-

Terram *Canaanem* intelligunt, de illis loquor, qui vocem חדרך pro nomine proprio *terræ Israeliticæ* sumunt. Cum enim absque ullo fundamento asseritur, qua facilitate ponitur, eadem rejicere nunc liceat.

Illud denique prætermittimus, quod loco מנוחתו, quo Damascus hic insignitur, quidam מנחתו *Ferti*, *Sacrificii ejus*, legerint. Arabs enim habet ذبيحته Syrus ܕܒܚܬܗ Alexandrini θυσία

§. II.

Reliquas autem V. V. D. D. circa hanc pericopam sententias, accuratiori lance perpendere operæ erit pretium.

Plurimi Viri Docti, qui hunc locum tractarunt, vocem חדרך non ut *nomen proprium* considerantes, reddiderunt *Circa te*. Junius & Tremellius: *In terram CIRCUMSTANTEM TE*. Addit Drusius. *Est autem verbum Syrum, hoc significatu, quod disces ab interprete novi fœderis, qui eo usus est Math.* VIII. 18. Addit Grotius: *Super terram, quæ te, O Judæa! circuit, id est, STRIAM*. Probat Lud. de Dieu inquiens: *Laudo Junium, qui ex Syriasmo vertit, Terram CIRCUMJACENTEM TE ad verbum CIRCUITUS TUI*. Adstipulatur tandem celeberrimus Coccejus, vocem חדרך reddens סביבך *CIRCA TE Prolatio verbi Jehovæ in terra CIRCA TE, & Damascus erit requies ejus* [2].

§. III.

Alii Viri Docti חדרך nomen proprium loci vel regionis esse existimant, & vertunt TERRAM CHADRACH. Fuerunt jam olim inter Patres, qui ita senserunt. Cyrillus Op. tom. III. p. 730. dicit: Γὴ δὲ Ἀδράχ χώρα πȣ πάντων ἐςὶ κατὰ τὴν ἕωαν κειμένη, ἧς γείτων ἦτε Ἡμαθ ἡ τίς ἐςὶν Ἐπιφάνεια τῶν Ἀντιοχέων προσωτέρα βραχὺ ϗ ἡ Δαμασκὸς, ἡ ἐςὶ φοινίκων τε ϗ Παλαιςίνης μητρόπολις ὑποκείσοιται δὲ δηλονότι συν ταῖς μητροπόλεσι ϗ πόλεις, αἱ ὑπ' αὐταῖς. *Terra autem ADRACH regio utique est Orientis, cui finitima est Emath, quæ est Epiphania, paulo supra Antiochiam; & Damascus, quæ est Phœnicum & Palæstinæ Metropolis. Subjicientur autem & Metropoles, & quæ ipsis subjectæ sunt urbes*. Cum quo parum satis conveniunt verba Theodoreti T. II. Op. p. 909. Ἀδραχ δὲ πόλις ἐςὶ τῆς Ἀραβίας. Inter Judæos Rabbi *Jose ben Dormaskit Jebuda in Jalkut schemoni fol. 86. c. 1.* מעידני שמים וארץ שאני מדמשק ובו מקום ששמו חדרך *Testor* (inquit) *ego per cœlum, & terram, quod oriundus sim ex DAMASCO, ibique locum esse, qui appellatur CHADRACH*.

Ex recentioribus. Adrichomius in Theatro terræ sanctæ pag. 75. ita scribit: *ADRACH, sive HADRACH, alias Adra, Adraon, Adratum Coelesyriæ oppidum est, a Bostra viginti quinque millibus distans, a quo etiam adjacens regio terra ADRACH nuncupatur, de qua Zacharias prophetavit, post Christi tempora, urbs hæc Episcopali sede cohonestata Archiepiscopo Bostrensi parebat, atque, quo tempore occidentales Christiani rerum in Palæstina potiebantur, etiam vulgo civitas Bernardi de Scampis dicta fuit*.

Munsterus: *Per terram Hadrach intellige Syriam, vel civitatem aliquam insignem in Syria, in qua sicut etiam in Damasco hæc Prophetia quiescere ac sese demittere prædicitur*.

Paraphrastes Chaldæus reddit חדרך per ארעא דרומא TERRAM MERIDIONALEM.

Eximius hisce in rebus Vir Sam. Bochartus *Hieroz. L.* II. *c.* VI. *p. 79.* vallem, quæ *Libanum* & *Antilibanum* interjacet, præter alia, quæ tulit nomina, hoc nomine חדרך quoque insignitam fuisse, existimat.

Doctissimus Hillerus in *Onomastic.* pag. 107. dicit חדרך *propinquus*, vel *qui est in circuitu*, servile est, ut in *Schadrach*, *Meschach*, *Schechach* אפרסך, ex quo nomine derivatum plurale אפרסכיא *Persici*. *Esr.* VI. 6. *CHADRACH* est regio prope Damascum Zach. IX. 1. vel *CHADARAEUM* sonat patronymion ab *Chadar*, *Ismahelis filio*. *Ismaelitæ* enim dicuntur habitasse a *Chavila Scurem* usque, & inde usque qua venis in *Assyriam* Gen. XXV. 15. 18.

§. IV.

Adducimus denique ingeniosam sane Clarissimi *Oldermanni* [3] circa locum hunc con-

conjecturam. Sedet Clarissimo auctori hæc sententia, ארץ חדרך denotare TRACHONITIDEM. En viri ingeniosissimi ipsa verba, & argumentorum pondus.

„ Monstrari potest integra regio *Damasco* propior, cujus nec nomen discrepat.
„ Celebris nempe in hisce finibus est *Trachonitis*, cujus mentionem & Lucas c. III.
„ & passim scriptores exteri faciunt (situm *Trachonitidis*, prout vox strictius vel
„ laxius aliquando sumatur, Auctor describit, at deinde pergit) Ceterum in
„ laudato *Zachariæ* textu, Propheta reliquorum hostium metropoles solummodo
„ tangit, nulla regionis mentione facta, sed voculæ *Hadrach* præfigitur nomen re-
„ gionis, quod nulla alia de causa factum videtur, quam quod *Trachonitidis* nul-
„ læ fuerint amplæ urbes, sed magis speluncæ, in quibus more ferarum latue-
„ rint, quales passim Vvilhelmus Tyrius describit, neque quicquam in textu,
„ cujus non queat ratio reddi, modo *Trachon* intelligatur, exempli gratia dum
„ vs. 2. *Chamatha* eidem finitima statuitur, perinde est, sive particulam בה ad
„ *Damascum* sive ad *Trachonitidem* referas, accedit, quod *Chadrach* חדרך & *Tra-*
„ *chonitis* sono optime conveniant, ח enim in nominibus propriis orientales amant,
„ Græci vitant, (concludit) & sonus & situs *Trachonitidis* cum *chadrach* conspi-
„ rant exacte, quo minus ergo pro regione *Hadrach* habeatur *Trachonitis* nihil ob-
„ stat, re aperta.

§. V.

Hisce in medium prolatis Virorum Doctorum, quas hactenus vidimus, de *Terra* חדרך opinionibus, restat, ut quid sibi velit דמשק מנוחתו *DAMASCUS REQUIES EJUS* ex ipsorum sententia breviter exponamus.

Celeberrimus *Coccejus* affixum ו in מנוחתו ad *verbum* דבר *Jehovae*, cujus mentio in initio capitis facta est, referendum censet, & ita explicat §. IV. *Et Damascus erit requies ejus sc. verbi. Verbum hoc REQUIESCET in Damasco*. confer. *Zach.* v. 4. *PERNOCTABIT Deut.* XXIX. 20. *CUBABIT*.

Alii affixum ו *ejus* ad ipsum *Jehovam* referunt, & *Damasci* diversimode מנוחה *Requiem Jehovae* quærunt [4].

Deum dici alicubi *quiescere* putant, quando gravissimis suis judiciis, nec brevi cessantibus terram castigat, pœnasque in vindictam immittit. Sic pœnas dedit *Damascus*, quando Reges *Syriæ* victi, vel coerciti ab *Hasmonæis* & deinde a *Romanis* in augustias redacti sunt, & in hunc fere modum laudatus supra *Cyrillus* jam olim sensit, dicens: Διὰ τι τοίνυν κατ᾽ αὐτῶν τὸ λῆμμα, ὅτι γὰρ ἐν αὐταῖς γέγονεν ἀνάπαυσις αὐτȣ̃ τȣτέςι τȣ̃ πάντων κρατȣ̃ντος Θεȣ̃. ἀναπέπαυται δὲ ὅτι τεθέαται τετιμωρημένας, ȣ̓ γὰρ ἂν σεσίγηκεν ὁ πάντων ἐφορῶν φειδȣ̃ς τε καὶ ἐπισκέψεως ἀξιῶν τὸ ἀπόλεκτον γένος τȣτέςι τὸν Ἰσραὴλ. *Quare igitur assumptio contra illas? Quia in ipsis fuit requies ejus, hoc est omnium dominantis DEI, requievit porro, quia punitas vidit, non enim tacuisset, qui intuetur omnia, veniaque & visitatione dignatur electum genus, Israelem scilicet.*

Alii putant Jehovam alicubi in genere, populo, locove dici *quiescere*, si gens populusve ille gratus ipsi & acceptus sit, & favore ejus præ aliis singulari ratione fruatur, penes quem proinde, tanquam ipsorum DEUS quasi habitat, & a quo cultus & honor ipsi defertur. Talem Jehovæ *Damasci quietem* monstrari posse putant, cum primis Christianismi temporibus *Damasci* ecclesiam Christo collegerunt Apostoli. confer Act. IX. 2. 19. 24. 25.

Sunt denique, qui affixum ו ad חדרך (ex ipsorum mente nomen regionis) referunt, & sensum hunc esse volunt. *Onus verbi Jehovæ in regionem Chadrach, & Damascum, in qua circumjacens illa regio, tanquam in potentissima tutrice requiescit, & secura est*. Probant hoc Drusius, Grotius, L. de Dieu, Cl. Markio adducti pag. 68.

Munsterus, aliique pronomen relativum ו ad דבר *Verbum* referunt. *In qua* (scilicet SYRIA) *sicut & in DAMASCO hæc Prophetia quiescere, ac sese demittere prædicitur*. Hasce virorum doctorum diversissimas opiniones æqua lance nunc trutinare liceat.

CA-

1 Plura Judæorum deliria apud Interpretes passim reperiuntur, quæ hic ad examen vocari non merentur, vid. Rabboth fol. 35. col. 1. 2.

2 Plerasque has opiniones proponit Celeb Markius in Comment. ad Zach. IX. cap. quas cum ex professo nobis perpendendas sumimus, hic repetere necesse est.

3 In dissertatione, quam Helmstadii anno 1712. vulgavit, & cui titulum fecit ארץ חורח TRACHONITIS *pro illustrando ex antiqua orientis Geographia obscuro loco. Zach.* IX. 1.

4 Vid. Vener. Bierman, Comment. in Zach. IX. Sam. S. Nemethi ad l. c.

CAPUT III.

OPINIONES VIRORUM DOCTORUM PRÆCEDENTI CAPITE PROPOSITÆ AD EXAMEN REVOCANTUR.

A. *Ratione prioris quæstionis de* ארץ הדרך . §. I. *Illorum , qui vocem* הדרך *a* ܟܪܟ Ambivit *derivant & vertunt* circa te . *Argumentum , quod ex loquendi usu , Sacris Scriptoribus non insueto , desumunt , perpenditur , quo fine examinatur locus Jes.* XIV. 4. Grotii *instantia refutatur , quem in finem* Syriæ *termini describuntur respectu* Canaanis , *locus Ezech.* XXVIII. 24. *examinatur* . §. II. *Illorum opiniones perpenduntur, qui* חדרך *nomen proprium loci vel Regionis esse volunt , quo fine generalia quædam præmittuntur , quibus argumentis rejiciuntur* Cyrilli , Judæorum , Theodoreti &c. *hypotheses* . Adrichomii *sententia refellitur* . §. III. *Quin & ipsius* Bocharti *&* Hilleri . §. IV. *Denique & Cl.* Oldermanni .

B. *Ratione posterioris quæstionis de* Damasco מנוחתו §. V. *Dubia proponuntur contra opiniones Virorum Doctorum circa* דמשק מנוחתו , (a) *illorum qui* ו *ad Jehovam referentes (a) pœnarum gravitatem & diuturnitatem hac phrasi exprimi putant , quo fine loca Jes.* XI. 10. *Ps.* CXXXII. 8. 14. *Jes.* LXVI. 1. *Mich.* II. 10. *Deut.* XXIX. 20. *Zach.* VI. 8. *Jes.* VII. 18. 19. *examinantur , & Judæorum de hac phrasi sententia proponitur.* (b) *Illorum opinio examinatur , qui* ו *ad Jehovam referentes, in bonam partem hanc phrasin sumendam esse existimant* . (*b*) *Denique illorum , qui pronomen hoc relativum ad* דבר *vel* חדרך (*in qua voce Syriam latere putant*) *referunt* .

§. I.

CHADRACH חדרך vocem Syriacam esse a ܟܪܟ *ambivit* , & notare *circa te* , quamvis summorum virorum suffragiis suffultam hanc opinionem videam , probare equidem non possum ; quandoquidem vocula hæc , neque in textu Veteris Testamenti Chaldæo , neque Hebræo uspiam reperiatur , & voculam , quam interpres Syrus N. T. , qui nobis in obscuro adeo latet , Hebraico Sacri Codicis textui applicare , & ad Zachariæ usque tempora rejicere duriusculum merito videtur .

Ut tamen omnia perpendamus , quæ pro hac sententia , quæ tantos viros patronos habet , adducuntur , varia Viri illi celeberrimi loca proferunt , in quibus, (quæ verba Junii & Tremellii sunt) *Prophetæ* μιμητικῶς *ludificantur gentes ex ipsorum linguis venustatis ergo* , ut Jes. XIV. 4. ונשאת המשל הזה על מלך בבל ואמרת איך שבת נגש שבתה מדהבה *Ut proferas parabolam hanc de Rege Babyloniæ , ac dicas , quomodo cessavit exactor , quomodo cessavit* מדהבה *aurea* .

Verum cui non statim apparet , loca valde dissimilia esse ? Hoc enim in loco proverbium , quo Rex Babelis irridendus foret , exhibetur , quid mirum , si in eo Rex nomine appellativo , at quod hic instar proprii est , & hac de causa ex Chaldaismo petito , joci causa proponatur ; ne alia , quæ locum hunc illustrare forsan possent , sed hujus loci non sunt , hic adducamus . Nostro autem , quem tractamus , loco , voces *circa te* o Judæa ! nullam utique allusionem , vel simile quid significare possunt .

Reliqua loca , quæ in hunc finem adducuntur , nihil plane cum nostro simile habere , vel tantummodo inspicienti statim apparebit . Quod si *circa te* dicere voluisset Propheta , stylo hac in re consueto dixisset סביביך vel מסביב , uti Ezech. XXVIII. 24.

Nec est , quod cum Grotio instes ; *Syriam* a Propheta innui , quando loco nominis ait ; *Terra circum te* . Præterquam enim , quod sermonis indoli repugnet , uti demonstratum est , non video , qua ratione *Syria* , quæ Palæstinæ quidem adjacebat , eam tamen *ambire* & *circumdare* dici possit , nisi Syriam lato admodum sensu sumas , quemadmodum Herodotus L. II. c. 116. Ὁμουρέει γὰρ ἡ Συρίη Αἰγύπτῳ . *Est enim Syria Aegypto contermina* ; quod tum verum est , quando ipsam terram *Canaanem* sub nomine *Syriæ* , (uti sæpius fit apud profanos) comprehendas , quod tamen hic locum habere nequit .

Neque talis Syriæ descriptio comparet Ezech. XXVIII. 24. quem locum tamen , ut *illustrem* ad *illustrationem phraseos TERRA CHADRACH* , (ex Hypothesi Syria) adducit Sam. Sz. Nemethi , hic loci enim gloriosus Israelis status depingitur,

quan-

quando a vexationibus Syrorum non tantum, ſed omnium undiquaque hoſtium liberanda foret; & certum utique eſt, quamvis judicia Dei in præcedentibus Zidoni intentata ſint, non Zidonios ſolos indigitari per hoſtes מכל סביבותם. *Ab omnibus undique partibus*, præterquam, quod alia plane vox & uſitata hic reperiatur, noſtro autem in loco vox barbara, & nuſquam alibi reperta.

§. II.

Pergimus ad alteram Virorum Doctorum claſſem, qui הדרך nomen loci, regionis, urbisve eſſe volunt. Generatim duo in anteceſſum obſervanda ducimus, antequam ſingulas opiniones diſcutiamus.

Primum eſt, cum hypotheſi noſtra, quam infra exhibebimus, ſatis conſiſtere, ſaltem ei non repugnare, quod urbs quædam, vel tractus alicubi terrarum hoc nomine inſignitus fuerit. Non ſatisfacere illos putamus, qui alicubi urbem monſtrant hoc nomine notam, amplior enim videtur ſenſus phraſeos ארץ חדרך, quam ut tractum aliquem ignobilem, urbem vel vicum deſcriberet, quippe urbes, quæ in ſequentibus hujus capitis memorantur nobiles, quin & celeberrimas quaſi ſub ſe comprehendit. Titulus enim eſt TERRA CHADRACH, cujus urbes, quas ſub ſe habet, Propheta tangit in ſequentibus.

Hiſce inſtar fundamenti poſitis, ſponte plurimæ opiniones adductæ cadent, Cyrilli, ſcilicet, & Judæorum, locum circa Damaſcum memorantium hoc nomine ſuo tempore notum; Theodoreti, Arabiæ urbem eſſe volentis. Hoc ſane, quod adeo in diverſa abeant ipſi ſcriptores antiqui, non leve argumentum eſt, ignotum jam tum temporis locum fuiſſe, & a variis varie quæſitum.

Adrichomius quidem memorat locum *Adrach*, *Adraon*, *Adratum* cum adjacenti regione ſua ita dictum, & adſeverat, hunc eſſe locum de quo Zacharias prophetavit. Verum quo fundamento id adſerit Adrichomius? recentioribus, Zachariæ ſaltem temporibus non nego in Cœleſyria oppidum, quod ſimile nomen geſſit, exſtitiſſe. Aſt mirum, ſi antiquitus hujus nominis urbs nota & celebris fuit, adeo in hoc loco exponendo ceſpitaſſe æque veteres ac recentiores interpretes. Et, qui ex veteribus locum quendam monſtrare voluerunt, in diverſa abeunt. Judæorum magiſter interpretatur *Chadrach* מקום ברמשק. Theodoretus l. c. Ἄδραχ, πόλις ἐϛὶ τῆς Ἀρραβίας. Adrichomius tandem, *in Cæleſyria*.

Concludimus ergo, ſi locus hic antiquitus ſatis notus & celebris fuiſſet, Regionemque in ambitu eodem nomine inſignitam habuiſſet, non talem fore inter ipſos veteres diſcrepantiam, & acutiſſimis Geographiæ ſcrutatoribus, Bocharto videlicet, & ſimilibus ad locum hunc Zachariæ diu notatum.

§. III.

Hujus ipſius tamen Viri, cujus nomen magnopere veneramur, ſententiam tamen eo nomine probare non poſſum, quod plane nullo argumento probetur, neque enim ex ſacris, neque ex profanis probatam video vallem hanc inter Libanum & Antilibanum hoc, ne vel ſimili nomine inſignitam fuiſſe, atque adeo totum hujus hypotheſeos fundamentum corruit.

Multo minus curamus, quod paraphraſtes CHADRACH, reddiderit *Terram Meridionalem*. Quid enim hoc eſt? & liquido tantum inde patet, urbem vel regionem in Syria ipſi non notam fuiſſe, quæ hoc nomen geſſerit.

Hypotheſis autem doctiſsimi Hilleri omni itidem fundamento caret, quod, qui loca Gen. XXV. 15. 18. inſpexerit, ſtatim agnoſcet.

§. IV.

Devenimus tandem ad ingenioſam ſane Cl. Oldermanni conjecturam, CHADRACH חדרך TRACHONITIDEM eſſe, uti ſupra ex ipſo Auctore fuſe oſtendimus. Fateor, ſi quæ ſententia animum dubium redderet, & ab illa, quam noſtram declarabimus, avocaret, hæc eſſet; veruntamen quædam obſtant, quo minus & hæc placeat. 1 Eadem hic remanet difficultas, quam in initio hujus diſſertationis contra plerorumqne virorum doctorum ſententias movimus, voces ודמשק מנוחתו *Damaſcus requies ejus*, ſi commode fieri poſſit, ad *terram* CHADRACH חדרך referri oportere. 2 Longe autem ultra Trachonitidem loca Cap. hoc IX. Zachariæ parte priori memorata ſe extendunt, & ad Trachonitidem non pertinent, quod ipſe Auctor

agno-

agnoſcit, inſcriptio autem, uti jam diximus ejuſmodi eſſe videtur, ut, quæ in ſequentibus memorantur urbes, plurimas ſaltem, quaſi ſub ſe comprehendat; titulus enim eſt ארץ חדרך *Terra*, *Plaga CHADRACH*; quod ſi nunc *Trachonitidem* intelligas, non video, qua ratione concinnus hic ordo, quem filum orationis & ſcema propheticum ſponte prodit, monſtrari queat. [3] Ipſe Cl. Auctor coronidis loco diſquirens de etymo vocis *TRACHONITIS*. *Ex Strabone manifeſtum eſſe* dicit, *in his locis montes eſſe, qui Trachones vocantur, nullumque ergo dubium eſſe, quin ab hiſce montibus Trachonitis nomen ſumſerit. Montes autem hi* (inquit) *ab aſperitate, de qua Strabo* & *Joſephus, nomen habent, cum τραχύτης Græcis ſit aſperitas, τράχυς aſper, ſalebroſus, confragoſus, τραχῶ & τραχῶν locus aſper, ſalebroſus*. Quis non videt, Auctorem proprio ſe hic jugulare gladio, quod ſi enim *Trachonitis* a τραχῶν, & hoc a τραχὺς propter aſperitatem locorum, derivandum ſit, (quod ſi rem recte putemus, non improbabile eſt) nomen hoc a Græcis petitum temporibus Zachariæ plane ignotum fuit, cum tales Græcorum denominationes ſeriora tempora prodant, atque adeo חדרך ex τραχῶν & τραχωνίτις Zachariæ temporibus derivatum eſſe nequit.

§ V.

De *Requie Damaſco*, quam V. V. D. D. monſtrant, paucis adhuc agendum eſt. Admodum mihi durum ac contortum videtur; Damaſcum hic *quietem Jehovæ*, eo nomine audire, quod graves, ac diuturnas a DEO infligendas pœnas, diu ſuſtinere debuerit Damaſcus, ſuaviſſimæ potius tranquillitatis & divinæ inhabitationis indicia hæc [ſi ad Jehovam referri debeat] requies nobis proponit, talis enim mihi videtur eſſe indoles phraſeos. Confer. Jeſ. XI. 10. Pſ. CXXXII. 8. 14. Jeſ. LXVI. 1. Mich. II. 10. quæ loca plane iſtiuſmodi *quietis* notionem, qualem inter V. V. D. D. quidam hic occurrere ſtatuerunt, reſpuunt, neque ut hanc quoque ſignificationem, hujus phraſeos probant hi V. D. quadrat locus Deut. XXIX. 20. ſimiliaque. Iſtis enim in locis addito pœnæ vel vindictæ vocabulo durationem & perennitatem iræ divinæ exprimi, nemo negaverit. At multum hæc a phraſi *Requies Domini*, ſi ſimpliciter, quemadmodum hic, occurrit, differunt. Adducit equidem Cyrillus l. c. Zach. VI. 8. verum hic loci de Spiritu DEI, ejuſque *quiete* ſermo ſit, nec judiciorum mentionem ibi factam video, adeo ut potius de efficaci operatione Spiritus Sancti in converſione electorum hic cogitandum ſit. Cyrillo facile condonandum eſt, quod hunc in finem locum ex Zacharia citatum adduxerit. רוח enim per θυμὸν, Alexandrinos ſecutus, reddidit, qui vertunt ἀνέπαυσαν τὸν θυμόν μȣ ἐν γῇ Βοῤῥᾶ. Majori ſpecie adduci poſſet locus Jeſ. VII. 18. 19. Ubi de adventu, & vaſtatione hoſtium ſub emblemate apum & muſcarum &c. dicitur: *Ut venientes conquieſcant omnes in vallibus deſertorum locorum, & in projecturis petrarum, & in omnibus virgultis, ac in omnibus laudatis arboribus*. Verum regerimus, quamvis ſub hoc emblemate irruptionem hoſtium & devaſtationem terræ depinxerit Vates, phraſis ipſa tamen nihil aliud deſignat, quam quod animalcula hæc ſedes ſuas in viridibus hiſce herbis, projecturis petrarum, vallibuſque, ad tempus aliquod ſint captura, cujus conſequens eſſet, ut herbæ omnes comedantur, locaque conſpurcentur. Ipſi ſane Judæi indolem hujus phraſeos melius percipientes in *Jalkut Schimoni*, *fol.* 258. 2. & *Mattenoth Cebunna ad Rabboth*, *fol.* 35. *c.* 1. 2. ita commentantur, ודמשק מנוחתו וכי דמשק מנוחתו והלא אין מנוחתו אלא בית המקדש שנא' זאת מנוחתי עדי עד אמר לו עתיד ירושלים להיות מרחבת בכל צדדיה עד שתהא מגעת לשערי דמשק וגליות באות וניגוחות תחתיה. *Et DAMASCUS REQUIES EJUS. Qua ratione Damaſcus hic requies ejus appellari poteſt, cum nulla alia utique quietis locus ſit, quam ſanctuarium, ſecundum dictum Scripturæ: Hæc mea eſt requies in ſæculum uſque? Reſp. Fiet, ut Hieroſolyma dilatetur undiquaque, adeo ut ad portas uſque Damaſci pertingat, & in captivitatem abducti venient, & quiete fruentur ſub ea.* *

* Ne quis tamen Judæos adeo inſipidos pronuntiet, ac ſi id voluiſſent, ipſam Urbem Hieroſolymam ita dilatandam temporibus Meſſiæ, ut ad mœnia Damaſci pertingeret, adſcribimus locum Abarbanelis, ubi mentem Rabbinorum, qui ita locuti ſunt, explicat. Poſtquam verba, quæ ſupra ex Jalkut & Rabboth adduximus, exhibuiſſet, ita pergit, fol. רפט col. 2. רצה בזה שתהיה ירושלים מושלת בדמשק ומשפטה ושופטיה יצוו בה כמו בירושלים ולפי שתהיה דמשק מארץ ישראל בזמן גאולתה לכן אמר ודמשק מנוחתו כי גם שם תהיה מנוחת השם ושכינתו וכן אמרו חכמים זכרונם לברכה שעתידין שערי ירושלים להיות מגיעים עד דמשק שנ' אפיך כמגדל הלבנון צופה פני דמשק. *ſignificare vult hac phraſi, Hieroſolymas in Damaſcum imperium habituras, eamque judicaturas, & judices ejus ibi dominaturos, quemadmodum Hieroſolymis, & quia Damaſcus tempore liberationis, terræ Iſraeliticæ ditionis erit, propterea dicit: & Damaſcus requies ejus, ibi enim quieſcet Deus, & Schechina ipſius, & hoc ſenſu dixerunt ſapientes noſtri piæ memoriæ, portæ Hieroſolymæ pertingent uſque ad Damaſcum, quemadmodum quoque dicitur: Naſus tuus inſtar turris Libani proſpiciens verſus Damaſcum*. Cant. VII. 4.

At vidimus viros quoſdam doctos in ea eſſe ſententia, *Damaſcum REQUIEM Jehovæ* eo nomine audire, quod primis Chriſtianiſmi temporibus diſcipuli ibi multum verſati fuerint, Chriſtoque multos lucrati ſint, quod in confiniis hujus urbis inſignem illam victoriam Dominus e cœlo ab infenſiſſimo ſuo hoſte Saulo reportaverit, adeo ut, undiquaque in triumpho ipſum in poſterum, duxerit, & Saulum ſævientem, Paulum *σκεῦος ἐκλογῆς* reddiderit. Sed hic, ſi verum fateri liceat, ſenſus nimis videtur eſſe tenuis. An hanc ob cauſam, quod Paulus non Damaſci ſed prope Damaſcum a Domino ingenti luce in terram proſtratus, ſimulque converſus ſit, & diſcipuli ibi, quemadmodum & alibi Evangelium prædicaverint, Damaſcus ſingulari ratione, & præ aliis locis in Prophetia audiet *REQUIES JEHOVÆ*. Inſigne, fateor & ſtupendum divinæ potentiæ opus fuit ſubitanea iſta ſævientis Pauli domitura & converſio, verum, hoc eſt, quod non ſatis perſpicio, num hac de cauſa Jehova *Damaſci quieſcere*, adeo ut Damaſci titulus ſit *Requies Jehovæ*, dici poſſit, non enim in ipſa Urbe contigit, ſed tantum in confiniis ejus, & *σημεῖα ϗ τέρατα* tunc temporis plura & ubique fere edebantur, non Damaſci tantum, agroque Damaſceno, ſed variis in locis ingentes credentium turbæ jam primis temporibus exſtiterunt. Confer. Act. IX. 38. XI. 21. XIII. 1. Imo, ſi abſque præjudicata opinione dicere liceat, nonne majori jure, ſi hic ſenſus ſit phraſeos, *ANTIOCHIA* hunc titulum mereretur; ubi, ut alia taceamus, ipſum CHRISTIANORUM nomen adepti ſunt credentes.

Quod denique quidam V. D. exiſtiment, Damaſcum terræ circumjacentis, vel Syriæ מנוחה *REQUIEM* propterea appellatam eſſe, *Quod regio illa in hac urbe munitiſſima, tanquam in potentiſſima tutrice requieverit & ſecura fuerit*, ex iis, quæ ſupra jam diximus, ſatis refutatur, ubi oſtendimus probabile non eſſe per חדרך *CHADRACH* terram circumjacentem, vel in ſpecie *Syriam* ſignificari; adeoque Damaſcus hoc ſenſu hujus [ex hypotheſi] Regionis מנוחה *Requies* eſſe nequit.

Nec, [quæ Munſteri ſententia eſt] ad דבר *VERBUM Jehovæ*, commode retuleris, vocabula *Requies ejus*, ſi ad immediate præcedentem vocem חדרך referri poſſit, & debeat, quod monſtrabimus in ſequentibus. Phraſiologiam ſatis ſimilem ex ſacris adferri poſſe non quidem nego, verum de Damaſci fatis textus ex profeſſo agere non videtur, non magis certe, quam de aliis Syriæ & Pheniciæ urbibus, quæ itidem מנוחות דבר *Jehovæ* dici hac ratione poſſent.

CAPUT IV.

CONJECTURA, QUA TERRAM CHADRACH, TERRAM DERCE, SEU ADARGATIS ESSE STATUIMUS, PROPONITUR.

§. I. *Oſtenditur, Numen hic loci in voce CHADRACH latere, quod ut detegatur, præmittuntur quædam requiſita, & oſtenditur, ſimile quid Druſio aliiſque viſum fuiſſe.* §. II. *Probatur, phraſim integram hunc ſenſum ſatis admittere.* §. III. *Declaratur, CHADRAH nobis eſſe Numen Syrorum, quod DERCE & ADARGATIS vocatur.* §. IV. *Oſtenditur, nomen hoc cum vocabulo Hebræo* חדרך *exacte convenire; quo ſine proprium nomen hujus Numinis exhibetur; litteram* ח *abjici nominibus, ex Hebræo idiomate deſumtis, probatur, & ſimilia, quæ monſtrant, nomen CHADRACH cum DERCE & ADARGATIS belle convenire, adducuntur.*

§. I.

HIſce difficultatibus cum laborantes cenſeamus adductas modo V. V. D. D. ſententias, videndum erit, num probabilior, & quæ minus difficultatis habet hypotheſis, inveniri queat. Per CHADRACH nobis repræſentari putamus numen aliquod, per TERRAM CHADRACHIS totam illam plagam, ſive terram, quæ huic numini ſubeſſe credebatur, & divino cultu ei ſervire ſolebat. Tale autem numen ex falſis gentilium Diis hic monſtrandum eſt, quod ibi, illove loco, de quo agit Propheta, cultum fuit, tale quoque, cujus cultus longe lateque diſſeminatus fuit, poſtquam enim Propheta *Terram Chadrach*, [de qua quæſtio eſt] nominaſſet, *Damaſcum* memorat Syriæ Metropolin, & in ſequentibus hujus capitis plures urbes quas initio ſub generali titulo comprehendiſſe videtur, idololatricas quoque, & a DEO puniendas. De communi (ut ita loquar) numine, Syriæ præcipue, & vicinarum regionum hic itaque erit cogitandum. Iſtiuſmodi quoque, quod nominis

tam

tam celebratissimi fuit, ut terrarum ingens tractus ארץ TERRA *ipsius* dici queat, quantumvis ex idololatrarum perversis opinionibus plura numina, quæ venerabantur, existerent. Numen itaque quod (ut ait Homerus.)

Πᾶσιν δ' ἐν νηοῖσι Θεῶν τιμάοχος ἐςι
Καὶ παρὰ πᾶσι βροτεῖσι Θεῶν πρέσβειρα τέτυκται.

Silentio autem minime premo, quosdam summæ eruditionis viros hoc diu attendisse. Drusius enim ad h. l. ita, *Forte Princeps aliquis ita nominatus olim fuit, a quo Syria Damascena TERRA HADRACH appellata sit, quemadmodum TERRA NIMRODI vocatur, quod Nimrodus quondam in ea regnavit*. Scholia Bibliorum Anglic. *Some Say vvithout any proof, that it vvas an idol of the Syrians, vvhich represented the sun*. Idem fere & in nostræ versionis Belgicæ scholis legitur. Horum præeuntium V. V. D. D. vestigia premens, propius hanc rem examinabimus, & quodnam ex veterum Syrorum idolis sub hoc nomine lateat, indagabimus.

§. II.

Antequam autem in hanc rem ulterius inquiramus, notasse quam maxime juvabit, phrasin ארץ חדרך *Terram* (Numinis) *Chadrach*, pro *Terra*, *ubi numen* חדרך *colitur*, *cui Chadrach præest*, a genio linguæ Hebrææ minime alienam esse, confer. Jes. VIII. 8. *Terra Immanuelis* & Jer. XLVIII. 45. Infra autem notabimus, ipsam illam terram, quæ numini, (quod quale sit, nunc ostendemus,) *Chadrach* dicto, parebat, *Terram ipsius* quoque vocari apud ipsos profanos.

§. III.

Ut itaque ad rem ipsam veniamus, probabile nobis videtur, nomine חדרך insigniri celebratissimum, quod Syri colunt numen, nomine *Derce*, *Derceto*, & *Adargatis* seu *Atergatis* *, apud Latinos, Græcosque auctores notum, quod antequam accuratius describamus, ejusque historiam investigemus, scriptio nominis, ejusdemque cum Hebræo חדרך exacta parallelia monstranda erit.

§. IV.

Scribit Lylius Gyraldus Syntagm. I. *de Topicis Diis* pag. 62. *Illud hoc loco admonendum duxi*, *antiqua omnia Ovidii exemplaria non Derceti sed Derce habere*, quem in finem Theonem, vel quisquis Arati sit, scholiasten adducit. Δέρκη *Derce* autem cum *Chadrach* belle convenit, notissimum enim est, Græcos Latinosque scriptores, quando voces ex oriente in suam linguam transferunt, litteras gutturales (in primis quoque ח) abjicere, vel in leniorem ut a vel α mutare. Sic נחמיה dicunt Νεεμίας, חכמות Ἄχμωθ. חבר Ἄβαρ. חלבא Jud. I. 31. Stephano Ὄλβα, המן Ἄμαν. עזר Ἄζα, & infinita alia. Quod si nunc hic consueto more abscindas ח *cha* ex nomine *Chadrach*, plane nomen, quoad scriptionem & sonum unum idem-

* Ingenue hic profiteri lubet, me, postquam hæc qualiscunque de difficili hoc loco dissertatio litteris mandata esset, hujus nostræ conjecturæ mentionem invenisse in scholiis ad Bibl. Anglic. (non iisdem, de quibus supra dictum est, & ex quibus verba quædam supra adducta sunt) Verba integra, prout jacent, hic adscribam. *Of Hadrach. It was an idol of the Syrians, which represented the sunne, the name signifieth, the Onely king : to which they added a Goddesse called by authours Atergatis, which signifieth, onely Queen, and that represented the earth both of them were figured, with sunne beames the king downwards, and the Queen upwardr, and their chief temple vvas in Hierapolis a citie of Syria. And the Prophet calledh the countrey by the name of the Chief. idol of it, as Is.* VIII. 8. *Jer.* XLVIII. 46. *Hos.* X. 5. Simile quid in Sam. Maresii notis legi suspicor ex laudato ab Oldermanno in dissert. *de Terra* חורן *Trachonitide*, loco. Hæc, quamvis ita sint, non in vanum erit & noster labor, trutinatis quippe uberius aliorum sententiis, conjecturam nostram, quam doctissimis Anglis haud displicuisse vidimus, accuratius examinabimus, convenientiam nominis חדרך, cum nomine hujus Numinis, hujusque historiam & fata ad illustrandum hunc locum monstrabimus, quod an a quopiam factum sit, mihi nondum constat, nec alios præter viros laudatos hujus sententiæ meminisse inveni. Et quantumvis copiosius de hoc Numine disseruissent hi aliive Viri docti, ut locus hic clarior fieret, nondum scopo suo excidisset hæc nostra dissertatio. Duo enim in hoc loco notavimus perpendenda dubia, I. Quid sit חדרך Alterum quid *Damascus ejus Requies*. De quo postremo sententias V. V. D. D. non plene satisfacere ostendisse mihi videor, qua propter nos nostram de *Damasco requie Chadrachis* altera hujus dissertationis parte exponemus : quod, num V. V. D. D. mihi hactenus nondum cognitis soboluerit, plane ignoro, nec hactenus reperire potui. Angli saltem illi, quos in priori hujus dissertationis parte nobiscum sentire diximus, hic, quantum ex anglico idiomate, (in quo barbarus sum) colligere possum, in alia plane abeunt. Verba ipsorum, ut lectori pateat, adscribo integra, cum capite præcedenti, ubi aliorum expensæ sunt opiniones, locum non invenerint, nec horum Virorum mentio facta sit, nobis quippe in obscuro ad huc latentium. Sic ajunt ad voces, AND DAMASCUS SHALL BE THE REST THEREOF) *Is.* VIII. 4. & XVII. 1. *Jer.* XLIX. 23. *Amos* I. 3. *A primcipall Citie of Syria, upon vvhose strength and vvealth the vvhole conntrey depended. In vvhich also the people took their pleasure, vvith all securitie. Others these threatenings shall fall, and be executed upon Damascus : namely by Alexander the Great, vvho conquered all these nations.*

que comparebit, ſc. דרך DERC & DERCE. Si, quod itidem uſitatiſſimum eſt, & centenis probari poſſet exemplis, ח in leniorem mutes α vel *a*. reſultat *Adrach*, *Atarg*, *Aterg*, & ſimilia, quæ, quid aliud ſunt, quam quod Græci & Latini *Atergatis* dicunt? Τις enim notiſſima eſt terminatio, Græcis ſaltem, ut Diana, quæ Κυνήγετις, aliaque Dearum apud Græcos epitheta hoc evidenter probant, ex Hebr. idiomate nota קרושה [*Hieroſolyma*] Herodoto dici Κάδυτις. Hac ratione חררך apud Hebræos vel potius Syros, Δέρκη *Derce*, & *Atergatis* apud Græcos & Latinos vocari poſſe, luculenter apparere videtur. Ne autem diverſitatem ſcriptionis hujus nominis apud ipſos Græcos & Latinos intactam relinquamus, obſervandum eſt, frequentem admodum fuiſſe literarum ג & כ, κ & γ & χ inter ſe permutationem, ut Chald. כנפרה & כומצא נגפא & נומצא, aliaque, quæ notat incomparabilis hac in re Bochartus *Canaan & Phaleg.* l. IV. c. 17. Nec minus frequens eſt in omnibus linguis, nomina propria, conſonante incipientia, duplici gaudere pronuntiatione, vocali *A* vel littera א conſonanti præpoſita. Sic פס דמים 1. Par. 11. 3. אפס דמים audit 1. Sam. XVII. 1. ipſi Syri הארמים & הרמים vocantur, inde fluvius *Rauraris*, *Arauraris* etiam vocatur in Meſopotamia. *Burrhas* & *Aborrhas* & infinita alia, quæ dabit iterum Bochart. in diſſert. de *Traſportatione Chriſti in Templi pinnaculum*, & Vir multifariæ eruditionis laude clariſſimus Theod. Hazſæus diſſ. de Ὀνολατρείᾳ, nec non amiciſſimus mihi vir juvenis in præclaro eruditionis ſpecimine, & primitiis, quas orbi erudito nuper in ſpem adhuc uberioris in poſterum meſſis capiendæ dedit E. L. Uriemoet diſſert. *de Schiloh* c. 1. ex quo tria quatuorve hic petimus exempla אסטרטיוטא pro ϛρατιώτης. Sic Arabibus اسر افيسن pro שרפים. Hinc Tabor Αταβύριον ببر Perſicum, pro Hebræorum אבנט, & innumera alia, quæ apud Viros laudatos videri poſſunt, & ſi opus eſſet & his ingenti numero addi; verum orientalium linguarum gnaris ſupervacaneus hic foret labor. Differitas autem vocalium, quæ inter hæc nomina Hebraica, Græca, & Latina hujus Deæ, de qua agimus, obſervatur ne memorari quidem meretur, cum nulla, vel exigua ſit, & omnes, qui vel a limine Orientalium ſcripta ſalutarunt, ſatis noverint, harum minime habendam eſſe rationem.

C A T U T V.

ENUCLETIUS AGITUR DE SYRORUM NUMINE DERCE ET ATERGATIS, QUOD IDEM ESSE, QUOD CHADRACH APUD ZACHARIAM VOCATUR, SUPRA POSUIMUS.

§. I. *Exponitur quid ſit ATERGATIS?* §. II. *Quam varia habuerit nomina. Etymologiæ quædam hujus vocis perpenduntur, & pro incertis omnes habentur.* §. III. *De imaginis forma, qua ATERGATIS olim conſpicua fuit, diſſeritur, nec non de abſtinentia Syrorum ab eſu piſcium in ejus honorem. Nummus ex Spanhemio adducitur, ubi inſtar monſtri marini hæc Syriæ DEA depingitur.* §. IV. *Duas ATERGATES, Phœniciam, & Hierapolitanam memorat Lucianus, quod unum idemque numen eſſe, multiplici forma cultum, probabile redditur. ATERGATIS ſeu DERCETO Mater Semiramidis perhibita, de qua pauca notantur in notis.* §. V. *Oſtenditur, eandem dictam quoque eſſe Juſtino ARATHIN, Straboni* ΑΘΑΡΑΝ. §. VI. *Demonſtratur, Numen hoc Syrorum DEAM illam SYRIÆ celebratiſſimam fuiſſe, nec non RHEAM MATREM DEORUM.* §. VII. *Complectitur plura Orientalium fœminei ſexus Numina, pro diverſitate locorum, populorumve diverſa nomina habentia, quæ omnia eandem DEAM SYRIAM, ſeu* Δέρκην, *vel ATARGATIM reſpexiſſe videntur, v. c. DEA PHRYGIAE, OURANIA, LUNA, ASTARTE, SALAMBO, &c.* §. VIII. *Agitur de origine, unde falſum hoc numen ſibi effinxerint veteres, & quid eo ſignificare voluerint, unde liquet, cur honor ubique fere terrarum huic Numini exhibitus ſit.*

§. I.

A*Tergatis* hæc DEA fuit *Syriæ*. Diod. Sic. l. II. p. 93. Strabo l. XVI. p. 1085. De *Syria* loquens. Καὶ ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργάτιν. Atque hæc in genere. In ſpecie nunc de hoc numine erit agendum; ea autem in primis, quæ ad locum, quem pertractamus, pertinere, eique lucem affundere putamus, indicabimus.

§. II.

§. II.

Nomen vidimus fuiſſe *Atergatis* , Δερκετὼ , *Derce* , & ſimilia * , imo & Ἀθάραν , Strabo lib. XVI. Αἱ δὲ τῶν ὀνομάτων μεταπτώσεις , καὶ μάλιστα τῶν βαρβαρικῶν πολλαί . Ἀτάργατιν δὲ τὴν Ἀθάραν , Δερκετὼ δὲ αὐτὴν Κτησίας καλεῖ . *Varietates nominum , barbarorum præcipue , multæ ſunt . ATHARAN illi dicunt ATARGATIN , Cteſias autem DERCETO eam appellat* . Etymon hujus nominis diverſimode monſtrari ſolet , quod tamen examinare quam maxime e re noſtra erit , cum hinc dubia contra conjecturam , quam de voce חדרך dedimus , moveri poſſe prævideo , quæ ſolvenda erunt.

Volunt ſcilicet multi Viri Docti § *Atergatin* dici quaſi אדיר דג *magnus piſcis* , eo quod cum ſimulacro hujus DEAE nomen hoc ſatis congruat , & *Dagonis* (ut vulgo fertur ſemipiſcis) in Sacris litteris quoque mentio exſtet . Quod ſi verum eſſet , noſtra vix ſtare poſſet hypotheſis , parum enim אדיר דג cum חדרך convenit ; aſt , ut verum fatear , ingenioſa magis , quam vera , hæc conjectura videtur . Vocem אדיר *potens* in *Atergate* & *Derce* invenire poſſem , verum vocem דג *piſcis* , quæ præcipua eſt ; unde & ex hypotheſi *Dagon* nomen habet , plane non video ; dicendum enim foret *Atartagis* non *Atargatis* , ſi hæc vera ſit derivatio . Præterquam τις in Ἀταργάτις Græcorum videtur terminatio , nomen barbarum exprimere volentium , adeoque vel tranſpoſitio literarum τ & γ nihil valet , & in nomine *Derceto* , *Derce* , aliiſque vocis דג nec vola nec veſtigium eſt . In genere hic obſervamus , argumenta , quæ ex conjecturis circa compoſitionem hujus vocis, ejuſque ſignificationem , peti poſſent , non magnum pondus habere , cum fere omnia , quæ de Etymo talium idolorum , quorum cultus apud multas gentes viguit , dicuntur , incertiſſima ſint . Quis nomen impoſuerit , quo tempore , qua occaſione , qua lingua uſi ſint , qui primum nomen impoſuerunt , quis divinabit? Et toto cœlo differunt Philologi vel in hoc ipſo nomine , exponendo , pleriſque ingenioſas tamen conjecturas proferentibus.

Ingenioſa ſane eſt conjectura doctiſſimi Hilleri *Syntagm. Hermen. loco* III. *c.* 5. *p.* 200. *Atargatim* derivantis ex עתר נת *Abundantia gregis* vel *pecudis* . *Hierapolitani enim* (inquit) *pro Hebr.* עשר *uſurpaſſe videntur* עתר , *unde* עתיר נת *dives pecoris* , unde & *Aſtarte* , (eadem DEA) ipſi derivatur ex עשר *divitiæ* & עתרת *ubertas* . *ASTHAROTH* & *ASTHARIM* , a plurali עתרות & עשרים vel עשר עתרות . Addit : *Figuram , ſi Hebræos audiamus , Veneri ſuæ Philiſtæi, & Sidonii oves tribuerunt , quoniam & ovium greges Aſtharoth Phœnicum lingua dicuntur , lucroque & fœcunditati notandæ aptiſſimum ſymbolum ovis fuit ; utpote , quod animal bis parit in anno* . Confer quoque hanc in rem Buddæum *Hiſt. Eccl. V. T. p.* 952.

Præter generalem reſponſionem , quam modo dedimus , notamus tantum , uti hic , teſte Hillero , Philiſtæi Veneri ſuæ oves tribuerunt , Græcis & Latinis idolum hoc inſtar monſtri marini , cui forma humana & piſcis tributa eſt exhiberi , nec hic loci adeo de Numine *Philiſtæorum* , quam *Syrorum* agimus , quos huic Numini ſuo oves tribuere nondum vidimus ; quæ omnia ex ſequentibus ſponte apparebunt .

Sagaci non minus conjectura ſtatuitur a Viris , quorum nomen magnopere veneramur , *Atergatis* idem eſſe ac אתור גד *Deam* , vel *DEUM Aſſyriorum* , id eſt , DEA SYRIA ; quæ omnia ſuo loco relinquimus , nimis incerta hæc eſſe judicantes , quam ut argumentum , quo minus *Chadrach* eſſet *Derce* & *Atergatis* , ſatis validum præbeant . Quantopere differant V. V. D. D. opiniones circa Etymon τοῦ *Aſtharoth* , vid. apud Budd. l. citato . † Ridiculas autem ex Xantho , aliiſque de nomine *Atergatis* . apud Athen. l. VIII. *Deipnoſ.* legas .

τὸς

* Non omnes omnino differitates , quæ in ſcriptione hujus nominis apud Auctores occurrunt , hic examinare volumus , verbi cauſa , cum præter Δέρκη & Δερκετὼ interdum legatur Δερκετὶς , pro *Atergatis* , vel *Atargatis* , *Adargidis* , *Arthraga* , *Argatis* , Ἀρταγὰ & Ἀτταγάθην , apud Heſychium , & ſimilia , quæ cum ad rem nihil faciant , monuiſſe ſat eſt , & lectori in ipſius diſſertationis lectione ſponte occurrent .

§ Præter alios , qui de *Dagone* ſcripſerunt fuſe hæc tractat Jac. Ouzelius *Animadverſ. in Minuc. Felic. Octavium* pag. 178.

† Tres haſce de Etymo vocis *Atergatis* opiniones in medium adduximus , quandoquidem , ſi certo conſtaret , unam alteramve veram eſſe , vacillans videri poſſet noſtra hypotheſis , plures autem ſunt V. V. D. D. conjecturæ , quas vidimus , ſed ne nimis divagemur , diſſertationis textui eas immiſcere noluimus ; de quibus tamen verbo monere hic allubeſcit . Philologorum , & linguarum Orientalium peritorum facile princeps Relandus *Diſſ.* VIII. *de Vet. ling. Perſic.* Præeunte *Simplicio* ad lib. IV. *Ariſtotelis* . *ATERGATIN* proprie ſignificare putat τόπον Θεοῦ vel Θεῶν , ex تار *locus* & خدا *DEUS* , vel uti in *Palæſtin.* l. III.

§. III.

Hujus Deæ ſimulacrum mulieris, cujus infima pars corporis in piſcem deſinebat, formam retuliſſe tradunt veteres. Lucian. in *DEA Syria*, pag. *662.* Δερκετοῦς δὲ εἶδον ἐν φοινίκη ἐθεασάμην θέημα ξένον, ἡμισέη μὲν γυνή. Τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. [1] *Dercetus autem imaginem in Phœnicia vidi, ſpectaculum inſolitum. Erat dimidia parte mulier, & quantum a femoribus ad imos pedes protenditur, in piſcis caudam deſinebat.* Nec multum differt, quod ait Diodor. Sicul. l. II. p. *92.* Αὐτὴ δὲ, τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς, τὸ δὲ ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος. *Hæc facie quidem muliebri, corpore reliquo autem piſcis erat.* Unde a Plinio vocatur prodigioſa [2] l. V. c. 23. *Ibi prodigioſa ATARGATIS, Græcis autem DERCETO dicta, colitur:* Hinc Syri vulgo piſcibus abſtinere dicuntur. Ovid. *Faſt.* II.

> ---- *genus hoc imponere menſis,*
> *Nec violant timidi piſcibus ora Syri.*

& *Metam.* l. IV. vſ. 44.

> *Derceti, quam verſa ſquamis velantibus artus,*
> *Stagna Palæſtini credunt coluiſſe figura.*

Atque tritiſſima hæc adduxiſſe loca de Syrorum a piſcibus abſtinentia ſufficiat: plura dabit Johan. Seldenus de *Dis Syris* l. II. c. 3. Jac. Ouzel. *animadverſ. ad Minuc. Felic. Octavium* p. 178. & ſeq. in primis El. Schedium *de DIS Germanis* c. *9.* p. *126.* & ſeq.

Hiſtorica autem narratio, quamobrem eſus piſcium Syrjs vetitus ſit, nimis fabuloſa eſt, quam ut hic proferatur, & legi poteſt apud Lyl. Giraldum *Syntagm.* I. p. *62.* Voſſ. l. I. *idol.* c. XXIII.

Hæc prodigioſa, uti eam appellat Plinius, DERCETO ſeu ATARGATIS, ex hoc nummo apud illuſtriſſimum Spanhemium T. I. p. 253. oculis aliqua ratione ſubjici poſſet, ipſe vir nobiliſſimus hoc monet l. c.



§. IV.

Duo autem diverſa Numina, quorum utrorumque nomen DERCETO eſt, memorat Lucianus in *DEA Syria*. Unum hoc eſt, cujus deſcriptionem modo dedimus, quodque in *Phœnicia*, ut ait, vidit. Alterum *Hierapoli* conſpicitur. Ἡ δὲ ἐν τῇ

pag. *601.* obſervat idem Cl. Relandus, accuratius forſitan ſcribi أدر خدا *Adar coda*. *IGNIS DEUS*. Selden. *de Dis Syris Syntagm.* II. *c.* 17. adnotat; *Rac Solem* ſignificare, quod, ſi τῷ خدا Ἄδα *Deus* ſive *Dea* ſecundum Heſychium addas; ad litteram eſſet חורך *DEUS SOL*; verum ex ſequentibus liquebit, non adeo *Solem*, quam *Lunam* veteribus ſub hoc nomine latuiſſe. Quid, ſi ſimpliciter dicamus חורך compoſitum eſſe ex خدا Ἄδα *DEA* (Heſychius enim ait Ἄδα. ἡδονή. πηγή. ὑπὸ βαβυλονίων Ἥρα.) & راك, vel ريك, de qua voce Bochartus *Hieroz.* l. I. c. 42. vel ركي, (vid. *Gazophylac. Ling. Perſic.* P. Angel., a S. Joſeph.) *Potens*, *primarius*, *magnus* &c. fere uti Act. XIX. 27. Similem nota terminationem in Aſſyriorum numine *Niſroch*, Alexandrinis Μεσοραχ & Ἀσαραχ. 2. *Reg.* XIX. & *Eſai.* XXVII. Si nomen hoc impoſitum ſit huic Numini ab iis, qui fabulam, (quam apud Athenæum videre eſt,) quaque fœminam hanc ſemipiſcis formam induiſſe referunt, conſtruxerunt, ſuſpicio oriri poſſet, an non חורך eſſet, quaſi خدا ريق *DEA Aquæ* ex *Aqua*. De hac enim ſignificatione vocis الريق conſuli poteſt Giggeus. Aquis enim hanc Reginam, ceu Venerem ſubmerſam, poſt mortem Deificatam, fabulæ quædam tradiderunt. Verum quidquid ſit, incerta omnia eſſe putamus, atque adeo, unde derives, ſolidum argumentum ex hiſce Etymologiis contra hypotheſin noſtram חורך idem eſſe, quod *Atargatis*, adferri nequit.

1 Non video quo jure Auctor diſſertationis in *Hiſt. Crit. Reip. Litt.* T. IV. p. 18. Scaligerum, Pontanum &c. pro Veneris *Architidis*, apud Macrobium l. I. c. 21. legentes *Veneris Dercitidis* erroris poſtulare potuerit hanc ob cauſam. *Car* (inquit) *Derceto etoit une Divinite des Philiſtins, honoreè ſur tout a Aſcalon, & la tour, & vraiſemblablement la meme choſe, que Dagon ſuivant la deſcription, que nous en donnent Diodore de Sicile, & Lucien*. Loca enim jam adducta, & quæ in ſequentibus adducentur, ſatis probant, *Derce*, *Derceto*, *Atargatin*, unum idemque Numen eſſe, Syriſque ſumma religione cultum. Num idem Philiſtæi habuerint, & nomine *Dagon* inſigniverint, nunc non inquiro.

2 Plinius hic prodigioſam illam vocat *Atergatin*, quæ Hierapoli colebatur, quam toto corpore tamen fœminam fuiſſe teſtatur Lucianus; quadraret melius in hanc, quæ alrera parte fœmina, altera piſcis erat.

τῆ ἱερῆ πόλει πᾶσα γυνὴ ἐςὶ. Unde frequenter admodum in nummis legas : ΘΕΑΣ ΣΥΡΙΑΣ ΙΕΡΟΠ. Θεᾶς Συρίας Ἱεροπολιτῶν. vid. Harduin. ad Plin. l. v. c. 23. & Begerum in *Thes. Brandenburg.* T. II. p. 729 , qui ex hac inscriptione colligit non Hierapoli Phrygiæ, sed Syriæ nummum percussum esse.

Verum unum idemque Numen hoc fuisse, solaque imaginis forma parum diversimode delineatum, certum utique satis est.

Fertur hæc *Derceto* Mater fuisse *Semiramidis* , cujus tanta per Asiam exstant opera. Lucian. loc. cit. Ἄλλοι δὲ Σεμίραμιν τὴν Βαβυλωνίην, τῆς δὴ πολλὰ ἔργα ἐν τῇ Ἀσίῃ ἐςὶ, ταύτην δὲ τὸ ἕδος εἵσασθαι νομίζουσι οὐκ Ἥρῃ δὲ εἵσασθαι, ἀλλὰ μητρὶ ἑωυτῆς τῆς Δερκετῶ οὔνομα. *Alii autem Semiramidem Babyloniam* [1] , *cujus multa per Asiam exstant opera , hoc templum consecrasse putant , non Junoni , sed matri suæ , cui Derceto fuit nomen* . Plura loca Vossius, *Idol.* l. I. c. 23. ex Diodoro, Athenagora , & Hygino adfert. Nos levi pede hæc transimus, ad ea, quæ ad rem præsentem magis faciunt, properantes.

§. V.

In primis autem conducet in sequentibus , in antecessum hic notasse , DEAM hanc Syriæ eandem esse, quam nomine ARATHIS insignitam reperimus apud Justinum lib. XXXVI. c. 2. *Namque Judæis origo Damascena , Syriæ nobilissima civitas , unde & Assyriis Regibus genus ex Regina Semirami fuit . Nomen urbi a Damasco Rege inditum , in cujus honorem Syrii sepulchrum ARATHIS uxoris ejus pro templo coluerunt , Deamque exinde sanctissimæ religionis habent* . Hanc *Arathin* non tantum eandem dixeris cum *Atergati* ex convenientia prosapiæ , & divini cultus , quem Syri ipsi detulerunt sanctissimum , verum etiam ex manifesta convenientia nominis. In antecedentibus enim ex Strabone vidimus , Deæ Syriæ nomen esse *Abaran* vel *Atharan* , barbaris *Atergatin* & *Dercen*. Idem hic nomen est , transpositis tantummodo litteris ut pro *Athares* scripserit Justinus, vel saltem nunc legatur, *Arathis* . Nec meo hæc stare velim judicio. Ipse Salmas. ad Solin. t. I. p. 404. de hoc loco ait : *Sic legendum . Scripserat ante ATHARES , non ARATHIS , ut vulgo est , quod est transpositum* . Et Vossius *Idol.* l. I. c. 23. *Etsi Junianus Justinus in compendio præferat ARATHIS , sive ut in Veneta est ARIATHIS , vel uti est in Badiana MARATHIS , quæ corrupta videntur ex ATERGATIS . Vel potius cum Hermolao Barbaro dicamus, pro ARATA trajectis litteris esse rescribendum ATHARA. Clare enim Strabo ait l.* XVI. Ἀταργάτιν δὲ τὴν Ἀθάραν. Et longe pluribus V. V. D. D. suffragiis adstrui posset hæc observatio ; verum recepta, ut opinor, jam est penes eruditos hæc opinio.

Originem itaque celebratissimæ illius DEÆ SYRIÆ aliunde plane repetit Justinus. Et sane quamvis ex ipsorum gentilium opinione [2].

μόνοις οὐ γίνεται
Θεοῖς τὸ γῆρας, οὐδὲ κατθανεῖν ποτέ.

Sæpius tamen sepulchra Deorum penes ipsos exstare solebant jactare . Notissimum est, Cretenses olim *Jovis* sepulchrum habuisse , quamvis *Jupiter* immortalis esset , quod merito ridet Lucianus de *Sacrificiis*. Sic Callim. *hymn. in JOVEM* vs. 8. & seq.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί.
Cretenses semper mendaces, etenim sepulchrum, o Rex, tuum
Cretenses fabricarunt; tu autem non periisti, es enim semper.

Plura de Jovis hoc sepulchro in notis illustriss. Ez. Spanhemii, & Nicodemi Frischlini videri possunt ; & infra , ubi ex professo de sepulchro hujus heroinæ agendum erit, uberius de stulta hac gentilium opinione differetur.

Ast mirum procul dubio alicui videri posset, hic loci de *DEA Syria* mentionem fieri, utpote de Regina, Damasci olim Regis uxore ; de eadem autem supra [sub nomine *Atergatis*] ut fœmina simul & piscis . Verum tria hic in primis observanda

[1] Obiter observo , *Semiramidem* a סרי & חמאם quasi *columbam montanam* , secundum Bochart. *Can.* l. II. c. II. & Hesychium Σεμίραμις περιστερὰ ὀρεία ἑλληνιςὶ , dictam , columbarum abstinentia coli . Unde
------ *Sancta columba Syro* .
Atergatim autem abstinentia a piscibus , quæ duo non satis distincte observat Phornutus de *Nat. Deorum* p. 9. Ἔοικε δὲ ἡ αὐτὴ καὶ ἡ παρὰ Σύροις Ἀτάργατις εἶναι, ἣν διὰ τὸ περιστερᾶς καὶ ἰχθύος ἀπέχεσθαι τιμῶσι.

[2] De *Athara* , primario hujus Deæ , uti Strabo vult , nomine consuli meretur, (quod supra monere , ubi de Etymologia vocis *Atergatis* actum est , omisimus) elegans dissertatio , quam orientis in rebus Vir versatissimus , & Academiæ hujus insigne decus D. Millius , nuper evulgavit ad Jes. LXV. II. de *Gad* & *Meni*. §. XI.

[3] Sophocl. Oedip. vs. 634.

vanda esse duco [1] Fabellas, apud Athenæum l. supra citato, & Mythologiæ scriptores passim obvias, de Veneris, (hanc enim DEAM celebratissimam illam *Venerem Syriæ* esse, ex sequentibus abunde patebit) in hanc formam transmutatione, rationes varias seu historiolas adducere. [2] Teneri hic semper debet, quod de *Venere* monuit Apulej. *Met.* l. IX. Numen fuisse, *quod unicum, at multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo orbis venerabatur.* (3) Vere & eleganter dixisse Euseb. *Præp.* l. II. c. 6. Ε'ικότως ἄρα ἀρχὴν πόθεν ἡ δεισιδαιμονία λαβȣ̃σα, κακίας ἀνοήτȣ γέγονε πηγή. Ε'πεῖτα μη ἀνακοπεῖσα, ἀλλ' ἐς ἐπίδοσιν ἐλθȣ̃σα, πολὺ ῥυεῖσα, δημιȣργὸς πωλλῶν καθίςαται Δαιμόνων.

§. VI.

Fuit itaque hæc *Atargatis*, *Derce*, seu *Athara* celebratissima illa *DEA Syriæ*, Græcis Latinisque RHEA sive *Mater Deorum;* quod uno alterove loco adhuc ostendendum erit.

Narrat Lucianus l. cit. se in Phœnicia vidisse templum, quod a *Semiramide* in honorem matris suæ ferebatur exstructum, incolas autem ibi *Derceto* coluisse & pisces ipsi sacrasse. Idem vero auctor paulo inferius tradit, se a sapienti viro accepisse, Deam, cujus hoc erat templum, *Rheam* esse ὅτι ἡ μὲν Θεὴ Ρ'έη ἐςὶ, & templum hoc ab *Atte* quodam ipsi conditum, quod verius esse αὐτόπτης noster Lucianus judicabat, quonium σημήια δὲ ἡ Θεὸς τὰ πολλὰ ἐς 'Ρέην ἀπικέεται. Λέοντες μὲν γὰρ φέρȣσι καὶ τύμπανον ἔχει, ϗ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορεῖ, ὁκοιὴν 'Ρέην Λυδοὶ ποιέȣσι. *Adsunt signa Deæ, quæ faciunt, ut RHEA videatur. Leones enim ipsam ferunt, habetque tympanum, & super capite turrim gestat, qualem RHEAM Lydi fingunt.*

Ipsa hæc Luciani narratio non leve nobis argumentum præbet, quo statuere possimus, quæ orientalibus dicta fuit *Atergatis*, *Derce* & *Athara*, eandem Græcis & Latinis *Rheam*, & *Deam Syriam* vocari, σημεῖα enim illa, quæ Lucianus *Rheæ* insignia scribit, ubique fere, ubi *Deam Syriam* depictam videas, conspiciuntur. Confer [quod rem manifestissimam facit] hujus Deæ imaginem, quam in lucem protraxerunt Viri admodum curiosi, Bellorius *in Symbolici Deæ Syriæ simulacri expositione* (tom. VII. Thes. *Antiq. Græc.* Clariss. Gronovii.) & Montfauconius in insigni opere *Antiq. explic.* T. I. P. I. pag. 28. Ubi titulus, qui ad basin hujus imaginis repertus fuit, sic se habet

MATER. DEOR. MATER. SYRIAE.
D. S.

Verum audiamus quoque, quid Macrobius de simulacro τῆς *Atergatis* dicat, & cum iis, quæ Varro *Rheæ* tribuat, conferamus. Macrob. *Sat.* I. c. 23.) quem loeum adducit quoque L. Gyrald. *Syntagm.* I. p. 63.) fere ita. *Huic subjungebant Deam* I, *nomine* Α'τάργατιν, *quibus duobus Diis omnem cunctarum rerum potestatem attribuebant. SOLEM TERRAMQUE intelligentes: ADAD simulacrum insigne formantes, radiis inclinatis, quibus monstrabatur vim cœli in radiis esse Solis, qui in terram demittuntur. ADARGATIS simulacrum sursum versum, reclinatis radiis monstrando radiorum vi superne missorum enasci, quæcunque terra progenerat, sub eodem simulacro species leonum sunt; eadem ratione terram esse monstrantes, qua Phryges finxere* MATREM DEUM, *id est, Terram Leonibus vehi.*

Quemadmodum autem σημεῖα illa *Atergatis* explicat Macrobius, in eundem fere sensum, quæ Rheæ adsignantur, exponit Varro apud Augustin. l. VII. c. 24. de *Civ. D. Tellurem eandem dictam esse MATREM MAGNAM. Quod tympanum habeat, significari, esse orbem terræ* &c. Et infra: *Leonem adjungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant, esse nullum genus terræ, tam remotum, ac vehementer ferum, quod non subigi colique conveniat.* vid. & Lucret. lib. II. Expressis denique verbis idem testatur Phornutus *de Nat. Deorum p.* 9. Ε'οικε δὲ ἡ αὐτὴ ϗ παρὰ Σύροις Α'ρτάγα εἶναι, ἣν διὰ τὸ πελιςερᾶς ϗ ἴχθυος ἀπέχεσθαι τιμῶσι. Et Schedio *de Diis Germanis*, adductus locus ex Ptolem. l. II. *Tetrab.* Ο'ι περὶ τὰς χώρας ταύτας σέβȣσι μὲν ὡς ἐπὶ πᾶν τὴν Α'φροδίτην, ὡς μητέρα θεῶν, ποικίλοις ϗ ἐγχωρίοις ὄνομασι προσαγορεύοντες. *Qui has* [Syriæ scilicet] *incolunt regiones, plerumque Venerem, ut Matrem Deum venerantur, & variis patriisque nominibus indigitant.*

Conferri hic possunt, si quis de MAGNA MATRE DEORUM plura velit, præter Vossium, Lil. Gyraldum, similesque Mythologos, Laurentii Pignorii *Matris Idææ & Attidis initia*. Selden. *de Dis Syris Synt.* II. c: 2. & *ASTARTEM*, *ATER-*

1 Duo hæc Numina aliis sub nominibus exhibet idem Macrob. l. 1. c. 21. *Adonidis* scilicet nomine & *Veneris Architidis*, de quibus Bochart. & Fuller. *Miscell. Sacr.* l. 1. c. 13. & Hist. Crit. Reip. Lit. T. IV. in init.

ATERGATIN', *DEAM SYRIAM* , *RHEAM magnam Deorum matrem* unum idemque Numen fuisse , facile deprehendet.

§. VII.

Plura [1] orientis Numina fœminei sexus hoc uno paragrapho complectimur, quæ omnia pro diversitate locorum , nomina quidem diversa habent , [2] attamen unum idemque falsum numen , celebratissimam scilicet *Deam Syriam* designant , quod ex delineatione simulacrorum , colendi modi , & mysticæ , secundum sapientiores , significationis , luculenter patebit . Eadem certe videtur DEA illa PHRYGIÆ , de qua Virg. VI. *Aeneid*.

> ------ *Qualis Berecynthia mater*
> *Invehitur curru , Phrygias turrita per urbes,*
> *Læta DEUM partu , centum complexa nepotes.*

Parthis eadem fuit DEA , uti Vossius ex *Isidoro Characeno* in *Parthiæ periegesi* ostendit . Ἔνθεν Βεσηχάνα πόλις , ἐν ᾗ ἱερὸν Ἀταργάτι . *Inde Besechana urbs , ubi templum Atargati.*

Atergatis nomine *LUNAM* venire probat Vossius *idol.* l. II. c. 76. & l. VII. c. 10. In primis erudite hoc exsequitur celeb. Millius in eleganti *dissert. ad Jes.* LXV. 11. De qua jam supra . Huc quoque refer , quod Herodian. l. v. 16. 10. de *Urania* ait [3] . Λίβυες μὲν ἐν αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι . Φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι, ΣΕΛΗΝΗΝ εἶναι θέλοντες. P. Faber l. III. *Semestr.* c. I. pro Ἀστροάρχην reponit Ἀστάρτην , (de qua *Astarte* nos §. seq. aliquid addimus) notante J. H. Boeclero ad *Herod. loc. cit.* vid. præsertim Fuller. *Miscell. Sacr.* l. I. c. 13. & Jac. Ouzeli *Animadvers. ad Minuc. Felic. p.* 54.

Eadem quoque hæc *Atergatis*, si Beierum ad Selden. de *Dis Syris* Synt. II. c. 3. sequi velimus, fuit cum *Venere*, quæ (ut Baierus ait) *tradente Manilio* l. IV. *Astronom. In piscem mutata Babyloniis Salambus dicta sit*. Vide ipsum Seldenum, qui de origine hujus nominis, Veneris a Babyloniis dati, erudite disquirit; Schedium de *Dis Germanis* c. IX. p. 125. & 128. nec non Salmasium ad *Lamprid. Anton. Heliogab.* c. VII. Qui postquam vocem e Græco Σάλα derivasset, subjungit. *Festivum est, quod in Vet. Glossario MSS. reperi hujus vocis SALAMBO interpretamentum : SALAMBO genus monstri est*; Quæ iis, quæ de *Atergati* prodigiosa, & monstro marino diximus, bene congruunt.

§. VIII.

Videamus nunc Originem , seu principium , ex quo in occœcatis gentilium animis hæc de DEA *Atergati* opinio propullulaverit , quod facile adsequemur , si attendamus ad rem significatam , (ut ita loquar) , quid nimirum per DEAM hanc exprimere , & significare voluerint veteres ; quibus cognitis , facile erit divinare, quidnam causæ sit , quod longe lateque adeo idololatria , in hoc fictitium Numen commissa , serpserit.

Summo jure G. Ioh. Vossius omnia , quæ de ATERGATI dicuntur, exinde derivat , quod primitus sub nomine hujus DEÆ intellexerint veteres : *Quicquide solari subditum est potestati ; hujusmodi autem in cœlis LUNA est , sub cœlis autem AER , TERRA , AQUA*. Haud male hic contuleris hosce Homeri versiculos hymno εἰς Γαῖαν μητέρα πάντων, p. 532.

> Οὓς κε σὺ τιμήσεις σεμνὴ θεά, ἄφθονε Δαῖμον
> Χαῖρε Θεῶν μήτηρ, ἄλοχ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος.

Quæ omnia origini, quam Macrobius MATRI DEUM, RHEÆ tribuit, apprime conveniunt , nec non MATRI PHRYGIÆ . Illam enim fuisse *Principium naturæ passivum, præcipueque LUNAM ac TELLUREM, sive vim generatricem, quatenus a Luna, derivatur, a Terra autem recipitur. Matremque tum DEUM, tum hominum*;

 pro-

1 Longe plura sunt orientalium Numina , quæ , si cum *Venere* , & *Atergate* comparentur , nomen , & omnen idem habeant , speciminis causa pauca in medium adduximus , talia inprimis , ex quibus utilitatem redundaturam ad scopum , quem in hac nostra dissertatione figimus , suspicamur . Qui diutius hisce immorari velit , Seldenum consulat de *Dis Syris* , qui de Assyriorum ܡܠܝܬܐ *Mylitta*, Arabum هلالة , Persarum *Mytra* , aliisque , erudite disserit.

2 Atque ita res sese habet in omnibus Deorum apud veteres nominibus . Jovem ex. gr. apud *Syros* quoque coli , refert Lucian. *de DEA Syria* T. I. p. 657. edit. Amstel. at ἑτέρῳ ὀνόματι ipsum compellant. Vid. & Euseb. Præp. l. III. c. 3.

3 Vid. Hist. Critic. T. IV. p. 26.

probat Laudatus Voss. *Idol.* l. II. c. 54. Hinc Plutarch. in *Crasso* p. 543. de Dea Syria, quæ Hierapoli colitur, loquens dicit. Ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν, καὶ φύσιν νομίζουσι, καὶ τὴν πάντων εἰς ἀνθρώπους ἀρχὴν ἀγαθῶν καταδείξασαν, confer & quæ de Magna DEUM Matre lib. II. habet Lucretius. Atque hæc est ratio, quod ubique fere idololatriæ fuerit objectum. Ptolemæus enim Ægyptius apud A. Kircherum *Oedip. Ægypt.* t. I. *Syntagm.* IV. p. 325. testatur Περὶ τὰς χώρας ταύτας σέβουσι μὲν ὡς ἐπὶ πᾶν τὴν Ἀφροδίτην, ὡς μητέρα Θεῶν, ποικίλοις καὶ ἐγχωρίοις ὀνόμασι προσαγορεύοντες. *Qui has incolunt regiones, plerumque Venerem, ut Matrem Deorum venerantur, & variis, patriisque nominibus indigitant.* Idem Kircherus t. I. p. 320. de *Astarte*, sive *Astaroth*, ex Mor. Isaaco Syro in *Cosmogr. gr. Syriaca* [illegible]

[illegible]

Astaroth Sidus est unum de septem errantibus, seu planetis, quæ etiam vocatur genetrix, & obstetrix; eo, quod ipsa veluti Mater sit omnium, omnium productrix, rerum omnium, quæ in mundo sunt, nutrix & conservatrix. Quibuscum egregie conveniunt, quæ supra de *Atergati* ex Macrob. adduximus. Concludit merito ex hisce laudatus Kircher. p. 345. *DERCETUM, ATARGATIN, ASTARTEM, aliaque monstra nominum apud Authores passim esse confusa, unam tantum denotare DEAM, videlicet SYRIAM, quam Ægyptii ISIDEM dicunt, hanc enim si VENEREM, LUNAM, TERRAM, NEPHTYM, JUNONEM, MINERVAM &c. dixeris, semper unam rem, videlicet LUNAM, virtute multiplicem, dixeris.* Hinc & Lucretius II. 657.

Concedamus ut hic terrarum dictitet orbem,
Esse DEUM Matrem, dum &c.

Sic de *Astarte*, [1] quæ procul omni dubio [2] eadem. Plautus *Merc. act.* IV. *sc.* 5. *vers.* 18.

Diva ASTARTE, hominum, Deorumve vis, Vita, salus, rursus eadem, quæ est
Pernicies, Mors, Interitus, MARE, TELLUS, COELUM, SIDERA.

Alia plura vid. apud laudatum P. Bellorium, *in Symbolici DEÆ SYRIÆ simulacri expositione* (t. VII. *Antiq. Græc.* p. 430.) & Schedium de *Dis Germanis* c. 9. p. 129. Merito itaque Templum hujus DEÆ Diod. Sic. l. II. p. 92. τέμενος appellavit ΘΕΑΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. Fastu plenissima Veneris verba sunt apud Apulej. *Metam.* l. XI. pag. 197. edit. Colvii. *En adsum tuis commota, Luci, precibus, rerum Natura parens, elementorum omnium Domina, seculorum progenies initialis, summa Numinum, Regina Manium, prima cœlitum, Deorum, Dearumque facies uniformis, quæ cœli luminosa culmina, maris salubria flamina, Inferorum deplorata silentia, nutibus meis dispenso.* Non video itaque, quo jure illos reprehendat Jac. Ouzelius in *Animad. vers. ad Minuc. Felic.* qui *DEAM Syriam* cum *Atergate* & *Derceto* confundunt. Manifeste sane ex omnibus, quæ diximus, apparet, *Deæ Syriæ* seu *Veneris* cultum per totum orientem obtinuisse, & diversis nominibus, diversaque imaginis forma DEAM hanc hic illicve notam, & conspicuam fuisse, adeo ut exinde, quod Hieropoli hæc *Atergatis* forma mulieris & semipiscis repræsentetur, *DEA Syria* autem tota sit fœmina, & diversissimæ de hac eadem narrentur fabellæ, argumentum peti non possit. De eadem sane *Atergati* seu *Athara* aliter iterum refert Justinus, ut supra vidimus, nec piscis formam memorat. Et recentiores non tantum, qui hoc statuunt Philologi, sed ipsi Veteres, *Plinius*, *Strabo*, *Plutarchus*, aliique, qui hoc animadverterunt, hoc pacto vapulant. Numen fuit, ut Apuleji *Metam.* l. XI. p. 197. de *Venere* verbis utar. Quod, *Unicum, multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo, totus veneratur orbis.* Et ad nostræ aliquorum hypoteseos adstructionem ea in primis conferri possent, quæ ipse Ouzelius adducit in fine pag. 108. quæ describere non allubescit, cum in profanorum ineptiis diu satis hæsimus, & ad textum; quem explicamus, revertendum sit.

CAPUT

1 Tertullian. *Apolog.* c. 24. *Unicuique etiam provinciæ, & civitati suus DEUS est, ut Syriæ ASTARTES, ut Arabiæ DUSARES, ut Africæ COELESTIS* (sc. *Urania*, de qua supra.) sic *Venerem Syriam*, quæ *Atergatis* est, *Astarten* vocat Cicero Nat. Deorum l. III. *Quarta Venus Syria, Tyroque concepta, quæ ASTARTE vocatur.* Vide Eufeb. *Præpar. Evang.* l. II. c. 10. Τὴν Ἀστάρτην Φοίνικες τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι. Vid. Fuller. *Miscell.* l. I. c. 13. & in Hist. Crit. Reip. liter. t. IV. p. 24. & 25.

2 Satis hoc evincit unicus hic Artemidori locus, Schedio quoque l. c. adductus *Oneirocr.* l. I. Ἰχθύας πάντες ἐσθίουσι, πλὴν Σύρων τινῶν, τῶν τὴν Ἀστάρτην σεβομένων. *Omnes comedunt pisces, excepta illa Syrorum parte, qui Astarten colunt.* Quibus cum confer, quæ supra de cultu *Atergatis*, seu *Derces* dicta sunt, & Seldenus de *Dis Syris* plus semel adnotavit.

CAPUT VI.

MONSTRATUR, QUA RATIONE, QUÆ HACTENUS DICTA SUNT, LOCO ZACHARIÆ APPLICARI POSSINT; ET PLURA IN ULTERIOREM HYPOTHESEOS NOSTRAE CONFIRMATIONEM ADDUCUNTUR.

§. I. *Quæ in præcedentibus fusius probata sunt, acervatim hic proponuntur, & præsenti negotio applicantur.* §. II. *Indicatur, duo in seqq. adhuc probanda superesse, quæ hypothesi nostræ insigne fulcrum præbebunt.* (1) *Urbes, quas in seqq. memoratas invenimus, ejusdem idololatriæ reas fuisse.* §. III. (2) *DAMASCUM Atergatis seu Derces REQUIEM revera fuisse, quæ demonstratio alteram dissertationis nostræ partem conficiet.* §. IV. *Ostenditur* Tyriis & Sidoniis *hanc Deam in honore fuisse, tum ex veterum scriptorum adductis locis, tum ex nummorum inscriptionibus.* Prope Ascalonem *quoque hujus Deæ fanum exstructum fuisse, quin & in ipsa urbe, probatur ex Diodoro Siculo, & Herodoto, quibuscum confertur, quod legitur Zach. 9. vers. 5. cujus commatis phrasiologia obiter illustratur ex Jes.* xx. 5.

§. I.

Quod si nunc hæc omnia ad stabilitam, nisi fallar, supra nostram hypothesin referamus, sensus cæteroquin difficilis planissimus redditur. ארץ חדרך erit TERRA DERCES, seu ATERGATIS, in oriente adeo celebratæ, præcipue autem in *Syria*, ut nullum sane falsorum, quæ in sacris & profanis memorantur, Numinum, in hisce regionibus, notius unquam fuerit.

In hujus DERCES ארץ *Terram* vel *cœli plagam* idololatricam severum pronuntiabitur Jehovæ judicium. Nil video itaque, quod tanti momenti sit, ut huic hypothesi vim inferre possit. Nomen enim apprime convenit, uti supra ostensum est. Exempla hujus loquendi modi. *Terra hujus, illiusve Dei* vel *Deæ*, supra quoque ad verbum loco nostro conformia, producta sunt. Res ipsa quoque satis superque probata est, DEAM scilicet hanc fuisse valde notam, imo præ aliis adeo celebratam, ut ab ejus nomine hæc Regio *Terra Derces*, seu *Atergatis* appellari queat.

§. II.

Quæ hactenus diximus, satis, ut opinor, probant, non omni fundamento destitutam esse hanc nostram hypothesin, & nihil utique absurdi in ea situm. Verum majus adhuc robur iis, quæ supra in medium attulimus ad illustrationem loci, quem tractamus, accedet, si duo, quæ pertractanda adhuc restant, probaverimus, quæ hypothesin nostram non tantum solidiori fundamento suffulcire, sed rem penitus conficere videntur.

Nimirum capite hoc nono Zachariæ non tantum in titulo capitis mentio fit *Terræ Regionis*, seu *Plagæ* τῆς חדרך, sed & in sequentibus peculiares simul & insignes urbes in eodem vaticinio memorantur, quæ sub generali titulo TERRÆ חדרך comprehensæ videntur, (uti supra quoque jam adstruximus.) In has urbes grave pronuntiatur DEI judicium. Quod si nunc de urbibus hisce in specie ostendere possimus, has eodem hoc cultu idololatrico erga eandem DEAM non tantum contaminatas fuisse, sed & templa eidem huic Numini crexisse, adeoque ejusdem culpæ reas, pœnaque dignas, pluribus in hac prophetia cap. IX. commatibus lucem non tantum affundemus, sed & hypothesin nostram de *terra* חדרך multo firmiorem reddemus.

§. III.

Alterum, quod fortius adhuc argumentum pro nostra sententia erit, ex eo petemus, quod *Damascus* τῆς חדרך REQUIES seu מנוחה hic vocetur; *Damasci* autem in specie *Atergatis* מנוחה *Requiem* monstrari posse putamus, de quo cap. seq.

 §. IV.

§. IV.

Primum , quod ostendendum nobis sumsimus , fuit , quod urbes illæ , quas propheta in sequentibus recensebit , huic eidem Numini divinum cultum præstiterint, quin & templa erexerint.

Exemplo nunc sit *Tyrus* & *Sidon*. Achilles Tat. initio lib. I. p. 3. Ἐν ταῦθα ἥκων ἐκ πολλοῦ χειμῶνος , σώστρα τε ἔθυον ἐν αὐτῷ τῇ τῶν Φοινίκων θεᾷ . Καλοῦσιν αὐτὴν Ἀστάρτην οἱ Σιδώνιοι . Et Lucianus *Dea Syria* p. 657. Ἔνι δὲ καὶ ἄλλο ἱερὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα , τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι, ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι , Ἀστάρτης. Hinc veterum Sidoniorum nummis inscriptum sæpe videas ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ.

Ipsa urbs *Sidon* , si Justino credimus lib. XVIII. c. 3. *a Phœnicibus in littore , mari proximo , condita est , quam a piscium ubertate Sidona appellavere ; nam piscem Phœnices Sidon vocant* . Quid mirum , si urbs hæc monstrum marinum , quod dimidia parte piscis erat , instar Numinis coluerit ? *De Tyro* res manifesta est ex notissimo loco Cic. l. III. de *Nat. D. Quarta Venus Syria*, *Tyroque concepta* , *quæ ASTARTE vocatur* . vid. Suidam , & interpretes ad I. Reg. XI. 5. nec non J. Vaillant. *Numism.* p. 392.

Prope *Ascalonem* DEA hæc , de qua agimus , templum quoque habuit . Diod. Sic. l. II. p. 92. Κατὰ τὴν Συρίαν τοίνυν ἐστὶ πόλις Ἀσκάλων , καὶ ταύτης οὐκ ἄποθεν λίμνη μεγάλη , καὶ βαθεῖα , πλήρης ἰχθύων , παρὰ δὲ ταύτην ὑπάρχει τέμενος Θεᾶς ἐπιφανοῦς , ἣν ὀνομάζουσιν οἱ Σύροι Δερκετοῦν , αὕτη δὲ τὸ μὲν πρόσωπον ἔχει γυναικὸς , τὸ δ' ἄλλο σῶμα πᾶν ἰχθύος . *Est in Syria urbs Ascalon , a qua non procul ingens & profundus lacus , piscium copia abundans , & in vicinia illustris DEAE templum , quæ Derceto Syris vocatur , facie mulierem , & toto alias corpore piscem referens* . Imo , quod propius adhuc est , in ipsa urbe DEA hæc fanum habuit vetustissimum , & celeberrimum , quod ex historia , quam narrat Herodotus , patere potest l. I. c. 106. p. 44. Οἱ δὲ ἐπεί τε ἀναχωρέοντες ὀπίσω ἐγένοντο τῆς Συρίης ἐν ΑΣΚΑΛΩΝΙ πόλι. τῶν πλεόνων Σκυθέων παρεξελθόντων ἀσινέων , ὀλίγοι τινὲς αὐτῶν ὑπολειφθέντες , ἐσύλησαν τῆς Οὐρανίης Ἀφροδίτης τὸ ἱερόν. Ἔστι δὲ τοῦτο τὸ ἱερὸν (ὡς ἐγὼ πυνθανόμενος εὑρίσκω) πάντων ἀρχαιότατον ἱερῶν , ὅσα ταύτης τῆς Θεοῦ. καὶ γὰρ τὸ ἐν Κύπρῳ ἱερὸν ἐνθεῦτεν ἐγένετο , ὡς αὐτοί λέγουσιν Κύπριοι , καὶ τὸ ἐν Κυθήροισι Φοίνικες εἰσιν οἱ ἱδρυσάμενοι ἐκ ταύτης τῆς Συρίης ἐόντες , τοῖσι δὲ τῶν Σκυθέων συλήσασι τὸ ἱερὸν , τὸ ἐν Ἀσκάλωνι . &c. *Scythæ , ubi regredientes venerunt in urbem Syriæ Ascalonem maxima parte Scytharum prætergressa sine maleficio , pauci aliquot eorum relicti Veneris cœlestis fanum despoliarunt . Est vero illud , quantum sciscitans intelligo , inter omnia hujus DEÆ fana vetustissimum , siquidem , quod in Cypro est fanum , hinc prodiit , quod ipsi etiam Cyprii referunt . Quin etiam in Cytheris delubrum Phœnices , ex hac Syriæ regione orti , condiderunt . Ac vero Schythis templi Ascalonensis spoliatoribus &c.* Confer & quæ Pausanias habet in *Achaicis* . Huc forsan respexit sacer vates com. 5. hujus cap. dicens כי הוביש מבטה conf. phrasin Jes. XX. 5.

Atque hisce , quæ jam observavimus , nonnihil momenti causæ nostræ accessurum confido, quid magis enim hpypothesin nostram confirmare censeri debet, quam si plerasque urbes , quæ a Propheta in *Chadrachis ditione* , seu *terra* memorantur, illam quoque coluisse , eique fana exstruxisse , adeoque ejusdem idololatriæ criminis reas fuisse , deprehendas?

Atque hæc de חררך DERCE , ATERGATI.



DISSERTATIONIS
PARS ALTERA
DE
DAMASCO
ATERGATIS REQUIE.
CAPUT I.

INQUIRITUR, QUA RATIONE DAMASCUS NUMINIS, CHADRACH APPELLATI, REQUIES DICI POSSIT.

§. I. *Ostenditur, particulam relativam in voce* מנוחתו *ad vocem* חדרך *referendam esse*. §. II. *Monstramus REQUIEM hujus Numinis CHADRACH forte sepulchrum illud esse, quod Damasci fuisse testatur Justinus, cujus verba accuratius perpenduntur*. §. III. *Inquiritur, quam fide dignus hoc in negotio Justinus habendus sit*. §. IV. *Justini testimonium ulterius quodammodo confirmatur*. §. V. *Obiter notatur, frequentissime in more apud Veteres fuisse, defunctos Heroes non tantum divino honore adficere, sed ipsorum sepulchra instar templorum revereri*. §. VI. *Ad illustrationem phraseos, qua Dea hæc DAMASCI suam* מנוחה *seu REQUIEM habere dicitur, nonnulla Sacri Codicis loca adducuntur, nec non inscriptiones, in quibus de sepulchris, & statu mortis non absimili modo* מנוחה *REQUIES, QUIESCERE, REQUIESCERE &c. dicitur, quemadmodum & apud Græcos vox* παύω *hac in re adhibita fuisse probatur, imo apud recentiores Judæos ipsa hæc vox* מנוחה *in sepulchri inscriptione comparet*. §. VII. *Ex omnibus hisce conclusio elicitur, Damascum, si vera referat Justinus, jure merito* τῆς *CHADRACH REQUIEM dici posse*. §. VIII. *Pauca de ipsa Urbe Damasco, Metropoli Syriæ, & urbe olim celeberrima adjiciuntur. Amosi denique locus c. I. vs. 5. obiter expenditur*.

§. I.

Restat, ut de DAMASCO, τῆς חדרך seu *Atergatis* REQUIE, nonnulla dicamus.

Difficultates, quas supra in medium adduximus, quibus, quæ nobis innotuerant V. V. D. D. opiniones laborare censebamus, dum statuant, hanc מנוחה R*equiem* ad ipsum יהוה, vel ad דברו *Verbum ejus* referendam esse; particulam relativam, quæ in voce מנוחתו *Requies EJUS* reperitur, ad vocem חדרך referre nos jubent; quo etiam sponte ducimur, si verborum seriem absque præjudicata opinione sequamur. Verba textus hæc sunt. משא דבר יהוה בארץ חדרך ודמשק מנוחתו *Onus verbi Jehovæ in Terram Chadrach, & Damascum, requiem ejus*.

§. II.

§. II.

Si conjicere hic liceat, nescio, cur non ad sepulchrum, sive *Requietorium* (uti in inscriptione est) hujus Deæ, quod *Damasci* exstare perhibebatur, respicere potuerit sacer Vates. Monuimus supra, & ni fallar satis adstruximus argumentis non tantum, sed & summorum Virorum suffragiis, *Arathin* Reginam olim *Damasci*, Regis *Damasci* uxorem, eandem illam esse, quam *Atergatin* vocant alii. Hæc autem Heroina, quæ post mortem *sanctissima religione colebatur*, DAMASCI sepulta fuit non tantum, sed sepulchrum ipsius templi instar habitum fuit, ipsaque Dea sanctissimæ religionis habita. Audiamus iterum Justinum, qui ex Trogo, l. XXXVI. c. 2. ita refert. *Namque Judæis origo Damascena, Syriæ nobilissima civitas, unde & Assyriis Regibus genus ex Semirami fuit. Nomen urbi a Damasco* [1] *Rege inditum, in cujus honorem* [2] *Syrii sepulchrum Arathis uxoris ejus pro templo coluere, Deamque exinde sanctissimæ religionis habent*. Si hæc vera sint, & Numinis hujus, uti ferebatur, sepulchrum *Damasci* fuerit, imo celebre adeo fuerit, ut *pro templo* [3] *cultum sit*, ipsaque exinde *Dea sanctissimæ religionis* habita, quidni propheta fere μιμητικῶς DAMASCUM ejus מנוחה REQUIEM vocare posset? ibi enim post fata credebatur *quiescere*, divino honore adficiebatur, stabilis ipsi & sepulchro, (ceu templo) cultus deferebatur.

Disertis quidem verbis, in ipsa urbe Damasco sepulchrum hoc exstitisse, non testatur Justinus loc. cit. puto tamen non immerito concludi posse, si verba Auctoris accurate examinentur. Loquitur enim de *Damasco* urbe, & Rege urbis *Damasci*, qui de nomine suo hanc urbem ita vocaverit, & in cujus honorem, uxoris, quam impensissime amaverat, sepulchrum, quod in Damasci ditione procul dubio situm fuit, summa religione coluerunt Syrii Damasceni. In ipsa Metropoli sane absque omni dubio palatium suum Regem Damasci habuisse, credibile est, nec probabili tantum conjectura hoc nititur. Si Sacras litteras consulamus, primos Syriæ Damascenæ Reges *Damasci* habitasse, in confesso est. vid. 1. Reg. XI. 24. de Rezone filio Eljadahi, *Et congregatis ad se hominibus, factus fuerat princeps turmæ, quum occideret David illos. Deinde euntes Damascum, habitarunt in ea & regnarunt* DAMASCI. Sic 1. Reg. XV. 18. Asa mittit thesauros ad Regem Syriæ, qui habitabat *Damasci*. vide quoque II Chr. XVI. 2. Jer. XLIX. 27. Sic *Rex DAMASCI* II Chron. XXIV. 23. דמשק ראש ארם *Damascus caput Syriæ & Rezim caput Damasci* dicitur Jes. VII. 8. in primis confer. Jes. XVII. 3. *Desinet Regnum a Damasco, ac residua Syria &c.* Verum hanc rem ulterius confirmare conabimur §. IV.

§. III.

Et quamvis pleraque hæc, quæ de *Damasci* Regibus narrat Justinus, redoleant fabulas, ut vel inspicienti patet, vera tamen falsis miscet, uti plerumque fit, & res gestas perturbat; adeoque hinc concludendum non est, istiusmodi sepulchrum *Damasci* nunquam exstitisse, vel Deam hanc singulari ratione *Damasci* non fuisse cultam. Omnia hæc vera possunt esse, etiamsi historiolæ, seu traditiones de origine & prima hujus cultus institutione, mendaciis refertæ sint; quo magis enim futiles,

1 Geographus Arabs in codice MS. Biblioth. Lugd. Batav. cui titulus كتاب المعجم الكبير الوزير ابي عبيد بن عبد العزيز بن البكري *Thesaurus Geograph. magnus Vesir Abu Obeid Ben Addilazis Ben Bikri*. Damascum urbem ædificatam & nomen gerere vult a دمسق filio Nimrodis, filio Canaanis, quem دمسق Abrahami in itinere socium appellat Golius in notis ad Alfragani *Element. Astronom.* p. 128. ubi notat, *Arabes* ab العزر غلام ابرهم *Elesaro famulo Abrahami, seu procuratore* (*Gen.* XV. *legitur*) *conditam, & nomine filii nuncupatam urbem tradere*. Conferat, cui volupe est, hasce traditiones, & num certior ex omnibus hisce evasurus sit, experiatur, nos nimium hic aberraremus, si in hunc campum ulterius descendere vellemus.

2 Elegans est locus Lactantii l. 1. *de Falsa Religione* c. 15. qui cum hoc Justini conferatur, quamvis Damascum Syriæ omittat Auctor. *Singuli*, ait, *populi Gentis aut urbis suæ conditores, seu Viri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt, ut Aegyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Eodem utique modo Athenæ Minervam, Samos Junonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sic per populos, atque regiones varia sacra suscepta sunt, dum grati homines esse in principes cupiunt, & quos alios honores vita carentibus deferant, invenire non possunt.*

3 Sollicitat hanc quidem lectionem Vossius in notis ad h. l. dum *pro templo* legit *ejus* sc. Regis *exemplo*, ut sensus sit *Syros, æstimatione Damasci, Athares conjugis sepulchrum* (*quam ipse dum viveret impensissime amarat, mortua plus quam debita pietate prosecutus erat*) *coluisse, Regis sui, quamdiu superstes esset uxori, exemplum secutos*. Quidquid hac de re sit, hoc, si Justino fides habenda sit, constat, *sepulchrum hoc* a Syris *celi*.

tiles, & aniles essent fabellæ de primordiis suæ religionis, eo magis superstitioni dedita fuit antiquitas, quod bene multa docent exempla, quibus hic supersedemus, quam putidæ sint fabellæ, quas apud Athenæum videre est, quæ ejusdem, uti nos putamus, Deæ Syriæ metamorphosin, postquam aquis submersa esset, tradunt, supra jam docuimus, frustra has ob ineptias negaveris id, quod Lucianus, & plures alii se vidisse testantur, Deam hanc sub forma mulieris, cujus infima pars corporis piscis caudam referebat, cultam fuisse. Et quæ Justinus narrat, longe majorem veri habent speciem, imo in ipsa illa originis urbis *Damasci* descriptione, quam loco citato tradit Justinus, veri aliquid latere posse, suspicatur vir eruditissimus Hillerus in *Onomast.* pag. 115. aliique.

§. IV.

Conferri forte in rem præsentem quoque possent, quæ de origine *Damasci* leguntur in Etymol. magno, quæ, quamvis (uti omnes ferme de primordiis Damasci hypotheses, nihil habeant solidi,) fabulis referta sunt; in tantum Justini testimonium confirmant, quod *Deæ Syriæ* statuam *Damasci* conspicuam fuisse, quoque adfirment. Quo testimonio quam maxime opus habemus. Vir summæ eruditionis Is. Vossius in notis ad Justin. l. c. Etymologi verba adduxit, & cum Justini relatione aliquo pacto contulit, qua propter ipsissima ad h. l. Vossii verba adferre lubet. *Nemo* (inquit) *potest ignorare, quantopere semper in usu fuerit apud librarios, nomina eorum, a quibus urbes & regiones denominatæ, & conditæ traderentur, corrumpere, & inflectere ad ipsiusmet loci appellationem. Idem quoque hic factum esse, non injuria quis dubitare possit. Is enim, qui hic nomen urbi dedisse, quique Athares uxoris cultum instituisse dicitur, ab aliis non Damascus, sed Damas vocatur. Etymologicum Magnum.* Δαμασκὸς πόλις Συρίας, περὶ τῆς Ἀντιλίβανον εἴρηται, ὅτι Δαμᾶς στρατεύων μετὰ Διονύσου, ἐκεῖσε σκηνὴν πηξάμενος ἱδρύσατο τὸ ἐκεῖ Συρίας Θεοῦ ξόανον. Ἢ ἐν Δαμασκηνῇ, Δάμασκος, &c.

§. V.

Et sane nemini, nisi qui admodum in litteris hospes sit, fugit, in more apud omnes fere idolorum cultores positum fuisse, ut defunctos heroes non tantum divino cultu venerarentur, sed ex sepulchris ipsorum templa construerent, in quibus divino cultu & honore hos adficere solebant, ut sc. in promptu ipsis esset auxilium eorum implorare, quorum sepulchra itaque, ut Justini phrasi utar, *pro templis coluerunt*; nimium abduceremur, si hunc morem adstruere, & ab origine repetere vellemus. Adeat curiosus lector præter Kirchmannum *de Funeribus Romanorum*, aliosque, qui de hac materia scripserunt, auctores, in primis notas Joh. Faes ad Lil. Gyraldi lib. *de vario sepeliendi ritu*.

Unicus ex Clem. Alexandrino [1] locus in *cohortatione ad gentes* pag. 40. edit. Oxon. hic sufficiat. Postquam varia istiusmodi, quæ penes gentiles in honore habebantur, sepulchra numerasset, concludit. Ἀλλὰ γὰρ ἐπιόντι μοι τοὺς προσκυνομένους ὑμῖν τάφους, ἐμοὶ μὲν οὐδ᾽ ὁ πᾶς ἂν ἀρκέσῃ χρόνος. ὑμᾶς δὲ εἰ μὴ ὑπεισέρχεταί τις αἰσχύνη τῶν τολμωμένων, νεκροὶ ἄρα τέλεον ὄντες, νεκροῖς ὄντως πεπιστευκότες περιέρχεσθε. Interpres. *At enim tempus me deficiat, si tumulos omnes, quibus divinos honores tribuitis, recensere vellem; vos autem, ni scelerum istorum pudor vos aliquis ceperit, ite porro, vereque mortui, cum vestram in hominibus mortuis fiduciam collocetis, passim huc, illucque vagamini.*

§. VI.

Imitari fere videtur phrasis hæc, qua *Atergatis* seu *Atharis* DEÆ SYRIÆ templum hic loci a propheta vocetur מנוחה, nonnulla Sacri Codicis loca; verbi causa Ps. XXXII. 8. 14. Jes. LXV. 1. & plura alia.

In primis vero operæ pretium videtur, si inscriptiones, quas in locis sepulchralibus exsculpserit antiquitas, in lucem protrahamus, non absimili non tantum modo loquendi apud profanos istiusmodi loca, in quibus recumbebant, qui fato erant functi, vocata, sed eodem plane vocabulo interdum insignita fuisse, evidenter patebit.

Nec

1 Vid. eadem apud Euseb. *Præpar. Evangel.* l. II. c. 6. ubi capitis titulus sic habet. Περὶ τῶν νεκρῶν εἶναι τάφους τὰ καλούμενα αὐτῶν ἱερὰ τῶν Θεῶν.

Nec Romanos tantum, verum Græcos olim, quin & hodiernos quoque Judæos hac phrasi, hoc in casu interdum usos fuisse, exemplis monstrabimus. Ex pluribus hæc pauca. Lugduni in Monasterio Insulæ Barbaræ. (Grutero fol. DXXV. n. 6.) legitur.

ET. QIETI. AETERNAE. M
AVLINI. ANTONI. VET.
LEG. XXXV. PVDIC. TITIAE
PRIVATAE. CONIVGI. EIVS
VIVI. SIBI. ET. POSTERISQVE
SVIS. PONENDVM. CVRAVER
ET. SVB. ASCIA. DEDICAVER.

Sic sæpius *QUIETI ÆTERNÆ* in monumentis legitur eodem sensu apud eundem Grut. fol. DLXXXIII. n. 8.

NOBILIS. TIB.
CAESARIS. AVG
SER. AEQ. MONET
HIC. ADQIESCIT
IVLIA. ADEPTA. CONIVNX
ET. PERPETVA. FILIA. D. S. D.

Notatu dignissima quoque hæc est (Grutero fol. DCCCLVII. n. I.)

ANNIO. HILARO. ET. FLAVIO
ROMVLO. ET. ANNIAE.
FELICIAE. SOTERIDIS. QVORVM
CORPORA. VIRGINIA. HIC
CONDITA. SVNT. AD. BENE
QIESCENDVM.

Denique & hæc examussim τῆς מנוחה uti nostro loco occurrit, convenit.

P. SCANTIVS
PHILETVS
FECIT. SIBI. ET
SCANTIAE
NICE. LIB
REQVIETORIVM.

Plures aliæ hic possent addi, in quibus *QUIETORIUM*, *INTERNA SECURITAS*, similesque, quæ a notione vocis מנוחה non longe abludunt, voces, tumulis adscriptæ, conspiciuntur, quæ apud Jacobum Gutherium de *jure manium* prostant.

Prætermittimus nunc omnia illa loca, in quibus penes Latinos Auctores *quies*, *requies*, *requiescere &c.* de mortuis usurpetur, quæ apud Lexicographos satis videri possunt [1]. Nec soli Latini in hunc modum, vocabulis, voci מנוחה plane similibus, ad sepulchra sua denotanda utuntur. Græcis N. Test. scriptoribus vox παύω de *quiete* mortis ita fere usurpatur Apoc. XIV. 13. Num in Epitaphiis Græcorum hæc quoque vox adhibeatur, mihi nondum constat. Inscriptum alicubi legas.

ΛΑΙΣ. ΕΚΟΙΜΗΘΗ. Δ. ΥΠΝΟΝ. ΟΦΕΙΛΟΜΕΝΟΝ.

Aegyptii, uti refert Diod. Sic. l. I. *Biblioth.* τοὺς τῶν τετελευτηκότων τάφους ἀϊδίους οἴκους προσαγορεύουσιν. Verum hæc magis abludunt, neque hisce opus habemus.

Ipsi tandem Judæi in Epitaphiis, titulisque sepulchrorum vocem מנוחה interdum

1 Virg. *Aeneid.* l. VI. vs. 153. vocabulo *Sedes* eodem fere sensu usus est, quo in vaticinio מנוחה ex hypothesi nostra occurrit.
Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulchro & vs. 372.
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Unicum hisce addo locum, ex quo vocis *Quiescere* hac in re usus non tantum liquido patet, verum etiam, quam sancta penes antiquos habita fuerint sepulchra, manifestum fit ex Quintil. *Declamat.* x. (quem locum observavit J. Meursius de *funere* c. XLIII.) *Sacratos morte lapides, etiam cineres, & ossa RELIGIOSE QUIESCENTIA fracta sparsisset urna.*

dum usurpant, quando defunctis מנוחה בגן עדן addicunt. Unicam tantummodo sepulcri inscriptionem adducam, quam reperi in notis Joh. Faes ad Lilii Gyraldi lib. de *vario sepeliendi ritu* t. I. p. 717.

האבן הזאת
אשר שמתי מצבה לראש הזקן
ר״ אליקים
ב״ר יוסף
ויקבר בחול המועד של
פסח יום ח׳ צה״ לפרט״ק
מנוחו בגן עדן עם שאר
צדקי עולם
א״ א״ א״ ס

Quod, (inquit Auctor) *si faciamus, ut hisce Ebraicis Latina respondeant, ipsi hoc modo opitulari poterimus*

LAPIS. HIC. EST.
QUEM. POSVI. MONUMENTUM. CAPITI.
SENIS.
R. ELIAKIM.
FILII. R. JOSEPHI.
QUI. SEPULTUS. EST. IN. DIE. PROFESTI.
PASCHATOS. IIX. ANNO. XCV. SUI. MIN.
REQUIES. EJUS. IN. HORTO. EDENIS.
CUM. RELIQUIS.
JUSTORUM. MUNDI.
AMEN. AMEN. AMEN. SELAH.

Aliud adhuc monumentum, quod huc facit, dabit M. F. Beckius in *monumentis antiquis Judaicis* p. 34.

§. VII.

Ex hisce nunc, quæ de Arathis sepulchro, penes Damascenos, si vera scripsit Justinus, exstanti, & παρερμηνέια vocabuli Hebr. cum Græcis & Latinis, imo hodiernis adhuc Judæis diximus, unusquisque statim advertit, quam facili negotio ipsa Urbs Damascus hujus Deæ חדרך REQUIETORIUM מנוחה, dici posset. Versioni nostræ Belgicæ levi admodum mutatione idem sensus dari posset, si loco. *Het Land Chadrach, ende Damascus, deszelfs ruste*, dicas, *Het Land van Chadrach, ende Damascus, deszelfs rustplaats*.

§. VIII.

In descriptione Damasci amplius nunc expatiari, & in urbis originem, & fata exstantiora nunc inquirere, hujus dissertationis positos terminos nimis quantum excederet, materia quamvis non injucunda, nec Virorum doctorum laboribus adhuc dum exhausta videatur, & sua, in enodandis quam pluribus Sacri Codicis locis, utilitate minime esset destituta.

Pauca hæc, antequam *Damascum* deseramus, de ipsa urbe notare liceat, quæ quamvis tritissima, præsenti tamen negotio satis congrua; Metropolin non tantum fuisse *Syriæ*, verum urbem, antiquitate, & nominis celebritate præ omnibus totius fere orientis urbibus adeo eminentem, ut Julianus in *Epist.* dixerit. Τῆς ἁπάσης ἕω ὀφθαλμὸν τὴν ἱερὰν, καὶ μεγίστην Δάμασκον λέγω, τοῖς τε ἄλλοις ἅπασιν, οἷον ἱερῶν κάλλει, καὶ νεῶν μεγέθει, καὶ ὡρῶν εὐκαιρίᾳ, καὶ πηγῶν ἀγλαΐᾳ, καὶ ποταμῶν πλήθει, καὶ γῆς εὐφορίᾳ, νικῶσαν. *Totius orientis oculum, Sacram, & amplissimam Damascum dico, omnibus aliis rebus, sacrorum elegantia, templorum magnitudine, temporum anni oportunitate, fontium nitore, fluviorum multitudine, terræ ubertate, superantem.* Et quæ talia plura apud Geographos, qui de *Damasco* egerunt, videri possunt.

Ad ipsam urbem *Damascum*, vel confinia ejus nonnulli interpretes censent pertinere nomina illa, quæ ad instar propriorum, usurpantur Amos I. vers. 5. בירת

בקעת און & עדן *Vallis vanitatum*, *&* *Domus deliciarum*, * quæ vocabula, ſi *Damaſcum & Agrum Damaſcenum* ſpectent, hujus *Veneris*, ſeu *Deæ Syriæ* colendi modum turpem valde, & impurum fortaſſis reſpiciunt.

* Not. Damaſcum olim uti & Aſcalonem عرس الشام *Syriæ ſponſam* appellatam eſſe, vide Golii notas ad Alfragani *Elementa Aſtronom.* pag. 151. Damaſcena regio, الغوطة *Tempe* vocatur. Et غوطة دمشق *Viridarium* hoc *Damaſci* inter quatuor جنات الدنيا *Delicias*, *ſeu hortos mundi numerant.* v. p. 128.

C A P U T II.

DUBIA, QUÆ CONTRA DATAM EXPLICATIONEM VOCUM *TERRA CADRACH, ET DAMASCUS REQUIES EJUS,* MOVERI POSSENT, RESOLVUNTUR.

§. I. *Objicitur affixum maſculini generis in voce* מנחותו *ad Numen fœminei ſexus referri non poſſe. Ad quod reſpondetur generatim.* §. II. *Magis ſpeciatim, & de Numine, de quo locus noſter agit, diſſeritur.* §. III. *Indicatur apud Syros fœminei ſexus Numina multo celebriora fuiſſe, quam maſcula, nec mirum adeoque eſſe, Syriam hic loci TERRAM DEÆ CADRACH, non Dei alicujus, appellari.* §. IV. *Reſpondetur ad objectionem, quod ATERGATIS Dea Hierapolitana vocetur, & Hierapoli praecipue culta ſit.* §. V. *Ex omnibus iis, quæ in præcedentibus dicta ſunt, concluſio elicitur, hoc Zachariæ vaticinium graviſſimum Dei judicium in terram ATERGATIS idololatricam continere.*

§. I.

ADſtructa, quantum potuerimus, ſententia noſtra, de removendis nonnullis difficultatibus, quas hypotheſi noſtræ objectum iri, facile videmus, deſpiciendnm erit. Et inter has, hoc in primis multos fortaſſe male habebit, quod, cum ſtatuerimus, חדרך nihil aliud eſſe, quam *Deam Syriam Atergatin*, Numen adeoque fœminei, uti credebatur, ſexus, affixum nihilominus generis maſculini in voce מנוחתו *Requies ejus*, reperiri, accurate enim loquendo (dices) non מנוחתו ſed מנוחתה, ſi חדרך *Dea* ſit, ſcribi oporteret. Ad enallagen generis, quæ linguæ Hebreæ non valde infrequens eſt, poſſemus hic recurrere, uti quando de fœminis, ante memoratis, relativum הם pro הן vocibus affixum uſurpatur Exod. I. 21. Num. XXXVI. 6. Zach. V. 9. & quæ plura apud Grammaticos videri poſſunt. Aſt, ut verum fatear, hac exceptione, quantum fieri poteſt, abſtinendum exiſtimo; magis enim nondum ſecat, quam ſolvit; alia ſupereſt, quam tutiorem eſſe puto, reſponſio.

Notum eſt, antiquos quædam Numina utriuſque ſexus participes finxiſſe, exemplo ſit, quod de *Baccho* prodit Suidas. *Lunus*, *Luna* [1] quoque dicitur, & obſervante Caſaub. ad Ael. Spart. *Anton. Carac.* c. 7. in linguis orientalibus *Lunam* nunc voce maſcul. nunc fœmin. generis exprimi, ſic לבנה θηλυκὸν ירח ἀρσενικὸν *Chaldæorum* סהרא *fœmineum*, *Arabum* قمر *maſcul.* & *in pervetuſto gloſſario Latino Arabico, quod laudat Job. Schaliger* هلالة & هلال, *Lunula*, & *noctiluca*, *quæ duæ voces Latinis reſpondent LUNA & LUNUS*. In quibus diſſenſum tamen profitetur Selden. de *Dis Syris*. *Syntagm.* II. c. 2. p. 166.

De *Venere* [2] res adeo nota eſt, ut exemplis adducendis ſuperſedere poſſemus, unicum hoc ſufficiat ex Macrob. *Saturn.* l. III. c. 8. ubi *Lævinus* ait: *Venerem igitur almum adorans, ſive fœmina, ſive mas eſt*. Hinc & *barbatæ Veneris* ſimulacrum in Cypro. Phrygum, numen Ἄδαγοῦς ἑρμαφρόδιτον fuiſſe Heſychius refert, & quæ talia plura paſſim notarunt alii.

§. II.

Quod ſi nunc *Atergatin* inter hæc utriuſque ſexus Numina referrẽ liceat, ſublata

1 *Luna* eſt illa מלכת שמים, cui placentas parant fœminæ. Jeſ. VII. 18. vid. Jac. Sponii *miſcell. Erud. Antiq.* Sect. I. Art. I. p. 2. & Abr. Calovium diſſ. de *Selenolatria*.

2 Vid. Selden. *de D. Syris* Syntagm. II. c. 4. Schedium *de Dis Germanis*. c. IX. p. 134.

lata videtur difficultas. At, cui aqua hic amplius hærere potest, qui consideret, supra evidenter demonstratum esse, *LUNAM*, *DEAM PHRYGIÆ*, *ATARGATIN*, *VENEREMQUE*, veteres toties confudisse. *Lunam* autem, (quod modo dictis addo) & marem & fœminam haberi affirmat Auctor apud Macrob. *Sat.* III. 8. *Philochorus in Atthide*, *eandem* (*VENEREM*) *affirmat esse LUNAM*, *& ei sacrificium facere viros cum veste muliebri; mulieres cum virili, quod eadem & mas æstimatur & fœmina*. Hæc fusius tractat Vossius l. c. Seldenus *de Dis Syris*, vid. & Fabric. *Bibliogr. Antiq.* VIII. 7. Qui ingentem numerum dabit auctorum, qui de gemino in Diis sexu egerunt, quos consulere non vacat inter quos Crojus in *specimine conjecturarum ad loca quædam Irenæi;* Præ omnibus reliquis autem, & qui solus sufficit, consulendus est Seldenus *de Dis Syris*, qui præter datam responsionem syntagm. II. c. 2. ait: *Neque enim sexum idolorum Scriptura Sacra*, *nec prisca mysteria gentium distinguunt*. Quod adsertum erudite, ut semper solet, probat laudatus Auctor inprimis cap. IV. pag. 206. & 208. &c. Ea itaque, quæ diximus, ad solvendum nodum sufficiunt, quippe, si inter hæc utriusque sexus ficta numina *Atergatin* numerare liceat, facili negotio affixum mascul. generis in voce מנוחא tolerari potest. Plane ut Latini de *Venere*

Descendo ac ducente DEO

Herodoti locum, quem alium in finem supra adduximus l. I. c. 106. addere hic liceat. De Scythis, templi *Veneris cœlestis* spoliatoribus loquens subjungit. Τοῖσι δὲ τῶν Σκυθέων συλήσασι τὸ ἱερὸν, τὸ ἐν Ἀσκάλωνι, καὶ τοῖσι τούτων αἰεὶ ἐκγόνοισι ἐνέσκηψε Ὁ ΘΕΟΣ θήλειαν νοῦσον. *Ac vero Scythis templi Ascalonensis spoliatoribus*, *eorumque semper posteris HÆC DEA morbum immisit fœmineum*.

§. III.

Supersunt & nonnulla alia non magni momenti, quæ contra sententiam nostram moveri possent, solvenda dubia.

Objici posse prævideo, commodius, & magis solenne esse, si terram regionemve de nomine viri, quam fœminæ nomen suum accepisse statuas, adeoque hanc *terram* alicujus DEI, non DEÆ dicendam, si propheta ad Syrorum Numen respexisset. Verum, qui utriusque sexus ficta Numina apud Syros conspexerit, facile advertet, Numina fœminei sexus multo celebratiora Syris fuisse sexu masculino. Consentit, hac in re Vir magnus Ger. J. Vossius l. IX. *Idol.* c. 10. cujus verba adduxisse ad solutionem hujus difficultatis satis est. *Hæc* [inquit] *Numina mascula sunt*, *sed celebratiora Syris fœminea quatuor*: *DEA Syria*, *sive Hierapolitana*; *Atergatis*, *sive Derceto*; *Venus in Libano*; *& Astarte*, *DEA Syria seu Hierapoli culta*, *eadem erat ac Rhea sive mater DEUM*. Quatuor autem hæc, quæ recenset Vossius, Syris idola unum idemque esse, sed variis sub nominibus hic illic culta, nemo negabit, qui aniles, quæ de singulis apud Auctores reperiuntur, fabellas, contulerit, supra quoque hæc jam multis passim probata sint, uti etiam Numen hoc, de quo egimus, adeo præ aliis, celebre fuisse ut TERRA de EJUS speciatim nomine merito dici queat, quin & apud Sacros non tantum, sed & profanos auctores quoque dicatur. Sic apud Aeschylum *Supplic.* vs. 562.

Τὰς Ἀφροδίτας πολύπυρον αἶαν.

Veneris igne abundantem [1] *terram*.

Ubi Scholiastes, *Phœniciam* intelligi vult. Tanti itaque nominis hæc fuit Dea Syria, ut, (quemadmodum Homerus hymno in *Venerem*)

Πᾶσιν δ' ἐν νηοῖσι θεῶν τιμάοχος ἐστὶ
Καὶ παρὰ πᾶσι βροτοῖσι θεῶν πρέσβειρα τέτυκται.

§. IV.

Ejusdem valoris est, si quis in hunc modum insurgat. Hierapolitana hæc DEA vocatur ibique ejus est imago, Hierapolis autem ad orientem Antiochiæ a Strabone collocatur, adeoque a Damasco, & Palæstinæ finibus longius reducta. Facile enim respondemus, satis superque esse demonstratum, cultum hujus Numinis non Hierapoli tantum, sed per totam Syriam, & circumjacentes regiones, quin

 imo

1 Vel uti illustris Cuperus in *Histoire Critiq. R. Lit.* t. IV. pag. 302. reddere mavult *frumenti valde feracem*, At vero Auctor additionum ad finem hujus IV. tomi priorem versionem magis probat, inquiens, *par le* πολύπυρον *d'Eschyle il faut entendre le grand nombre d'antels, que Venus, ou Astarte avoit dans la Phenicie; cela signifie donc MULTUM IGNIS HABENTEM c'est a dire MULTAS ARAS HABENTEM. En effet la Lune, (qui est Venus) etoit adoree dans toutes les Villes &c. de ce pais la aussi bien que le Soleil.*

imo per totum fere orientem obtinuisse, speciale quid autem *Damasci* fuisse, qua propter ipsa urbs DAMASCUS hujus מנוחה *REQUIES* vocari possit.

§. V.

Atque hoc pacto *Athari*, *Atergati* seu CHADRACHI DAMASCUM merito ut *REQUIETORIUM* adsignamus. Zachariæ itaque vaticinium, in cujus capite hic reperitur titulus, severum Jehovæ judicium contra *Syriam*, reliquamque CHADRACHIS *terram* idololatricam, & *DAMASCUM* Regionis non tantum metropolin, sed & præcipuam, *placidam*, stabilemque cultus hujus falsi Numinis *sedem* pronuntiabit. Sic nihil contortum, nihil a significatione vocum alienum, vel scopo totius Prophetiæ Orationis minus conveniens in hoc loco relinqui putamus.





CHRISTOPHORI CELLARII DISSERTATIO DE EXCIDIO SODOMÆ.

PROOEMIUM.

SI unquam ab exordio Mundi justitiæ suæ specimen edidit Divina Nemesis, certe, post catholicam terræ inundationem, *Sodomæ* & vicinarum urbium eversio est, cujus per tot millenarios etiam nunc horrenda vestigia perdurant. Magnitudo rei veterum & recentium Historicorum fatigavit industriam; quin & ipse Spiritus S. dignam, quæ sacris literis crederetur, judicavit, ut mortalibus esset lucidissimum iræ divinæ, flagitiis ipsorum provocatæ, speculum. Quare & nos, quibus *hæc pariter in doctrinam præscripta sunt*, (Rom. xv. 4.) non plane inutilem aut ingratam DEO navaturos operam speramus, si mirandum hoc DEI judicium paulo penitius, (in quantum humana fragilitas ingeniique tenuitas permittit) inspicere conamur. Hoc fine duabus Dissertationibus negotium istud tractaturi sumus: Prior Sodomorum & circumjectæ Regionis statum, tum qualis ante Excidium florente adhuc Republica fuit, tum qualis per Excidium factus, & post Excidium etiam nunc est, historice exponet; Posterior data phœnomena rationibus ex Scriptura S. & saniori Philosophia petitis solvet, una tamen prælucentem passim in hoc opere miraculosum Dei digitum ostendet.

CAPUT I.

De Statu Pentapoleos ante excidium.

QUemadmodum ad cujusque Historiæ integritatem antecedentium quoque notitia requiritur: Ita, cum impræsentiarum *Sodomæ* & sororum exponenda eversio est, de priori earundem ex vicinæ regionis statu in limine paucis agendum erit.

II. Generatim itaque totius oræ faciem describit Moses Gen. XIII. 10. ceu jucundissimam & ad invidiam felicem, quam secedens ob amplitudinem rei pecuariæ a patruo

patruo suo *Lothus*, optione sibi data, præ omnibus aliis elegerit : *Sublatis* quippe *oculis suis intuebatur Loth universam planitiem Jordanis , quod tota esset irrigua antequam subverteret Jehova Sodomam & Gomorrham, & sicut Ægyptus*, &c. Per hortum Domini sive cum *Grotio Mesopotamiam* , sive cum aliis *Paradisum* intelligas , utrinque terram amœnissimam & liquidis fluviorum undis perfusam reperies . Pristinam autem *Ægypti* fœcunditatem stagnantis *Nili* beneficium, neminem, qui vel obiter veteres introspexit Historicos, latere posse arbitror. Pari tunc temporis ubertate *Sodomiticam* terram alluebat nobilissimus Palæstinæ fluvius *Jordanes* , cui præter alias virtutes , etiam hoc cum *Nilo* commune ferunt , quod certo anni tempore exundans , in vicinam planitiem laudatas aquas mira fœcunditate effuderit , (vid. Jos. III. 15.) Habet enim hic fluvius (teste *Borchardo Desc. Ter. S. It. v. Not. n.* 26.) per totum decursum suum *ab utroque littore campos latos & amœnos*, *atque prata virentia , positis hinc inde altissimis montibus in quos hæc arua desinunt*, atque hac pratorum amœnitate tanto præ aliis Terræ S. partibus magis fruebatur *Pentapolis* , quanto latius ejus planities a ripa *Jordanis* occidentem versus extat extensa. Montes insuper planitiei huic incumbentes tunc neutiquam aridi sterilesque, quales hodie cernuntur, sed partim arboribus jucundissimis , partim vitibus, (*vid. Borch. P.* II. *c.* I.) tergeminam quotannis vindemiam præbentibus , partim denique nobilissimis *Balsami* hortis vestiti , quorum adhuc suo tempore quasdam reliquias juxta oppidum *Zoar* invenerunt *Hieronymus* & *Borchardus* , prout infra videbimus . Interim de hac ipsa Regione ejusque proventibus haud incongrue prædicari poterit , quod de tota Palæstina *Saligniacus Itin. Hieros. T. V. cap. 6. Videas in hac terra montes herbidos , prata amœna , agros odoros , ubi passim velut in hortis cultis crescit , fœniculum , salvia , ruta , rosa . Hinc bombax abundat & Canamellæ , unde sacharum educitur . Sunt etiam poma præstantia varii generis , optimi odoris , cedri , citri , limones , anarangi , ficus , mala granata , olivæ , pepones , citrulli , melones , dactyli , racemi , legumina optima , frumenta præstantissima . Poma varii generis toto anno ex arboribus leguntur ex vitibus singulo anno ter vindemiæ colliguntur , quod partim fit arte , partim natura . Porro arbores præstantes , palmæ , terebinthi , cypressi , & omnium præstantissima Balsami* . Adeo in exiguo hoc terræ tractu , quicquid olim divitiarum Palæstina felix protulit, natura velut in compendio ostendebat.

III. Speciatim in hac regione locum quendam Scriptura *Gen.* XIV. 8. 10. notat, crudeli quondam inter *Elamitas* & *Pentapolitanos* pugna nobilitatum , quem in originali Lingua עמק שדים vocat . Quid hoc nomine indicetur , varie disceptatum penes Interpretes: *Vallem* fuisse hunc locum ceterisque depressiorem , e voce עמק clarum est; sed vocabulum שדים diversas diversorum patitur explicationes . *Nonnulli* [referente *Musculo Comment. in Gen. c.* XIV. *p.* 338.] *retinent Hebræam vocem* [quasi nomen proprium sit] *ac legunt , in valle Siddim . Græcus legit* , τὴν φάραγγα τὴν ἁλυκὴν , *i. e. vallem salsam , vel ut Hieronymus legit , vallem salinarum . Aquila* vertit τῶν περιπεδίνων , *Theodotio* , τῶν ἀλσῶν . Intellexerunt enim per vallem *Siddim* amœna nemora , quia fortasse non שדים sed שטים legerunt, a שטה , quod *cedrum* denotat . *Chaldaica* autem translatio habet כמישר חקליה , *in planitie agrorum*, significans vallem hanc planam fuisse agrisque cultis & aratis refertam , quæ explicatio haud dubie optima & commodissima est : certe vox שדים a nulla alia Radice melius aut facilius derivari poterit , quam a שדד, *quod* (ut *Oleaster* observavit) *significat agrum colere seu adæquare : qualis manere solet ager , postquam lignea crate ad æqualitatem redactus est* . Ergo secundum hanc interpretationem locus ille erit campus humilis, sed pinguibus arvis excultus , frumentisque varii generis consitus , tantæ praeterea amplitudinis , quæ validissimis novem Regum copiis simul in acie disponendis explicandisque sufficeret : nec a veritate alienum spero , si totius vicinæ gentis horreum & granarium hic fuisse statuamus ; planitiem enim reliquam pascuorum utilitas abstulerat frugibus . Ceterum non repugnabimus , si quis nomen שדים proprium loci facere velit , modo illud concedatur , quod *Glassius Phil. S. lib. IV. Tr. III. Obs. X.* multis exemplis demonstravit , nomina propria Hebræorum pleraque a re gesta vel conditione subjecti fuisse imposita.

IV. Verum nostram interpretationem Scriptura ipsa dubiam reddere videtur , dum statim de loco isthoc *Siddim* pergit *Genes. XIV.* הוא ים המלח *ipse est mare Salis* . Equidem , si per anticipationem hæc dicta sint , quasi post excidium demum & *Mosis* tempore vallis illa fuerit mare salis sive mortuum , sententiæ nostræ nihil derogare potuerunt ; quippe non repugnat , vallem ante hac cultam ac frugiferam

per

per casum aliquem mari aut lacu inundari : Quod si vero sensus sit, locum *Siddim* jam ante eversionem fuisse ipsum mare salis, totique valli circumjectæ nomen dedisse; tunc nostra hypothesis cum omnibus fundamentis, quibus eam superstruximus, corruet. Atque pro hac ultima explicatione tanquam pro aris & focis militant *Oleaster*, *Becmannus* & maxime omnium *Cajetanus*, cujus sequentia verba & argumenta *Pererius Comm. in Gen. Cap. XIV.* 3. recenset : *Utrum hoc mare Salis inciperet post illud bellum, an fuerit ante, Scriptura non manifestat; non enim manifeste dicit, illam vallem esse mare Salis. Etenim pronomen ipse (sic enim Hebraice legitur,* Ipse est mare Salis *) est masculini generis in Hebræo : & potest demonstrare tam vallem, quæ Hebræis est communis generis, quam vocem illam* Siddim *, quæ est masculini generis, & est nomen proprium illius vallis. Si igitur pronomen* ipse *demonstrat* Siddim *, non oportet fateri mare Salis factum esse post illud bellum : Sin autem demonstrat* Vallem, *necesse est id fateri; significatur enim, locum qui erat vallis tempore illius belli, postea tempore Mosis, qui hæc scripsit, fuisse mare Salis. Et hunc sensum secutus est Josephus & Latinus interpres. Verum quia sine auctoritate ponitur tam magna novitas, ut tantus ille lacus, cujus auctore Josepho, longitudo DCLXXX. stadiorum est, latitudo autem CL. cum antea nullus fuisset, repente factus sit; idcirco non facile fidem adhibeo. Potius igitur sequor planum sensum literæ, quæ indicat, vallem illam esse denominatam a Siddim, i. e. a loco propinquo, qui est mare Salis.* En, satis accurate *Cajetanus* format statum quæstionis! nobis ergo incumbet, pro stabilienda nostra sententia probare, quod demonstrativum הוא non ad vocem *Siddim*, sed ad *vallem* referri oporteat.

V. Ante omnia observamus, gratis supponere *Cajetanum*, quod vox *Siddim* nomen proprium sit vallis illius, quum forma externa potius appellativum pluralis numeri arguat. Sed quicquid horum sit, nullo modo ad vocem *Siddim* referri poterit pronomen demonstrativum. Nam si proprium loci facias, erit generis fœminini, prout omnia regionum & provinciarum nomina, *vid. Buxt. Thes. Gram. L. I. pag.* 68. & sic pronomen הוא, quod masculinum est, cum eo jungi nequit: Sin appellativum : tunc genere quidem cum demonstrativo convenit, non autem numero, qui hic singularis, illic pluralis est. Itaque pronomem necessario cum voce עמק jungi debet, ut sensus sit, totam hanc vallem esse Mare Salis, idque non ante excidium Sodomiticum : nam circa istud tempus adhuc in eadem valle atrox inter novem Reges commissum prælium est; ergo sine dubio post Excidium, quod qui acciderit, infra suo loco ostendemus. *Neque hoc* (respondet *Pererius*) *incredibile videri debuit Cajetano, repente factum esse illum lacum; cum vel ob ingentem aliquem terræ motum aliasque causas naturales, sæpe nova flumina & lacus extitisse, certis manifestisque exemplis ab Historicis pariter atque Philosophis proditum sit*. Verum instat *Becmanus Hist. O. T. Part. I. c. III.* §. 23. *p.* 96. *Si* lacus in terra Sodomorum *plane non extitisset, & per eversionem istarum urbium demum natus fuisset, Jordanes effluxu caruisset, quod contra naturam tantorum fluviorum*. Quasi vero impossibile foret, Jordanem vel aperto tendentem supra terram cursu, vel in terram abditum, occulto meatu, sive in *Rubrum* sive *Mediterraneum* mare, (hæc ambo enim modico intervallo distant. ab eo lacu) deferri. Nos multo rectius sic argumentamur. Si in terra Sodomorum ante eversionem istarum urbium lacus extitisset, Scriptura hanc regionem *planitiem Jordanis* non appellasset; quippe totam provinciam a se denominare non potest fluvius in ipso ejus limine lacu absorptus : sed posterius falsum est, ergo & prius.

VI. Nunc autem Scriptura duce porro per vallem istam, quam modo cultissimam frugumque parentem conspeximus, spatiari juvat. Erant in ea (*Moses* ait *Gen. XIV.* 10.) בארות בארות חמר *multi putei bituminis*; Epizeuxis enim vocis בארות, prout in aliis locis v. g. *Exod. VIII.* 14. *Joel. III.* 14. multitudinem innuit. De vocabulo autem חמר variæ sunt Interpretum sententiæ. *Rabbinorum* aliqui, e quorum grege *Kimchius* & *Sel. Ben. Melech* טיט עפר *lutum pulueris*, sive terram aqua permixtam & subactam, reddiderunt, ut adeo בארות חמר idem sit, ac fontes turbidi & lutosi. Apertius paulo hanc sententiam *R. Salomo Isaacides* quem vulgo *Jarchi* dicunt, tradidit, in commentario ad hunc locum scribens : בארות הרבה היו שם שנוטלין משם ארמה לטיט של בנין *Putei multi erant ibi, unde efferebant terram ad lutum ædificiorum*. Hos secuti ex latinis interpretibus *Pagninus*, *Oleaster* & *Vatablus* vocem חמר partim *cæmentum*, partim *lutum* & *argillam* vertunt. Ex Græcis quidam ἄσβεστον i. e. *calcem vivam* interpretantur, cum חמר condendis ædibus & muris adhibitum legerent, *bitumen* vero ædificando inutile arbitrarentur. At enim vero memoratis sententiis reclamat experientia & probatissimorum omnis

ævi

ævi Hiſtoricorum fides, qui tam ex his ipſis puteis, quam e Mortuo mari, quod eoſdem ex parte occupavit, materiam non limo aut argillæ, nedum calci ſimilem, ſed glutinoſam, & colore quodammodo picem, odore ſulphur referentem, quam Græci ἄσφαλτον, Latini *bitumen* vocant, ejici & excerni omnes teſtantur, prout infra pluribus oſtendemus. Quod autem argumentum a materiæ deſcriptæ in extruendis ædificiis inutilitate attinet, ſane in vulgus notum eſt, quomodo ea jam olim non ſolum ferruminandis lapidibus miro ſucceſſu adhibita, ſed & præ quavis calce ab architectis commendata fuerit. Egregie *Theodoretus Quæſt.* 59. *in Gen.* τὴν ἄσφαλτον τινὲς τῶν διδασκάλων ἔφασαν ἄσβεστον εἶναι, οἱ ἀγνοοῦντες, ὡς εἰκὸς, τὰς ἐν Ἀσσυρίᾳ πηγὰς, ᾠήθησαν ἀσβέστῳ τὸν πύργον ᾠκοδομῆσθαι. Ἀκριβῶς δὲ παρὰ τῶν ἐκεῖθεν ἀφικομένων μεμάθηκα, ὡς εἰσὶ πηγαὶ ταύτην ἀναβλύζουσαι τὴν ὕλην μεθ' ὕδατος, καὶ ὅτι ταύτην ταῖς οἰκοδομίαις συνυφαίνοντες, ἐπὶ ταύτης τὴν ὠπτημένην συνετίθησαν πλίνθον, οὕτω καὶ τὸν πύργον ᾠκοδομῆσθαι φασί. *Dixerunt quidam è Magiſtris, bitumen* [hoc loco) *eſſe calcem, qui ignorantes, ut veriſimile eſt, fontes* (bituminis) *qui in Aſſyria ſunt, putaverunt ex calce turrim ædificatam fuiſſe. Ego autem ab iis qui inde veniunt, accurata inquiſitione didici, fontes eſſe, qui materiam hanc cum aqua evomunt, quam ædificiis attexentes coctilem cum ea laterem compoſuerunt, atque ita turrim* (Babylonicam) *ajunt fuiſſe conſtructam*. Addit, illos id comperiſſe ex laterum fragmentis [e Babylonis ruderibus, ut videtur, effoſſis,] quibus apparebit bitumen fuiſſe ſubſtratum, & Aſſyrios eo adigi lapidem & calcis penuria. Quæ quamvis directe & primario materiam Turris Babylonicæ *Gen.* XI. deſcriptam ſpectent, ad noſtros tamen puteos commode ſatis referri poſſunt, quia utrinque eadem vox חמר in originali textu reperitur. Dicti igitur putei [ut ad rem redeamus] in valle *Siddim* nihil aliud erant, quam cavernæ, e quibus cum aquis ſulphureis & amarulentis per intervalla ſcaturiebat ſuccus pinguis, ſubterraneo primum calore liquefactus & ſolutus, rurſuſque ab aura frigidiore incumbente picis in modum congelaſcens, non ſolum ædificiis, ſed & navibus compingendis perutilis, neque minus in Arte Medica ob inſignes uſus nobilitatus. Quanta autem ex his fontibus in vallem iſtam totamque Regionem exundarit fœcunditas, in altera Diſſertatione fuſius oſtendetur.

VII. Nunc ſpectatis amœnitatibus ruris ad ipſas urbes progrediendum, deque illarum [1] *Origine*, [2] *Numero*, [3] *Situ*, [4] *Opulentia & moribus Civium* diſtinctius paulo agendum eſt. Equidem primorum earundem conditorum nomina nuſquam in Sacris profaniſque monumentis conſignata legimus, nec de extructionis anno certum quid determinare licet, niſi quod haud multo poſt diluvium a poſteritate *Chami*, & ſpeciatim *Canaanis* nepotibus cultas conditaſque fuiſſe e contextu Scripturæ patet. Quamvis enim *Geneſ. X.* 19. ubi *Canaanitarum* termini recenſentur, ambiguum videri queat, utrum ad hujus, an alterius contiguæ Regionis territorium civitates iſtæ ſint referendæ; quum præſertim *Cap. XIII.* 12. terra *Canaan*, in qua Abram remanſit, & *Sodomitica*, quam Loth petebat, diſtingui ab invicem videantur: Nihilominus, quia in eadem *Canaanis* Chorographia non alia mentio ſit *Sidonis* & *Geraris*, quæ ad illam haud dubie pertinebant, recte concluditur, *Sodomam* quoque & vicinas urbes Canaanitarum terminis comprehenſas fuiſſe. Ita, cum *Cap. XIII. Abram in terra Canaan, Loth in oppidis planitiei habitaſſe* dicitur, illud non de univerſo tractu, quam poſteri Canaanis incolebant, ſed de montana Regionis parte (uti recte *Chaldæus Paraphraſtes* vertit) proprie & κατ' ἐξοχὴν *Canaan* dicta intelligendum eſt; reliquarum enim partium quælibet a Filiis Canaanis peculiare nomen trahebat, quemadmodum in Regno *Franciæ* certa Provincia generali nomine *la France* ſuperbit, cæteris omnibus ſeorſim nuncupatis. Atque hoc ſenſu *Jabin* Rex *Hazor* vocatur *Rex Canaan*, *Jud. IV.* 2. quem conſtat partem tantum Regionis a poſteris Canaanis habitatæ tenuiſſe, eam ſcilicet quæ ſpeciatim *Canaan* dicebatur, diſtinctive a reliqua terra *Canaanitide*. Manet ergo, *Pentapolin* a filiis *Canaanis* conditam & inhabitatam fuiſſe, quamvis incertum ſit, quibus ſpeciatim ex illis originem ſuam debeat.

VIII. *Numerus* civitatum quem hic ſpectamus, non earum omnium eſt, quas tota Canaanitarum Gens tenebat, nec ad eas præciſe pertinet, quæ cœleſtibus ignibus tactæ actu interierunt, [de his enim infra videbimus;) ſed hoc loco ſaltem eas complectimur, quæ *Gen.* XIII. 12. in oppoſitione ad Palæſtinam reliquam עָרֵי הַכִּכָּר *urbes planitiei* appellantur, ob mutuam autem terræ viciniam non minus, quam belli paciſque & flagitiorum omnium ſocietatem pro unica gente aut Republ. habebantur. Harum in Sacro codice *Gen.* XIV. 2. 8. quinque recenſentur, *Sodoma* ſcilicet, *Gomorrha*, *Adama*, *Zeboim* & *Bela*, *Zoar* dein ſive *Segor* nuncupata, unde *Pentapolis Sap.* X. 6. nomen Regioni natum. Quando enim Moſes nnnc *duas* ſaltem

(ut

(ut *Gen.* XIII. 8. 11. XVIII. 20. XIX. 24. *&c.*) nunc *quatuor* civitates [ut *Gen.* X. 19.] memorat, reliquæ vel brevitatis, vel parvitatis & ignobilitatis suæ causa omittuntur, potioribus solum indicatis, quod e contextu locorum patet. Cæterum *Gen.* XIV. duabus vicibus *quinque* urbium earumque Regum (qui bello tentati ab exteris junctis consiliis & armis, velut uno agmine, prælium inierunt) nomina expressa reperimus. Falluntur ergo & fallunt, quotquot Historicorum relicta cœlestis veritatis luce fabulosis hominum traditionibus, quæ omnes in memoria istorum temporum deficiunt, nituntur: Scilicet hoc inter alios *Straboni*, *Solino*, & *Stephano Byzantino*, claris cæteroqui Scriptoribus accidit, ut in hac urbium recensione nimium quantum hallucinarentur, dum *Solinus Polyhist. c.* 38. tantum *duas*, *Stephanus in lib. de Urb. decem*, *Strabo Georg.* L. XVI. *tredecim*, quarum *Sodoma* caput fuerit numerat.

IX. Nihilo melius autem circa *Situm* dictis urbibus assignandum conveniunt Scriptores. In plerisque Terræ S. Tabulis Chorographicis quatuor civitates versus quatuor mundi plagas dispositas reperimus, ut si pristinum Jordanis statum, [*v. sup.* §. 4.] ante vastatam Pentapolin, spectes, duæ priores [*Sodoma* & *Gomorrha*] in occidentali, reliquæ [*Adama* & *Zeboim*] in orientali ripa jacuisse videantur; Verum præterquam quod [1.] Scriptura de Pentapoli loquens nusquam ullius urbis בעבר הירדן, sive *trans Jordanem* sitæ meminerit: nec (2.) probabile sit, uni particulari genti & non admodum numerosæ, qualis hæc erat, utriusque littoris tractum circa maximum flumen fuisse concessum, quum veteres in prima terrarum partitione plerasque Regiones secundum rivos & fluvios ab invicem distinxisse constet; sane quamplurimi Scriptores, etiam αὐτόπται, qui e Palæstina reduces observata sua literis consignarunt, unanimi consensu testantur, in *occidentali* Asphaltitæ littore vastatarum cœlitus urbium rudera fuisse reperta, licet quoad numerum illarum non æque conveniant. Placet præ aliis *Ludovicus Vartommanus Bononiensis*, (quem *Patricium Romanum* vulgo dicunt) homo sedulus, & terræ S. non minus, quam illarum regionum, curiosus Spectator, qui *Navig. Lib. I. cap.* 10. *Venimus*, inquit, *ad convallem Sodomæ & Gomorrhæ* : *Vera equidem refert S. pagina. Supersunt adhuc collapsarum urbium vestigia divinæque iræ testimonium. Adstruere licet, tres esse urbes, quæ singulæ in clivo singulorum montium sunt positæ &c.* Et non multo post, *in Dei evidens miraculum adhuc conspici* dicit *ruinam urbium*. Præter hunc *Josephus* & *Egesippus*, ille *lib. V. de Bell. Jud. cap.* 5. hic *Lib. IV. de Excid. Hieros. cap.* 18. *in terra Mari mortuo vicina adhuc divini reliquias ignis & oppidorum imagines superesse* memorant. Quæ cum *Heidemannus* quoque in *Palæstinæ suæ cap. III.* §. 39. *&* 42. & *Bisselius in Topoth. Pal. cap. III. pag.* 8. agnoscat & probet, eo magis mirum videtur, quod in Tabulis, libris ipsorum adjectis, nihilominus quatuor urbes in Asphaltite lacu positæ reperiuntur. De peregrinantibus reliquis, qui vel horum plane nihil, vel contrarium retulisse videntur, haud difficulter, si instituti ratio ferret, ex ipsorummet scriptis ostendere possemus, quomodo partim ad oram Asphaltitæ prorsus non pertigerint, partim aeris inclementia aut nimia festinatione impediti, partim etiam præjudiciis de indubia Pentapoleos in Mare Mortuum immersione occupati, minus accurate locum inspexerint. Stante igitur hoc, quod etiam nunc prope dictum Mare in occidentali plaga *collapsarum urbium vestigia supersunt*, manifestum quoque erit, illas ante eversionem suam omnes ad id latus Jordanis, quo Judæam spectabat, dispositas fuisse. Neque asserto laudati *Vartomanni* repugnat, quod Scriptura *civitates planitiei* vocat, quarum rudera ipse *in clivo singulorum montium* observavit, cum a *Mose* non in respectu ad proprium situm, sed ad circumjectam regionem, quæ utique plana, & in oppositione ad reliquam Palæstinam, quę maximam partem montana erat, tales dicantur; antiquitus autem post diluvium semper editiora loca pro condendis urbibus quęsita fuerint.

X. Speciatim vero quod singularum urbium positus attinet, si *Sodomam Zoaramque* excipias, nec in Sacris nec profanis Scriptoribus quicquam certi reperies. Celeberrimus quidem Philologus *Joh. Lightfoot in Horis Hebr. Cent. Chor. Matth. præm. cap. V. p.* 16. *& Dec. Chor. Marc. c. II.* 528. 529. ex loco *Gen.* X. 19. ubi *termini Canaanis* statuuntur a *Sidone* (ab Aquilone) *ad Gazam* (ab Austro) *donec accedas ad Sodomam*, &c. se invenisse putat, quo non solum Tabularum errores corrigere, sed & singularum Pentapoleos civitatum ordinem ac situm definire possit. Nimirum illic *eodem modo*, *quo disponuntur* Sidon & Gaza, *limites* (Canaanis) *a parte Occidentali*, *ita & statui* Sodomam & Lasham *ab Orientali*, *reliquasque urbes hoc ordine stetisse* : *a* Lasha *versus meridiem* Zeboim, *post eam* Adamam, *post eam* Gomorrham, *& post eam in ultima ora Australi*, Sodomam, *tanquam*

Gazæ *parallelam*. Ulterius ex *Joſepho*, qui *lib. V. cap.* 5. *de Bell. Jud.* Aſphaltiten in longitudine *μέχρι Ζοάρων τῆς Ἀραβίας*, *uſque ad Zoaram Arabiæ* extendi ſcribit, conatur evincere, *Zoarem* illam ad quam Loth e *Sodoma* fugiens ſe recipit, in Auſtrali lacus iſtius termino, adeoque & *Sodomam*, quæ *Zoaræ* proxima erat, in eodem tractu jacuiſſe; & hinc ſchema illud Aſphaltitæ, Eremique Judæ natum, quod *pag.* 528. *Hor. Hebr.* exhibetur, non a Tabulis ſolum, ſed & omnium Geographorum ſententiis maxime diverſum. Verum ut taceamus errorem ſupra notatum de quatuor urbium in Mari Mortuo immerſione, qui in hoc etiam *Lightfooti* ſchemate reperitur, tanto gravior, quanto propius ad occidentale littus non duæ ſolum, ſed quatuor iſtæ civitates locantur; ipſemet quoque *Lightfootus* difficultates agnoſcere videtur, cum penes Talmudicos *Jevamoth. cap.* 16. *hal. ult. Zoarem* quandam civitatem palmarum, & *Jerichunti*, Mare Mortuum ab Aquilone ſpectanti, vicinam inveniret; nihilo tamen ſecius ita firmiter inhæret ſuæ ſententiæ, *ut citius credat duas fuiſſe Zoaras, quam non credat patrem Moabitarum conceptum & natum prope Zoarem Moabitidis, de qua Eſ. XV.* 5. Enim vero, conſulamus antiquos & recentiores Geographos; nullus ſane aliam agnoſcit *Zoarem*, præter hanc quam Palæſtina habet *Aſphaltitæ Borealem*. Oſtendunt quidem Tabulæ nonnullæ *Zoarem* in terra *Moabitidis* ad flumen Zareth, aliquot milliaribus a Mari Mortuo diſtantem, ductæ fortaſſis memorato loco *Eſ. XV.* qui tamen ſi recte inſpiciatur, commodiſſime de *Zoara* Palæſtinæ explicari poteſt, ut non neceſſe ſit novam fingere: quod autem vel maxime hæc urbs dicto loco reperiretur, nihilominus vitioſum manet *Schema Lightfooti*, quod *Zoaram* non ab oriente (prout hæc jacet in Tabulis) ſed ab Auſtro juxta montem Seir, & Lacui quidem proxime adiacentem requirit. Quod ad locum *Gen. X.* 19. attinet, æque profecto abſurdum eſt, ſingularum urbium ad invicem, & ſpeciatim *Sodomæ* ad *Gazam* poſitum exinde velle deducere, quam ſi e *Cap. XIV.* 2. & 8. coneris evincere, Moſem numerare quinque Reges, prout ab Auſtro in Boream territoria ipſorum fuere diſpoſita, cum utrinque contextus doceat, non ſitus ſed dignitatis & potentiæ rationem haberi, qua præ ceteris *Sodoma* & poſt eam *Gomorrha* eminebat, atque inde patet, quod *Gen. X.* 19. per enumerationem urbium, *Sodomæ*, *Gomorrhæ* &c. nihil aliud indicetur, niſi generatim regio civitates haſce continens, quam uno verbo *Pentapolin* vocat *Liber Sapientiæ*, *Cap. X.* 6. ſine ullo reſpectu ad proprium urbis cujuſquam ſitum. Cur enim tam ſolicite *Moſes* Canaanis terminos, per exiguam terræ portionem, quoad ordinem ſingularem urbium, deſcriberet, cum ingentes tractus a *Sidona* ad *Gazam*, & a *Gaza* ad *Pentapolin* unica tantum urbe notaſſet? Quod ſi igitur vera ſunt, quæ ſupra e *Joſepho* & *Vartomanno* de ſuperſtitibus oppidorum ruderibus extra Mare Mortuum, vidimus, & cum *Ligtfooto* confecta res erit, & noſtra, quam nunc propoſituri ſumus, ſententia eo magis fidem atque aſſenſum merebitur.

XI. In hoc procul dubio omnes convenient, quod ea ſola pro vera *Zoare* ſit habenda, inter quam & Mare Mortuum *Statua ſalis* reperta olim eſt, & (ſi teſtibus *αὐτόπταις* credimus) etiam nunc reperitur. Atqui hanc peregrinantes, quotquot ad oram Aſphaltitæ pervenere, non in *Auſtrali*, ſed inter *Boream* & *Occidentem* media lacui imminere affirmant. Nobis impræſentiarum duos ſaltem adduxiſſe ſufficiet. *Borchardus in Deſcript. Terræ S. L. I. cap.* 7. §. 34. *Poſt Jericho contra Auſtrum ſub monte Engad, oppidum, Segor, interque illud & Mare mortuum Statuam ſalis; ipſius vero montis aſcenſum ſupra Mare mortuum, in littore ejus occidentali, leuca una de Segor poſitum eſſe* ſcribit. Cum quibus exacte congruunt, quæ *Mart. a Baumgarten Peregr. lib. II. cap.* 12. refert. *Ad dextram maris mortui* (venientibus ſcil. a Jericho) *eſt civitas Segor, pro qua precatus eſt Loth, Gen.* 19. *& eam ingreſſus ſole ſuper terram egreſſo, ibi legitur. Sub hoc oppido fere itinere medio, videtur uſque hodie Statua illa Salis, in quam uxorem Loth converſam Moſes teſtatur.* Hic ſane iterum ingens Tabularum diſcrepantia: reperies in plerisque oppidum *Segor* & montem *Engaddi*, ſpeluncam Lothi continentem, torrente Cedron ſejuncta, illud in Boreali, hunc in Auſtrali fluminis plaga, utrumque autem a Mari mortuo æqualiter diſtans, ut Lothus ſpeluncam petiturus non ſolum tranſire flumen, ſed & ipſam *Sodomam* denuo præterire neceſſum habuerit; qua auctoritate, ego non aſſequor, nec quomodo cum Scriptura & adductis relationibus conciliari poſſint, video.

XII. Cæterum ſtantibus his, quæ de ſitu *Zoaris* jam propoſuimus, haud difficile erit *Sodomæ* ſuam ſedem, ſaltem probabiliter aſſignare. Conſtat ex *Gen. XIX.* 20. has urbes modico ab invicem intervallo diſtitiſſe, quod licet certa menſura defini-

definitum ibi non est, contextus tamen docet, ad summum vix unum milliare Germanicum (*Selneccerus Comm. in Genes. Italicum* saltem milliare ponit) excessisse, quia Lothus adhuc sub auroram moratus in *Sodomis*, oriente Sole *Zoarem* ingrediebatur. Quod si ergo *Zoar* (ut videmus) haud procul Mari mortuo, inter utrumque autem statua salis, in quam uxor Lothi e *Zodoma Zoarem* tendens conversa est, reperitur, sine dubio *Sodoma* intra Mare mortuum versus Vulturnum erit locanda, ut cum dicta *Statua*, *Zoare*, & monte *Engaddi* unam quasi rectam lineam constituat. Ita simul confirmatur assertum *Vartomanni* de *trium* oppidorum ruderibus a se observatis, si quartum ab Asphaltite lacu obrutum ac sepultum fuisse constet. Quoad ordinem situmque reliquarum urbium, (ut antea monuimus) nihil certi afferre licet, cum tacente Scriptura, deficientibus profanis Historiis, impossibile sit ex solis cineribus ac ruinis ipsas urbes dignoscere: sufficiant ergo quæ in præcedentibus de generali situ notavimus. Solum superest, ut illarum felicitatem ac potentiam, sed & incolarum mores paucis adhuc expendamus.

XIII. Si clementia cœli, aquarum commoditas, agrorum ac pascuorum ubertas, omnis generis frugum abundantia, opulentum potest reddere populum; si pax, concordia, tranquillitas publica, regnum stabilit roboratque, nescio an, quoad hæc, Petapolitano Regno felicius unquam extiterit, in quo evehendo fortuna non minus quam natura experta vires suas videtur. Invidendam terræ bonitatem supra contemplati sumus; quis credat, in tanta regionis viriditate rem pecuariam defuisse? at in hac eo tempore maxima pars divitiarum consistebat: *excellentiam* denique, *saturitatem cibi*, *quietamque tranquillitatem Sodomæ & filiarum ejus* Deus ipse *Ezech. XVI.* 49. laudat: & sane, si unicum cum *Elamiris* bellum excipias, nunquam ab exteris lacessitas fuisse legimus. Sed & inter has ipsas civitates mira semper concordia, ut nec intestinis motibus agitarentur, nec in communi periculo una alteri deesset. Quibus præsidiis munitæ non solum ab insultibus hostium diu manserunt intactæ, sed & eo usque creverunt potentia, ut a quinque Regibus administrarentur, inter quos tamen ille qui *Sodomæ* præerat, eminuisse, reliqui tanquam vasalli dependenter ab hoc imperia tenuisse videntur, quia *l. c. Ezech.* alibi, stylo Scripturis usitato, Sodomæ filiarum nomine subordinantur.

XIV. Quemadmodum autem fieri solet, ut nimia felicitate pingues plerumque ferociant mortalium animi; ita etiam *Sodomitæ*, teste *Josepho L. I. Antiq. cap.* 12. *divitiis & abundantia pecuniarum elati tam in homines contumeliosi erant, quam in Deum impii, quippe qui nec beneficiorum ejus meminerant, & hospites aversabantur*, &c. cumque illorum emendationem quærens Deus extranei Regis potestati submitteret *v. Genes. cap. XIV.* ipsi nihilo meliores facti eo insolentiæ processerunt, ut excusso servitutis jugo in libertatem sese vindicare, bellumque quod aliorum suffulti præsidiis facilius in vicinia extinguere potuissent, quasi soli conficiendo eo pares essent, intra fines Regni recipere auderent, digno tanta temeritate successu quo totus ipsorum exercitus susus & miserabili strage tantum non deletus est. Neque vero etiam sic ad frugem se receperunt, quin potius crescens in dies superbia & flagitiorum moles ita late inundabat omnia, ut in tot urbibus, e tanta multitudine, ne decem quidem justi ac innocentes superessent. Regnabat inter ipsos præter intolerabilem superbiam, qua se Deo ac hominibus invisos reddebant, crudelis quoque versus egenos ac peregrinos inhumanitas, quos non solum destituebant auxilio, sed & variis affligebant injuriis, ut ex sæpe dicto Ezechielis loco ipsaque eversionis Historia *Genes. XIX.* videre est. *Saturitas illa cibi*, cujus ibidem mentio fit, haud dubie luxuriam & immoderatum bonorum usum arguit; neque enim hoc vitium diu abesse solet, ubi quis nimiæ felicitatis impatiens ad deteriora inclinat.

XV. Maximum autem crimen, & turpitudine sua non minus, quam nocendi potentia detestandum erat perversa libido contra naturam, quæ uti per se ad humanæ societatis interitum tendit, ita ipsos homines effœminatos, molles & ad omne honestum præclarumque facinus ineptos reddit, quod egregie de *Sodomorum incolis* ostendit *Philo in lib. de Abrab.* scribens: *Non solum in fœminas insaniendo, alienos polluebant toros; verum & mares, contra naturæ legem; cum maribus miscebantur, execranda libidinis fœditate, atque irrito naturæ proposito; cujus nempe finis est in carnali commixtione, generatio prolis. Nec quicquam illic proficiebat reprehensio, violentis scil. concupiscentiis coacta cedere. Atque ita paulatim assuefacti homines illi muliebria pati, effœminatum morbum sibi conciliaverunt insanabilem. Muliebri namque mollitie in corpus recepta, animos quoque reddidere ignavissimos; quantumque in ipsis fuit, universum corrupere genus humanum. Nam si Græci una cum*

Barbaris hos imitati in tale scelus conspirassent : desertæ profecto fuissent urbes , tanquam exhaustæ pestilentia . Fortassis ab hac infanda libidine ne mulieres quidem fuerunt immunes , quin de ipsis quoque valeret dictum *Apostoli Rom. I. 26. Propterea tradidit eos* [Gentiles] *Deus fœdis affectibus . Nam & fœminæ illorum transmutarunt naturalem usum in eum qui est præter naturam .* Quippe defectus naturalis concubitus pravumque virorum exemplum , facile sequiorem sexum voluptatibus jam ante assuetum ad insana ejusmodi consilia impellit : *Nefarias igitur* [pergit *Philo*] *atque immanes illorum hominum libidines perosus Deus , prorsus abolevit eam gentem , non vulgari aliquo & usitato , sed novo atque mirando afficiens supplicio .* Atque hoc illud ipsum est , ad quod considerandum nunc ordine ducimur ; quare statim transimus ad

CATUT II.

De statu Pentapoleos in suo Excidio.

CUm hæc sine dubio palmaria Dissertationis nostræ pars sit , operæ pretium erit , ut quoad singula membra distincte eandem pertractemus , & *primo* loco Excidii *tempus* , [2.] *causam efficientem* , (3.) *Instrumentum* , denique [4.] *Subjectum* consideremus .

II. Chronologia hujus Excidii , licet a termino exstructionis ipsarummet urbium ostendi nequeat , hunc [enim incertum esse supra *Cap. I.* §. 7. vidimus] a Diluvio tamen & initio Mundi facile reperitur . Patet e *Genes. XVIII. & XIX.* cladem hanc uno anno præcessisse nativitatem *Isaaci* , quippe eodem die , quo DEUS *Abrahamo* in annum sequentem filium e *Sara* promiserat , Angeli Pentapolin perdituri Sodomam pergebant . Agebat autem tunc Abrahamus annum ætatis *nonagesimum nonum*, *vid. Gen. XVII.* 24. *& XXI.* 5. quem post Diluvium *ducentesimo nonagesimo secundo* natum fuisse Chronologia *Cap. X. Gen.* exhibita , (juxta calculum *Lutheri*) docet . Porro a Diluvio ad creationem mundi *mille sexcenti septem & quinquaginta* anni numerantur : Unde subducto calculo statim apparet , Excidium *Sodomorum* anno post Diluvium *trecentesimo nonagesimo primo* ; post Creationem *bismillesimo quadragesimo octavo* contigisse. Quo autem præcise anni tempore acciderit nec in Scripturis expresse indicatur , nec e circumstantiis miraculosi hujus operis colligere licet . Nam quod *Genes. XVIII.* 1. DEUS pridie illius Incendii Abrahamo בחום היום *in æstu diei* , apparuisse dicitur , unice meridianum tempus , quod æstui Solis imprimis solet esse obnoxium , neutiquam vero *æstivum* (ut *Pererio* videtur) respicit , cum facile e contextu aliisque locis parallelis ostendi possit , phrasin hanc (בחום היום) stylo Scripturis usitato præcise eam diei partem denotare , quo Sol ad cujusque loci Meridianum pertingit . Cæterum in definienda excidii hora momentoque satis accurato Moses procedit ; & initium quidem illius *Genes. XIX.* 23. Sole jam jam supra Horizontem surgente , cum Lothus Zoari vix pedem intulisset , cœpisse scribit ; mox *v.* 27. 28. consummationem incendii subjungens , *Multo mane* , ait , *surrexit Abraham ad locum illum , ubi steterat* (pridie) *coram Domino* (seu quousque comitatus fuerat Angelos hospites *vid. Cap. XVIII.* 16.) *prospexitque versus Sodomam & Gomorrham , & versus omnem terram istius planitiei , viditque ascendentem fumum terræ , quasi fumum fornacis .* Circa quæ imprimis observandum , quod *Abrahamus* quantumvis mane surrexerat , nec ignem de cœlo cadentem , nec de terra reflexum in nubibus , sed solum fumum conspexerit, unde quivis colligere poterit, quam atrox & subitaneum fuerit hoc incendium, quod exiguo temporis [incertum an unius horæ] spatio Regionem satis amplam ita vastavit , ut nec lucidi ignis capax materia superesset.

III. Hic autem simul statim se prodit Excidii *causa efficiens principalis* , quam severissimum peccatorum vindicem DEUM esse , nemo qui Scripturæ auctoritatem veneratur , negare poterit. Præterquam enim quod ipse cum Lotho & Abrahamo loquens *Genes. XIIX. & XIX. sibi perditionem ac subversionem* urbium illarum tribuit ; passim quoque a Sacris Scriptoribus ad DEUM ceu causam principalem excidium istud refertur . Sic *Moses* non solum *Genes. XIX.* 24. 25. sed & *Deut. XXIX.* 23. *JEHOVAM super Sodomam & Gomorrham pluisse sulphur & ignem , easque ira & excandescentia sua subvertisse* scribit . Sic *Jeremias Cap. L.* 40. *Chaldæos* subversum iri nunciat , *prout DEUS subvertit Sodomam* &c. Sic *Petrus II. Epist. Cap.II.6. DEUM ipsum civitates Sodomorum & Gomorrhæ in cinerem redactas subversione condemnasse* testatur : Et sane , si totam cladis illius historiam intuemur , nulla pro-

pemodum circumſtantia eſt, quæ non omnipotentem & miraculoſum DEI digitum oſtendat, ut in ſubſequentibus ad oculum patebit. Quanto certius autem hæc ex revelatione diſcimus, tanto magis elucet Gentilium Scriptorum vanitas, qui cœleſti veritate vel neglecta vel non ſatis comperta ingenii acie cauſam tanti miraculi perveſtigare conati fuerunt. Longiſſime inter hos a vero aberravit *Strabo Lib. XVI.* qui *Sodomam* & vicinas civitates ſolum eam ob cauſam incendio periiſſe putat, quod regio tota ſit ignea, ſulphurea & cavernoſa, ac proinde hujus modi exitio obnoxia; quæ licet in univerſam falſa non ſint, eatenus tamen merito rejicienda, quatenus neque cauſam principalem, neque terminum e quo ſatis aſſequuntur. Equidem ad verum propius acceſſiſſe *Tacitus* & *Solinus* videntur, dum incendium iſtud *de cœlo veniſſe Judaicaſque urbes* (ſic *Tacitus Pentapolin* vocat) *fulminum tactu arſiſſe* tradunt; ſed uterque tamen de hoc opere ceu caſu fortuito, aut e cauſis mere naturalibus oriundo loquitur, in quo ſupremum naturæ auctorem ſpeciali influxu operantem agnoſcere & unice venerari debuiſſent.

IV. Interim fatendum eſt, DEO, ut in aliis ſuis operibus, ita in hujus quoque ſupplicii exſecutione creaturarum tanquam *inſtrumentorum* miniſterio uti placuiſſe. Et *primo* quidem huic negotio adhibitos legimus duos Angelos, qui humana ſpecie induti *Sodomam* veniebant, ut non ſolum ſervandum ab interitu Lothum cum familia ſua educerent, ſed & imminenti excidio ſignum darent, quemadmodum *Moſen* & *Eliam* deſtinatas a DEO plagas, vel erecta ad cœlum dextera, vel ſola voce Ægyptiis ac militibus induxiſſe Scriptura refert; hunc enim ad finem ſe *a Jehova miſſos* expreſſe illi Angeli teſtantur *Gen. XIX.* 13. *ut perderent locum hunc* [Sodomam] *cujus clamor creverat coram Domino*.

V. Alterum *Inſtrumentum*, quo in everſione Sodomorum utebatur divina Juſtitia, eſt *pluvia ſulphuris & ignis*, ſive ſulphuris igniti (ut recte vertit *Corn. a Lapide.*) *Pluere fecit Jehova*, inquit *Moſes*, *Gen. XIX.* 24. *ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem è cœlis a Jehova*: quot verba hic ſunt, tot fulminum ac tonitruorum millia. Obſervarunt ſagaciores interpretum, vocem מטר & hinc derivatum verbum המטיר, quoties in Scripturis de rebus aliis, quam de aqua ex nubibus liquefactis ſtillante uſurpatur, copiam ac denſitatem materiæ decidentis ſignificare. Sic *Pſalm. XI. 6.* & *Ezech. XXVIII.* 22. totus pœnarum ac ſuppliciorum cumulus, quem ſuper impios DEUS miſſurus eſt, pluviæ ignis & ſulphuris confertur. Sic *David*, cum Pſal. LXXVIII. inter alia DEI beneficia populo ſuo in deſertis exhibita præcipue abundantiam cibi extolleret, v. 27. inquit: *Et PLUIT* (המטיר) *Jehova ſuper eos carnem ſicut pulverem* &c. Unde nunc facile colligere poſſumus, quam longe diverſus ab aliis tempeſtatibus fuerit imber ille ſulphuris & ignis quem in Sodomam DEUS effudit, ubi non ſucceſſive & per intervalla temporis, igneæ exhalationes in aere apparuerunt, aut ſubjectam regionem tetigerunt, ſed per totum aeris tractum, quaqua incolarum viſui cœlum patebat, immenſa fulgurum fulminumque vis, denſiſſimi ad inſtar nimbi, ſine ulla intermiſſione graſſata eſt, ut, quemadmodum in tempeſtuoſo mari unda undam, ita hic in aerea regione flamma flammam trudere videretur.

VI. Equidem nonnulli interpretum, nominatim *R. Jac. Abendana*, & *Ben. Pererius*, propriam ſignificationem vocis המטיר commode ſervari poſſe putant, ſi vel dicamus, in tempeſtate Sodomitica una cum igne & ſulphure veram pluviam, guttis aqueis conſtantem, deſcendiſſe, vel (ut *Pererio* placet) per *ſulphur & ignem* intelligamus *aquam ſulphuream & igneam, ſuperne ingenti copia & vehementi impetu cadentem, & quæcunque contingeret, penitus exurentem: ex qua fortaſſe aqua ſive pluvia factus ſit lacus, poſtea dictum Mare Mortuum*. Enim vero proprietas verbi המטיר, quam Scriptura toties pro ſubjectorum ratione variat, tanti eſſe non poteſt, ut propterea ſubjectum ipſum præter authoris intentionem mutemus, & aliud, quod neque contextus neque ſana ratio admittit (puto *aquam igneam Pererii*) ſubſtituamus. Certe *Moſes* in loco citato ne verbulo quidem *aquæ*, multo minus ejuſmodi qualitatibus præditæ, mentionem facit. Quomodo autem Mare Mortuum a cauſis longe aliis originem traxerit, id ſuo loco fuſius oſtendemus.

VII. *Pererius p.* 849. 850. autem porro quoad pluviæ iſtius materiam exiſtimat, *præter ſulphur ſimul etiam admixtum cecidiſſe ſal ardens & urens*, & hanc ſuam ſententiam tum è ſcriptura, tum ex effectu probare conatur. Prior probatio pro fundamento habet locum *Deut. XXIX.* 23. ubi *Moſes*, Iſraelitis futuram terræ ſuæ vaſtationem nuncians, inquit: *Sulphur, & Sal & combuſtio totum ſolum ejus*, (ſcil. regionis veſtræ) *non ſeretur, neque germinabit, neque aſcendet in ea ulla herba, ſecundum ſubverſionem Sodom & Gomorrha, Adama & Zebojim, quas ſub-*

vertit

vertit Dominus in furore ſuo & in ira ſua. Verum ſi recte locum inſpiciamus, ſtatim apparet, non eſſe ſermonem de *inſtrumento* everſionis, ſed de ſtatu ipſius terræ poſt everſionem; hunc enim, non illud, *poſteriori eorum & peregrinus veniens è terra longinqua*, viſuri erant; & *ſolum terræ*, non pluvia in eam demittenda, dicitur futurum *ſulphur & ſal & combuſtio*; quæ ſane ad præſens, quando de materia pluviæ Sodomiticæ agitur, non poſſunt applicari. Præterea notum eſt, & *Pererius* ipſe agnoſcit, quod in Scripturis vox מלח, quando de terra prædicatur, per *Metonymiam cauſæ pro Effectu*, *ſterilitatem* ejus denotet; unde etiam Pſ.CVII. 34. vocem למלחה quam alii *ſalſuginem* vertunt, *Pererius terram omnino ſterilem* interpretatur. Quæ ſi cum l. c. *Deut.* conferamus, facile patet, ſenſum ejus huc redire, quod terræ Iſraelitarum talis ſtatus ſit futurus, qualem Sodomorum regio per excidium ſuum nacta eſt, ut ſolum ipſius ſterile & inutile reddatur, non ſecus ac ſi penitus exuſtum aut in ſulphur, & ſalſuginem mutatum eſſet. Inſtat *Pererius* manifeſtum tamen eſſe ſalis illius effectum, quippe qui *lacum Aſphaltitis penitus infecerit, & in ſui mutaverit ſaporem, atque ex eo vocari in Scriptura Mare ſalſiſſimum*. Sed reſpondemus: ſupponere illum, non probare, nec etiam probare poſſe, quod ſua natura alium habuerit ſaporem lacus iſte, quem ante Excidium Sodomorum ne exſtitiſſe quidem ſupra oſtendimus, & *Pererius pag.* 850. ipſe fatetur. Quod Scriptura dictum lacum a ſapore ſuo *Mare ſalis* ſive ſalſiſſimum dicat, libenter concedimus, ſed quod ſaporem hunc ex *Sale*, per pluviam cœlitus delapſo, traxerit, id, quia nullum in S. literis fundamentum habet, negamus.

VIII. Verum aliud adhuc ſupereſt Excidii Sodomitici *Inſtrumentum*, ſcilicet *Terræ Motus*, quem præter imbrem ſulphureum ad everſionem Pentapoleos concurriſſe, non minus Scriptura indicat, quam effectus certi & indubii demonſtrant. Quamvis enim *Moſes* diſertis verbis phænomenon iſtud non exprimat, haud obſcure tamen verbum הפך, quod (teſte *Leichio* in Crit. S.) *verſionem vel in nihilum, vel in formam aut qualitatem aliam, vel in locum alium*, denotat, & Job. IX. 5. manifeſte de exciſione montium per terræ motum uſurpatur, peculiarem everſionis modum exprimit, qui non ſolum terræ ſuperficiem, ſed interiora quoque, & ipſum quodammodo fundamentum deſtruxit, ac proinde ſoli pluviæ ignis & ſulphuris tribui non poteſt. Atque huc imprimis ſpectat Origo Maris mortui, & reliquiarum *Sodomæ* urbis in illud immerſio, qui ſane effectus a nulla alia cauſa, quam *Terræ Motu*, deduci queunt. Sententiam iſtam *Pererii*, quæ Mare mortuum ex aqua ſeu pluvia cœlitus demiſſa factum ſtatuit, jam ſupra ceu incongruam & Scripturis adverſam rejecimus: Si ſoli Jordani & reliquis illabentibus fluviis productionem lacus adſcribere velis, ſtatim oritur quæſtio: quid ergo fluminum dictorum curſus inhibuerit, ut in locum illum aquas congerere cogerentur, quem ante excidium nullo lacu occupatum fuiſſe demonſtravimus? cur ipſum Mare mortuum, per tot ſecula continuis affluentium aquarum incrementis auctum, nunquam tamen eo uſque excreverit, ut adjacentem planitiem occuparet? denique, unde huic Mari perpetuus ille fumus, fœtor intolerabilis, aquæ putidæ & amaræ, ſi totum a fluviis limpidam dulcemque undam trahentibus componitur? Certe phænomena iſthæc, niſi novum fingere velis miraculum, vix & ne vix quidem ex hac ſola hypotheſi ſolvi aut explicari poterunt. Quod ſi vero præter illabentes fluvios *Terræ Motus* in ſubſidium aſſumatur, jam & phænomena ſoluta erunt, & dubia quævis ſponte cadent.

IX. Intelligimus autem hic eam præciſe *Terræmotus* ſpeciem, quæ Latinis vulgo *Hiatus*, Græcis χασματίας dicitur; tanto reliquis ſpeciebus atrocior, quanto non tecta ſolum & muros ædificiorum ſubruit, ſed totas nonnunquam urbes, montes & Inſulas cum omnibus incolis in momento devorat ac ſubmergit. Hujus inter alios effectus obſervarunt Hiſtorici, quod plerumque ſubmerſis hoc modo urbibus ingens aquarum vis vel è Mari, ſi loca littori viciniora, vel ex ipſo Hiatu, ſi a pelago magis remota fuerint, prorumpens, ſucceſſerit, quæ pro diverſitate materiæ ſubterraneæ diverſis qualitatibus odoris, ſaporis & coloris prædita reperitur. Quibus ad præſens applicatis nunc ſtatim eluceſcet phænomenorum jam propoſitorum ratio: Nimirum cum ſtatim poſt imbrem ſulphuris, ipſum quoque ſolum vallis *Siddim* & *Sodomæ* urbis ingenti hiatu deſederit, prodeunte in locum ejus ſubterraneæ aquæ copia, utique fluminum dictorum alvei profunda voragine intercepti, in lacu ſubſiſtere cogebantur, ex quo tum ob magnitudinem, tum aquarum gravitatem emergere non valebant. Porro, cum haud dubie (ut *Kircherus* oſtendit M. S. Tom. I. L. II. cap. 12. pag. 87.) in iſto hiatu canales ſubterranei extent, qui tantum aquæ, quantum per fluvios Mari Mortuo accedit, ſucceſſive in alias terræ partes avehunt,

ſtatim

statim apparet causa, cur dictum Mare, licet in superficie terræ non habeat exitum, nunquam tamen in majorem excreverit amplitudinem. Fumus denique & fœtor gravissimus, quem perpetuo lacus emittit, aliunde non est, quam e fontibus bituminosis hiatum ipsum occupantibus, qui fœtum suum subterraneis ignibus resolutum per medias undas protrudunt, simulque teterrimos vapores exhalant non olfactui solum graves, sed aquas etiam sapore salso & quasi fellea amaritudine inficientes. Verum de his in altera dissertatione prolixius agendi occasio dabitur: nunc solum paucis ad *Subjectum* excidii, sive id, quod *excisum* denominatur, considerandum pergimus.

X. Hic iterum commodissime secundum ordinem a Mose in Historia sua observatum progredi licebit; verba ejus ita se habent: *Et subvertit* (Dominus) *Urbes illas, & omnem Planitiem, omnes quoque Habitatores urbium illarum, & Germen terræ.* Primo loco mentionem facit *urbium*, quarum in præcedenti versu duas nominat, dicens: pluisse Deum super *Sodomam* & *Gomorrham* sulphur & ignem, & subvertisse eas civitates. Et sane Scriptura sæpius, cum de clade ista loquitur, duarum saltem urbium, nonnunquam etiam unius *Sodomæ* meminit. Hoc vero (ut supra monuimus) unice fit brevitatis causa, & quia dictæ civitates reliquis amplitudine, potentia & improbitate antecellebant; nam *Deut.* XXIX. 23. ubi, quæ *Gen.* XIX. dixerat, *Moses* repetit, manifeste adnumerantur adhuc aliæ duæ civitates, *Adama* videlicet & *Zeboim*, quas *Hoseas* etiam cap. XI. 8. commemoravit, ut appareat, *quatuor* fuisse civitates cœlesti incendio correptas ac subversas.

XI. Quid autem dicemus de eo; quod communiter *quinque* urbes deletæ dicuntur? certe videri poterat, in locis jam citatis quintam civitatem, quæ *Bela* & *Zoar* dicitur, non, quod ab excidio servata fuerit, sed ob parvitatem & ignobilitatem suam omitti, prout Gen. X. 19. factum est. Huc accedit, quod *Josephus* & *Egesippus*, *L. V. de Bell. Jud. cap.* 5. hic *Lib. IV. de Excid. Hierof. cap.* 15. *quinque* urbes fulminibus conflagrasse, & *quinque* oppidorum imagines adhuc in cineribus superesse memorant. Sic *Author Libri Sapientiæ* Cap. X. 6. ignem in *Pentapolin* seu *quinque* urbes descendisse scribit; quæ omnia videntur adstruere, quod revera *quinque* civitates, & in his etiam *Zoar*, subversæ fuerint. Verum hanc sententiam Scriptura ipsa satis perspicue refellit, dum Gen. XIX. 21. vel DEUM, vel Angelum DEI nomine, Lotho, qui parvum oppidum *Belam* pro asylo sibi exorabat, respondentem inducit: *En! suscepi faciem tuam* (i. e. exaudivi te) *etiam in hac re, ut non subvertam urbem hanc de qua locutus es.* Et paulo post subjungit *Moses*, *idcirco vocatum esse nomen civitatis* ab interitu servatæ Zoar, h. e. *parva*, quia nimirum Loth in præcedentibus appellaverat eam modicam & parvam. Quæso, quid clarius dici posset hac veracissimi Numinis promissione & luculento Scripturæ testimonio? Nihilominus tamen excipiunt *Lyranus* & ejus sequaces, fieri certe potuisse, ut Zoar tum quidem, cum Lothus in eam diverteret, servata sit: sed cum ne sic quidem exemplo tanto ac tam horribili emendaretur, ipsa quoque tandem, si non fulminibus certe terræ motu subversa sit: quemadmodum & Ninive, cum ad concionem *Jonæ* resipuisset, tum quidem servata est, ac nihilominus, cum post decursum aliquod annorum pristina ibi peccata rursus invalescerent, vastata est plane, ut propheta Nahum prænunciavit. Nam quod *Zoari* parcere voluit, id voluit propter Lothum. Illo egresso non fuit ratio, cur amplius servaretur.

XII. Sed respondemus: Certum quidem esse, quod DEUS *Zoari* propter Lothum parcere voluerit, sed hic male concludi, quod illo egresso causa quoque, cur amplius servaretur, etiam effectus cessaverit. Nam [1] DEUS in l. c. simpliciter & sine ulla restrictione temporis, nec etiam sub conditione futuræ pœnitentiæ, *Zoari* liberationem ab Excidio pollicetur, adeoque salus civitatis non tam a Lothi præsentia, quam illimitata promissione DEI pendebat, quæ utique per discessum Lothi sublata non est. (2) Nec Lotho ipsi certum tempus morandi in *Zoar* a DEO præfixum, nec egressum ejus mandato divino præceptum legimus, quin, quod inde discedens ad montis speluncam se recepit, ex humana imbecillitate & differentia quadam, quia scil. *timebat habitare in Zoar*, factum esse Scriptura *Gen.* XIX. 30. testatur: unde patet, non intendisse DEUM tantum per exiguum tempus differre *Zoaris* excidium, quando Loth, permittente eo, non paucas solum horas, sed omnes reliquæ vitæ dies tuto ibidem degere, adeoque & ipsam civitatem tandiu, sospitem videre potuisset. [3] Nullo prorsus fundamento e Scriptura probari potest, quod oppidum *Zoar* statim post Lothi discessum eversum, multo minus, quod terremotu absorptum fuerit; potius ipse *Moses* Genes. XIV. 2. 8. suo tempore illud stetisse indicat, quum duabus vicibus de *Bela* tanquam adhuc præsente dicit היא צוער

צוער *quæ est Zoar*, quod sane de urbe jam pridem hiatu terræ sepulta, & ne loco quidem superstiti, vix satis commode prædicari poterat. Et quid multis? præsto est luculentissimum *B. Hyeronimi* de hac urbe suis temporibus stante ac florente testimonium, hunc in modum scribentis: *Bala, quæ est Sogor, nunc* Zoara *nuncupatur, sola de quinque Sodomorum urbibus, Loth precibus præservata est: imminet Mari Mortuo, & præsidium in ea positum est militum Romanorum. Habitatoribus quoque propriis frequentatur, & apud eam gignitur balsamum & poma palmarum, antiquæ ubertatis indicia*. Cum quibus congruunt, quæ supra de situ *Zoaris* ex auctoribus ibi allegatis adduximus, quamvis illi, (quippe multis seculis *Hieronymo* juniores) in statu longe alio civitatem hanc invenerint.

XIII. Argumentum pro adstruendo *Zoaris* excidio e Sap. X. petitum, ideo repudiamus, quia scopo Auctoris & ipsi contextui adversatur. Quando enim in dicto loco *Sapientia justum pereuntibus, impiis liberasse dicitur fugientem ab igne in Pentapolin descendente*, manifeste locus, quo Loth ab igne in *Pentapolin* descendente fugit, (erat autem hic procul dubio *Zoar*) τῇ πεντάπολει contradistinguitur, adeoque vox ista [*Pentapolis*] non tam urbes actu eversas, aut numerum earum exprimit, quam regionem a quinque urbibus sic appellatam. In hanc enim descendit ignis & combussit omnia, una tantum *Zoar* excepta. Neque hoc Græcæ linguæ infrequens est, ut a numero civitatum ad unam notionem spectantium totam regionem cognominet, prout *Marc. V.* 20. & *VII.* 31. certa provincia *decem* urbes continens *Decapolis* appellatur. Cæterum cum *Josepho*, qui *quinque* urbium exustarum imagines superesse statuit, non est, cur prolixe disputemus, quoniam ipse in alio loco sufficienter se refutavit, expresse scribens *Antiq. L. I. cap.* 19. *Fugit autem Loth cum filiabus, in parvulo quodam agro se retinens ab igne liberato, qui locus* Segor *hactenus appellatur: sic enim Hebræi modicum vocant*. Hactenus itaque satis, spero, ostensum, quod oppidum *Zoar* nec una cum reliquis cœlesti incendio, nec statim post *Lothi* discessum terræ motu interierit, & per consequens non plures nec pauciores, quam *quatuor* supra recensitæ civitates *Sodoma*, scil. *Gomorrha*, *Adama* & *Zeboim* excidio Sodomitico fuerint eversæ.

XIV. Non autem solum *quatuor* urbes jam enumeratas *subjectum* excidii statuit Moses, sed mox addit, subvertisse etiam DEUM את כל הככר *omnem istam planitiem*. Si quæratur, quænam, & quousque extensa fuerit hæc planities? respondet *Pererius Comm. in Gen. XIX. p.* 851. *Fuisse eam omnem, quam operuit Mare Mortuum: namque eo loco erant celebres illæ quatuor civitates. Itaque magnitudo ejus cladis æstimari debet ex magnitudine illius Maris*. Quæ quidem si solum de parte regionis terræmotu absumta intelligantur facile concedi possent, nam & nos supra *Cap. II.* §. 8. 9. hoc instrumento tantum eam plagam, quæ Mari Mortuo tegitur, eversam fuisse ostendimus. Quod si vero hac descriptione totam regionem Sodomitico incendio exustam & vastatam complecti velis, prout ipse *Pererius* statum quæstionis format, tunc falsissimum est, quod ex magnitudine Maris Mortui magnitudo cladis æstimari debeat. *Primo* enim jam antea prolixe demonstravimus, e quatuor urbibus cœlesti incendio unam tantum *Sodomam* lacui fuisse immersam, reliquarum trium ruderibus extra ejus littora conspicuis, unde etiam haud dubie in circuitu major terræ pars, quam Mortuum Mare occupavit, sulphureo imbre vastata est. *Secundo* Moses non solum vallem *Siddim*, *quæ est Mare salis*, a Domino subversam fuisse scribit, sed *omnem istam planitiem*, de qua Gen. XIII. 11. civitates *Pentapoleos* ערי הככר *urbes planitiei* dicebantur, quæque Geographia teste a Mari Mortuo per spatium satis amplum ad montes usque, perpetuo prope jugo eam cingentes, protenditur. Frustra igitur est, quod *Pererius* vastationem terræ Mari Mortuo vicinæ non a pluvia ignis & sulphuris, sed ab exhalationibus dicti Maris deducere conatur, dum pag. 851. diversa ejus nomina explicans scribit: *Appellatur Mare solitudinis, quod post memorabilem illarum urbium deflagrationem, loca circumquaque vicina, terra pestilentium aquarum evaporatione ita perpetuo inficiantur, ut sterilia pariter atque insalubria, ob idque hominibus & animalibus infesta, semperque inhabitata & deserta sint*. Sane quamvis hanc regionis sterilitatem a vaporibus Maris augeri & sustentari non negemus, originem tamen ejus, quam Scriptura soli pluviæ desuper immissæ tribuit, ad aliam caussam, producendo tali effectui plane imparem, referre neutiquam possumus. Quantumcunque enim extimam terræ superficiem deturpare & sterilem reddere queunt pestilentes ejusmodi exhalationes, nunquam eousque pertingent, ut & interiora ejus exusta, & in cineres redacta [quæ Sodomiticæ terræ facies est] videantur. Agnoscit has difficultates ipse *Pererius*, ideoque in subsequentibus sententiam priorem corrigens concludit; *Ergo non solum ea regio, ubi*

erant

erant civitates illæ, quæ obruta eſt illo lacu ; ſed & vicina regio circumquaque per aliquot milliaria eodem malo (incendii) *affectaque eſt*. Quæ concluſio uti ſatis recte infertur, ita ſententiam modo recenſitam, quam tamen expreſſe ſuam faciebat *Pererius*, non tam corrigit aut emendat, quam penitus evertit.

XV. Tertio loco ad excidii *ſubjectum* refert Moſes את כל יושבי הערים *omnes incolas iſtarum urbium*. Procul dubio hic *quatuor* civitates actu everſæ, *Sodoma*, *Gomorrha*, *Adama* & *Zeboim* intelliguntur, excepta iterum *Zoare*; nam quod *Theodoretus* & *Suidas* Lothum urbi ſolum ſaluti fuiſſe putant, viris etiam incolentibus e medio ſublatis & hiatu terræ abſorptis, id contra clarum Scripturæ teſtimonium fingunt, quæ hic unice loquitur de illis civitatibus, in quas, præcedenti verſu, *ſulphur* & *ignem* depluiſſe, quaſque a Domino ſubverſas fuiſſe dixerat. Atqui ex harum numero eximi debere *Zoarem* ſupra oſtenſum eſt, adeoque manifeſtum, quod nec habitatores ejus hac recenſione comprehendantur. Præterea non apparet, qui fieri poſſit, ut omnes incolæ intra mœnia civitatis hiatu terræ abſorbeantur, ſalvis manentibus ædificiis, ni miracula miraculis cumulare præter omnem revelationem velimus. Cæterum apprime notanda univerſalitas aſſerti *Moſaici*, quod incolæ quatuor civitatum *omnes*, ſine ullo ſexus aut ætatis diſcrimine perierint. Nimirum educto cum familia ſua *Lotho*, nullus in tanto numero juſtus, quem ab excidio Deus ſervaret, ſupererat, ſed omnes infanda flagitiorum labe polluti & ad ſupplicium maturi; ſic enim ſupra verſ. 4. memorantur cives *Sodomæ* obſediſſe domum Lothi : מנער ועד זקן כל העם מקצה a puero ad ſenem totus populum ab extremis [civieatis.]

XVI. Neque eſt, cur infantes *Sodomitarum* ceu pleno rationis uſu per ætatem deſtitutos, adeoque communium flagitiorum incapaces e conſortio peccatorum velis eximere, quum præter id, quod originali peccato infecti per naturam ad deteriora propendebant, a parentibus etiam vitioſiſſimis originem traherent, qui tanto ra rius filios bonæ indolis progenerare atque educare ſolent, quanto magis tota natio perverſis moribus eſt inquinata. Haud dubie igitur DEUS prævidit, parvulos hoſce, ſi longiori vita fruerentur, ſceleratis parentum veſtigiis inſtitutos, ideoque illos una cum adultis e medio tollere voluit, ut genus humanum prorſus a tam fœda propagine purgaretur. *Namque illius gentis* [verba ſunt *Pererii Comm. in Gen. Cap. XIX. p.* 852. *a*] *non ſolum ſtirpem, verum etiam progeniem, prorſus exciſam atque extinctam eſſe, nullumque factum ejus gentis reliquum eſſe ſemen, apertis verbis declarat Eſaias, Cap. I. dicens : Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrhæ ſimiles eſſemus.*

XVII. Imprimis autem in hoc excidio *Sodomitarum* eluceſcit DEI ſapientia, quod præciſe matutino tempore illud immiſerit, quo & *Lothus* commode educi fugaque ſalvari, & tamen cives reliqui velut imprudentes in propriis ædibus occidi poſſent, ne cuiquam effugiendi locus daretur. Quis dubitet enim, mollem ignavumque populum, & ex parte nocturnis graſſationibus fatigatum, oriente Sole adhuc in utramvis aurem dormiviſſe, non animadverſa prius imminente morte, quam de cœlo per aeris regionem immenſam fulminum vim cum horrendis fragoribus ſpargi, tecta ædium ſuarum aut conflagrare aut dejici, ſe ipſos denique feralibus flammis & peſtilenti halitu peti ſentirent.

XVIII. Conſideratis ita hominum excidio Sodomitico perditorum calamitatibus, nunc iterum & poſtremo in campos per Moſen adducimur, ſpectatum ſcilicet ceu *Subjectum* everſionis צמח הארמה *germen iſtius terræ*; quo generali nomine, quidquid olim amœnitatum aut fructuum fœcundiſſima *Sodomorum* terra eniti potuit, comprehenditur. Sic nimirum oportuit fieri, quando totam regionem deformare & inhabitabilem reddere DEUS conſtituit, ne pulcherrima ejus pars, & unde maxima illius felicitas dependebat, integra maneret. Itaque non ſolum fruges uberrimæ, quas arva opima in valle Siddim reddidere, non ſolum flores ac herbæ, lætas Jordanis ripas gratiſſima viriditate veſtientes, ſed & ipſæ arbores fruticeſque, ſuavium pomorum varietate luxuriantes, incendio tactæ ſunt & radicitus exuſtæ, ut ne umbra quidem prioris fertilitatis in toto regionis tractu ſupereſſet. Simile quippiam huic vaſtationi, *a Tartaris Crimenſibus* irrumpente Polonorum exercitu Anno 1686. factum legimus in Epiſtola *Johannis III. Polonorum Regis* ad Romanum Pontificem, adjecta deſcriptioni Regni Poloniæ, a *Jac. Sandrarto Norib.* editæ, cujus verba Germanice ibidem reddita ita ſe habent : Außer der ungemeinen und meinen Leuten gantz ungewohnt vorkommenden Hitze/ zündeten die Tartarn umher alles Graß an/ welches ſoleichtlich Feuer fieng/ daßes/ wie ichs denn/ wenn ichs nicht mit Augen geſehen/ nimmermehr geglaubet/ ſo bald der Funcken drauff kam/ zu brennen anfieng wie dürre Stoppeln/ und dabey ſo hurtig fort brannte/ daß unſer Lager offtmahis in nicht geringe Gefahr gerathen/ wie denn auch viel der Meinigen

 aufdem

aufdem ausgebrandten und mehr ſchwartzen Kohlen/ als einem Boden gleichenden Erdreich die Zelte aufſchlagen muſten/ ꝛc. Ex quibus facile judicari poterit, quanto gravior magiſque noxia hoc incendio fuerit, exuſtio terræ Sodomiticæ, ubi non flamma uni tantum loco applicata ſucceſſive tellurem perreptavit, ſed primo ingenti impetu in totam undique regionem effuſa, dein novis ſemper ignis ſulphuriſque acceſſionibus aucta & quaſi roborata eſt, ut non extantia ſolum germina conſumere, ſed & nullo negotio ad interiora terræ pertingere omneſque radices adurere valeret.

XIX. Hactenus itaque perluſtravimus ea, quæ Scriptura ſuppeditat, *Excidii Sodomitici ſubjecta*, ſed unum adhuc expediendum reſtat, priuſquam ad alia progrediamur. Nimirum e ſupra dictis conſtat, incolas Pentapoleos non minus quam Lothum ipſum ampliſſimos ovium armentorumque greges in felicibus regionis ſuæ paſcuis aluiſſe; at horum in excidii recenſione nullo verbo mentionem facit Scriptura; unde merito quæri poteſt, an & hæc pecora omnia cœleſti incendio perierint, nec ne? & ſi prius, cur a Moſe ſic prætereantur, qui tamen h. l. *urbium*, earundem *incolarum*, *virentium terræ* &c. & in Hiſtoria diluvii ipſarummet beſtiarum interitum ſtudioſe expoſuerat? *Gen. VII.* 21. 22. Ad quæ reſpondemus; omnino ſtatuendum eſſe, quod pecudes etiam ſimul fuerint interemtæ, quoniam (1) incendium ſubitaneum haud dubie illis æque ac hominibus fugam intercluſit, cum, quæ ſtabulis tenebantur, inde non, niſi hominum ope, potuerint egredi, quæ vero paſtum in campos eductæ, itidem, ut evaderent, certo temporis ſpatio opus habuerint, quia paſcua pleraque ad ripas *Jordanis*, adeoque in medio regionis everſæ jacebant. (2) *Lothus* nuſquam pecora ſecum e *Sodoma* duxiſse, ſed ſolus cum uxore, filiabus. & exigua forſan ſuppellectile fuiſse legitur, quare procul dubio tota res pecuaria ab ipſo relicta interiit. Neque tamen ideo neceſsum erat, ut hæc diſtincte in Scripturis notarentur, quum facile quivis judicare queat, quod tota regione cum omnibus incolis everſa, pecudes quoque in ea contentæ non potuerint manere ſuperſtites; Scripturæ autem pro ſcopo ſuo obtinendo ſufficeret, res poſteritati ſcitu maxime neceſsarias obſervaſse. Quod in Hiſtoria diluvii beſtiarum interitus exprimitur, partim ideo factum eſt, ut univerſalitas ejus pateret, partim, quia primarius ejuſdem effectus in exciſione animalium ſuper terram viventium conſiſtebat.

XX. Atque hæc eſt horrenda facies *Pentapoleos* in ſuo excidio, quam præcipue in hac Diſſertatione ſpectare conſtituimus; Regio partim exuſta fulminibus, partim hiatu abſorpta; arbores & reliqui terræ fœtus ſtipularum more flagrantes; civitates ipſæ incendio correptæ ac vaſtatæ; incolæ omnes una cum beſtiis, ſive flammis, ſive halitu peſtilenti necati; quæ uti ſupplicii iſtius divinæque iræ gravitatem ſatis clare demonſtrant, ita propoſito noſtro facile ſufficerent, ut ulteriori tractationi ſuperſedere poſſemus. Sed materiæ dignitas e contrario nobis perſuaſit; futurum operæ pretium, ſi ſuperſtites poſt excidium Pentapoleos cineres accuratius paulo perveſtigemus, quo tam illis, quæ hactenus dicta ſunt, major lux affundatur, quam atrocitas ſupplicii e duratione & perpetuitate ſua plenius eluceſcat. Aggredimur ergo ſtatim

CAPUT III.

De ſtatu Pentapoleos poſt Excidium.

QVanto odio Supremum Numen ſceletatam *Sodomorum* gentem ejuſque peccata proſecutum ſit, vel exinde colligi poteſt quod non urbes ſolum aut earum incolas, ſed totam in circuitu Regionem, velut indignam quæ ab hominibus amplius coleretur, cum quondam monſtra ac peſtes humani generis aluiſſet, horrendo prorſus modo vaſtavit atque evertit, ut per tot ſeculorum decurſus, ad præſentem uſque diem, nunquam ſe recolligere, aut ullum prioris felicitatis ſignum proferre potuerit. Itaque veterum ac recentinm ſcriptorum bene multi, quibus vel triſte illud ſpectaculum oculis uſurpare, vel aliorum relationes ſcriptis publicis poſteritati conſecrare licuit, omne eo ſtudium omnemque induſtriam collocarunt, ut commodis verbis & magnitudine rei dignis id ipſum deſcriberent. Nos impræſentiarum pro exponendo *Pentapoleos* poſt excidium ſtatu, ex auctoribus probatiſſimis optima ſeligamus, indicata ſimul tum illorum inter ſe, tum ſtatus ipſius, reſpectu diverſorum temporum, diſcrepantia; quod ut commodius fiat, regionem iterum ſecundum ſingulas partes perluſtrare juvabit.

II. Primum igitur ac præcipuum, quod in hac regione conſpectui noſtro ſe offert,

fert, eſt Mare Mortuum ſive Lacus Aſphaltites, cujus exiſtentiam, & originem ex hiatu terræ vallem *Siddim* & urbem *Sodomam* abſorbentis, præcedenti cap. oſtendimus. Quoad hujus magnitudinem tanta inter Hiſtoricos eſt ſententiarum diverſitas, ut vix duos ex illis, qui propria auctoritate ſcripſerunt, omnino conſentientes reperias. *Plinius* Hiſt. Nat. lib. V. cap. 16. ſcribit, Lacum hunc *longitudine excedere centum millia paſſuum* [ſeu 25. millia Germ.] *latitudine maxima implere viginti quinque millia*, [circjter milliaria ſex] *minima ſex* (ſeu milliare unum cum dimidio) *Strabo L.* XVI. circuitum ejus a nonnullis *mille Stadiorum*, (quæ circiter 32. mill. Germ. faciunt) æſtimari, *longitudinem* autem *paulo plurimum ducentum Stadiorum* (circiter 7. milliar.) eſſe tradit. *Joſephus* l. V. de Bell. Jud. cap. 5. iterum aliam aſſignat menſuram, extendens *longitudinem* lacus ad 580. *Stadia*, (18. mill. Germ.) *latitudinem* ad 150. (ſeu milliaria quatuor cum dimidio.) Ex recentioribus *Borchardus* in Deſcr. Terræ S. it. v. Not. §. 35. *a Saracenis ſibi relatum* ſcribit, *Mare mortuum in latitudine ab Oriente ad Occidentem habere leucas* 30. (editio *Geſneriana quinque* leucas habet.) *In longitudine autem ab Aquilone ad Auſtrum quinque dietas*. Quantum viæ ſpatium hujuſmodi *dieta* contineat, obſcurius paulo eſt, quoniam ipſa vox rariſſime penes Geographos reperitur; veroſimile tamen videtur, *Borchardum* per dietam ſignificare iter unius diei, Romanis (teſte *Bochardo*) *manſio*, Græcis σαθμὸς dici ſolitum. *Quod utut varie definiatur, tamen Græci σαθμῷ plerumque quinque paraſangas aſſignant, i. e. viginti paſſuum millia* adeoque poſito quod *Bocardo* dieta idem ſit ac σαθμὸς, longitudo totius lacus foret paſſuum centum millium, ſeu 25. milliarium Germ. *Lichtfootus* contra e Talmudicis aliam dietæ menſuram affert, nimirum *triginta* milliarium Talmudicorum, quorum unum ſeptem ſtadiis cum dimidio, & per conſequens una dieta 225. ſtadiis conſtat, atque ſecundum hanc menſuram Maris mortui longitudo ad quinque dietas extenſa MCXXV. ſtadia ſeu XXXII. milliaria Germ. contineret. Sed hæc, ut dixi, obſcura ſunt & incerta. Nihilo clariora ſunt, quæ *Bart. de Saligniaco* in Itin. Hieroſolym. T. IX. cap. 6. de magnitudine Maris mortui ſcribit; *habere in longitudine ab Aquilone in Auſtrum centum & viginti milliaria, in latitudine ab Oriente in Occidentem ſeptuaginta*. Quis enim divinabit, quam milliarium ſpeciem hic intelligat? Sane ſi vel maxime *Gallica*, aut quæ adhuc minora ſunt, *Italica* milliaria aſſumas, vix tamen proveniens magnitudo veræ lacus magnitudini reſpondebit, ut e ſubſequentibus elucеſcet. Cæterum & Joh. *Biſſelius* in *Topoth. Palæſt.* c. III. p. 48. auctores quoſdam citavit, quorum unus *longitudinem Maris mortui octo milliarium Alemannicorum veterum eſſe narret*; *alii multo ſpatioſius illud extendant, quippe quatuor aut quinque dierum itinere metiendum: regula viæ*, (ut Biſſelius judicat) *vix apud omnes auctoritatem inventura*.

III. Ecce! miram & pene inextricabilem ſententiarum varietatem. Non eſt, cur unius nuda auctoritate nixi reliquos, non minus probatæ fidei *Hiſtoricos* reiicere velimus, neque tamen apparet, qua ratione inter ſe conciliari poſſint, qui tantopere ſententiis ab invicem diſtant. Unicum ergo adhuc fundamentum ſupereſt, ex quo memoratas opiniones dijudicari, & veram *Aſphaltitis* longitudinem quodammodo inveniri poſſe ſperamus. Nimirum communis Auctorum fert ſententia, & Scriptura luculento teſtimonio *Joſ. XV.* confirmat, quod Mare mortuum longitudine ſua ab extremitate Auſtrali ad oſtium uſque *Jordanis*, Orientalem totius regionis a tribu Judæ quondam poſſeſſæ conſtituerit terminum; hanc ipſam vero regionem ab *Hieroſolyma* Ægyptum uſque, quæ eſt ejus longitudo maxima, *ſeptem dietas* continere *Borchardus* & *Saligniacus* teſtantur: unde ſatis probabiliter concludimus, *Borchardum* hunc & qui cum eo faciunt, recte aſſecutos fuiſſe veram *Aſphaltitæ* magnitudinem, ſive dietam cum *Lightfooto* & Talmudicis, ſive, quod magis arridet, cum *Borchardo* metiantur; cum & ipſæ Tabulæ Chorographicæ oſtendant, quod tota regionis longitudine in ſeptem partes diviſa, *quinque* partes ſeptimæ lacui iſti debeantur.

IV. Proxime huic adjungimus *Plinium*, quem Mortuo mari longitudinem paſſuum *centum millium* ſeu 25. milliarium aſſignaſſe ſupra vidimus, menſura, (ſtante noſtra hypotheſi] *Borchardianæ* prorſus æquali. Longius paulo ab horum ſententia diſtat *Joſephus* dum lacum ſolum *ad* 580. *Stadia*, ſeu 18. *mill. Germ.* extenſum ſcribit, quem tamen propterea erroris accuſare non audemus, quando nec noſtram hypotheſin pro indubia venditare animus eſt. Manifeſte autem *Strabonem* ejuſque ſequaces, qui vel *ſeptem* vel *octo* milliarium ſpatio longitudinem Aſphaltitis includunt, a vero aberraſſe deprehendimus, quum latus orientale regionis Judæ, cujus terminum lacus conſtituit, multo longius pertractum eſſe relationes pe-

 regri-

regrinantium non minus, quam ipsæ Tabulæ, testentur. In excessu contra non leviter peccasse videtur *Saligniacus*; quippe, licet per milliaria ejus Italica velis intelligere, nihilominus longitudinem dicti maris *triginta* milliarium Germ. statuere cogitur, quæ præterquam quod sententias omnes supra recensitas excedunt, conditio quoque regionis, cujus ad Mare mortuum longitudo minima est, vix & ne vix quidem admittit. Quod ad latitudinem Asphaltitis attinet, sententiæ enumeratæ pleræque suo modo stare possunt, quando certum est, eam diversis in locis diversam esse, adeoque & diversam admittere mensuram, licet fatendum quoque sit, *Saligniacum*, qui in longitudine assignanda modum excessit, latitudinem etiam pari mensura fuisse metitum, dum ad 70. milliaria eam extendit.

V. Neque tamen id vitio jure verti poterit laudatis Scriptoribus, quod de magnitudine Maris mortui minus certa & dissona prodiderunt; quum horrenda Maris istius facies & incommoda alia non tam impediant accuratam dimensionem, quam prorsus impossibilem reddant; ut mirandum potius sit, tot viros eximios & splendidis ortos natalibus ingentes labores ac molestias, pro loco isthoc videndo & pervestigando, sustinuisse. Non solum enim aquæ ex quibus Asphaltites componitur, licet *Jordanem* & fluvios alios dulces limpidosque recipiant, præ omnibus reliquorum lacuum aut marium undis acerrima salsugine & pestilenti odore sunt infectæ, sed perpetuum quoque fumum vaporemque emittunt, animalibus non minus, quam cunctis terræ fœtibus exitialem, ut haud incongrue de lacu isthoc dici possit, quod de *campo Phlegræo Kircherus*: *In inferno te constitutum diceres, ubi omnia horrida, luctuosa ac formidanda rerum facie, sulphuris quoque bituminis, naphtæ & aliorum mineralium fœtore tantum non exanimeris*. Experti sunt hæc mala quotquot unquam peregrinantium eo pertigerunt, atque inde factum est, ut in omnibus prope libris, qui vel obiter *Palæstinæ* Historiam tractant, hanc Mortui Maris conditionem decantatam reperias. Sic jam olim *Tacitus* lib. V. Hist. *Lacum immenso ambitu, specie maris, sapore corruptiorem, gravitate odoris accolis pestiferum*; & *Strabo*, *Georg. Lib. XVI. favillæ multum emittere, fumosum, aspectu atrum, æri & argento & nitidis ac tersis omnium, usque ad aurum, rubiginem inducere*, notarunt. Qui non ita pridem lacum hunc inspexere, similia prorsus referunt. *Ibi odorem teterrimum, faciem tristem & quasi tartaream, saporem aquæ salsissimum, & fellea amaritudine stypticum* observavit *Mart. a Baumgarten, Peregrin. Lib. II. cap.* 12. quibus statim subjungit: *Latiorem ejus lacus prospectum nivibus & vapidæ aufferebant nebulæ*. Illustr. quoque Princeps *Radzivilius* Ep. II. f. 96. proprio labore ac periculo compertam lacus istius naturam describens, *Aquam*, inquit, *valde spissam & fœtentem habet, quæ guttatim degustata, prout a nobis factum, linguam atrociter mordet, & caput gravi pestiferoque odore vehementer inficit*. Neque hic præteriri debent, quæ *Borchardus* l. c. tanquam a se observata scribit: *Mare Mortuum semper est fumans & tenebrosum, sicut os inferni. Oculis meis vidi simul cum aliis pluribus sociis teterrimum & malum vaporem, ex Mari Mortuo fumantem*. Et ne mala hæc ab illis saltem sentiri putes, qui ad proxima lacus littora hærentes ori aut naribus putidas aquas admovent, ecce! *Saligniacus* supra memoratus, qui, visa statua salis, *pestiferam regionem timens, sinistram versus Hiericho diverterat*, adeoque ad lacum ipsum non pertigerat, eminus tamen eundem conspexit *fœtidum & tenebrosum, velut sulphureum, ut Cocytum infernalem aut atram stygem dixeris*.

VI. Hanc igitur ob causam tanta in universo lacu sterilitas, ut nihil prorsus, quod animam agit vitalem, sinu suo foveat. *Neque* enim (referente *Tacito*) *vento impellitur, neque pisces aut suetas aquis volucres patitur*; unde facile fidem inveniunt, quæ *Saligniacus* & alii recentiorum notant; ubi Jordanes piscosus in Mare Mortuum se recipit, pisces retro cedere, nec diu esse vitales, si quos impetus fluminis huc abstulerit. Quippe animalia dulcibus ac limpidis aquis innutrita impossibile est in lacu fœtenti & salsissimo, ubi nec liberum motum aquarum gravitas concedit, vitam sustentare. Aves etiam & terrestria reliqua, mirum non est, quod perpetuo fugiunt plagam istam, quæ præter id quod omnibus ad victum ipsorum necessariis destituta est, lethifero ac pestilenti halitu certissimam perniciem minatur. Interim, ne in universum omni viventium sodalitio in vicinia quoque privatum esse lacum illum putemus, riparum suarum accolam nutrire non infrequentem, *Bisselius* refert, virulentum illud anguis genus, e cujus irati tumido capite caudaque venenum illud exsudat, quod in Medicorum officinis Theriacæ potissima virtus & tanquam anima sit: medicamentum Ægyptiis olim Sultanis in pretio.

VII. Ita sæpenumero quæ maxime damnosa & metuenda videntur mortalibus, in bonum vertit divina Sapientia, & inter media vindicis iræ signa bonitatis suæ

the-

thefauros in creaturas effundit. Oftendunt hoc præter angues modo recenfitos alii quoque Maris Mortui fœtus, qui, uti prima fronte teterrimam fpeciem, ita recte adhibiti infignem utilitatem præbent humano generi. Extra controverfiam eft, & in feq. Differt. pluribus oftendetur, quod amarities aquarum, gravis odor & reliqua mala maximam partem a *bitumine*, cujus, hiftoria tefte, ingentem copiam lacus fovet, dependeat: Hoc autem e contrario tot egregiis virtutibus inftruxit natura, ut difficile fit judicare, utrum majora fint ejus beneficia, an incommoda. Nam ut taceamus eximios in Architectura ufus, quorum in præcedentibus facta mentio eft, fingulares quoque in *Medicina* virtutes oftendit; & hinc [*Jofepho* tefte] ad corporum curationem multis remediis admifcetur. Tribuitur ei vis *exficcandi*, *calefaciendi*, *difcutiendi*, *emolliendi*, &c. prout Medicorum libri paffim docent; *vid. Sennert. L. V. Epit. nat. fcient. cap.* 3. *&* *Plin. L. XXXV. cap.* 15. atque ob id bitumen e Mari Mortuo natum aliis fpeciebus præfert *Diofcorides*, fcribens: Ἄσφαλτος διαφέρει ἡ Ἰουδαϊκὴ τῆς λοιπῆς, *Bitumen Judaicum antecellit reliqua*. Aliam quoque *Afphalti* utilitatem refert *Biffelius*: *quod eo Mahometani, fi quibus adhuc vinetorum cura eft, vitium palmites circumdent; utile vermibus viti noxiis remedium*. Denique & *Ligthfootus Hor. Hebr. Cent. Chorogr. Matt. procem. cap. V. pag.* 15. hoc ipfum Bitumen thymiamati facro quondam in populo Ifraelitico adhibitum fuiffe, e Talmudicis notavit.

VIII. Sed hac occafione non inutile erit, de ejufdem e Mari Mortuo proventu & colligendi modo pauca adjicere. Defcribitur hoc Bitumen non minus vere quam eleganter a *Strabone*, quod fit *terræ gleba*, *quæ a calore liquefacta efflatur atque diffunditur*, *rurfumque in glaciem fortiffimam ab aqua frigida immutatur*, *qualis eft lacuum aqua*. Cui relationem fuam parallelam fiftit *Borchardus*, *Bitumen in Mari Mortuo collectum*, *ex fundo ejus afcendere & vento agitante ad invicem congregari*, memorans. *Jofephus* quoque de materiæ hujus proventu admodum fcite, *Multis*, inquit, *locis VOMIT* (lacus) *nigras bituminis glebas*, *quæ fuper undam*, *& habitu*, *& magnitudine tauris fine capitibus affimiles*, *natant*. Quæ teftimonia uti egregie inter fe confpirant, ita facile fidem faciunt afferto *Biffelii*, quod *fundum hic lacus habeat atrum atque glutinofum*, quippe atrum ejufmodi & glutinofum fœtum progenerantem.

IX. Circa modum colligendi Bitumen hoc non æque conveniunt Hiftorici. Recentiores plerique cum *Borchardo* fimpliciter illud *agitante vento congregatum ad invicem*, *appulfumque littoribus extrahere* & fuccini inftar pifcari homines huic ftudio intentos, affirmant. Veteres contra nefcio quæ artificia & pene miracula fingunt in ejus collectione. *Pofidonius*, referente *Strabone*, dicit: *quod cum accolæ magici homines fint*, *incantationes quafdam faciant*, *& lotia & alios hujufmodi fœtidos humores infpergant atque exprimant*, *quibus bitumen coagulatur*, *poftea incidant*, &c. *Plinius* & *Jofephus* incantationis quidem incolas non accufant, interim æque mirabilem Afphaltum colligendi modum ftatuunt, quem una cum recentiorum hypothefi eleganter expreffit *Tacitus* Lib. V. Hift. fcribens: *Legendi* (Bituminis) *ufum*, *ut ceteras artes*, *experientia docuit*. *Alter fuapte natura liquor*, *& fparfo aceto concretus*, *innatat*. *Hunc manu captum*, *quibus ea cura*, *in fumma navis trahunt*. *Inde nullo juvante influit*, *oneratque donec abfcindas*. *Nec abfcindere ære ferrove poffis*. *Fugit cruorem veftemque infectam fanguine*, *quo fœminæ per menfes exfolvuntur*. *Sic veteres auctores*. *Sed gnari locorum tradunt*, *undantes bitumine moles pelli*, *manuque trahi ad littus*. *Mox ubi vapore terræ*, *vi Solis inaruerit*, *fecuribus cuneifque*, *ut trabes & faxa difcindi*. Ecce! hic veteres illos Auctores *gnaris locorum Tacitus* ipfe contradiftinguit, unde facile colligi poteft quanta veritas & certitudo ex illorum relationibus fperanda fit.

X. Illud autem extra omnem dubitationis aleam pofitum eft, quod de Mari Mortuo *Jofephus* & alii veterum notarunt; *eam effe aquæ rationem*, *ut etiam quæ graviffima funt*, *in eam jacta fluitent*; *demergi vero in profundum ne quidem de induftria quifquam facile queat*. *Nam & Vefpafianus*, *qui vifendi ejus caufa illuc venerat*, *juffit quofdam nandi infcios*, *vinctis poft terga manibus*, *in altum projici*: *qui omnes*, *quafi fpiritus vi furfum repulfi*, *defuper fluitabant*. *Itaque urinatores* (funt verba *Strabonis*) *in eo* (lacu) *innatare non poffunt*: *verum qui tenus umbilico in eum procedit*, *mox extollitur*. *Tauri* denique *&* *Cameli* (tefte *Plinio*) *fluitant*. Adverfus horum relationes fingularem obfervationem profert *Juftinus Hiftoricus*, de Mari mortuo fcribens: *Neque ventis movetur*, *refiftente turbinibus bitumine*, *quo aqua omnis ftagnatur*: *neque navigationis patiens eft*, *quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur*: *nec materiam ullam fuftinet*, *nifi quæ alumine*

illina-

illinatur. Verum ut prius quidem assertum, ceu supra a nobis comprobatum, suo loco relinquimus, ita posterius experientiæ & sibi ipsi manifesta contradicit. Cur enim, si universa vita carentia in profundum mergunt, non etiam *Bitumen*, corpus utique inanimatum, semper in imo manet, sed in aquarum superficie fluitat, maxime cum ab incumbente aere condensatum est? Porro, si ad materiam sustinendam alumen sufficeret, jam non amplius Mare mortuum navigationis impatiens dici posset, quando facile extrema nivium illiniri alumine, atque ita dictum Mare tuto trajicere valerent. At profecto non ideo navigari nequit, quod naves non ferat, sed quia gravissimus odor ejus vivis omnibus adversatur.

XI. Restat adhuc unum Mortui Maris phænomenon, non minus quam cetera, notatu dignum, *mirabilis scilicet coloris mutatio, quæ ter in singulos dies superficiem vertit, & Solis radiis variata resplendet*. Hujus quidem ex antiquis, præter *Josephum*, *de Bell. Lib. V. c.* 5. nemo, quod sciam, meminit, sed nostro sedulo tradidit illam & *Josephum* egregie defendit testis exceptione, major laudatus Princeps *Radzivilius*, sequentibus verbis: *Josephus lacum hunc non minus exacte quam vere descripsit, illud præcipue, quod in die ter mutet colorem, quod & ipse evidenter vidi. Nam mane habebat aquam nigricantem, a meridie Sole intenso (sunt enim calores hic immensi) instar panni fit cærulea: Ante occasum, ubi vis caloris remittit, tanquam limo permista modice rubet, vel potius flavescit*.

XII. A diversis igitur qualitatibus diversa nomina traxit lacus, quem hucusque consideravimus. Generatim quidem magnitudine sua in sacris & profanis Historiis meruit, ut sæpius *Mare*, quam *Lacus*, diceretur, quamvis proprie loquendo non prior, sed posterior appellatio ei competat. Porro a situ, & Regione quam inundavit, Scripturis *Deut. IV.* 49. ים הערבה *mare planitiei* seu *deserti*; a salso autem sapore ים המלח *mare Salis* dicitur. Gravitas ac Sterilitas aquarum *Mortui* nomen mari indidit, Latinis Scriptoribus usitatissimum. Denique a bituminoso fœtu hinc prodire solito *Asphaltiten* Græci nuncupant, a quibus etiam hoc nomen sæpe Latini Historici, & imprimis *Plinius*, mutuantur.

XIII. Ex hac autem Mortui Maris conditione haud difficulter colligi poterit, quæ circumjectæ Regionis facies sit post Excidium Sodomiticum. Quippe non solum jam olim, quot præced. Cap. ostendimus, pluvia ignis & sulphuris penitus eam exussit ac devastavit, sed & sine dubio pestilens ille vapor & fumus, qui continuo ex *Asphaltite* ascendit, in finitimam quoque regionem se diffundens totum aeris tractum insalubrem, tellurem ipsam magis magisque fœdam ac sterilem & consequenter perpetuo inhabitabilem reddidit, ut præter insecta venenata nullum animal, vel humi, vel in aere degens alere aut sustentare queat. Confirmant hæc unanimi consensu quotquot hanc plagam descripserunt Historici: Romanus Scriptor *Tacitus*, cum l. c. prolixe Maris Mortui mala exposuisset, de hac ipsa Regione pergit: *Haud procul inde campi, quos ferunt olim uberes, magnisque urbibus habitatos, fulminum tactu arsisse: & manere vestigia; terramque specie torridam vim frugiferam perdidisse*. Et statim adductæ relationi suam ἐπίκρισιν adiicit: *Ego, sicut Judaicas quondam urbes igne cœlesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum, eoque fœtus segetum & autumni putrescere reor, solo cæloque juxta gravi*. Quæ licet eatenus vera non sint, quatenus originem sterilitatis non igni cœlesti, sed lacui tribuunt, non tamen ideo prorsus sunt rejicienda, quum post excidium halitu lacus & ali & augeri sterilitatem terræ *Borchardus* quoque testetur, *eousque* in circuitu *terram aridam sterilemque* esse scribens, *quousque exitialis ille vapor impellente vento pertingere potest*.

XIV. Sed horrendam Regionis istius faciem nemo melius descripsit sæpe citato *Martino a Raumgarten*, *Itin. L. II. cap. XII. p.* 95. cujus proinde verba digna, quæ huc adducerentur, putavimus: *Die*, inquit, *tertio secuti ductorem nostrum ad Mare Mortuum perreximus. Inter euudum vidimus plagam illam horrendam, quam divina severitas in Sodomitas exercuerat. Terra in circuitu puteis quibusdam plena, tota cineri noviter elato simillima, nihil fere viride gignit, sed tota exusta fulminibus conflagrasse animadvertitur. Et licet cinerei sit coloris, sæpe tamen adustione quadam nigra conspergitur. Habet hiatus quosdam crebros & fissuras, in quas mulæ nostræ crebrius impingentes, nosque proinde in terram excutientes, præbebant nobis nunc coridendi, nunc compatiendi materiam. Pluebat vero tunc jugiter, quo fiebat, ut terra ante fungosa & mollis, ubi quis desuper cecidisset, leviter cadenti cedebat, eumque superius operiens, subtus tenacitate sua constringebat, ac veluti gremio complexa, ægre se erigere patiebatur*. Per puteos, quorum hic facta mentio, haud dubie intelliguntur *putei bituminis* in valle *Siddim* quondam reperti; nam horum aliquos

suo

ſuo adhuc tempore juxta Mare Mortuum ſuperfuiſſe *Borchardus* teſtis eſt, ſcribens: *Dicitur in Geneſi, cap. XIV. quod vallis illuſtris, quæ nunc eſt Mare Salis, puteos multos bituminis habebat, & hodie etiam plures ſunt in littore Maris diſpoſiti, quos vidi, eſtque juxta quemlibet pyramis erecta.*

XV. Non minus etiam notatu digna videntur, quæ Scriptores alii obſervarunt, adhuc totam Regionem igneam eſſe & ſulphuream, & latentium intra viſcera ſua ignium manifeſta præbere indicia. *Strabo* pro theſi hac adſtruenda ſequentia profert: *Nam & petras aſperas exuſtas circa Moaſada* [quod caſtellum eſt haud procul Mari Mortuo poſitum] *oſtendunt, & multis in locis prærupta, & terram cinerulentam, & picis guttas ex petris deſtillantes*, &c. Sed multo clariora magiſque certa refert *Joh. J. Ammannus, Itiner. P. II. pag.* 131. Unterdeſſen trugen die Araber die Steine zuſammen/ wie auch etliche der Unſern/ ſchlugen die von felſen/ oder wo ſie hin und her lagen/ zündeten die Steine mit etwas kleinem Geſtände an/ welch Steine brennen und flammen wiedas Holtz/ mit einem dicken Rauch/ ſtineken aber dermaſſen von Schwefel und Pech/ daß man nicht lange nahe dabey bleiben mag. Aber je näher man zu dem Toden Meer Kömmt/ je lieber die Steine auf ietzt erzehlte Weiſe brennen. Es ſind auch dieſe Felſen und Steine überzogen gantz weiß/ als wären ſie mit weiſer Aſchen beſäet oder beſprenget. Und wenn man die Steine zerſchlaget/ ſo ſind ſie inwendig dunckel/ aſchenfarb: Sie verbrennen auctz nicht ganb und gar/ ſondern wenn der Schwefel und das Pech heraus gebrunnen/ bleiben die Steine etwas kleiner als zuvor/ doch werden ſie ganrz ſchwartz/ und erleſchen von ihnen ſelbſt/ brennen alsdenn nicht mehr/ wie ich ſolches ſelbſten probiret/ und von einem der Steinen ein ziemliches Stück heraus gebracht habe. Es zeigen die Araber an/ daß die felſichten Berge und Steine eine Stunde Wegs in der Breite um das tod Meer her/ ſonſt nirgends/ alſo beſchaffen/ welches nun gläublich und augenſcheinlich iſt: allein habe ich gefunden/ da die Felſen ſandig ſind/ daß die Steine wel ſtincken/ aber nicht brennen wollen. Hæc ille.

XVI. Quis ergo de tali Regione atris cineribus & lapidibus ſulphure gravidis conſtanter viride quicquam aut frugiferum expectaret? Nihilominus hinc inde videas e mediis cinerum cumulis progerminare plantas & arbores, ſed quæ nullo prorſus uſui ſunt mortalibus, niſi quod tremendum illud juſtitiæ divinæ ſpecimen in ſe ipſis ſpectandum exhibent. Partim enim ferunt fructum nullum, partim prodigioſum, ſpecie nimirum inani & falſa imagine fructus, nihil intus habentes ſolidi. Sic *Littus arundinibus putridiſque arboribus plenum Mart. a Baumgarten* invenit. *Salignaeus* etiam obſervavit *arbores circumcirca creſcentes, ſed quæ peſtifero Maris afflatu infectæ nil eſui aptum producere poſſint. Videas enim poma viſu decora, intus plena cinere ac favilla.* Confirmat id ipſum ſuo teſtimonio *Borchardus* §. 39. ſcribens: *Sub Engaddi juxta littus Maris Mortui arbores quidem ſunt viſu pulcherrimæ, ſed fructus earum, cum diſcerpitur, intrinſecus favilla & cinere plenus invenitur.* Et cum horum aſſertis omnes Hiſtoricorum veterum, *Joſephi, Taciti, Solini, Auguſtini*, & aliorum relationes mira concordia conſpirant, quanquam ipſarum arborum pulchritudinem, præter *Borchardum*, nemo, quod ſciam, expreſſerit.

XVII. Verum utrumque nimis paradoxum videtur, & ni tantorum teſtium auctoritas obſtaret, fabuloſum, quod terra exuſta ac torrida *pulcherrimas viſu arbores* gignat; & illarum fructus, eo ipſo tempore, quo lætiſſima ſpecie *edendi generant ſpectantibus cupiditatem, ſi capias, fatiſcant, & reſolvantur in cinerem, fumumque excitent, quaſi adhuc ardeant*, ut *Egeſippus* loquitur *L. IV. Exc. Hieroſ.* Sane qui hoc ſeculo locum inviſerunt, multo aliter rem innenere. Arbores illas & mirabiles earum fructus nec ſe vidiſſe, nec amplius ſupereſſe ſcribit *Pr. Radzivilius*. *Ammannus* contra omnino dari & in via Hiericuntina a ſe viſas eſſe aſſerit, ſed a priori deſcriptione longe diverſas, ut ex ſequentibus ejus verbis patet: Unterwegens traffen wir unter andern etliche Bäumlein oder Stauden an mit vielen Aeſten außgebreitet/ gar ſtachlicht/ auf die Form/ wie bey uns die weiſſen Heckendorn/ daran ſtehe eine überauſſchöne und liebliche Frucht/ anzuſehen/ wie die kleinen Aepffel oder Paradieslein/ ſchön weiß und rothlecht/ gantz lieblich und luſtig/ derſelben brach ich etliche ab/ in Willens/ ſie zu eſſen/ waren aber ohne Geſchimack und Safft/ gar unlieblich zu verſuchen/ inwendig voller weiſſen Kernen/ gleichwie die unzeitigen Aepffel-Kernen. Denn es waren auch dieſe Stauden gantz voll geſtanden/ habe auch etliche der Aepffel mit herausgebracht: unter den Aepffeln aber waren etliche dürre ſchwartzlecht/ und wenn man dieſelb zubrach/ ſtoben ſie wie Aſchen; ſo aber dieſe Aepffel friſch abgebrochen werden/ ſind ſie nicht alſo/ ſondern bleiben dürre/ wie ein andere Frucht. En ſatis accuratam & rationi conſentaneam deſcriptionem! agnoſcit ſane *Ammannus* juxta Mare Mortuum arbores, ſed non proceritate ſtirpium aut frondium viriditate ſuperbientes, agnoſcit eundem arboris fructum externa ſpecie jucundum, & intus favilla ac cinere repletum, ſed non eodem tempore; quando nimirum formoſa cute pomum tegitur, tunc interiora albis granulis, nequaquam cineribus, conſtant; quando autem fuligo ac cinis inteſtina occupat (quod pomis juſto diutius ex arbore pendentibus accidit) illico etiam extrema cutis nigricat & areſcit. Itaque facile poteſt fieri, ut una arbor ſimul

mul virentia & fuliginosa mala gerat, prout scilicet unum altero citius aut serius progerminat; atque hoc procul dubio occasionem dedit laudatis Scriptoribus, ut unum idemque pomum eodem momento & formosam ostentare speciem, & intus favillam sovere crederent; quanquam non repugnem, alio fortassis loco aut tempore, quam quo *Ammannus* observationem suam instituit, aliam quoque arborum fructuumque conditionem, & relationi supra adductæ respondentem fuisse inventam, cum certum sit, ipsius Regionis, quæ Mare mortuum cingit, statum pro varietate locorum & temporum notabiliter esse diversum.

XVIII. Quodsi autem porro amplitudinem regionis istius inquiramus, quæ post Excidium Sodomorum stupendum hoc fructuum genus horribilemque faciem ostendit, redeunt non solum, quæ Cap. præced. §. 8. de magnitudine planitiei incendio eversæ notavimus; sed quia fumus e Mortuo Mari assurgens per ingentem terræ tractum sese extendit, dubium non est, quin successu temporis major regionis pars, quam pluvia sulphuris quondam tetigit, si non quoad interiora, saltem superficie tenus vastata ac sterilis facta sit, ut vel fructum plane nullum, vel inutilem producat. Atque hoc vel solum inde constare poterit, quod loca pleraque Mari Mortuo contigua & partim ante, partim adhuc post Nativitatem Christi culta & habitata, aliquot retro seculis, non tam ob incolarum defectum, quam cœli solique intemperiem vasta & inania conspiciuntur. Accedit insuper clarissimum *Borchardi* testimonium, quod *Vallis illa, quæ Gen. XIV. illustris dicta est, & vere sic erat, a termino hujus maris apud desertum Pharan, usque supra Jericho media dieta fere sterilis & inutilis reddita sit, ita ut nec germen producat aliquod in sua latitudine, quæ aliquando est quinque, aliquando sex Leucarum, præterquam juxta Jericho, ubi Canamellæ, & horti, & viridaria irrigantur fonte Helisæ*. Mox de latitudine Regionis ibidem pergit: *A dextris & sinistris montes steriles sunt & aridi, vel barbaræ habitationes per multa & longa terrarum stadia, ad quæ impellente vento vapor ille pertingere potest*. Ecce! hic ad terram halitu lacus post excidium infectam, expresse montana Regio, planitiei, quæ in ipso excidio vastata est, contradistincta refertur. Speciatim denique hodiernus *Zoaris* status nos docere potest, quantopere hactenus vastitate ac sterilitate creverit terra Mari Mortuo vicina. Vidimus supra ex *Hieronymo*, civitatem hanc ejus tempore non modo superstitem, sed & propriis incolis frequentatam fuisse: sine dubio igitur tunc terra quoque circumjecta non sterilis erat, sed culta & frugifera: at superiori seculo *Mart. a Baumgart.* eam invenit *desolatam* (quæ verba ejus sunt) *ut cætera fere omnia*, manifesto indicio, quod successive in majus spatium se diffuderit sterilitatis malum.

XIX. Reliquarum urbium Sodomitico excidio perditarum status etiam nunc talis est, & ad finem usque mundi duraturus, qualem e *Vartomanno* & aliis primo statim Capite contemplati sumus. Jacet quippe *Sodoma*, cæterarum Princeps, in Mari Mortuo sepulta, neque amplius ullum sui vestigium ostendit: de tribus residuis, *Gomorrha*, *Adama & Zeboim*, in ejusdem maris littore cineres & murorum saxorumque rudera supersunt, supplicii sui gravitatem ex ipsis ruinis clamantia. Imprimis autem observationem meretur, quod laudatus *Vartomannus* relaxationi suæ, de tribus urbibus in clivo singulorum montium positis, subjungit: *circiter trium vel quatuor cubitorum adhuc visitur nescio quid instar sanguinis, quasi exprimat rubicantem ceram humo admixtam*. Sed de hac materia cogitationes nostras, ferente sic instituti nostri ratione, in altera Dissertatione exponemus. Nunc absoluta per DEI gratiam *Pentapoleos* infaustæ *Historia*, in quantum ex istis tenebris ingenii nostri tenuitate erui potuit, finem præsenti operæ imponimus, Lectorem Benevolum obnixe rogantes, ut & paucula hæc æqui bonique consulere, & nobis ac studiis nostris porro favere ne dedignetur.

Secunda, quam sæpe citat, dissertatio nunquam, quod sciam, vidit lucem.

THEO-



THEODORI HASÆI DISSERTATIO DE SABULONIS

Præ Sidone præſtantia ad illuſtrandum locum
Geneſ. XLIX. 13. וירכתו על צידון.

CAPITIS PRIMI.

In quo hic locus tractatur ἀνασκευαστικῶς.

Uulgares horum verborum interpretationes examinantur §. 1. *Quomodo verba transferri debeant* §. 2. *Emphaſis & propria notio* τῦ על, *quæ eſt* eminentiæ *&* præſtantiæ §. 3. *Uti in* ὑπὲρ, ſuper, über ſur, over. §. 4. על *conjunctum cum nomine præſtat vicem comparativi gradus*. §. 5. *Cur Zabulon præſtare Sidoni dicatur*. §. 6. *κατ' ἄρσιν*. *Non ob* (1) commoditates vitæ; *quæ utrinque fuere pariles, qualis fertilitas Zabulonis* §. 7. *Neque* (2) ob literarum ſtudia; *quæ Sidone magis floruerunt, quam inter Sabulonios. Locus Jud. V. 14. Sunt illi ob ſtupiditatem famoſi, Job. l. 27. VII. 52. Plures prophetæ ex tribu Sabulonis.* Eliſa, Jonas, Nahum, Amos. §. 8. *Neque* [3] *ob* cognitionem *veri* Dei §. 9. *Neque* (4) *ob* incommoda, *quæ vicinitas maris attulit Sidoni* §. 10. *Cujus aſſerti rationes proponuntur* A. generatim §. 11. B. Speciatim. *Non quod caruerunt* [א] Sidonii aquis *dulcibus* §. 12. *His frui potuerunt variis modis, quorum ſeptem adducuntur* §. 13. *Fluvius adjacuit Sidoni*, Boſtrenus *dictus*, nunc Aule. §. 14. *Neque* (ב] piſcibus fluviatilibus. §. 15. b. *An piſces marini ſunt inſalubres* §. 16. *Neque* [2] *quod Sidonii plus aliis urbibus expoſiti eſſent hoſtium violentiæ. Nam illud de illis aſſeri nequit* §. 17. *Fata Sidonis; A pauciſſimis tentata, nedum ſuperata* §. 18. *Sæpius autem Sabulon* §. 19. *Contra Sidon Sabuloni antecelluit* antiquitate, celebritate nominis, magnitudine, commerciorum flore, divitiis, portubus §. 20. copia navium. [*Dicta inde* Ναυαρχὶς) Coloniis *inde deductis, rebuſque aliis*. Μητρόπολις θεά. §. 21.

§. I.

IN his JACOBI Patriarchæ, cœleſti pleni Numine verbis, quæ morientibus labellis protulit, ac Cygneæ cantioni ſuæ inſeruit, plura continentur, quam primo quidem intuitu quis arbitretur. Uulgaris Interpretum plerorumque ſententia eo collineat, illis indicari, terram illam, quæ forte ceſſit Sabulonis familiæ, extenſum iri uſque ad limites Sidoniorum. Sed neſcio, anne tum potius ſcribendum fuiſſet עד, quam, על צידון. Præſertim, cum id, cum ipſa rei veritate pugnet. Conſtat enim, & apud omnes in confeſſo eſt, non Zabulonis, ſed Aſeris terminos proxime adtigiſſe Sidoniorum terram. Id quod diſerte docetur Joſ. XIX. 28. Immo ipſi adeo Aſeri in hanc urbem jus fuiſſet, ea ſi po-

ſi potuiſſet potiri. Scio quidem, quid heic regerant viri docti, ſed & nihil eorum me legiſſe memini, quod plane mihi ſatisfaceret, neque aliquid animo meo relinqueret dubii. Sive enim cum Celeberrimo COCCEJO velis id tantum innui, terram, quæ *tribum Sabulon pene claudit, ad Sidonem pertingere*, ſive cum eruditiſſimo A. MASIO, id malis indicari, *talem futuram Zabuloniorum habitationem, ut ex tractu ſuo maritimo non difficulter Sidonem verſus adnavigare poſſent, & commercia ſua exercere*: Sive cum BOCHARTO & HEIDDEGGERO, venerandi nominis Viris per Sidona non *tam ipſam urbem, quam totam Phœnicem, cujus illa caput erat*, intelligendam judices, ſive denique cum πολυμαθεστάτῳ Hadr. RELANDO, rearis id ſignificari *Sidonem in regione Palæſtinæ ſeptentrionali fore* ſitam, idem ſemper ſcrupulus, eædem ſupererunt ſalebræ. Cum enim Aſer ἀμέσως contingeret Sidonem, atque eam & Zabulonem interjaceret; Zabulon autem plus quadraginta paſſuum millibus a Sidone diſtaret, ſequitur, quam demum cunque excitatarum ſententiarum ſequare, verba illa Jacobi multo magis Aſeritidi, quam Sabulonitidi convenire.

§. 2. Jam pridem itaque judicavi de alia verborum illorum translatione, circumſpiciendum eſſe, illudque על non *ad*, *penes*, *prope*, *uſque ad* ceu vulgo fit, ſed *ſuper*, *ſupra*, *præ* exponendum, ut hæc particula excellentiæ habeat notionem, & præſtantia terræ Sabulonis præ illa Sidoniorum ſignificetur. Hunc circiter in modum, *& terminus ejus* [i. e. locus, qui in ejus Sabulonis terminis ſitus eſt] *erit ſuper Sidonem* h. e. præſtabit Sidoni, Seine (des Sabulons) Gräntze/ oder Gräntzſtadt wird über Sidon ſeyn/ das iſt/ wird herrlicher oder fürtrefflicher ſeyn/ als Sidon. Cui translationi cum vocum ſignificantia convenire optime oſtendam *primo*, at *deinde* ſenſum ita exhibere præclarum, Deo dignum, myſteriorum plenum, ipſoque eventu inſigniter comprobatum evincam.

§. 3. Illa autem τοῦ על explicatio reliquis præferenda videtur omnibus, quod maxime genuina, propria, & quaſi formalis adeoque præcipua eſt, inter *octo* illas & ſupra *triginta*, quas Noldius adduxit. Notat enim על, ut verbis utar Cl. V. Chriſtiani KOERBERI, (cujus quam brevis, tam elegans exſtat *particularum Hebræarum Lexicon*, pag. 89.) (1) *partem eminentem ſuperiorem*, *ſuperficiem*, *verticem*, (2) *ſublime*, *ſummitatem*, *eminentiam*, *excellentiam*, *&c.* Valentinus E. LOESCHERUS, Vir merito ſuo celeberrimus, in de *cauſis L. Hebrææ* utiliſſimo libro, L. II. c.19. explicat על *actum mentis, qui unius rei EXCELLENTIAM PRÆ ALIO, vel vim ejus prævalentem concipit*. Conformant id tot voces, ex על ortæ, quæ omnes *eminentiæ* & *altitudinis* notionem involvunt; v. gr. עלה, *adſcendit*, *eminuit*, *excelluit*, עליון, *altiſſimus*, *ſummus*, *eminentiſſimus*, מעלה, *gradus*, quo adſcenditur, *adſcenſio*, *elevatio*, *dignitas*, *ſuggeſtum*, *camera ſuperior*, עלה, עליה, *adſcenſus*, *gradus*, עולות, *holocauſta*, ſacrificia quæ in altum elevata agitabantur, quæ altis altaribus impoſita & concremata per fumum in cœlum adſcendebant, hinc מעלה, מעל, *ſupra*, *ſuperne*, & cum ſubſtantive ſumatur, *ſuperficies*, *pars eminens*. על cum Kametz *excelſus*, *exaltatus* 2. Sam. XXIII. 1. confer Hoſ. XI. 7. עליונה, *excelſa*, *cœnaculum ſuperius*, למעלה, *in ſummo gradu*, *excellenter*, *plurimum*, למעלה *ſuperior pars*. Neque dubito, quin ipſa vox *altus*, unde & *altare* hinc deſcenderit.

§. 4. Præterea, cum vulgo τὸ על reſpondeat τῷ Græcorum ὑπὲρ, quod ex Hebræorum עבר ortum, neque aliud eſt, quam Latinorum *ſuper*, Gallorum *ſur*, Perſarum زبر *eber*, Germanorum, über, Belgarum *over* id, quod de genuina voculæ על ſignificatione dictum eſt, confirmatur egregie. In variarum enim iſtarum linguarum uſu particulis his res intenditur, illiuſque præ aliis eminentia innuitur. V. gr. in Græcorum ὑπέρβαλλον, ὑπερῷον, ὑπερβαίνειν, ὑπερόχως, ὑπερφέρειν, ὑπερυψόω, ὑπερένδοξος, ὑπερήφανος, ὑπέρτερος, ὑπέρτατος, ὑπέρβατος, ὑπερβολὴ, ὑπερβολικὸς, ὑπεραγαπάω, ὑπεράγοντως, ὑπεραίρειν, ὑπεράκελος, ὑπερήνωρ, ὑπερηφανία, ὑπέραλλος, ὑπεράνω, ὑπεράνωθεν, ὑπεραυξάνειν, ὑπέρβιος [quod eſt ipſum Latinorum *ſuperbus*] ὑπερῷον, ὑπερνικάω, ὑπέροπλος, ὑπερφυὴς, ὑπερέχειν, τὸ ὑπέρεχον ſimilibuſque aliis. Pariter in Latinorum *ſuperare* i. e. præſtare alicui, *ſupereminere*, *ſuperlativus*, *ſupervolare*, *ſupergredi*, *ſuperbire*, *ſupercreſcere*, *ſupra*, *ſuperior*, *ſuperi*, *ſuperne*, *ſuperabundare*, *ſupremus*, *ſupereminere*: *ſupervehere*, *ſupervadere*, & ſic porro. Uti ſimilem in modum Germanorum; übertreffen/ überwinden/ übergehen/ überleben/ überwegen/ überliegen/ überholen/ ubergroß/ uberklug/ ubermächtig/ uberböß/ ubermögen/ ubermuhtig/ uberſteigen/ Obrigkeit/ oberſte/ pluribuſque aliis, uti κόνις. Jam, cum ſimilium ſimilis ſit ratio, ὑπὲρ autem, & cognatæ particulæ, quæ exacte cum τῷ על conveniunt, notionem propriam habeant excellentiæ, prærogativæ, ſequitur hujus eandem debere rationem eſſe, quam illarum.

§. 5.

§. 5. Hinc sæpe numero על ita occurrit, ut explicandum sit quasi per gradationem & comparationem, ut unius rei præ alia indicetur præstantia & prærogativa, & vel per gradum comparativum, vel per particulas, *præ*, *magis quam* sit explicandum. Uti enim hactenus Grammatici credidere *comparativum gradum Hebræis exprimi per præpositionem* מ vel מן *appositam rei, eum qua sit comparatio*, ita idem fieri simili modo expressa particula על, observandum est. Sic talem loquendi rationem familiarem fuisse Jacobo nostro, verba docent & *antecedentia* Gen. XLVIII. 22. *Dedi tibi portionem unam* על אחיך, *super fratres* tuos, i. e. majorem aut præstantiorem illa, quam nacti sunt fratres tui & *sequentia* hoc capite nostro commate 26. *Benedictiones patris tui* גברו על ברכת הורי *fortiores sunt*, *quam benedictiones majorum meorum*. Quæ verba optime videntur transtulisse Belgæ. *De Segeningen uwes Vaders gaen te boven de Segeningen myner Voorvaderen*. Idem fit ab aliis aliis in locis; v. gr. Deut. XXVIII. 1. *Tum ponet te Jehova Deus tuus* עליון על כל גוי הארץ *excelsum*, *supra omnes gentes terræ*. i. e. Excelsiorem omnibus gentibus terræ: 1. Chron. XVI. 25. DEUS dicitur גדול ומהלל מאוד ונורה על כל אלהים, *magnus*, & *laudabilis valde*, & *verendus PRÆ omnibus Diis*. Jobi XXIII. verba ידי כבדה על אנחתי, Aben Esra & Ralbag explicant; *Plaga mea est gravior quam ut gemitus mei eam exæquent*. Verba Psalmi L. 5. כרתי בריתי עלי זבח Lu. vertit die den Bund mehr achten als Opffer; Ita quando Deus dicitur נורא על כל סביביו Ps. XXXIX. 8. & נורא על כל אלהים Ps. XCVI. 4. & יהוה עליון על כל הארץ נעלים על כל אלהים, *Dominus excelsus præ omni terra* (i. e. omnibus, qui in terra sunt) & *exaltatus magis*, *quam omnes Dii*. Ps. XCIX. 9. & רם על כל העמים, Ps. XCIX. 2. & רם על כל גוים, Ps. CXIII. 4. & *nomen ejus magnificatum* על כל, Ps. CXXXVIII. 2. diserte comparatione instituta ille reliquis omnibus præfertur. Huc quoque pertinet locus Ezech. XXVIII. 22. ubi nostræ Sidoni acclamatur האני עליך צידון, *Ecce me*, *ego sum supra te Sidon*. id est: Ego te sum valentior, potentior, Sidon, ne putes te meis manibus elapsurum, uti ita explicat Villalpandus. Clarissimus inprimis locus est Dan. I. 20. ubi Daniel & socii ejus dicuntur inventi decies sapientiores &c. על כל החרטמים *Præ omnibus magis & sophis*, *qui erant in toto regno*. Cum autem τὸ על, ut dictum est, respondeat Græcorum ὑπὲρ hanc quoque particulam similem in modum capi deprehendimus, Matth. X. 37. Luc. XVI. 8. Ebr. IV. 12. & passim alibi. Quæ omnia confirmant nostram expositionem, docentque verba Jacobi; וירכתו על צידון ita transferri posse apprime; *Et terminus ejus* (Sabulonis) *præstabit Sidoni*.

§. 6. Quibus positis nunc dispiciendum venit, quænam hujus asserti sit ratio, id est, quomodo, & quamobrem terminus Sabulonis sit præstantior Sidone? Id quod fiet (A) cum κατ᾽ ἄρσιν, tum (B) κατὰ θέσιν. *Primo* enim ostendendum venit, nihil heic in censum venire posse, quod ad temporalia vitæ hujus commoda spectet, *deinde* altius evehendo cogitationes exhibendum aliquid, quod majoris sit momenti, quod ad opus salutis generis humani, ejusque unicum Auctorem nos manu quasi ducit, in quo ratio excellentiæ Sabulonis præ Sidone sita est. Prius *hujus*, posterius segmenti sequentis erit argumentum.

§. 7. Ea, quæ [1] vulgo in regionum atque urbium commoditatibus censentur, ubertas soli, temperatus ac salubris aer, montes vitiferi, ridentia prata, pascua pinguia, valles amœnæ, herbarum, florumque feracissimæ, limpidi piscosique amnes ac rivi, commodus non procul a mari situs, quæque sunt alia vitæ humanæ præsidia non deerant, fateor, Zabulonitidi. Sed & his omnibus Sidoniorum terra non solum non caruit, verum & ita effloruit, ut, si non vicerit, saltem æquaverit Sabuloniorum regionem. Audiamus ex innumeris vel unicum Joannem COTOVICUM, qui istas regiones ipsemet curioso perlustravit oculo, ita scribentem; (a) *Solo gaudet optimo, & ubere. Agri circumjacentes aquarum rivulis & fontibus irrigui, mira felicitate exuberant*. Et, quid multa? Qui vel id solum meminerit, Sidonem sitam fuisse, si orientem spectes, ad radicem montis Libani, ab altero autem latere imminuisse mari, commerciorum usu illustri, vix quadrantis horæ itinere inde distantis ei persuasum esse oportet, omnes omnium locorum fortunas complexam, neque aliquid huic urbi defuisse eorum, quæ ad bene commodeque vivendum quidquam faciunt. Opima erat Zabulon, & fertilitatis nobilissimæ, ita tamen ut gignendis uvis esset aptior, quam agrorum fructibus, quod montibus intumesceret magis, quam deprimeretur vallibus. Lepidum est, quod in Talmude Babylonico Megill. fol. 6. 1. afferunt Judæorum Magistri. (b) *Zebulon murmuravit propter conditionem climatis sui*, זבולון חרף נפשו למות; *Zebulon est populus qui exprobravit*

(*a*) Itin. L. I. c. 18. (*b*) Citat hunc locum LIGTHFOOTUS Opp. T. III. p. 96.

bravit animam ſuam uſque ad mortem. Qua ratione? Quia Naphthali erat על מרומי, שדה *ſuper alitudines campi. Dixit Zabulon coram Deo ſancto benedicto, Domine univerſi, fratribus meis dediſti agros & vineas, mihi vero dediſti montes & colles. Illis dediſti terram, at mihi dediſti maria & fluvios*, & quæ ſequuntur. Verum enim vero in vicino Sidoni Libano æquale Bacchi, & Cereris imperium fuit, & etiam nunc eſt. Vide Hoſ. XIV. *6*. 7. coll. Pſ. LXXII. 1*6*. ita, ut in hac cauſa nihil ſane, cur Zabulonitidi poſtponatur, occurrat.

§. 8. Non leve decus, aut præſidium accedit urbi, ſi (2) artium ac ſcientiarum ſtudiis floreat, abundetque viris ingenii ac doctrinæ laude excellentibus. Talibus non indiguiſſe portionem terræ, quæ Sabuloni ceſſit, indicari in cantico Deboræ Jud. V. 14. ubi Sebulonitæ dicuntur משכים בשבט סופר *Ducentes* vel *trahentes calamum ſcriptoris*, viris quidem doctiſſimis viſum fuit. Sed plane aliter, quam vulgo fit hunc locum explicandum eſſe, & Mavortis potius, quam Minervæ indicari alumnos alibi oſtendam. Quidquid ejus rei ſit, non tamen vel [a] ſic aliquid elicies, quod inſignitam prærogativam Sabuloni præ Sidone afferet. Fuerit illa literatis viris affluens, hæc ſane iis non carvit. Audiamus encomium, quod regioni, cujus caput erat Sidon, tribuit MELA; *Phœnicen illuſtravere Phœnices, ſolers hominum genus & ad belli paciſque munia eximium. Literas & literarum operas aliaſque etiam artes, maria navibus adire, claſſe confligere, imperitare gentibus, regnum, præliumque commenti*. Ejus cives πολυτέχνυς ϗ καλλιτέχνυς, *multarum atque optimarum artium Magiſtros*, habitos, Aſtronomiæ & Arithmetices callentiſſimos, haſque artes inde ad alios populos propagatas, imo omnem reliquæ Philoſophiæ copiam maximam ex hac civitate peti poſſe auctor eſt STRABO L. XVI. p. m. 757. uti & alios inſignes Doctrina viros Moſchum, Boethum, Diodorum recenſet, quibus domicilium & patriam illa urbs præbuit. Homerus paſſim eos πολυδαιδάλων nomine inſignit. Quantum excelluerint arte fabrili ex 1. Reg. V. *6*. diſcimus. Confer pariter EUSTATHIUM in ſcholiis ad Dionyſium periegenten verſ. *9*12. Et quid multa? Sidoniis laudem literarum, negabis, quibus originem ſuam literæ, & per eas diſciplinæ omnes debent? Cadmum enim, quem Sidoniorum Regem fuiſſe Euſebius in Chronico auctor eſt, literas, quas *nigellas Cadmi filias* ille vocat, inveniſſe primum, atque hinc earum uſum translatum in Græciam, unde deinde per orbem terrarum diſperſæ ſint, univerſalis pæne veterum eſt traditio. Et, ſi vel antiquiſſimis temporibus fortaſſis literarum ſtudia inter Sabulonios, quod tamen nullo adhuc indicio certo conſtat, effloruiſſe dixeris, deinceps tamen illarum amorem & cultum oportet valde fuiſſe diminutum, cum nihil uſquam memoretur, quod, quoad doctrinam, ad eorum laudes pertineat. Quin contra tantus apud illos liberalium artium & ſapientiæ neglectus fuit, ut eorum ſtupor in proverbium abierit, & hebetis ingenii homines vocaverint גלילאה שוטה [b] Certe quo loco hi, ad quos pertinebant Sabulonis poſteri, fuerint apud reliquos Judæos vel ex duabus illorum quæſtionibus, quæ leguntur Joh. I. 27. & Joh. VII. 52. liquido conſtat. Ubi tamen, cum inficiantur e Galilæa Prophetam exiiſſe, magnum errorem erraverunt, conſcripti Synedrii Patres, cum vel ſola tribus Zabulonitica produxerit ELISAM natum in אבל מחולה, *Abel mehola* 1. Reg. XIX. *6*. quam יקמעם, quæ alias dicitur יקפעם, hoc eſt, in *Sycamino*, famoſa tribus Sabulonis urbe; (c) JONAM, cui patriam contigiſſe גת החפר patet ex 2. Reg. XIV. 25. quæ Sabulonis portioni accenſetur Joſ. XIX. 13. AMOSUM ex Thekoa, quam ἐν γῇ Ζαβυλὼν collocat Epiphanius, aut quiſquis auctor eſt libri *de vitis prophetarum*. NAHUMUM denique, Elkoſaeum, i. e. natum in Elkeſi, oppido Galilææ, quam eſſe, בסלית תבור, Zabunis memoratam Joſ. XIX. 18. exiſtimat Cel. *Hardtius*. Non diffiteor, inde aliquid fortaſſis eminentiæ Sabulonis terræ poſſe accedere, ſi, quod patria Prophetarum ſit, illi foret privum, neque aliæ eſſent tribus, non minus magnorum Prophetarum genitrices.

§. *9*. Ex eodem fonte petenda eſt cauſa, ob quam rationem præſtantiæ Sabulonis præ Sidone inde arceſſere nolim, quod illius incolæ [3] cognitione & cultu Dei unici & veri fruerentur, cum hujus cives ex adverſo turpiſſimo idolorum Beli præcipue, & Aſtartes cultu præ aliis nationibus eſſent dediti. Ita res quidem ſe habet, non tamen id reſpexiſſe D. Patriarcham his verbis puto, quod id commune habuerit Zabulon cum reliquis undecim populi Iſraelitici tribubus, cum tamen de illo aliquid prædicatur, quod illi ſingulare ac privum futurum eſſet. Et ſic vel

Ben-

(*a*) Confer Joh. Michaelis LANGII, Theologi Altdorfini de *regentibus per calamum ſcriptorium* ex Jud. V. 14. Altdorfii 1704. & Jo. Chriſt. WICHMANSHAUSEN de *Sabulone literatore* Wittemb. 1724. diſſertationes.

(*b*) V. HACKSPANIUM in prolog. notarum in *diſſ. Loca Scripturæ* p. 9.

(*c*) Vide Herm. v. der *Hardt* diſſ. de *Prophetis Galilæis*. Helmſt. 1719. 4.

Benjamini, in quibus templum erat, & cultus Dei publicus exercebatur, heic potiores essent partes tribuendæ.

§. 10. Vir eruditus, quem ut olim inter Auditores præstantissimarum minarum, ita nunc inter συνδούλους meos numero cum hac de re cum eo sermones cæderem, proferebat tres alias causas, ob quas factum censebat, ut tractus Zabulonis Sidoniorum tractui prælatus fuerit, quas deinde scripto mihi exhibuit. Videlicet *quia Sidonii maris litoribus proxime adjacentes incommodis vexati fuere, quibus ei premuntur, qui παράλιοι sunt. Dum caruerunt* (א) *aqua dulci ac potabili.* (ב) *Piscibus frui tantum potuerunt marinis sanitati hominum valde infestis.* (ג) *Expositi fuerint perpetuis hostium infestationibus.* Quibus plane contraria erant omnia apud Zabulonitas, quod & mari mediterraneo & Genesaritico, ab utroque latere simul clauderentur, unde fluviatilium non modo, sed & marinorum piscium & aquarum dulcium juxta, ac salsarum copia iis suppeteret, neque illis ab hostili vi magnopere aliquid extimescendum esset. Age, tricemus paulisper hanc aristam, &, num hæc tanti sint, ut τὸ πέρισσον Zabulonis præ Sidone constituere queant, examinemus.

§. 11. *Primo* GENERATIM (4) observetur, si præstantia Zabulonis præ Sidone ab iis derivanda esset incommodis, quæ proximum mari situm comitari solent, necesse est iis infestatam quoque esse terram Sabuloniticam, quam vir doctus putat quoque mare alluisse, adeoque ob illam rationem nihil illi tribuendum eminentiæ. Secundo, nil quidquam esse, inter hæc tria, tanti, quod esset momenti, ut id divino actus Spiritu sanctus Patriarcha cygneæ suæ cantioni intermisceret, Moses autem victuris æternum chartis insereret. Neque enim credibile illum, postquam tam excellens ediderat de Christo, ejusque regno oraculum, uno ore eodemque pæne halitu ad talia, corporalem hanc vitam tantum concernentia, quæ fere minutias dixeris, fuisse dilapsum.

§. 12. Sed [B] SINGULA consideremus propius. [א] Argumentatio ita instituitur. Lambebat mare horridum Sidoniorum mœnia. Hinc defectus aquarum dulcium. Non sequitur. Nam etiam Zidoniorum littora maris ejusdem fluctibus pulsabantur ex multorum sententia. At vero, pergis, Zebulonitæ utebantur dulcibus, limpidis, lenibus lacus Gennesaretici aquis. Quamquam dubitem attigisse illum lacum Cinnereth, tribum Zabulonis, saltim ἀμέσως, concedam nunc tamen adtigisse. At quid inde privilegii capient Zabulonii præ Zidoniis? Quid rei cum illius lacus aquis fuit longe maximæ Zabulonitidos parti, quæ per tanta terrarum spatia dissidebat a mari Galilææ? Verum, pergis, vel per vecturam transportari, vel per aquarum ductus derivari potuere, ac distribui per totam Zabulonitidem aquæ, ex illo lacu & Jordane haustæ. Non id negaverim præfracte, sed id simul indubium est, Sidonios eadem opera, iisdemque impensis, quæ Zabuloniis adhibendæ erant, uti fruique illis, ut & lacus Samochonitidis aquis potuisse. Vides itaque nihil in eo esse, ut Zabulonem præstitisse Sidoni dicas.

§. 13. Præsertim, cum, licet adsita fuerit mari salso, dulcibus aquis aliunde ei prospici potuit commodissime, idque modo non uno. [α] *Agros circumjacentes* AQUARUM RIVULIS & FONTIBUS IRRIGUOS *esse* testantem audivimus Jo. COTOVICUM, gravissimum scriptorem. (β) Procul dubio in ipsa urbe non defuerunt fontes. Rarum est, quod de famoso fonte, qui in media urbe erat, ejusque pisciculis affert Geographus Arabs, quem Nubiensem vocant, Climatis tertii parte quinta p. m. 117. (γ) Proxima Sidon erat Libano, cujus radices urbis pæne mœnia attingebant, quem perennibus aquarum fluentis irriguum, plurimorumque fluviorum Patrem esse, uno ore itinerariorum Scriptores testantur, & sacræ literæ confirmant. (δ) Præterea totus ille Phœnices tractus multis dividebatur fluminibus. Spatio non adeo extenso littora ejus *Eleutherus*, *Adonis*, *Lycus*, *Nar Beruth*, *Damer*, *Leontis*, שיחור לבנת, קישן, quem Græci Κίτωνα sive Κίσωνα vocant, Belus, quem Plinius *Pagida* vocat, *Lante* fluvii rivique alii intersecabant. (ε) Ex his per aquarum ductus aquas in urbes suas derivabant. Cur id de Sidoniis minus credamus, quam de illorum vicinis, sociisque Tyriis, quorum ὑδραγωγίων a Salomone in gratiam Hirami fabrefactorum vestigia adhuc exstantia in tabula exhibet Maundrellus, causam non video. (ϛ) Quibus accedebant ingentis capacitatis cisternæ, ac κολυμβῆθραι, amplissima magnæ & aquarum & piscium copiæ receptacula, qualium frequentem usum fuisse ex sacris literis satis constat. Vide Nehem. II. 13. III. 16. Eccl. II. 7. 2. Reg. XX. 20. Es. XXII. 9. 11. Liquidum inde est, si qua aquarum dulcium ac fluviatilium penuria Sidonii laborarunt, eam variis modis compensatam fuisse aliunde.

§. 14. Quid vero? Neque alienis opus habuerunt suppetiis, cum domi, quod suffi-

ſufficeret, invenirent ſatis. (*b*) Exiguo enim, hoc eſt, circiter M. paſſuum intervallo, ab urbe labebatur fluvius. Fluvius, inquies, prope Sidonem? Quis veterum novorumque ſcriptorum id unquam literis tradidit? Dicam; Dionyſius, quem Periegeten vocant, qui verſ. *913.* poematis ſui Sidonem vocat --- ἀνθεμόεσσαν ναιομένην Χαρίεντος ἐφ' ὕδασι ΒΟΣΤΡΗΝΟΙΟ, *Florentem*, *&* *habitatam ad aquas amœni BOSTRENI*. Mirari ſane ſubit neque fluminis alicujus Sidoni adjacentis, neque hujus ſpeciatim Boſtreni uſquam, quod ſciam a veteribus fuiſſe factam mentionem. Se tamen illum tranſmiſiſſe Henricus MAUNDRELLUS, optimæ notæ Periegetes, teſtatur. Simulque docet eum duarum horarum itineris intervallo a Thamyra, quæ nunc *Damer* appellatur, diſtare, latum eum eſſe & altum, oriri ex pago montis Libani, cui nomen *Barock*, vulgoque dici AWLE. Aut multum fallor, aut hic ille eſt fluvius, quem *Boſtrenum* vocavit Dionyſius. Memorat pariter *de la Roque* in itinerario Syriæ T. I. p. 20. ſibi unius horæ ſpatio a Sidone tranſeundum fuiſſe lapideum pontem, qui tegit fluvium, quem Franci appellant *la Fumiere*. Quod cum ita ſit, quis Sidona ἄνυδρον plane aſſerat?

§. 15. Facilis inde fluit reſponſio ad diluendum id, quod [2] *altero* loco propoſitum eſt. Scilicet, ponitur quaſi extra omnem dubitationem poſitum, Zabuloniticam regionem magni, pariter & Genneſaritici marium terminos adtigiſſe proxime. Inde infertur Sidonios non caruiſſe quidem piſcibus, ſed eos marinos tantum fuiſſe, adeoque infeſtos valetudini. Sabulonios contra utroque piſcium abundaſſe genere, & quos æquor alit, & quos fluvii ſuppeditant. Hinc Sidoni præferendam eſſe Sabulonis regionem. Verum enimvero, (α) habetur heic aliquid certum, quod nondum evictum eſt. Id concedo, ἐμμέσως utrique mari adjeciſſe Zabulonis portionem, non ἀμέσως. Neque aliquid quid innuunt Joſephi verba L. V. c. I. Zabulonitas habitaſſe περὶ κάρμηλον καὶ θάλασσαν, *circa*, vel *prope*, vel in *confiniis* (um die Gegend] in propinquitate Carmeli & maris. Unde in optimæ notæ tabulis Carmeum Zabulonem a mari ſeparare video. Sane cum mare mediterraneum Joſ. XVII. 10. dicatur terminum fore & Aſeriticæ & Iſaſcharitícæ tribuum, quas interjacebat Zabulonitica, inde colligas, hanc mare non terminaſſe. Inde docebit collatio commatum *26.* & 27. capitis XIX. An vero eadem contigua fuerit lacui Tiberiados, id quoque μέγα λίαν αἴτημα eſt. Certe de eo dubitarunt viri in hoc literarum genere principes *Lightfootus*, *Cellarius*, *Wicmanshauſenius*, putoque contrarium me oſtendiſſe in Diſſertatione de *Naphtalitide Apoſtolorum patria ad locum* Gen. XLIX. 21. quam huic adjungam.

§. *16.* Quod ſi autem liberali manu largiremur, alluiſſe duo illa maria fluctibus ſuis Sabuloniorum terram, (2) non tamen inde elicitur propterea deteriorem cenſendam Sidoniorum regionem, quod forte tantum illis veſcendum fuit piſcibus in mari captis. (β) Illos enim inſalubres eſſe dicitur quidem, ſed non probatur. Contrarium docet rerum uſus & experientia. Qui in locis commorantur mari viciniś, & piſcibus æquoreis utuntur, roboris, ſuccique pleniores apparent, quam, quibus in locis mediterraneis degentibus non iis frui licet. Sanis omnia ſana. Si cui nocuere marini piſces, id factum non illorum natura, ſed immoderato eorum uſu. *Quantitate* peccatur, non *qualitate*. Vulgatum eſt Ichthyophagos, orientis populos, ſolis victitaſſe piſcibus, iiſque *Marinis*. Nam illi maris oras incolebant. Idque eum in modum, ut & carnes deſpicerent, quas piſcibus objiciebant. Nunquam legi propterea ſanitatis detrimentum paſſos eſſe. Illa certe opinio univerſæ pæne antiquitati adhæſit, marinorum piſcium longe majorem præſtantiam eſſe, quam fluviatilium. Unde horum neque in tutela valetudinis, neque in menſarum lautitiis meminerunt veteres. Vide, quæ in hanc rem ex Ariſtotele, Galeno, Xenocrate adduxit Ludovicus NONNUS *de re cibaria* L. III. c. 12. Porro [γ) ex iis, quæ §. 11. & 12. diſputavimus, liquet, non deſtitutos fuiſſe Sidonios aquis ex fluviis hauſtis. Unde oportet eos quoque non caruiſſe piſcibus, quos fluvii promunt. In piſcinis illis ampliſſimis nutriri ac ſervari potuerunt optime. Certe, ſi Sidon ab *ubertate piſcium*, ut Trogi epitomator vult, eodem modo, ut Bethſaida, nomen ſuum traxit, id propter piſces tantum in mari captos factum eſſe, vix mihi perſuaſerim. Nulla itaque propter fluviatilium piſcium copiam dignitas Sabuloni præ Sidone potuit accreſcere. J. Q. E. O.

§. 17. Certe non magis, (3) ac, quod periculis bellicis plus expoſita eſſet ob ſitum ſuum æquoreum, ac forte Zabulonitarum regio, id quod *tertio* loco adfertur. Quid [1] enim? Si mari adjacentes plus metuendas habent hoſtium incurſiones quid Zidoni præſtat Zabulon, pariter ex docti Viri ſententia mari imminens? Quin (2) tantum abeſt, ut conterminæ æquori vel urbes vel regiones magis obnoxiæ

noxiæ ſint hoſtium violentiæ, ut ex adverſo ſint longe validiores, ſuperatuque difficiliores, quam mediterraneæ, cum expeditiones bellicæ, quæ in mari fiunt, immane quantum majori apparatu inſtituantur, indigeantque præter claſſem non ſine immenſis inſtruendam ſumtibus, duplici exercitu, & navali & terreſtri. Immo [3] tantum abeſt, ut deterior ſtatus fuerit Sidonis, ob belli metum, vimque abs hoſtibus illatam, ut contra *tuta quies Sidoniorum* in proverbium iverit, atque in exemplum ſummæ ſecuritatis proponatur Jud. XVIII. 7. ubi de Laiſchi incolis dicitur, *ſecure habitaſſe pro more Sidoniorum* כמשפט צדנים, h. e. *quiete & confidenter*, ut additur. Neque enim ſitu, opum vi, munitionibus ſuis confiſi habebant, quod magnopere extimeſcerent.

§. 18. Unde a pauciſſimis Sidon tentata, nedum ſuperata fuit. Juſtinus quidem L. XVIII. c. 3. ait poſt *multos deinde annos a rege Aſcaloniorum expugnatos Sidonios, navibus appulſos Tyrum urbem ante annum Trojanæ cladis condidiſſe*, ſed hæc narratio incerta eſt, & ſuſpecta, nec ullis aliorum teſtimoniis corroborata. Subjectos eos aliquando Tyriis fuiſſe ex 1. Reg. V. 6. facile colligitur. Qua autem ratione id factum fuerit, ſpontene, an vi, dicere non habeo, cum altiſſimum de hac re in veteribus ſcriptoribus ſit ſilentium. Plus decem ſæcula effluxere, quorum intervallo, quantum hiſtoriarum monimenta indicant, non infeſtati fuere. Quando omnes Cananæorum populi ſedibus ſuis expellerentur, maritimæ urbes non expugnatæ ſunt, & vel Sidon, quæ ſorte data fuit Aſeritis, ab his tamen ſuperari nequivit. Neque legimus in magnis illis expeditionibus, quas Reges Aſſyriorum plus vice ſimplici in Palæſtinam moverunt, Sidonios multum paſſos fuiſſe malorum. Quando Salmanaſſar Phœnicios adoriebatur, Tyriorum ſocietatem deſeruit Sidon & cum Accone ſponte ſua ad ejus partes acceſſit, narrante Joſepho L. IX. c. 14. qui eos ſuo permiſit uti jure. Perſis deinde ſuccubuerunt. Id quod tamen non vi, ſed fraudibus factum eſt Mentoris, quem rex Ægyptiorum Nebadnedus iis ſuppetias laturum ad eos miſerat & Tennis, qui urbem Ocho VIII. ſive Artaxerxi Perſarum Regi prodiderant, unde ad deſperationem adacti & urbem & ſemet ipſos infelicibus flammis uſtulandos tradidere, quibus quadraginta virorum millia præter mulieres & infantes conſumti ſunt narrante Diodoro Siculo L. XVI. p. 153. ſqq. Quum deinde Alexander M. victricia arma per Syriam Phœnicenque circumferret a Stratono, Rege, urbem traditam recepit, teſte Curtio L. IV. cap. 1. ἀυτῶν Σιδωνίων ἐπικαλεσαμένων κατὰ ἔχθραν τῶν περσῶν καὶ Δαρέιου, *ipſis Sidoniis odio Perſarum & Darii eum accreſcentibus* teſte Arriano L. 1. qui & legibus ſuis uti permiſit. Vides per viginti fere ſæculorum orbem rariſſime tentatam, vi autem expugnatam nunquam Sidona.

§. 19. At triſtior ſors fuit Zabulonitidos quæ, quoties Palæſtinam invaderent, (invaſerunt autem ſæpius,) Aſſyriorum monarchæ, turbis illis implicita, multa dira, acerba multa ſuſtinenda habuit. Abducti in triſtem captivitatem a Tiglat-Pulaſſare 2. Reg. XV. 29. & Salmanaſſare 2. Reg. XVII. 6. Imo præ aliis tribubus Zabuloniorum afflictiones erant duræ atque aſperæ, quod in bellis ab aquilone ingruentibus, aut a Syris ſuſceptis injuriis omnibus primi eſſent expoſiti. Unde *anguſtia* illis adſcribitur inſignis, Eſ. VIII. 23. ubi Sabulon & Naphtali vocatur *terra*, לאשר מוצק, *cui eſt anguſtia* contra quam tamen affertur conſolatio, ex adventu futuro Meſſiæ, luce Evangelii primum eos illuſtraturi, depromenda. Uberius hæc explicanda fuere, ne ulla remaneat inpoſterum vel veri ſimilis ratio, ob quam periturum aliquod, & terrenum commodum Sebuloni conciliaſſe præ Sidone eminentiam quiſquam ſibi perſuadeat.

§. 20. Quin, ſi talia ſpectes, & dicendum, quod res eſt, hæc illam multis paraſangis poſt ſe reliquit. Vicit eam [α] *antiquitate*. Creditur enim jam exſtructa a Sidone, Chami ex Canaane nepote, Noachi pronepote, cujus mentio fit Gen. X. 15. Meminere ejus jam Moſes, & Jacobus noſter præter auctores librorum Joſuæ & Judicum. Unde cum Zabulonitis demum terra iis deſignata ceſſerit temporibus Joſuæ quot ſæculorum intervallis Sidona oportet illam ætate anteiviſſe (β) *celebritate* nominis. Quæ enim loca tam diſſita fuere, quæ terræ tam peregrinæ, ad quæ non jam ab antiquiſſimis temporibus Sidoniorum fama penetraverit? Unde Curtius *fama, vetuſtateque conditorum inclitam*, Strabo una cum Tyro ἔνδοξον καὶ λάμπρον, καὶ πάλαι, καὶ νῦν, Euſebius ἐπίσημον, Hieronymus *inſignem*, Dionyſius Periegetes ἀναθεμόεσσαν appellant. Quæ autem exterarum gentium Zabulonitarum nomen extra Palæſtinæ, Phœniceſque limites olim vel fando audivit? Antecelluit (γ) *magnitudine* urbis. Eam ſua jam ætate Joſua XI. 8. XIX. 28. appellabat urbem רבא, ubi LXX. vertunt τλὼ μεγάλην. In Zabulonitide vero nulla inſignioris notæ urbs occurrit. Præſtitit (δ) illi porro *commerciorum* flore per univer-

verſum orbem ultra anni ſoliſque vias exercitorum , & quæ inde uberi cornu proveniunt , [ε] *divitiis* . Eſ. XXIII. 3. סחר צידון עבר ים . *MERCATRIX* , *Sidon tranſiens mare* . *Diodorus* πλύτῳ καὶ ταῖς ἄλλαις χορηγίαις πολὺ προέχειν τῶν κατὰ τὴν φοινίκων πολέων , & privatos ope mercaturæ ſibi μεγάλυς πλύτυς comparaſſe auctor eſt . Pomponius MELA vocat *opulentam* . Eam in rem utebantur duplici portu , eoque clauſo , & munito , tutiſſima navium ſtatione , quam meminerunt Strabo , Scylax & inprimis deſcribit Achilles TATIUS in limine libelli ſui. Contrarium obſervamus in Zabulonitide . Neque enim , quod ſciamus, portum habuit illuſtrioris notæ , neque , quamquam id nonnulli ex hoc loco exſculpi poſſe autumant , mercaturis nobilitata fuit , neque , in aucta atque lauta re fuerunt , cum pertinerent ad Galilæos , qui pauperes habebantur.

§. 21. Quid vero dicam de (η) *navium copia* , qualis Zabulonitis nulla erat , Sidonibus [a] magna , utpote cui Diodorus Siculus triremes (quarum etiam eos primos fuiſſe inventores Clemens Alexandrinus & Euſebius tradunt , unde cum Triremi in nummis ſæpe conſpicitur) & quinqueremes plus centum tribuit . Inde ναύαρχις dicta eſt in *nummis*, Trajani & Hadriani apud Joſ. Scaligerum in *Canonibus* Iſagogicis , quos adjunxit Euſebii Chronico pag. 296. NORISIUM de *epochis Syro Macedonum* Diſſ. IV. pag. 419. HARDUINUM Opp. pag. 155. alios , quo titulo potentiam navalem ſaltem indicatam eſſe conſtat . Quid de longiori , qua fruita eſt pace , quid de diuturniori conſervatione , quid de aliis dicam commoditatibus ſine numero , quas imminens maris ſitus adtrahebat , quid de coloniis hinc alıorſum deductis , Tyro , (quæ propterea ejus *filia* dicitur Eſ. XXIII. 12.) Thebis , Bœotiis , Dora , aliis ? His omnibus factum eſt , ut ab Achille Tatio diceretur μήτηρ φοινικῶν , a Strabone φοινικῶν μητρόπολις , ſicut & poſterioribus temporibus in nummo Elagabali apud *Valentem* in *Numm. Col.* P. II. pag. 86. *Harduinum* l. c. SPANHEMIUM T. I. pag. 610. METROPOLIS, & , quod majus eſt, Σιδων ΘΕΑ , in nummis Auguſti & Hadriani apud *Noriſium* , *Harduinum* , niſi malis cum Noriſio de Sidoniorum Deaſtro Aſtarte illud ἐγκώμιον explicare . Ex his omnibus tamen diſpaleſcit tantum abeſſe , ut , ſi ea , ſpectes , quæ concernunt commoda & præſidia hujus vitæ , antiſtaverit Sabulon Sidoni , ut ex adverſo hæc illam longiſſimo poſt ſe intervallo reliquerit , ita ut nequidem cum ea comparatio inſtitui queat . Id quod HOC capite erat oſtendendum.

(*a*) Ita Sidonios Sidones vocat Curtius L. IV. 1. §. 16.

DISSERTATIONIS

De præſtantia ZABULONIS præ SIDONE,

CAPITIS SECUNDI,

In quo locus GEN. XLIX. 13. examinatur κατασκευαστικῶς, & ſimul DEUT. XXXIII. 18. explicatur,

ARGUMENTUM.

Verba Jacobi ad Chriſtum ſpectant §. 1. *Et indicant* (I) *locum ejus conceptionis , educationis , commorationis* , *NAZARETUM* . *Recenſentur XV. commemorabilia , quæ Nazaret habet in hiſtoria J. C.* §. §. 2. & 3. *Rationes hujus interpretationis redduntur , quia* (α) *convenit verborum ſignificationi* , (β) *nec commoda alia datur* , (γ) *nexus id poſtulare videtur* . (δ) *Nec inſtitutum Jacobi repugnat* . (ε) *Nec veroſimile ſit , Nazaretum in V. T. nunquam commemoratum fuiſſe* §. 4. *Quod* [ζ] *ita cauſa pateat , cur Zabulon præponatur fratribus ſuis natu majoribus* §. 5. *Ex* (η) *collatione aliorum locorum , in quibus ſimili phraſi Chriſti adventus indicatur , per comparationem & prælationem ſc. locorum viliorum cum ſplendidioribus v. gr. HAGG. II.* 10. *MICH. V.* 1. 5. 6. *Uti Sidone nihil auguſtius , ita Nazareto nihil vilius . Nazareni & Galilæi contemti* §. 7. *Cauſæ illius contemtus* §. 8. *Ex* (ϑ) *genuina ſignificatione vocis* ירך , *quæ notat* latus , terminum , *uti apud Græcos* μήρος , *ut* ירך זבולן *ſit* terminus Sabulonis , *qualis erat Nazaret* §. 9. *Cur propheta illam non nominaverit* ? §. 10.

Cur

Cur Tyrus non simul memoratur cum Sidone §. 11. *Ex* (I) *collatione locorum aliorum v. gr. ES. VIII.* 13. *IX.* 1. *sqq.* §. 12. *Præcipue DEUT. XXXIII.* 18. שמח זבולן בצאתך . Exitus *Sabulonis non est fluvius Kison.* §. 13. *Sed Christi,* יצא *sumitur de* generatione *&* nativitate : צאצאים §. 14. *Inprimis Messiæ , idque ter* §. 15. *De* germinibus , *&* ortu solis *adhibetur sæpius . Unde idem , quod nomen* צהא , *eique vicina* . §. 16. *Zabulon itaque , aut potius Nazaretum excitatur ad gaudium ob Messiam . Quod & passim alibi fit* §. 27. *Quod* (x) *ita inde illustrari queat difficillimus locus Matth. II.* 23. §. 28. *Sabulon* (II.) *super Sidonem fuit , quod in illa fuit prima facta annuntiatio Evangelii* . §. 19. *Plura, quæ hic afferri possint* §. 20. *Totius oraculi Jacobi sensus exhibetur* §. 21. *Veritates , quæ in illo continentur* §. 22. *Unde pro divinitate S. Codicis , & adventu Messiæ petitur argumentum* §. 22. *Sabulon creditur Sidone sepultus . Unde fabulæ origo* §. 24.

§. I.

Longe itaque aliud quiddam oportet esse augustius , divinoque oraculo , nostraque consideratione dignius , quod divino agitatus Spiritu JACOBUS , jamjam τῷ πίςῳ κτίςῃ τὴν ψύχην ἑαυτȣ̃ traditurus, illis verbis exprimere voluit . Idque nunc HOC capite a nobis investigandum est ulterius . Nimirum existimo illud quoque referendum esse ad illum , qui finis , & centrum , & medulla, & prora , & puppis , ut legis , ita omnium divinorum oraculorum est , cujus testimonium est Spiritus prophetiæ, quem plus vice simplici in hoc ipso cantico cygnæo jam commemoraverat Patriarcha, & in quo omnes spes suas fortunasque positas esse unice moriturus declaraverat , Jacobi filium , sed & Dominum & Servatorem , JESUM CHRISTUM . Hunc , si heic monstravero, me invenisse, quod reperiundum erat, credam, & lætus cum Philippo Apostolo , exclamabo , quod Nathanaeli acclamabat . Joh. I. 46. Ὅν ἔγραψε Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ [בתורת Gen. XLIX. 13.] καὶ οἱ προφῆται (& inter eos JACOBUS) εὑρήκαμεν Ἰησȣ̃ν τὸν υἱὸν τȣ̃ Ἰώσηφ , ΤΟΝ ΑΠΟ ΝΑΖΑΡΕΤ.

§. 2. Enimvero ipsa hæc NAZARET בירך hoc est , in *terminis* tribus Sabuloniticæ posita illa urbs est, quam in oculis habeo, & ob quam primo loco (I) SIDON , quantum etiam cunque , si alias rationes spectes superaret Zabulonem, illi tamen longissime postponenda est . Notemus enim sequentia ; [1] Hæc erat domicilium Parentum Christi , Mariæ & Josephi , Luc. II. 4. unde vocatur eorum civitas Luc. II. 39. & avorum Joachimi & Annæ . Luc. I. 26. [2] Hæc patria τῆς εὐλογημένης ἐν γυναῖξιν MARIÆ . [3] In illa felicissimus ille nuntius huic per angelum Gabrielem e cœlo primum allatus est , nunc illud instare tempus , tot anxiis exspectatum votis , quo spes patrum , angelorum delitiæ , Israelis παράκλησις , gentium desiderium , orbis amor , humani generis Restitutor , Reparatorque humanam carnem indutus in terra appariturus esset . (4) In ea super hanc *venit Spiritus S. & virtus Altissimi eam obumbravit* Luc. I. 35. adeoque Christum a Spiritu S. concepit ; nam eo ipso tempore , quo talia illi Angelus indicaret , eam gravidam factam fuisse omnes docent historiæ Euangelicæ πεεισάτες . (5) In ea sex menses in utero matris delituit , gestatusque est . Vide LUC. II. 39. coll. vs. 56.

§. 3. In ea [6] eum credebant vulgo natum , unde dicitur non solum Nazarenus sed & ὁ ἀπὸ καὶ ἐκ Ναζαρετ Joh. I. 46. 47. Matth. XXI. 11. Act. X. 38. quare & altera *patria* ejus & habita & dicta est Matth. XIII. 54. Marc. VI. 1. Immo Servator ipse πατρίδα *patriam* suam solebat vocare Matth. XIII. 54. Marc. VI. 4. Luc. IV. 23. 24. Joh. IV. 44. id quod nunquam vel Hierosolymis vel ipsi , quantum memini , Bethlehemo contigit . (7) In ea ejus familia , & cognati & necessarii vitam transigebant , Matth. XIII. 55. 56. Marci VI. 3. (8) In ea est educatus, unde dicitur Ναζαρετ ὅυ ἦν τεθραμμένος Luc. IV. 16. [9] In ea habitavit , per longam plurimorum vitæ suæ annorum circiter viginti octo , seriem . Sextam enim tantum vitæ suæ partem extra illam vixit . (10) In illa ηὔξανε , καὶ ἐκραταιȣ̃το πνεύματι πληρȣ́μενος σοφίας , καὶ χάεις Θεȣ̃ ἐπ᾽ αὐτὸν Luc. II. 40. In illa rursus προέκοπτε σοφίᾳ καὶ ἡλικίᾳ , καὶ χάειτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις Luc. II. 52. adeoque in illa , ut staturæ , ita & gratiæ virtutumque incrementa cepit . In eadem (11) consecravit , & ad id more Naziræorum præparavit , quod non sine singulari divini Numinis consilio factum fuit (a) . In ea (12) publici muneris auspicia fecit , *primamque* omnium orationem habuit , LUC. IV. 16. sicut alteram ex monte , apud

(a) Vide de hoc argumento luculenter differentem V. Celeb. B. Seb. CREMERUM, Theologum Harderovicenum , in Oratione , *de Jesu Nazaræo*, qua munus suum auspicatus est a. 1718.

MATTH. V. 1. sqq. (13) Ibi ordinario Doctoris officio functus est . *Consueverat enim in die Sabbathi intrare Synagogam* , *atque ibi docere* teste Luc. IV. 16. 10: (14) Ab hoc loco ei nomen inditum est Ναζαρηνὸς, sive Ναζαραῖος sive Ναζωραῖος, uti vocatus est ab amicis , inimicis , apostolis , etiam post ejus in gloriam assumtionem Act. II. III. 3. 10. 38. imo ipso Diabolo Marc. I. 24. Luc. IV. 34. Id nominis sibi ipsi dedit Act. XXII. 8. Eo etiam insignitus , ac mundo propositus in ipsa cruce Joh. XIX. 19. Et , (15) ne ejus memoria periret , illud adhæsit ejus discipulis , quibus Tertullus αἵρεσιν τῶν Ναζωραίων tribuebat Act. XXIV. 3. & sub illo quoque orbi per multorum sæculorum orbes innotuere . Hæc profecto talia sunt , ut in rebus Christi recensendis momenti habeant longe plurimum , neque ejus vitæ historia recenseri posset , hoc oppido vel plane neglecto , vel obiter tantum tacto , neque Bethlehemo unquam , aut Hierosolymarum urbi per Christum plus gloriæ ac splendoris accessit , quam quidem Nazareto.

§. 4. Illam autem Patriarchæ ob oculos versatam , ista cum caneret , non unis impellor rationibus , quæ singulæ sententiam meam reddunt probabilem , simul autem collectæ certam pæne atque indubiam. Primo enim [α] nihil omnino heic est, cui non cum vulgari & propria vocum significatione belle conveniat . Neque a quoquam linguæ Hebraicæ gnaro id in dubium vocari posse; id a me abunde ostensum puto. Debere (β) autem hanc interpretationem retineri , inde concludo , quod nulla alia commoda ratio produci queat, cur Sidona præstare dicas Sabuloni, hanc si reiicies . Quod pariter monstratum esse, quantum satis est, existimo . (γ) Postulare id videtur *nexus* cum antecedentibus . Vaticinatus enim statim fuerat Jacobus de Christo , Judæ filio , de tempore adventus ejus , de patria *Judæa* , de parente gentis suæ , de regno & subjectis , Quid nunc aptius , quid concinnius , quam ut simul adderet locum conceptionis , educationis & perpetuæ fere commorationis ? (δ) Neque id mirum , vel insolitum nobis videatur de Christo loquutum esse Patriarcham, cum antea pariter & in sequentibus de eo & rebus ad eum pertinentibus plus simplici vice loquatur . (ε] Et cum ab aliis prophetis non solum nativitatis locus tam accurate indicatus sit, sed & vel minimæ vitæ actorumque ejus περιστάσεις prædictæ , cuiquamne credibile videatur locus , in quo ille λόγος σάρξ ἐγένετο , qui infantem lactavit , puerum aluit , adolescentem fovit , Viro domicilium , in quo omnem pæne ætatem contereret , mortuo denique & asseclis ejus nomen perpetuum præbuit, silentio prorsus prætermissum fuisse ? Hæc omnia autem vel heic prænuntiata fuere , aut nusquam alibi.

§. 5. Notemus porro Sabulonem [ζ] decimum filiorum Jacobi præponi Isaschari, fratri uterino, & reliquis ex Rachele natis, longe ætate inferioribus, uti & illud fit Deut. XXXIII. 18. Jos. XXI. 10. 27. Quænam sodes ejus rei ratio est , quod quarto loco ponitur, cui decimus conveniebat? Multas cruces id fixit interpretibus, variasque hariolationes extorsit. Jo. CLERICUS, vir merito suo celeberrimus, aperte fatetur ejus rei causam sibi non constare. Enimvero præ aliis rem mihi acu tetigisse videtur Cornelius a LAPIDE, qui, tametsi aliam expositionem horum verborum adfert ab ea , quam ego exhibui, heic tamen meæ sententiæ accedit, illiusque rei hanc profert causam; quod *Servator* IN SORTE ET TERRA ZABULONIS CONCEPTUS ET CONVERSATUS EST. Σοφῶς!

§. 6. Porro (η) hæc loquendi ratio , qua utitur Jacobus, consentanea plane est , cum illis , quibus alias uti collubitum fuit Spiritui S. adventum Christi per Prophetas annuntiaturo . Solemne enim est sacris Vatibus parilem in modum incedere, &, quando apparitio Messiæ in certo quodam loco indicanda est, non dicunt in *illo loco appariturum esse* , sed eum locum comparant cum locis aliis, quæ majoris splendoris esse vulgo creduntur , quibus tamen hunc præferunt. Sic v. gr. HAGG. II. 10. *gloria templi secundi præfertur gloriæ templi prioris*. *Hanc* tamen *illi* longe anteferendam vel Judæis suffragantibus in confesso est apud omnes, sive magnitudinem spectes , sive immensas ejus structuræ impensas opes , sive incredibiles, quos continebat, thesauros, sive alia, in templo posteriori deficientia. Nihilo tamen secius primi templi gloria posterioris gloriæ multum erit postponenda. Quæ ratio? quod ibi *desiderium* illud *gentium*, Jesus Christus una cum Spiritu suo in eo erat appariturus. Similem in modum MICHAS V. 1. prædicit Christi nativitatem in urbe Bethlehemo. Non ait hanc fore Christi patriam. Sed eam non minimam fore inter Chiliadas Judæ, etsi revera minima foret, quod scilicet eorum Dux ex ea esset egressurus. Sic Jacobus e Zabulone Christum proditurum indicaturus , id non totidem verbis enarrat , sed urbem ejus vilem atque abjectam cum vicina splendidissima conferendo, illam huic præfert , ob egressum ex ea illius, qui erat futurus

ger-

germen ad *laudem* & *gloriam*, & fructus terræ ad *excellentiam* & *decus* evadentibus in Iſraele Eſ. IV. 2.

§. 7. Id autem ut ſignificaretur, *contrariaque juxta ſe poſita eluceſcerent magis*, non aptior, non nervoſior poterat inſtitui oppoſitio, quam ſi Sidon contenderetur cum Nazareto. Sidone enim nihil, ea ſaltim ætate, qua hoc oraculum productum fuit, erat illuſtrius, nihil ſplendidius, nihil rebus omnibus, quæ civitatibus, vel decus, vel famam, vel commoda conciliant, inſtructius, ut ex dictis abunde liquet. Vel nullæ vel pauciſſimæ id ætatis erant urbes, quæ cum illa vel comparari meruiſſent. Ex adverſo nihil unquam Nazaretano agro, ejuſque incolis fuit vilius, deſpectius nihil. Pertinebant ad Galilæos, qui, quo loco olim fuerint Judæis, quis ignorat? Imo, ſicuti ſæpe numero nomina gentilitia uſurpari conſuevere pro indole ac ingenio, aut conſuetudine, quæ obtinuere, aut obtinuiſſe credebantur in tali loco, uti Cretenſes pro mendacibus, Poeni & Græci pro fraudolentis, Boeti pro ſtupidis, Corinthii pro divitibus, Phryges pro ſervis, & ſic porro; ita Nazarenorum nomen in proverbium abiit, quo homines nauci, pretiique nullius deſignarentur. Audiamus, J. CLAUDIUM in operum poſtumerum T. III. pag. 305. de *Jeſu Chriſto* L. V. cup. 10. *Entre toutes les villes de la Judee & de la Galilee celle de Nazareth etoit particulierement decriee come une ville de gens de neant, qui n' avoit jamais rien produit d' illuſtre ni de bon -- C' etoit donc une eſpece d' injure proverbiale parmi les Juifs d' appeller quelqu' un Nazarien, pour ſignifier un faineant, un homme digne du dernier mepris & incapable de faire rien de grand dans le monde a peu pres comme parmi les Grecs, on appelloit les Creteins : Ventres pareſſeuſes &c.* Quæ etiam cauſa eſt, ut Nazareni nomen contemtus gratia datum ſit Jeſu Chriſto. Vide Joh. XVIII. 5. Uti in titulo crucis etiam dictus eſt Joh. XIX. 19. & deinde Galilæi nomen & ille, & ejus diſcipuli diu poſtea retinuerunt.

§. 8. Cauſa talis inſigniti contemtus non una ſuggeri poteſt. *Prima* adſcribenda eſt perditis incolarum & profligatis moribus, non ſolum a ſcriptoribus ſacris, & Judaicis, præſertim Joſepho, ſed & τοῖς ἔξω notatis, quorum documentum dedere vel illo facinore, quod ab iis perpetratum, recenſetur Luc. IV. 29. Accenſebantur Galilæis, quibus ob agreſte ingenium, impolitos mores, ſeditionum, excitandorumque tumultuum ſtudium, magiam, aliaque, quæ iis imputabantur, crimina nihil erat contemtius, nihil exoſum magis. *Altera* eſt obſcuritas ſumma illius loci, quæ tanta erat, ut ne quidem in toto volumine veteris Teſtamenti unquam commemoretur. Quis ejus fuerit conditor, quando condita, quænam habuerit fata, id juxta ſcimus cum ignariſſimis. Unde nihil ſingulare de ea fuit memoriæ unquam proditum, nullus ex ea ſurrexit propheta vel alicujus nominis Vir. Unde occaſio data Nathanaeli eſt interrogandi Joh. I. 47. Ἐκ Ναζαρὲτ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; coll. Joh. VII. 52. Quibus *tertio* addenda eſt triſtis ſoli infrugiferi conditio, quam diſcemus optime ex verbis Guſtavi a TROILO, nobilis periegetæ, qui & inſalubrem aera, & ſterilitatem ſoli, neque aliam ei, qua viperarum, bubonum, ſerpentum, tarantularum, cimicum, pulicum, & hominum nequam fertilitatem tribuit. Verba notabilia, quibus id indicat, hæc ſunt; Als wir nun über das beſagte Feld Esdrelom in 3. teutſche Meilen gereiſet/ kehreten wir uns ein wenig zur lincken Hand/ und kahmen an das Galiläiſche Gebürge/ zwiſchen welchen eine gute Meil-Weges wir die Stadt Nazareth funden/ dieſe war vor Zeiten ſo ſchlechtes Anſehens/ daß ihrer auch im alten Teſtament gantz nichts gedacht worden. Es hat auch kein gutes Clima oder geſunde Lufft allhier. Das Erdreich iſt auch ſchlecht und geringe/ und werden keine andere Früchte/ als etliche wenige Oel-Bäume gefunden/ denn es hat um dieſe Gegend ein ſo unfruchtbahres Land/ daß deſſen Unglückſeeligkeit nicht neuk ommlich/ ſondern zur Zeit des HErrn Chriſti/ als das Land der Verheiſſung voller Gnaden und göttlichen Wohlthat geweſen/ war Nazareth aller derjenigen Güter und Reichthümer beraubet/ deren ſich andere Städte in allem Überfluſſe zu erfreuen hatten. Dannenhero auch dort Nathanael fragte: Was Gutes von Nazareth kommen könnte. Und in warheit/ zu Nazareth/ (wie ich ſelbſten erfahren habe/) iſt keine andere Fülle zu ſehen/ als der Nattern/ Schlangen/ Kröten/ Tarentel/ Heyderen/ wantzen/ unausſprechlich viel Flöhe/ wie auch unterſchiedliche und leichtfertige Einwohner/ welche von wegen ihrer groſſen Leichtfertigkeit ausgetriben/ und verjagt; Ja deſſentwegen auch die Stadt in ein mühſeeliges und verlaſſenes Dorff verkehret worden/ wie noch heutiges Tages zu ſehen; Vides itaque vicum omnium obſcuriſſimum urbi clariſſimæ, opulentiſſimæ, maximæ, atque inclytiſſimæ opponi, & ſic, JACOBUM *minimis componere maxima* voluiſſe. Cum tamen his poſthabitis ille huic præfertur, oportet ſane aliquid oppido ſingulare eſſe, ac animadverſione omni digniſſimum, quod illi præ hac excellentiam tantam peperit, quale a nobis nunc allatum eſſe putamus.

§. 9. Ipſam (*b*) autem Nazaretum, quaſi digito exſerto a Jacobo oſtenſam, ex locutione patet, qua utitur. Neque enim Zebulonem dicit, ſuperaturam Sidonem, ſed

ſed ejus *terminum* , וירכתי על צידון , *&* *terminus ejus ſuper Sidonem* . Ea enim eſt genuina, & vulgaris τȣ ירך notio, ut ſignificet *limitem*, *terminum*, *latus*, *angulum*. Scil. ירכתי לבנון extrema Libani 2. Reg. XIX. 23. Et Jud. XIX. [1. a Bethlehem עד ירכתי uſque ad extrema montis Ephraim, בירכתי המערה , extremum ſpeluncæ 1. Sam. XXIV. 4. בור foveæ Am. VI. 10. הבית, domus, 1. Reg. VI. 16. ארץ *terræ* Jer. VI. 22. &c. &c. Quæ etiam cauſa dubio procul eſt , quod femur vocetur ירך, quia femora ſunt quaſi latera adeoque exteriores partes ædificii corporis humani. Parem in modum Græci μήρος uſurpant, quæ vox & *femur*, & *latus* notat. Ita οἱ ὁ uſurpant, & ירך explicant Jud. XIX. 1. 2. Reg. XIX. 23. Hinc nata videtur fabula de Baccho e Jovis femore nato, quod natus eſſet, in urbe ad montis Idæ latus ſita , ſicut & apud Homerum legitur Il. Ἴδης ἐν κνημόισι , & Dionyſius Perieg. verſ. 737. meminit τῶν κνημῶν ὑπὸ Παρνήσοιο. His poſitis obſervandum Nazaretum commodiſſime dictam ירך Sabulonis. Non enim in medio ſita erat regionis Sabuloniticæ, ſed in ejus confiniis non procul a monte Tabore. Is autem erat limes, quo Iſaſcharitis a Sabulonitide dividebatur, quod ipſe ſacer ſcriptor indicat Joſ. XIX. 22. Ita Patriarcha Nazaretum appellaturus non aptiori uti poterat phraſi, quam iſthac, *terminus Zabulonis* . Sicuti pariter diſerte apud D. Matth. IV. 13. τῶν ὁρίων Ζαβελὼν ϗ Νέφθαλειμ, TERMINORUM *Sabulonis & Nephthali*], in quibus Chriſtus verſatus eſt, fit mentio.

§. 10. At, cur, inquis, Nazareti uomine uſus non eſt , quo omnis fluctuatio , eam heic ſignificari , ſublata fuiſſet ? Dicam . *Primo* exigit omnium vaticiniorum ratio , ut non verbis propriis , apertiſſimiſque proponantur , ſed ſub aliquo vocum involucro. Si enim illud fieret, vix eventum optimus oraculorum divinorum interpres eſt. Veluti enim alibi oſtendi , cauſam , cur nuſquam in ſcriptura nudis verbis crucis, quod Dominus ſuſtinuit, ſupplicii fiat mentio, hanc quoque eſſe , quod ita nunquam Chriſtus fuiſſet cruci affixus , ita forſan non tam contemtum habuiſſent Chriſtum Judæi, quod tamen oportebat fieri , ſi clariſſimis verbis Nazarenum fore fuiſſet prædictum . Sed, [2) neque potuiſſet Iſaacides hac uti appellatione , quod ſuo tempore nullum adhuc illius urbis exſtaret veſtigium . Neque in illa terræ ſanctæ diſtributione, quæ in Joſuæ commentariis exſtat, neque, quod obſerves , in ullo veteris fœderis libro aliqua Nazarethi occurrit commemoratio . Plures ejus rei rationes affert Cl. CREMERUS in oratione antea adducta p. 39. ſeq.

§. 11. Si pergis percontari, quid igitur cauſæ ſit, cur non , ſi tale quid innuere voluiſſet Patriarcha, Tyri potius , quam Sidonis , cui tamen præſtare creditum eſt aliquando , & quæ tribui Sabulonis propinquior erat , quam Sidon , mentionem fecerit, aut ſaltim non utrumque locum ſimul conjunxerit , ceu ſolitum eſt alias fieri, Jeſ. XXIII. 1. ſeqq. Jer. XLVII. 4. Joel. III. 4. Zach. IX. 2. Eſ. III. 7. 1. Macc. V. 15. Matth. XV. 21. 31. Marc. VII. 24. 31. Luc. VI. 17. X. 13. 14. Act. XII. 20. Verum facilis eſt reſponſio. Ne nunc dicam Sidoniis, ut plurimum olim primas tributas eſſe , teſtante Strabone, οἱ μὲν ἐῦ ποίηται τὴν Σιδόνα τεθρυλλήκασι μᾶλλον, *Poetæ Sidona magis celebrant*, Sidon cum nominatur , includitur Tyrus . Quia utraque civitas tanquam una, ob vicinitatem , idemque mercaturæ , pariter & artium ſtudium haberetur. Unde & Homerus ſub Sidoniorum nomine complexus eſt Tyrios , quos alias nequidem nominavit . Veram tamen hanc ſilentii illius cauſam eſſe puto. Quod vivente Jacobo illa urbs nondum exſtaret , interjecto longo tempore , videlicet anno CCXX. ante jacta a Salomone templi fundamenta demum exſtructa .

§. 12. In confeſſo apud omnes eſt, Scripturam ex ſcriptura eſſe explicandam , ſuique ipſius ex παραλληλία aliorum locorum optimum fieri interpretem . Talia autem nobis non deſunt , (1) quo refero vaticinium , quod apud ESAIAM legitur cap. VIII. 13. IX. 1. ſeqq. quodque repetitur Matth. IV. 14. 15. 16. Verba præ aliis apte vertiſſe mihi videtur Godofredus OLEARIUS in obſervationibus in Matthæum pag. 132. ſeqq. *Non erit conſternatio ei, qui in anguſtia eſt, ſicuti hiſce prioribus temporibus. Levabitur malis ſuis terra Zabulon, & terra Naphthali, & glorificabitur, quæ in extremo poſita eſt tellus, tractus maritimus, litora Jordanis, Galilæa gentium; Populus in tenebris ambulans lumen magnum videt, ſedentibus in umbra mortis horrida, lux affulget* . Quorum verborum ſenſus eſt , quod , quamvis multis anguſtiis preſſæ fuerint regiones, quas Naphthalitæ & Zebulonitæ incolerent , hoſtium invaſionibus expoſiti, & ſæpe ab iis in triſtem captivitatem abducti , tamen e malis illis ſuo tempore ereptum iri, tantaſque calamitates felicitatibus compenſandas eſſe abunde . Non ſolum, quod Meſſias in iis commoraturus , docturus , ambulaturus , miracula facturus, non ſolum, quod ejus Legati ex hoc terrarum tractu eſſent oriundi , verum etiam φῶς illud ϗ ἀληθινον μέγα , ὁ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν

κόσ-

κόσμον, hinc primo oriturum, radiosque inde suos circumquaque sparsurum esset. Præsertim apprime consonant cum nostro, quem versamus, textu hæc verba, וארצה צבולון וארצה נפתלו והאחרון היכביר; *Et terra Sabulonis, & terra Naphthali, & EXTREMUM GLORIFICABITUR.* To האחרון Sebulonis & Naphthali est idem, quod ירכתו, *terminus ejus*. Τὰ ὅρια ζαβελὼν καὶ Νέφθαλειμ. Illud autem *EXTREMUM glorificabitur*; ob Messiam nimirum ibi proditurum ac versaturum, ita, ut majus ejus futurum sit decus, quam vel splendidissimæ urbium Sidonis.

§. 13. Neque multum a janua, quod ajunt, me aberraturum credo, si huc quoque retulerim Mosis de SABULONE effatum, quod Deuter. XXXIII. 18. legitur; שמח זבולן בצאתך, *Lætare, Sebulon, in exitu* sive, *egressione tui*, vel *propter exitum tuum*. Vulgaris opinio interpretum est, per *exitum* intelligi fluvium kischon, Zabulonitida permeantem, & non longe ab ejus terminis illabentem mari. Duo potissimum e contraria parte moneo (1). Nondum esse demonstratum, Kischonis exitum pertinuisse ad Sabulonis tribum, cum ad septentrionale Carmeli montis latus in sinu urbis Aco, sive Ptolemaidis, quæ urbs tribus erat Aseriticæ teste Hieronymo mari miscebatur, ita ut totus tractus montanus Carmeli, qui amplissimus erat, terminum Zabulonis & mare divideret: & nullus fluvii rivique exitus inde in mediterraneum pateret. Sic, si quæ inde felicitas æstimanda, eam Aseri magis, quam Zabuloni gratulandam haberemus. Id porro (2) animadverti velim; an credibile sit tam emphatice ad lætitias excitari Zabulonios, eo tantum nomine, quod fluviolus, quem rivum potius dixeris, uti ab Alexandrinis fit, & Suida, qui χείμαῤῥον appellant, per eorum terram in mare se exoneravit. Id vero tanto tripudio dignum? aut, ut in eo præcipuam felicitatis suæ partem collocatura esset Sabulonis soboles? Vix mihi id persuasero. Quin de re cogitandum esse, momenti longe majoris censeo.

§. 14. Observetur itaque יצא generaliter significationem habere *ortus*, *productionis*, & *egressionis*, speciatim autem talis, quæ fit per *generationem* & *nativitatem*, sive ἀμέσως fiat, sive ἐμμέσως. Ex Abrahamo dicuntur *egressuri Reges* Gen. XVII. 6. & *ex ejus visceribus Isaacus* Gen. XV. 4. [ubi, illud, אשר יצא ממעיך recte Targumistæ vertunt בר דתוליך, *filius, quem genueris*,) &, *ex Jacobi lumbis etiam reges* Gen. XXXV. 11. sicut Gideoni tribuuntur Jud. VIII. 30. 70. filii יצאי ירכו, *qui prodierunt lumbis ejus*, & filii Senecharibi dicuntur מציצים מעיו, *egressi ex ejus visceribus* 2. Chron. XXXII. 21. Confer similia loca alia Gen. X. 14. XLVI. 26. Ex. I. 5. XXI. 22. Num. XII. 12. 2. Sam. VII. 12. XVI. 11. 1. Reg. VIII. 19. 1. Chron. 2. 53. 2. Reg. XX. 18. Jer. X. 19. 20. Plane uti eodem modo usurpatur τὸ ἐξέρχεσθαι Matth. II. 6. & Ebr. VII. 5. Speciatim etiam sumitur de nativitate ex matre Gen. XXV. 25. 26. XXXVIII. 28. Num. XII. 12. Deut. XXVIII. 57. Job. I. 21. III. 11. Jer. XX. 18. יציאה Rabbinis est *nativitas*, שעת יציאה, hora *nativitatis*. Inde צאצאים, quasi *egressiones* dicas, dicuntur *filii* & posteri JOB. I. 21. V. 25. XXI. 8. XXVII. 14. XXXI. 8. ES. XXII. 24. XLIV. 3. XLVIII. 19. LXI. 9. LXV. 23.

§. 15. Præcipuo autem loco id adtendendum est, hanc ipsam esse vocem, qua Christi nativitas & generatio denotatur aliquoties. Ita *surculus* יצא *prodibit ex trunco Isai* Es. XI. 1. *Ita Dominator ex medio ejus* יצא *exibit* Jer. XXX. 12. sic יצה (Matth. II. 6. habet ἐξελεύσεται) *prodibit ex Bethlehemo Israelis Dominator* Mich. V. I. cui præter exitum per nativitatem a Maria tribuuntur bini מוצאת *exitus* alii, cum ille, qui factus per æternam a Patre generationem, tum is, qui factus est per frequentes ejus in carne a diebus sæculi apparitiones. Nota pariter est ista phrasis, quæ sæpius apud Johannem VIII. 42. XIII. 3. XVI. 27. occurrit ἐκ, ἀπὸ & παρὰ τῦ Θεῦ ΕΞΕΡΧΕΣΘΑΙ, & de Christo dicitur. Respondet τὸ ἐξέρχεσθαι Hebraico יצא. Hanc autem multi, iique optimi commatis Interpretes Veteres æque ac recentiores, sumunt de Christi nativitate in tempore sicut videtur quoque explicari Joh. XVI. 27. 28. Per *exitum* itaque, quæ solidi gaudii materiam præbitura erat Zebuloniis, intelligo primum ortum, primamque productionem τῦ θεανθρώπυ, illud *μέγα καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον μυστήριον τῆς εὐσεβείας*, quo exivit Filius Dei a patre, e cœlo, quo λόγος σάρξ ἐγένετο Joh. I. 14. & τὸν גבר circumdedit fœmina, eaque ex una decem tribuum, in oppositione ad Judam Jer. XXXI. 22. cœpitque esse mater ejus ἐν γαστρὶ ἔχυσα Matth. I. 18. sive ἔγκυος Luc. II. 5. & *super eam venit* Spiritus *S. ejusque vis eam obumbravit* Luc. I. 35.

§. 16. Frequenter porro usurpatur eadem vox de productionibus herbarum, florum, germinum, plantarum. Ea jam usus est Deus, cum primum omnium hæc producere voluit. Gen. I. 12. ותוצה הארץ דשא וגו: Vide porro Num. XVII. 23.

1. Reg.

1. Reg. IV. 33. Job. XIV. 2. XXXI. 40. XXXVIII. 27. Ef. XI. 1. Hinc & צאצאים dicuntur *germina*, *propagines* Ef. XLII. 5. Similem in modum apud Syros & Chaldæos, qui confuevere γ in y commutare ܝܥܐ & ܦܥܠ *germinationis*, & *floris* significantiam habent. Vide apud Syrum Matth. XIII. 26. Luc. VIII. 6. 7. 8. Hebr. VI. 7. Neque minor eorum locorum numerus eft, in quibus de *ortu folis* eadem dictio adhibetur, v. gr. Gen. XIX. 23. Jud. V. 31. Pf. CIX. 5. LXXV. 7. Hof. VI. 4. & ftellarum: Neh. IV. 21. Hæc cum cogito attentius, in mentem venit, id valde folemne effe facris fcriptoribus, ut Meffiam noftrum talibus infigniant nominibus, quæ & ad fructus e terra progerminantes & fimul ad exerentem e tenebris folem lucemque refpiciant, quo pariter ejus natura humana, fecundum quam e terra ortus eft, & divina, fecundum quam e cœlo defcendit, fignificaretur. Talia funt נצר, שרש יונק, ניב, שבט, צמח, חטר, quibus alii addunt שילה. (a) Emphatica itaque hæc vox eft, qua utitur Mofes, בצאתך, *in exitu tuo*, eoque fenfu Meffiæ convenit, quo adductæ voces ei tribuuntur fæpe numero, inprimis illud צמח quam & germen & ἀνατολὴν ἐκ ὕψυς denotare vulgatum eft. Adhibetur autem infinitivus צאת pro nomine, ex vulgari non folum Græcorum ac Latinorum, fed & Hebræorum more, ita ut *exire* Zabulonis fit idem, ac ejus *exitus*, uti fane ipfe hic infinitivus צאת, ita quam frequentiffime occurrit. Exitus autem ille non folum denotat ipfum exeundi actum, fed & rem illam, quæ prodit, atque *egreditur*, uti τὸ צאת fimili modo adhibetur, licet alio fenfu Deut. XXIII. 13. Ezech. IV. 12.

§. 17. Quando itaque Mofes Zabuloni acclamat, שמח בצאתך, *Lætare propter exitum tuum*; ad triumphos & lætitias, quibus incederent, maximas, pofteros Sabulonis excitare vult, quod id habituri illi effent præ omnibus populis prærogationis, ut in urbe Nazareto, quæ Sabulonis erat, ille vir, cui nomen צמח, ille נצר furculus, illa ἀνατολὴ ἐκ ὕψυς fit proditurus, five per conceptionem ex Sp. S. five per profectionem Bethlehemum verfus, ubi in lucem edendus erat, five ob converfationem in illo loco, quam per *exitum*, *reditumque* defignare folent Hebræi, five per egreffiones aggrediundi muneris fui caufa. Quod fi quifquam illud fingulatim iter, quod Maria ἐν γαστρὶ ἔχουσα Nazaretho Bethlehemum fecit Luc. II. 4. intelligere velit, neque heic habeo, quod magnopere oggeram. Notemus tandem, id valde ufitatum effe facris fcriptoribus, ut ad lætos plaufus, atque jubila cohortentur homines propter adventum & nativitatem Chrifti, quod & hic fit. Vide Pf. XIV. 7. LIII. 7. CXVIII. 24. feqq. Ef. LII. 9. 10. Zach. II. 10. IX. 9. Adde inprimis Matth. II. 10. ubi Magi ex apparitione ftellæ nativitatem Chrifti augurantes ἘΧΑΡΗΣΑΝ ΧΑΡΑΝ ΜΕΓΑΛΗΝ ΣΦΟΔΡΑ. Et Luc. II. 10. eam annuntiaturus Angelus Domini *evangelizabat* ΧΑΡΑΝ ΜΕΓΑΛΗΝ παντὶ τῷ λαῷ. Confer & Joh. VIII. 56. Cujus rei caufas, quæ funt maximæ, ut heic loci commemoremus, nihil adtinet, fufficit hoc Mofis oraculum noftro Jacobi παράλληλον effe, & utrumque mutuam capere & reddere lucem.

§. 18. Accedit [x] quod fi noftram interpretationem fequamur, fortaffis aliqua adcendi fax queat, oraculo illi, quo nefcio an ullum hoftium veritatis cavillationibus magis expofitum fuit, quod apud D. *Matthæum* II. 23. legitur, ubi poftquam narratum fuerat Jofephum cum Maria, ejufque Filio fecefliffe in Galilæam, domiciliumque Nazarethi fixiffe, additur, ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζαραῖος κληθήσεται, Matth. II. 23. Fruftra omnino funt, qui illud fecundum ipfa verba in V. T. libris quærunt; Neque enim ufquam Nazareti mentio ibi fit, nec fieri potuit, cum ante conftitutum Canonem S. codicis fortaffis ne quidem in rerum natura ifthæc urbs exftiterit. Obfervemus autem, quid fpeciatim Matthæus per prophetas prædictum fuiffe innuat; fc. Illud præmiferat, Jofephum in *fomnio monitum reverfum effe in Galilæam*, *ibique habitaffe in urbe dicta Nazaret*; idque factum ea occafione, quod Archelaus Herodis filius Patri fuo, eujus iras ille metuebat, in regimine fucceflerit. Metus itaque ille ablegavit quidem Jofephum Nazaretum, fed Dei fubfervire debuit confilio, volentis, ut Meffias Nazareti commoraretur. Ut ita impleri poffet, τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται. Non itaque recurrendum heic ad ejufmodi nomina, quibus forte aliqua vicinitas cum nomine Nazareni intercedit, v. gr. נצר, vel נוצר, vel נצרים, vel נזיר vel מזר, vel fimilia, fed tale quid inveftigandum, ex quo id, quod monftrandum erat, fc. Chriftum commoraturum Nazareti, monftrari queat. Talia autem funt illa loca, quæ Nazaretanam Chrifti manfionem innuere viri docti obfervarunt, v. gr. Ezech. XVII. 22. [quem locum Cl. Altingius huc retulit.] Ef. VIII. 23. feqq. Verum, an & iis nunc bina hæc *Jacobi* & *Mofis* oracula accenfenda fint, id vero æquo lectori dijudican-

(a) Uberius & erudite hæc tractat V. R. Emo Lucius *Uriemoet* in eleganti libello de *Schiloh* c. 3. 4. 5.

dicandum offerimus. Certe cum dicatur id dictum διὰ τῶν προφήτων, Mosis, prophetæ maximi scripta excludi nequeunt. Uti Act. III. 21. quod de omnibus sanctis Prophetis dictum fuerat, commate sequenti 22. ad solum Mosen refertur. Confer & Luc. XXIV. 25. coll. vers. 27. 44. Cum autem dicatur *vocatum iri* Nazarenum, id noli de nomine proprio intelligere, cum nihil aliud sit, quam *esse*, uti id ex Jer. XXIII. *6.* Es. IX. *6.* Matth. V. *9.* aliisque locis jam pridem observatum est. Habitare itaque Christus debuit Nazareti ut impleretur, quod per Prophetas, JACOBUM & MOSEN, dictum, scriptumque fuit termino Zabulonitidos, Nazareto, summam accessuram gloriam, lætitiarumque amplissimam materiam suppeditatum iri, quod Messias & proditurus ex ea, & longe maximam vitæ partem in ea consumturus sit.

§. 19. Altera (II.) ratio, ob quam Sabulonis tractus super Sidonem effertur, peti potest, ex eo, quod lumen Evangelii primum omnium ortum dispersumque fuit inter Zabulonios. Illud enim primo ibi ipse *Dominus* promulgavit una cum Legatis suis. Quod jam prædictum esse a D. Esaia VIII. 18. 23. sq. & IX. 1. *6.* Matthæus ipse nos educit c. IV. vs. 14. 15. In eo autem præ Sidoniis singularem prorsus præeminentiam nacta est Sabulonitis. Horum enim fines, μέρη, ὅρια, accessisse quidem Servatorem, non autem ibi permansisse, aut unquam in ipsa urbe commoratum legimus. V. Matth. XV. 21. XIV. Marci VII. 24. 31. Quin cum in illo tractu eum accessisset mulier Syrophœnissa, detrectavit illi ferre suppetias, quod missus tantum esset ad deperditas Israelis oves, illamque gentem canibus confert in oppositione Judæorum, quos filiis accenset, donec pertinacibus tandem ejus precibus victæ filiæ ejus medelam adferret, ut legimus apud Matthæum & Marcum in excitatis locis. Memoratu quoque dignum est, sæpius Sidonios & Tyrios reliquis in confinio Zebulonis & Naphthali positis urbibus, eam ob rationem, tanquam instar proponi quod, quo magis hi instrumentorum gratiæ abundarent copia, eo majori horum penuria illi laborent. *Quod vel in SIDONE vel TYRO talia patrata miracula fuissent, qualia apud eos, dudum in sacco & cineribus pœnitentiam acturos fuisse, hinc Tyriis Sidoniisque ἀνεκτότερον futurum in die judicii, præ reliquis* Matth. XI. 21. 22. Luc. X. 14. in confiniis Zabulonis & Naphtali Servator pronuntiavit, manum ad Sidoniorum ac Tyriorum fines extendens, inter utrosque medius, & ita felicitatem terminorum Zabulonis præ Sidoniorum vel ipso hoc argumento declarat Jacobi Filius.

§. 20. Fortassis his & alia adjungi possent, unde περλόχη Sabulonis præ Sidone eliciatur; v. gr. Quod primum omnium miraculum factum a Christo in Galilææ Cana, cujus nominis utramque urbem in terminis sitam Sabulonis sunt, qui censent. Vel, quod gloriam suam illustrissimum in modum patefecerit Servator in monte Tabor, qui Sabuloniticæ & Issaschariticæ tribuum terminus erat. Sed cum nihil plane certi de situ Canæ, in qua nuptiæ, quas sua præsentia, miraculoque nobilitaverat Servator, statui queat, valde autem dubium sit, Itabyrium fuisse notum illum glorificationis montem, ut secutura dissertatione C. II. I. *36.* 27. ostendetur, nolo his inhærere amplius.

§. 21. Ut igitur nunc totius hujus oraculi sensum exhibeamus, duo sanctissimus Patriarcha de Zabulonitica tribu hoc commate describit. (I) SITUM ejus, & (II) PRÆSTANTIAM. Prius his verbis fit זבולן לחוף ימים ישכן והוא לחוף אנית. Ubi elegans παρονομασία in sacris frequens, atque allusio ad nomen זבלן, quod notat *habitationem*, occasionem aliquam præbuisse videtur, ut *habitationis* ejus & commorationis locum indicaret. Est & hic aperte figura, quam ἐξεργασίαν vocant, hoc modo

זבולון הוא	לחוף ימים לחוף אנית	ישכן
Sebulon *Ille*	*ad portum marium* *ad portum navium*	*habitabit*, id est, erit, s. commorabitur.

Quæ tamen verba, cum τὸ ל frequentissime notet *inter*, commode & ita transferri possunt, *Sabulon commorabitur inter portum marium, & inter portum navium;* Id est, ab utroque latere cingetur mari, in quo commodæ stationes navium, sive portus erunt, ita ut multo accuratissime designetur illius tribus situs, qui inter mare magnum, sive mediterraneum, & Galilæum, sive lacum Tiberiados futurus, de nulla enim alia tribu simile quid asseri potest; Sabuloni autem convenit

nit ad amussim. Etsi enim merito dubitatur, an proxime & sine intervallo 'ullo adtigerit Sabulonitis mare magnum & Genesariticum, id tamen indubium est, ad utrumque littus quam proxime accessisse, adeoque sitam inter *littora marium* fuisse, & inter *portus navium*. Nota enim חוף & *littoris* & *portus* habere significationem. Enallagen autem numeri apud Hebræos esse frequentissimam. Porro, in utriusque illius maris littoribus navicularum erat ingens copia. Maris Genesaritici πλοίων & πλοιαρίων meminerunt Evangelistarum scripta millenis in locis. Ne autem Zebuloniticæ terræ status videretur deterior locis vicinis, quod etsi non procul aberat a mari & portubus, non tamen vel mare allueret ἀμέσως, nec vel hos sinu suo complecteretur, adjungitur aliud quid, quo gloria & splendore vel illis posthabitis propinquas, utut splendidissimas famigeratissimasque urbes victuram pateat, ירכתו על צידן *Terminus* tamen *ejus* erit *super Sidonem*, i. e. urbs in ejus confinio posita antecellet Sidonem.

§. 22. Complectitur itaque hoc vaticinium sinu suo veritates sequentes. [α] Zabulonis posteri non peribunt in Ægypto, sed (β) pervenient in possessionem terræ Canaanis, neque [γ] ita dispergentur, uti Rubenis & Simeonis posteris accidit: Gen. XLIX. 7. coll. Jos. XIX. 1. Illi (δ) tutas, commodasque ibi habitationes nanciscentur, ea enim vis est vocis שכן. Erit autem sita (ε) illa sedes inter duo maria & portubus & navibus insignia, ne quisquam de mari mortuo nunquam navibus sulcato sermonem esse arbitretur. Cumque in Palæstina nulla omnino terra sit, nulla tribus, utrobique mari circumdata, præter Zabulonem, hæc autem & hinc & illinc maria navium stationibus instructa prospiceret, accurate & distincte admodum limites Sabuloniticæ terræ definitos vidimus. Quamquam autem (ζ) in aliis habitura sit Sabulon, cur cedere habeat perinclitis aliis civitatibus, erit tamen aliquid, quod eam super illas insignem in modum tantum faciet efferre caput, *quantum lenta solent inter viburna cupressi*. Id vero [η) quærendum erit in urbe aliqua, quæ in confiniis illius tribus posita esset: Talis autem (ϑ] cum esset Nazaretum, eaque SOLA haberet, ob quod reliquas urbes longe infra se positas despicere posset, hanc in oculis habuisse, & quasi digito exserto monstratam putamus. Imo (ι) cum ejus decor in eo constaret, quod generis humani Statorem carne indutum prima omnium tenuit, excepit, formavit, fovit, educavit, aluit, audivit, illique maximam vitæ partem hospitium præbuit, hæc omnia hoc oraculo indicata esse dices, non eo quoque exemto, (κ) quod in ea prima doctrinæ cœlestis promulgatio a Christo, ejusque Apostolis facta fuit.

§. 23. Quisquis vero isthæc omnia considerat attentius, insigne invenit pro divina origine sacri codicis argumentum. Oportet sane divino afflatum fuisse Numine S. Jacobum, ista cum prædiceret: Quomodo enim ille tot antea annis, (elapsi autem ab illo tempore, quo hæc prædixit, ad divisam sortibus Palæstinam sunt 240.) quomodo, inquam, tanto antea tempore vel scire, vel cogitare potuit, Zabulonis progeniem talem nacturam sortem, ut inter maria duo poneretur, idque ei privum ac singulare futurum? Quomodo ei vel in mentem venire, fore olim in ejus partibus locum, cujus neque tunc, neque diu postea vel nomen innotuit, qui eo perventurus erat gloriæ, celebritatisque quæ illustre florentissimæ orbis urbi partum decus obscuratura esset? Quisquis hæc sine divini Numinis indicio & prædici & impleri potuisse putat, næ illum oportet, vel recte de rebus judicandi destitutum esse facultate, vel tam pertinaci animo, ut, quæ clarissime videt, præfracte nolit videre. Quin &, si locum illum ita interpretamur, ut interpretandum esse docuimus, reperimus, quod ex Judæis, qui advenisse jam Messiam infitiantur, opponamus. Per eum ejus ortum Zabulonitidi accessurum erat insigne decus, quod vel ipsius Sidonis splendore futurum esset majus, at nunc neque tribus Zabulonis quidquam superest, nec ullus amplius Sidoni est splendor; unde Messiam jamdiu venisse, concludimus.

§. 24. Coronidis loco id addo, vulgarem circumferri, & vetustam traditionem Zabulonem sepultum esse prope Sidonem. Imo aliquot lapidum jactibus a Sidone etiam nunc in horto amœnissimo malis aureis consito ostenditur parvum sacellum, una cum duobus erectis lapidibus, qui decem circiter pedum longitudine a se distant, cujus magnitudinis fuisse ajunt Zabulonem, quem sub his saxis sepultum esse volunt. Visunt illud monumentum magna religione Turcæ, Mauri, Judæi. Lampas plena oleo in fronte templi ardet assidue. Audiamus Thevenottum, etliche Schritte von der Stadt (Monconysius facit mille) siehet man in einem Garten eine kleine Capelle, mit zwey daruber auffgerichteten Steinen. Die Einwohner des Landes geben es vor Sabulons Grab aus/ und sagen daß die Weite der beyden Steinen/ die Greffe seines Leibes andeute/ wann es mit der Warheit ubereinkommt/ so ist er ein wohlgewachsener Mensch gewesen/ denn diese Steine stehen ohnge-

feh-

sehr 10. Schuh von einander. Ita itin. P. II. L. I. c. 15. Confer eundem T. I. L. 2. c. 60. MONCONYSIUM pag. m. 330. C. de BRUYN T. I. p. 321. DAPPERUM in Palæst. T. I. p. 118. Non credo facile aliquem fore, huic qui traditioni fidem habeat. Quis enim nescit Jacobi filios in Ægypto defunctos? &, quomodo fieri potuit, ut Israelitæ patriarchæ corpus monumento inferrent Sidonensium, in quos nihil unquam iis juris fuit? Aut multum fallor, aut ex hoc dicto nostro hæc fabula originem traxit. *Latus*, (quod & *femur* vertere posses) *Sabulonis* על צידון, erit *ad Sidonem*, quod videtur a quibusdam ita intellectum, quasi innueretur, corpus Sabulonis ad Sidonios sepulturæ gratia transportatum iri. Hinc fabulæ fons!

THEODORI HASÆI DISSERTATIO DE NAPHTHALITIDE APOSTOLORUM PATRIA,

Ad illustrationem oraculi Jacobæi Gen. XLIX. 21.

CAPUT PRIMUM,

In quo illud explicatur,

ARGUMENTUM.

Ultima Jacobi intellectu difficilia sunt. §. 1. *Inter ea præcipue referendum est comma* XXI. *Sententia* Bocharti. §. 2. Cocceji, *qui eam mutuatus est ab Hieronymo*. §. 3. *Judicium de illa*. §. 4. *Nostra proponitur. Summa dicendorum*. §. 5. *Proponuntur regulæ fundamentum totius expositionis exhibentes*. §. 6. *Phrasis* אחרית הימים *notat dies Messiæ*. §. 7. *Totum vaticinium præcipue spectat ætatem Christi*. §. 8. *Nominibus filiorum suorum indicat Jacobus Viros insignes ex eorum vel tribu, vel in eorum terris oriundos*. §. 9. *Ostenditur* (A) *quomodo Cervi sunt emblema* Apostolorum, [א] *ob* celeritatem. §. 10. (ב) Firmitatem *&* *constantiam, locus Hab. III.* 18. §. 11. (ג) *Ob pericula quibus expositi erant*. §. 12. (ד) *Ob debilitatem, cum non alio præsidio quam vel pedum vel cornuum fruantur*. §. 13. *Unde cervi & alias notant Apostolos*. *Ps. XVIII.* 34. *Hab. III.* 9. *Ps. XXIX.* 9. §. 14. *Cur* (B) *mentio fiat* Cervæ, *non* Cervi. *Passim ministri Evangelii sub symbolo sequioris sexus proponuntur. Illius rei rationes*. §. 15. *Poetæ sæpe genere fœminino de cervis loquentes utuntur. Cervæ an gestent cornua?* §. 16. *In regione Naphthalitica erat copia Cervorum*. §. 17. *Quid* [C] *sibi velit vox* שלוחה, *ablegata*. שלח, שלך, לך, לאך, ἄγγελος, lego, laquais, Lackay. §. 18. *Quid* (D) *sint* אמרי שפר. *Constructio totius dicti aperitur*. §. 19. שפר *notionem non solum habet* pulchritudinis, *sed & buccinæ*. §. 20. אמרי שפר *notant prædicationem Evangelii*, primo *quia nihil ea pulchrius, atque optabilius*. §. 21. Secundo, *quia illa sono* tubæ *confertur, & olim per diversos buccinæ sonos fuit adumbrata*. בשר & שפר *conveniunt*. §. 22. 23. *Varietates quæ hoc oraculo continentur*. §. 24.

§. I.

ORaculorum Veteris Testamenti, ut vix ullum præclaris significationibus magis fœtum est, ita nullum plures interpretibus cruces fixit, difficiliusque explicatu visum est illo, quo extremas voluntatis suæ tabulas in confinio mortis po-

ſitus conſignavit ſanctiſſimus Patriarcha JACOBUS , quodque penultimo Geneſeos capite deſcriptum nobis reliquit D. MOSES . Exercuit itaque & ingenium & induſtriam plurimorum eruditione præſtantium Interpretum , qui commentationibus ſuis lucem illi adfundere ſummis opibus adniſi ſunt . Non tamen crediderim me magnopere aberraturum a vero , ſi poſt collectam vindemiam adhuc aliis aliquid relictum eſſe racemationis , ac reſtare nodos dignos , quibus ſolvendis nervos noſtros intendamus , dixero . Specimen hujus rei diſſertatio exhibuit , quam ſtatim legiſti. Specimen alterum nunc ſiſtet comma illius capitis *vigeſimum primum* , quo benedictionem Patriarcha impertiit filiorum ſuorum ſexto , qui tamen heic decimum locum occupat , quem ex Bilha , Rachelis uxoris ſuæ ſerva , ſuſcepit NAPHTHALI : De eo ita fatur : נפהלי אילה שלוחה הנותן אמרי שפר . Quæ verba ita vertimus ; *Naphthali* (eſt vel erit) *Cerva emiſſa* vel *ablegata* , *dans* vel *proferens bona verba* , vel *verba pulchritudinis* , vel *elegantiæ* .

§. 2. Variæ ſunt de ſenſu hujus vaticinii præſtantiſſimorum Virorum cogitationes, variæ conjecturæ . Legat eas in illorum ſcriptis , cui lubitum eſt , neque enim eas in cumulum congerere , mihi vel vacat vel volupe eſt . Multi hoc perobſcurum eſſe & vix a ſe intelligi , confeſſi ſunt ingenue . H. WITSIUS fatetur , *qui in tam obſcuris bene conjecerit , eum ſe vatem perbibiturum optimum*. S. BOCHARTUS (at quis illo viro in indagandis maxime δυσνοήτοις S. Scripturæ locis alias vel felicior vel ſagacior eſt ?) *tribuit illi ſenſum difficilem , & obſcurum , quemque non ſatis capiat* . Et deinceps ita concludit ; *Itaque vel , quomodo impletum fuerit hoc vaticinium , nos prorſus latet , vel aliud ſonant Jacobi verba*. Atque tum ad hunc nodum non ſolvendum , ſed ſecandum ſe accingit , ſublatiſque punctis in illorum locum ſubſtituit alia , ita ut inde ſenſus emergat plane diverſus ab illo , quem verba , prouti nunc in ſacro codice extant , præ ſe ferre videntur . Unusquiſque qui debita erga divina oracula reverentia ducitur , animadvertit facile , quam audax & periculoſæ plenum aleæ futurum eſſet facinus , ſi unuſquiſque pro lubitu cœleſtes tabulas refingere ita , emendare , aut potius corrumpere in animum inducens , ſibi in eas tale jus eſſe exiſtimaret , quod in Horatii alicujus , aut Terentii verſus nemini uni concedent ſaniores Critici . Quæ enim demum erit veritas , quod religionis myſterium , quale fidei dogma , quæ ab illorum hominum miniatulis ceris tuta eſſe poſſint , ac manere ſalva ? Ceteras difficultates , quas contra illam Bocharti conjecturam Viri docti moverunt , nunc non tango . At vero ſi oſtendero , quod oſtenſurum me liquide confido , retentis ipſis vocibus , earumque apicibus verba hæc ſenſum fundere remotis ſalebris omnibus commodiſſimum , præſtantiſſimumque , illis ſane defenſoribus rem non egere , neque Criticorum audacia heic opus eſſe , neminem quemquam puto poſſe ambigere.

§. 3. Johannes COCCEJUS , aliquid adtulit , quod ad rem facere videtur apprime . Vertit enim ita hoc vaticinium : *Naphthali eſt cerva emiſſa ejus , qui dat verba decoris* , ita ut poſterius membrum non conſtruatur cum priori . Putat itaque per *Cervam emiſſam* intelligi Naphthalitas , præcipue Galilæos eorumque poſteros magno cum deſiderio turmatim ad Chriſtum prædicantem in illis regionibus , verbaque plena gratiæ & pacis mellifluo ore effundentem confluentes . Secutus in eo eſt veſtigia D. HIERONYMI, qui in quæſtionibus Hebraicis in Geneſin Tom. III. Opp. pag. 354. miras aliquot horum verborum adducit interpretationes illud אילה שלוחה explicans *agrum irriguum , quod aquæ calidæ in illa tribu naſcantur* , *poſſe quoque* addit *transferri cervum emiſſum, & ita propter temporaneas fruges velocitatem terræ uberioris oſtendi* ; Tandem tamen , *melius eſſe*, ait : *ſi ad doctrinam Servatoris cuncta referamus , quod in portione Naphthali docuerit*. Alibi hæc verba ejuſdem allegari legi , quæ tamen nuſquam invenire potui : *Allegorice luculentius ad Salvatorem cuncta referuntur , qui in virtute Spiritus inſtar cervi erumpens in tribu Naphthali vel maxime docuit*.

§. 4. Arriſit hæc ſententia Viris doctis vehementer. J. H. *Heideggerus* eam non ſine Numine ad manus perveniſſe ſcribit. (a) H. *Witſius* tanti eam fecit, ut eam bis in ſcriptis ſuis [b] diductam latius apparere voluerit . Alii facto veluti agmine eam ſuam fecerunt . Fateor ingenioſam eam eſſe , divino Vate dignam , quod Chriſtum nobis monſtret , cujus teſtimonium eſt Spiritus Prophetiæ , neque quidquam hic occurrit, quod a verborum ſignificatione, aut loquentis ſcopo maximopere abhorreat. Profecto non meretur illos ſibilos , ſannaſque quibus eam excipere ante hos viginti, & , quod excurrit, annos audaciſſimo cuidam *Dialogorum* in Belgica

(*a*) In Hiſtor. Patr. Tom. II. Exerc. XXIII.
(*b*) In Oecon. Fœd. Lib. IV. cap. 3. §. 28. & in Δεκαφ. c. VI. §. 16. 17.

gica Scriptori visum fuit. Quin omnibus aliorum Judæorum juxta atque Christianorum conjecturis multis modis esse præferendam æquus rerum æstimator facile arbitrabitur. Habet tamen illa hoc incommodi, quod duo orationis membra heic a se quasi divellantur, quasi posterius non pertineat ad prius. Id quod tamen minus recte heic fieri dicas. Cum enim vox Hebraica אילה non ponatur in statu constructo, sed absoluto, juxta præcepta Grammatices non regere potest genitivum rei diversæ, ut explices: *Cerva dantis* sive *illius qui dat*; sed Substantivum Cerva jungendum erit cum adjectivo, ut exponas: *cerva quæ dat*. Vel vox אילה deberet repeti hoc modo: נפתלי אילה שלוחה אילה הנותן אמרי שפר *Naphthali Cerva dimissa* (Cerva ejus) *qui dat eloquia pulchritudinis*. Id quod etiam sine insignita anomalia generis fieri nequiret, cum ita scribendum fuisset non אילה הנותן, sed אילה הנותנה. Scio quidem non deesse exempla, in quibus nomen absolutæ seu integræ formæ pro constructo ponatur, de quibus *Glassius* (c) & *Buxtorfius* [d] consuli possunt. Sed & id scio, id fieri rarius, saltim ἀνομαλῶς, neque fieri posse, nisi intellecta quadam ellipsi. Scio porro ejusmodi anomaliis aut ellipsibus non locum esse concedendum, nisi urgente quadam necessitate, & cum alias explicatio sana dari nequit. Unde nuper *Jo. Heeserus* in suo אבן העזר illam interpretationem non veritus est *nimis violentam atque contortam vocare*. Quod si itaque talis poterit exhiberi, quæ nullam vel ellipsin vel anomaliam postulat, cæteroquin est plana, facilis, divino Propheta digna, & cum emphasi verborum rerumque præcipue implemento conjuncta, tute ipse, quo loco illa habenda sit, judicabis.

§. 5. Talem autem esse eam, cujus mihi in mentem venit, putem, quæ quidem cum illa Cocceji non parum habet adfinitatis, ita tamen ut simul illas salebras, quibus illa impediebatur, omnes evellat. Hanc enim mihi videor deprehendere horum verborum mentem. *Ex illa regione, quæ olim Naphthali posterorum portio erit, orituri sunt Apostoli, doctrinam Evangelii annunciaturi*. Hanc autem sententiam quo tibi approbem facilius, posteaquam theses quasdam, quas fundamenti loco Cygnæi hujus carminis Jacobæi explicationi substerni oportet, posuero, illi *primum* cum verborum emphasi ac genuina significatione belle convenire, ostendam; *Deinde* omnia, quæ his verbis continentur, suo tempore impleta esse accurate docebo. Atque ut illud *hujus*, ita hoc *secuturi* capitis erit Argumentum.

§. 6. *Primum* itaque quod mihi concedi postulo, hoc est.

א. *Jacobus in hoc Cantico agitatus divino Spiritu res futuras prædixit*. Hoc extra omnem dubitationis aleam inter Christianos positum esse debet, neque id Judæi prorsus infitiantur.

ב. *Jacobus in illo de Messia vaticinatus est*. Id saltim fieri commate decimo tantum non inter omnes, qui Christo nomen dederunt, in confesso est. Immo vix ullus est gentis recutitæ, qui id ire inficias fuerit ausus, ita ut parum a turpitudine absuturum sit, si id negare non dubitet Christianus, cujus confessionem vis veritatis extorsit capitalibus Christi perduellibus.

§. 7. ג. *Ea quæ filiis suis prædicit Patriarcha, magnam partem pertinent ad tempora ætatem Messiæ proxime adtingentia*. In hanc sententiam nos manu quasi ducit phrasis illa qua utitur Jacobus, cum congregaturus filios suos ad audiendum, *se eis annunciaturum pronuntiat*, quod iis erat eventurum באחרית הימים *in extremo dierum*, sive *in diebus novissimis*, versu 1. Hanc autem phrasin sicut alteram, quæ sæpius in Novi Fœderis tabulis occurrit, de ἐσχάταις ἡμέραις, tempora Messiæ indicare, plerique Interpretum Christianorum affirmant, assentientibus Judæis Abarbanele, Nachmanide, Menasse Ben Israel, Aben Ezra, D. Kimchio, cujus hæc sunt ad locum Esaiæ II. 1. verba כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא ימות המשיח *In quocunque loco dicitur* באחרית הימים *sermo est de diebus Messiæ*. Et, quod magis est, ausim affirmare, & per inductionem locorum omnium, si id postularetur, comprobare, vix illum loquendi modum occurrere, quin, si non unice tempora respiciantur, quæ a nato Servatore ad excidium Hierosolymarum effluxere, talia tamen immixta sint, quæ huc commode referri & possint & debeant; ita ut fere nunquam ea ætas, qua Christus cum Apostolis suis vixit, prorsus excludatur.

§. 8. Porro cum singulis duodecim tribubus suos, quos expectare habebant, rerum eventus prædici, post destructam autem Hierosolymam tribuum discrimen sublatum esse meminimus, phrasis autem illa de extremo dierum, ut monitum est, tempora novæ Oeconomiæ innuat, hinc facile colligas, quæ in hac cantilena narrantur, præcipue & δεικτικῶς implementum suum nacta esse illa tempestate, quæ a nati-

(c) Philolog. S. Lib. II. Tr. I. can. 40.
(d) Thesaur. Gramm. Lib. II, c. 4.

nativitate *Domini* ad sanctæ urbis πανολεθρίαν elapsa fuit. *Neque enim dubitari potest*, ita scribit Celeberrimi nominis Theologus, *Spiritum S. per emortuale Jacobi os futurum seminis Abrahami, Isaaci, Jacobi statum enarrare voluisse, quo excitandum erat semen illud longe desideratissimum, Patribus promissum, in quo omnes familiæ terræ divinæ benedictionis futuræ erant participes*. Ita comma decimum cum duobus, quæ sequuntur, de Messia agere extra dubium est. Eandem rationem esse commatum VIII. & IX. olim, ἐὰν ὁ Θεὸς θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, a nobis ostendetur. Locum ἐνσαρκώσεως & commorationis J. C. in terris, *Nazaretum* commate XIII. indicatum esse, indicavi antecedenti exercitatione. Commatibus XVIII. & XXIV. indicari Christum petram salutis, plurimi Interpretes annotarunt. Etsi nunc nondum per omnia constat, quam σχέσιν reliqua hujus Cantici ad illa tempora habeant, cogitandum est, non adeo multas de statu, in quo singulæ reipublicæ Judaicæ tribus tum temporis versabantur, rerum περικείμενα nobis perspecta esse. Forsan ventura ætas reliqua in liquidiorem lucem collocabit. Si quisquam tamen existimet, multa occurrere quæ ad ætatem, quæ τὸ πλήρωμα τοῦ καιροῦ præcedit, omnino pertineant, cum illo nollem super ea re litigare, si modo id mihi vicissim concedatur, non deesse heic pariter, quæ historiam Christi, ejusque Legatorum exhibent, in quorum censum hunc etiam, quem tractamus locum, referendum esse puto.

§. 9. ד. *Per nomina filiorum suorum Jacobus intelligit insignes viros ex illorum lumbis aut tribu orituros*, vel *saltim in terris iis adsignatis victuros*. Neque hoc ullius indiget probationis.

ה. *Quando nomina filiorum aliis nominibus*, v. gr. *animalium junguntur intelligenda est copula EST, & tum indicatur fore vel inter filiorum Jacobi posteros, vel saltem in horum terris vitam agentes ob rem aliquam singularem ac valde commemorabilem, cum tali quod nominatur, animali comparandos*. Ita cum *Juda* vocatur LEO vs. 8. *Isaschar* [ut vulgo creditur] ASINUS vs. 14. *Dan* SERPENS in via vs. 17. *Benjamin* LUPUS rapax vs. 24. ecquis non animadvertit, innui ex Judæ, Isascharis, Danis, & Benjaminis progenie surrecturos illustres viros, quos cum ejuscemodi animalibus scite conferas. Hæc tam aperta sunt, & plana, ut ne illos quidem, qui contra vulgatissimum & sacrorum & τῶν ἔξω Scriptorum, ipsiusque juris statutis stabilitum, qui necdum desiit, morem in supremæ voluntatis tabulis figuratas omnes atque improprias locutiones prorsus abesse volunt, de eo dubitaturos crediderim. Simili itaque ratione *Naphthali* vocatur *Cerva emissa*. Qua phrasi designari Apostolos, eo minus mirum nobis videri potest, quo magis illi inter Naphthalitas non minus, ac in Ecclesia Jesu Christi nobilissimum atque eminentissimum obtinuere locum. Et si ex pereximiorum Interpretum sententia deinceps commate 27. Paulus Apostolus per Benjaminem designatur, non causam video, ob quam non minus hoc loco per Naphthali intelligamus ex illo oriundos Apostolos, præcipue, cum iis singula, quæ hic dicuntur, ita conveniant, ut vix quadrent in alium. Id nunc ut collocetur in apricum, ostendendum nobis erit [A] An & quamobrem Apostoli sub symbolo occurrant *cervorum*. Cur (B) dicantur *Cervæ*, non *Cervi*. Et [C] quidem emissæ vel ablegatæ. [D] Quid denotetur per אמרי שפר.

§. 10. *Cervarum* (א) sub imagine venire APOSTOLOS, ut ostendam, nolo operose corradere omnia illa, quibus aliqua inter eas & Apostolos institui posset comparatio. Scatent inficetis ejusmodi comparationibus multorum libri ad nauseam usque; Attributa tantum pauca adducam, quæ præsertim huic denominationi dedisse ansam, idque duce ipsa Scriptura existimaverim. *Primum* eorum est in currendo *Celeritas*, quæ ob summam crurum tenuitatem & agilitatem, non parem habet,

- - - - - - - quando patentes
Transmittunt cursu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, montesque relinquunt.

Ea apud profanos æque ac sacros Scriptores in exemplum ivit & proverbium. Vide 2. Sam. II. 18. 1. Chron. XIII. 8. Prov. VI. 5. Es. XXXV. 6. Cant. I. 8. 9. & maxime VIII. 14. Cum quibus conferantur quæ ex Scriptoribus τοῖς ἔξω annotavit BOCHARTUS Hieroz. Libr. III. c. 17. Inde passim cervi apud Poetas dicuntur *celeres*, *veloces*, *fugaces*, *leves*, *cursu leves*, *alipedes*, *volucres*, *agiles*, *volucripedes*, ἀελλόποδες, θοήποδες. Lucianus in *Philospseude* Tom. II. p. 331. scribit Ὠκυ γὰρ ἡ ἔλαφος, καὶ ἔρρωται μάλιστα ἐκ τῶν ποδῶν: *Velox est cerva, & maxime valet pedibus*. Imo hinc ἐλάφους quasi ἐλαφρούς, i. e. leves dictos putant. BUSBEQUIUS in epistolis, quibus legationem suam ad aulam Ottomannicam recenset Ep. I. p. m. 34. scribit: *In cœmeterio Servianorum erectas fuisse in palos CERVORUM & similium ferarum de ligno dedolatas effigies, cumque causam rogassent, res-*

pon-

pondisse maritos vel patres eo monimento voluisse testari conjugum aut filiarum in obeundis officiis domesticis CELERITATEM & diligentiam. Apud Judæos *velociorem esse hinnulo* vel *cervo* in proverbium transiit, ut ex אבורת cap. 5. discimus. Atque ita ob summam pernicitatem, qua in Evangelii cursu promovendo usi sunt, Apostolos *Cervas* dici puto.

§. 11. Illa tamen agilitas pedum non impedit, quin eorum [ב] *firmitas* atque *constantia* in gressu pariter celebretur passim, Unde dicti *æripedes*, Sic. v. gr. ap. ap. Virgil. Æneid. Libr. VI. vs. 802.

Fixerit ÆRIPEDEM Cervam licet - -

Et *Auson.* in Grypho Ternarii vs. 14.

Vincunt ÆRIPEDES ter ternos Nestore Cervi.

Ut & Eid. XIX. vs. 4.

ÆRIPEDIS quanto tulit aurea cornua cervi.

Ita *Silius* L. III. vs. 128.

ÆRIPEDIS ramos superantia cornua Cervæ.

Et *Martial.* Lib. IX. Ep. 104.

ÆRIPEDEM silvis cervam.

Quanquam enim *Servius* eumque secuti complures eruditi Viri hoc epitheton explicent quasi *aeripidem*, rectius tamen puto interpretari, de iis qui pedibus [e] firmis tanquam aere munitis incedunt, ita ut nullo cursu fatigari queant, quo sensu Græci χαλκόποδες & χαλκοκρότους tales appellant. Sic *Hesychius* vocem χαλκόποδας explicat ἰσχυρόποδας. Et Suidas χαλκοκρότων, χαλκοπόδων τοῦτεσι τὰς ὅπλας ἰσχυρὰς ἐχόντων. Pariter vetus Homeri Scholiastes in II. ϑ. χαλκόποδας, στερεόποδας. Uti ipse ad Georg. L. III. vs. 173. *Intactos temo trahit aereus orbes*: scribit *Aereus, fortis*, ibique confert Æn. V. 198. Eodem modo *Ovidius* Metam. Libr. VII. vs. 104. Tauros vocavit *æripedes*.

Ecce adamanteis Vulcanum naribus efflant
AERIPEDES Tauri - -

Et in *Heroid.* ep. 6. v. 32.

Narrat & AERIPEDES Martis arasse boves.

Vide & Ep. 12. us. 93. in quo utroque loco tamen *Heinsius* mavult legi *aeripedes*. Et sic cervi in sacris sæpenumero considerantur. Vide 2. Sam. XIII. 34. & Psalm. XVIII. 34. præcipue Habakuki vaticinium, quod ita C. III. vs. 18. clauditur: *Dominus est robur meum, & FIRMABIT PEDES meos tamquam CERVORUM & super excelsa faciet, ut incedam*. Atque ita in memoriam nobis revocatur stupenda illa constantia, atque incredibile illud studium, quod immobiles in opere Domini Apostoli adhibuerunt, haud pensi habitis immensis & laboribus & periculis Christi causa exantlandis.

§. 12. Cervus porro [ג] animal est venatorum, canum præcipue agitationibus, si quod aliud, maxime obnoxium. [f] Ridiculum foret, si in re tam nota nostraque ætatis consuetudine quotidie comprobata, conglomerare vellem testimonia. Sub emblemate itaque cervorum percommode vita Apostolorum proponitur, quæ perpetuis hostium Ecclesiæ, qui sub similitudine *Venatorum* aliquando veniunt, præsertim *Gentilium* quos *Canes* appellant Sacræ literæ, Psal. XXII. vs. 17. 21. Matth. XV. 26. Immo & *Judæorum*, qui id quoque gerunt nominis Phil. III. 3. [g] 2. Petr. II. 22. persecutionibus erat exposita.

§. 13. Accedit, quod illud animalium genus *imbelle* maxime est; Unde *Virg.* Georg. III. 265.

- - - IMBELLES dant prælia CERVI.

Et *Lucanus* Libr. IV. us. 437. memorat.

- - - pavidos formidine CERVOS.

Esa. XIII. 14. mentio fit צבי מדח, Lut. vertit ein gescheucht Reh. Neque a natura iis armis instructum est, quibus insidias canumque, qua in se aguntur, rabiem possit depellere, cum non aliud, quo se defendat, habeat, quam CORNUA, quibus tamen & cervæ, quarum in loco nostro fit mentio, destituuntur, ut vix aliud

(e) V. *Brod.* Misc. L. II. c. 29. *Scaligerum* in Auson. Lect. I. c. 16.

(f) Virg. Lib. XII. Æneid. vs. 751.

- - inclusum si quando in flumine nactus
Cervum aut Puniceæ septum formidine pennæ
Venator cursu, canis & latratibus instat.

(g) Sane hoc loco intelligendos esse Judæos, qui Christo nomen dederunt, deinde autem ad errores suo redierant, non solum scopus & totius sermonis Apostolici contextus loquitur, sed & patet ex collatione v. 20. cum Matth. XII. 45. ubi verbis γίνεται τὰ ἔσχατα τῶ ἀνθρώπω ἐκείνω χείρονα τῶν πρώτων, quæ & Petrus habet, additur, Οὕτως ἔσαι ΤΗ ΓΕΝΕΑ ΤΑΥΤΗ τῇ πονηρᾷ.

aliud iis ſit præſidium poſitum, quam in præruptis inacceſſarum RUPIUM cacuminibus. Interea loci non alia fere eos ſors manet, quam ut diu multumque agitati, triſtiſque tandem facti hoſtium præda, miſerabilique nece confecti, delicato tandem gratoque palatis pabulo hominibus cedant. En hic vivam Legatorum Chriſti imaginem. Nullis illi cauſam ſuam tueri poterant armis, nullis inſtructi erant humanis auxiliis, nullo nitebantur ſapientiæ aut autoritatis hominum adparatu; Non alio gaudere poterant præſidio, quam illius qui & CORNU & RUPES ſalutis appellatur, in quo omnes ſpes ſuas fortunaſque repoſitas habebant unice. Interea non alia ſorte utebantur quam ut inimicorum ſuorum caſſibus furoribuſque per orbem terrarum, qua patet, jactati, & ad truculentam necem petiti, gratæ Deo angeliſque caderent victimæ. Conf. Pſalm. XLIV. 23. Phil. II. 17. 2. Tim. IV. 6.

§. 14. Neque id mirum cuiquam videatur, nos Apoſtolos ſub emblemate adumbratos *cervorum* aſſerere. Hi enim paſſim evangelii præconum & Legatorum Chriſti emblemata ſunt. Ita Pſ. XVIII. 34. ubi dicunt *pedes ſuos poſitos eſſe, ut CERVARUM*, Apoſtolos loquentes introduci notat *Tillius*. Ita verbis Habac. III. 9. vaticinium contineri de Evangelio, miniſterio verbi ultimis temporibus longe lateque circumferendo; Illique locum παράλληλον eſſe ultimum Cantici Canticorum κόμμα a præſtantiſſimis obſervatum eſt interpretibus. Id fieri præſertim Pſalm. XXIX. 9. exiſtimo. Ibi enim agi de regno Meſſiæ ex Judæis agnovit Kimchius; & de Evangelio Jeſu Chriſti temporibus novi fœderis promulgando non ſolum recentiores Interpretes plerique, ſed & veteris Eccleſiæ Patres tantum non omnes explicuerunt. Ejus præconium ſub ſymbolo *vocis divinæ*, & quidem, *Tonitru* ut paſſim alias Pſ. LXVIII. 34. Eſ. XXX. 30. Apoc. IV. 5. XIV. 2. proponitur. (h) Fuit enim præcipue in ore Apoſtolorum, inſtar *Tonitru*, qui inde dicti ſunt ΒΟΑΝΕΡΓΕΙΣ, i. e. υἱοὶ βρόντης, *Filii Tonitru* Marc. III. 17. Quando autem inter alia de illa voce dicitur יחלל אילות *parere facit cervas*, per has cum ſummo Interprete, nollem intelligere *homines, qui non ſunt de Civitate Dei, ſed in ignorantia ſecundum ſuas cupiditates aguntur*, illi enim quamdiu tales ſunt, ſane per vocem Evangelii neque renati ſunt, neque alios parere poſſunt. Sed potius Apoſtolos, qui prædicati Evangelii mirifica vi, atque efficacia, non ſine ſummis doloribus atque laboribus, inſtar cervarum, quarum partum admodum difficilem non ſolum profani Scriptores teſtantur, ſed & ſacer Job. XXXIX. 3. 4. Chriſto liberos ΩΔΙΝΟΥΣΙΝ, ut Apoſtolus loquitur Gal. IV. 19. quæ eadem vox eſt, qua in hoc Pſalmi loco uſus eſt Aquila. Et ita conferendæ ſunt omnino ſimiles locutiones ex Pſ. CX. 4. 1. Cor. IV. 15. Philem. vſ. 10. Jac. I. 18.

§. 15. Ex quibus ut diſpaleſcit cervos emblema eſſe Apoſtolorum, ita non diſſimulandum id fieri genere fœminino, & æque in illo Pſalmi, quam noſtro, quem tractamus loco, non *Cervos* ſed *Cervas* commemorari. Tantum autem abeſt, ut id noſtram opinionem labefactet, ut potius eam non parum muniat, ſtabiliatque. Ex vulgari enim Sacræ Scripturæ ſtylo Præcones verbi divini, inter quos Apoſtoli primi ſunt, ſub ſchemate introducuntur ſexus ſequioris. Ita ſumma ſapientia Prov. IX. 3. famulitium ſuum i. e. Prophetas & Apoſtolos ablegans ad invitandum convivas, uſa ſcribitur miniſterio PUELLARUM. *Quo quidem* [hæc verba ſunt Patris mei Cornelii HASAEI in diſſ. de *Convivio ſupremæ ſapientiæ*, quæ inſerta eſt *Theſ. diſſert. Theol. Amſtelodamenſi T. I.*) *emblemate ſexus blandioris Spiritus S. voluiſſe videtur uti, non ſolum, quia ratio allegoriæ id poſtulabat, ſed & ut miniſtros hoc ſchemate virtutum commonefaceret, quarum puellæ generoſiores, quæ in reginarum comitatu & contubernio ſunt, exemplum adfulgere ſolent*, obſequii *imprimis promtiſſimi*, *AFFABILITATIS vorticordiæ*, *& caſtæ denique* munditiei. Pſ. CXXXIII. 3. Pſ. LII. 7. 1. Theſ. II. 7. 8. Apoc. XIV. 9. Addo his inermis DEBILITATIS, 2. Cor. XIII. 9. 10. & tandem lætæ FOECUNDITATIS, Pſ. CX. 4. Sic Eſ. XL. 9. Cœtus Apoſtolorum vocatur מבשרת ציון *Annunciatrix* boni nuntii in Zione, pro מבשרי ציון *Annunciatores Evangelii in Zione*. Et Pſ. LXVIII. 12. iidem dicuntur non מבשרים *præcones Evangelii*, ſed מבשרות *præconiatrices*. Confer ſimilem locutionem Pſ. LXVIII. 26. & XLV. 15.

§. 16. Sed id quoque adtendendum, hoc genere muliebri eo commodius potuiſſe uti Jacobum, quo frequentius alii quoque Scriptores præſertim Poetæ eo utuntur. Ita ſæpe τῆς ἐλάφȣ mentionem faciunt Græci. Et Pſ. XLII. 1. איל maſculinum connectitur cum fœminino תערג. Ita Callimachus in H. in Dianam vſ. 100.

de

(h) Vide de hac re inprimis luculenter agentem Celeb. *Lampium*, cheu! quondam meum in prolegomenis matiſſimo in Johannem commentario præmiſſis Lib. I. c. 2. §. 12. ſeq.

de cervis licet cornigeris loquens facit eas andem θηλείας & memorat Σκαιρεύσας ἐλάφους. Ita apud Pindarum in Olymp. Od. III. legitur χρυσοκέρων ἐλάφων θηλειᾶν. Ita Virgil. de Hercule loquens L. VI. Æneid. vſ. 403.

Nec vero Alcides tantum telluris obivit
Fixerit æripidem Cervam licet.

Ubi nota *cervum* more poetico vocare *Cervam*. Illi enim, quem Hercules confecit, omnis antiquitas adtribuit cornua quæ tamen proprie conveniunt in cervorum genere maribus (i). Idem L. VI. vſ. 69.

- - - *Qualis confecta* cerva *ſagitta.*

Catullus Carm. L. X. vſ. 72.

Ego vitam agam ſub altis Phrygiæ columinibus
Ubi Cerva' *ſylvicultrix, ubi aper nemorivagus.*

Ovidius alicubi

Utque canem pavidæ multum veſtigia cervæ
Luctantem fruſtra copula dura tenet.

Vide eundem Libr. III. de A. A. vſ. 650. de Ponto Epiſt. L. II. vſ. 40. Metam. L. VII. vſ. 545. Mart. ep. 9. Ep. 101. CAT. Carm. LXI. vſ. 337. HORAT. Carm. Libr. I. Od. I. vſ. 27. MACR. Saturn. L. V. c. 2. (k) Neque tamen ſolum more Poetico locutum eſſe Patriarcham puto, ſed & ſingularis cauſa emphaſeos. Jarchi ad locum Habac. III. vſ. 18. obſervat in cervino genere רגלי הנקבות בישר יותר משל זכרים *pedes fœminarum incedentium in recto* (i. e. in planitie) *eſſe firmiores præ marium pedibus*. Præterea, cum illæ non premantur cornuum pondere, majori utuntur pedum agilitate. Et quo magis ſunt ἀκέρατοι, eo minus iis contra hoſtes ſuos eſt præſidii. Ne nunc dicam de fœcunditate illi ſexui tantum propria, quæ omnia, cur cum emphaſi Apoſtolis applicari poſſint, pronum eſt colligere.

§. 17. Eo autem facilius Cerva potuit venire in mentem divino vati, cum de Naphthali locuturus eſſet, quo magis mons Libanus cum Carmelo & Amano, qui ejus quædam videtur fuiſſe pars, quique in Septentrionali Palæſtinæ parte, circa illam regionem, quæ tribui deinde ceſſit Naphthaliticæ, ſitus erat, abundaret cervis. Id didici ex Æliani Hiſtor. animal. L. V. c. 56. cujus inſcriptio eſt περὶ τῶν ἐν τοῖς ΣΥΡΟΙΣ ἐλάφων, ubi cum enarret commemorabilem illum modum, quo cervi e Syria trajicere quotannis ſolent in Ægyptum, meminit cervorum, οἱ ἐν Σύροις γίνονται ἐν ὄρεσι μεγίστοις Ἀμάνωτε ϗ ΛΙΒΑΝΩ, ϗ Καρμήλῳ. Et quidem illam partem regionis Naphthaliticæ, quam alluebat lacus Tiberiados, quamque Apoſtolos produxiſſe ſuo loco oſtendetur, feracem fuiſſe cervorum, obſervatum eſt. Hinc Bethſaidam dictam eſſe בירת צידין, i. e. *Domum Venatorum*, nonnulli voluerunt. Audiamus *Lightfootum* Opp. T. I. p. 398. *Bethſaida domum vel locum venationum deſignat*, videtur *autem ita appellari, quod ibi ſita erat, ubi MAGNA CERVARUM copia*. Et ex ea ratione vult explicandum eſſe ipſum hoc Jacobi oraculum.

§. 18. Quod ad ſequentem vocem שלוחה adtinet, nolo nunc aliorum ſententiis vel excutiendis vel refellendis immorari, ſed id tantum indicare, videri mihi a propria ac genuina ejus ſignificatione non eſſe diſcedendum. Eſt autem vocis שלח præſertim in Kal uſurpatæ, vera notio *mittendi*, *legandi*, *ablegandi*, ad nuntium aliquod perferendum vel conficiendum negotium, quod innumeris demonſtrari poſſet exemplis, niſi id vel ex Lexicorum & Concordantiarum Scriptoribus abunde conſtaret. Rabbini quoque hac notione adhibent. Vide Peſachim fol. 118. col. 2. lin. 13. 14. & 25. Præcipue id locum habet in participio Paul Kal, quale hic occurrit שלוח 1. Reg. XIV. 6. Jerem. XLIX. 14. Ezech. III. 16. XXIII. 40. Convenit autem cum שלך, quod ejuſdem fere eſt ſignificantiæ. Communis vocis radix videtur eſſe לך, quæ etiam occurrit in הלך, ילך, *ire*, *ambulare*, quod qui mittitur, non niſi eundo vel ambulando munere ſuo queat fungi. Hinc cognata vox לאך, quæ non quidem in S. Scripturæ codice Hebraico, creberrime tamen in Æthiopica verſione occurrit. Unde מלאך nuntius, legatus, ΑΠΟΣΤΟΛΟΣ, Ἄγγελος. Sicut inde fortaſſis tranſpoſitis literis ipſa hæc vox Ἄγγελος & Ἀγγέλλω deſcendit, prorſus autem remanſit in Latinorum *lego*, *ablego*, *legatus*, unde & veroſimile mihi fit Gal-

lorum

(i) Cornutas tamen cervas quoque aliquando deſcribi notarunt Jul. C. Scaliger L. VI. de re poet. c. 4. BOCHARTUS L. III. c. 17. SPANHEMIUS de præſt. Num. T. I. p. 204. 205. & Anna DACERIA ad Callim. hymnum in Dianam vſ. 102. ubi & vide Theod. GRÆVIUM. Saltem novimus Cervam κεραττόφορον in vicina Cimbria captam terſo Morhofii carmine celebratam fuiſſe.

(k) Confer Ez. SPANHEMIUM ad Coll. p. 203. Cl. SALMASIUM ad Sol. p. 157. A. DRACKENBORCHIUM ad Sil. III. 39. J. BROECKHUSIUM ad Tib. L. IV. & 3. vſ. 13. M. A. DELRIUM ad Sen. Herc. farentem v. 222. J. G. GRÆVIUM ad Heſ. cs 21. P. BURMANNUM ad Flaccum L. VI. vſ. 20. quoſque ille ibi excitat, REINESIUM Var. Lect. c. 18. S. MUNKERUM ad Ant. Lib. c. 21. A. KUHNIUM & J. PERIZONIUM ad Æl. XIII. 35.

lorum (1) *Laquai* & noſtrum Lacken, & Hiſpanorum *Lacajo* arceſſendum eſſe. Arabibus quoque لاك eſt, *miſit*, unde ملاك *epiſtola*. Saltem in hoc loco verum hunc vocis ſignificatum cenſeo conſervandum eſſe, & אילה שלוחה vertendum *Cervam miſſam* vel *ablegatam*, τὴν ἀπεςαλμένην. Atque ita uterque interpretatus eſt Paraphraſtes & Hieroſolymitanus & Jonathan. Hujus verba hæc ſunt: נפתלי עזגד קליל דמי לאילא דרהיט על שיני טוריא מבשר בשרון טבן: *Naphthali eſt* ἀγγελιώδης *nuntius*, tabellarius *levis*, [quo ſenſu Virgil. Eclog. 1. vſ. 60. *cervos* dixit *leves* & Phœdrus fab. 1. L. I. *curſu leves*) *ſimilis cervo, qui currit per ſcopulos montium, nuntians bona nuntia*. Eodem quoque ſenſu intellexit autor Teſtamenti XII. Patriarcharum. Quiſquis ille fuerit, fuit tamen antiquiſſimus, & ipſa Eccleſiæ Chriſtianæ incunabula adtigit. Is enim cap. VIII. ita Naphthali introducit loquentem: Ἐπεὶ δὲ κοῦφος ἤμην τοῖς ποσὶν, ὡς ἔλαφος, ὁ Πατήρ μου Ἰακὼβ εἰς πᾶσαν ΑΠΟΣΤΟΛΗΝ καὶ ΑΓΓΕΛΙΑΝ ἔταξέ με. *Quia pedibus levis eram inſtar cervi Pater meus Jacobus ad miſſionem & Apoſtolatum me ordinavit*.

§. 19. Atque hoc primum eſt, quod de Naphthali divinus vates teſtatus eſt, fore eum CERVAM miſſam ſeu *ablegatam*; Alterum, quod de illo adjicit, eſt DICTURUM VERBA PULCHRA. Id enim obſervandum eſt probe, hæc verba הנותן אמרי שפר non referenda eſſe ad voces proxime antecedentes, אילה שלוחה. Ita enim vel anomalia generis quædam vel ellipſis eſſet ponenda, quarum utraque heic tuto caremus. Sed poſteriora verba reſpiciunt Naphthali, quaſi dicatur *Naphthali, qui cerva miſſa eſt, loquitur verba pulchra*, vel *Naphthali, verba elegantia loquens eſt cerva emiſſa*. Et ſic ſimul occurritur dubio, quod hic moveri poſſet videlicet, hic anomaliam occurrere duplicem cum *verborum* tum *rei*. *Verborum*, quam, quomodocunque conſtruas, non effugi poſſe putabat Witſius in Δέκαφ. c. VI. §. 17. quamque nemo unus interpretum ſane effugit, ſi componatur אילה הנותן, nam ita אילה *cerva* erit Subſtantivum fœminini generis, at הנותן *dans* erit adjectivum maſculini. Sed & præter anomaliam dictionis incides in anomaliam Rei; Videtur enim parum eleganter aut illi, quæ adhibetur, allegoriæ convenienter cervæ adtribui elegans & ſuavis dictio. Cum ſi vel id de Cervæ clamore, quem Hebræi ערינה vocant, velis intelligere, certum ſit eo nihil magis inconditum magiſque aſperum audiri poſſe. Plana autem omnia ſunt, plenoque fluunt alveo, ſi *verborum pulchrorum elocutio* adtribuatur non *Cervæ*, ſed *Naphthali* hoc pulcherrimo atque aperto ſenſu. *Naphthalitæ* i. e. quidam ex Naphthali vel poſteris vel regionis incolis *erant inſtar ablegatæ Cervæ, locuturi* אמרי שפר.

§. 20. Cujus phraſeos vis, ut conſtet magis, de voce שפר nonnulla obſervanda ſunt. Notat illa pulchritudinem, decus, elegantiam, nitorem, concinnitatem, præſtantiam, ita ut אמרי שפר ſint verba vel eloquia bona, pulchra, nitida, apta, grata, concinna, deſiderabilia, ſuoque decore ac elegantia commendanda. Non dubito, quin hinc *Sapphiro*, gemmarum venuſtiſſimæ apud Hebræos non ſolum, ſed & Græcos, Romanos, multoſque populos alios nomen adhæſerit. Eſt autem ejuſdem originis earundemque literarum cum voce שפר vel שופר, quatenus indicat *tubam* vel *buccinam*. Sic in datione legis audiebatur קול שפר i. e. ſonus tubæ, Exod. XIX. 16. Die expiationis ſonabat שפר תרועה. Lev. XXX. 9. & in feſto νεομηνίας & tabernaculorum Pſ. LXXXI. 4. & quando arca Domini olim transferenda erat in urbem. 2. Sam. VI. 15. Et in bellis. Job. XXXIX. 25. Jer. IV. 5. 19. 21. VI. 1. XLI. 14. Amos II. 3. & in expugnatione Hierichuntis uſus erat τῶν שופרות היובלים Joſ. VI. 4. 6. 8. 13. ex quibus locis quoque colligas in annuntiatione feſti Jubilæi earum buccinarum clangorem fuiſſe auditum.

§. 21.

(1) Sane etymologiam hanc præferendam eſſe alii, quam vir quidam ſummus in Gallia produxit, qui *Laquais* a voce *verna* putabat derivandum, ecquis non videt? Quid frontem contrahis, Lector, & ſcire aves, qua μεταμορφώσει, Ovidiana certe non minus mira, *verna* commutatus ſit in *Laquais*. Dicam; Ex *verna* factum eſt diminutivum *vernula*, hinc adjecta copula aliquando ſcriptum *vernulaque*. Paulatim autem duæ priores ſyllabæ adjectæ, & remanſit *Laque*, *Laquai*. Ohe ridiculum! Anne vero multum illi præſtet, quam exhibet Ill. *Huetius* in Diſſertationibus, quas edidit *Abbas* Joh. Marius Marca *Tilladetus* T. II. p. 153. quaſi *Laquais* ſit obſoletum *Naquet* hoc autem tranſpoſitis literis ſit a Germanico Knecht? non crediderim. Quin לאך τοῦ *Laquais* eſſe ἔτυμον, ut credam non parum impellor, quod & ejus ſignificatio ſit *miniſtrare*, λειτουργεῖν. Apud Æthiopes enim Conjug. VI. quæ ipſis paſſiva eſt, & ut Ludolph. Gramm. ſuæ Æthiop. p. 16. loquitur, effectum paſſivi ſui notat תלאך, id eſt *ſervivit*, *famulatus eſt*, לאך *miniſter*, *famulus*, לאכת *famula*, מלאכת, *miniſterium*. Unde & Paulus Hebr. I. 14. veram vim vocis מלאכים videtur exhibuiſſe, quando eos deſcribit πνεύματα ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΚΑ: Cum igitur *Laquais* notet & *miniſtrum*, & talem qui *a pedibus eſt*, ἀκόλουθον, pediſſequum, curſorem, qui negotiorum cauſa *ablegatur*, ſane percommode dici potuit a voce, quæ *miniſtrandi* pariter & *ablegandi* notionem habet. Perplacuit olim ſententia Georgii *Stiernhelmii* in dict. Ulphil. Gothico p. 105. qui a Gothico *Lacka*, quod eſt *currere*, vocem illam derivavit. Sed notari velim ipſi huic Suecorum *Lacka*, uti & veterum Germanorum lecken / quo Lut. in verſione ſua notione *currendi*, *ſaliendi* paſſim uſus eſt, v. gr. Pſ. 29. 6. Eſ. 35. 6. Jer. 11. 24. 40. 13. Ezech. 34. 1. *Sap*. 19. 9. cum hoc לאך, ut & ילך vel הלך valde convenire.

§. 21. Per illa itaque אמרי שפר aut multum animi fallor , aut EVANGELII per orbem prædicandi ſermo intelligendus eſt . Quid enim pulchrius, quid ſuavius, quid Θεοπρέπες atque acceptum magis atque deſiderandum accidere poteſt perdito atque adflictiſſimo humano generi , quam ſi ejus aures ejuſcemodi mulceantur ſermonibus , qui veniſſe in mundum mundi Soſpitatorem & conſummatum per paſſiones, omnibus ipſi obedientibus factam eſſe ſalutis cauſam , adeoque placatum ſummum judicem , juſtitiam ſæculorum adductam , peccati chirographum deletum , ſeminis ſerpentini caput contritum , maledictionem legis ſublatam, effractas inferorum portas , fores cœlorum apertas , pacem , libertatem , lucem , vitam , gratiam & felicitatem æternam inſtauratas eſſe nuntiarent ? Hoc ſane divinorum Poetarum carmen tale eſt:

Quale ſopor feſſis in gramine , quale per æſtum
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Hæc ſane ſunt פקודי יהוה משמחי לב Pſ. XIX. 9. דברים טובים BONA VERBA , Pſ. XLV. 2. Hi ſunt λόγοι ὑγιαίνοντες 1. Tim. VI. 3. & πάσης ἀποδοχῆς ἄξιοι 1. Tim. I. 15. Et hic exclamare licet : *Quam PULCHRI ſunt ſuper montes pedes bonum nuntium afferentium , promulgantium pacem , nuntiantium BONUM, prædicantium ſalutem , dicentium Sioni , Deus tuus regnat* . Conf. Eſ. XL. 9. LXI. 1. 3. Verbo ; his *verbis pulchris* nihil indicatur aliud , quam doctrina a Chriſto ejuſque miniſtris promulganda , quam ipſe vocavit ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ Matth. XI. 5. Marc. XIV. 9. quæque alibi vocatur λόγος τῆς ἀληθείας τοῦ εὐαγγελίου Col. I. 5. Ευαγγέλιον τῆς δόξης τοῦ μακαρίου Θεοῦ 1. Tim. I. 11. τῆς εἰρήνης Eph. VI. 15. τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ . Act. XX. 24. τῆς σωτηρίας . Act. XIII. 26. Eph. I. 13. i. e. *pacis* , *gratiæ* , *ſalutis* , quibus rebus optabilius nihil in mundo datur , quæque opera τῶν שלוחים Apoſtolorum , ſive ἀγγέλων ſuorum , quos recte diceres ἀγγέλους τῆς σωτηρίας , qua phraſi utitur Nearchus apud Arrian. de rebus Indicis cap. 35. ubique erant nuntiandæ.

§. 22. Porro animadverto eam heic vocem occurrere , quæ plane convenit cum ea qua *buccina* ſignificatur , nihilque eſſe vulgarius , quam ut evangelii præconium cum buccinæ ſono (קול שפר) componatur . Immo in omnibus illis occaſionibus , in quibus aliquis olim τῶν שופרות occurrit uſus , v. gr. in legis datione , in convocando populo , in indicendis bellis , in feſtis tabernaculorum , νεομηνίας , diei expiationis , in promulgatione jubilæi , in Hierichuntis obſidione , res ad Oeconomiam N. T. pertinentes reſpiciebantur , tumque auditus clangor emblema erat illius vocis , quæ ex ore Evangeliſtarum & Apoſtolorum per orbem terrarum longe lateque perſonatura erat . [m]

§. 23. Accedit quod crebro Evangelii doctrina vocetur תרועה vel קול שפר . Quod ex Pſalmis manifeſtum eſt , qui tempora N. T. reſpiciunt . Vid. Pſ. XXXIII. 3. XLVII. 6. XCVIII. 6. CL. 3. & præcipue LXXXIX. 16. & adde Zach. IX. 14. Uti & alias ea tribuitur verbi divini præconibus Eſ. LVIII. 1. Jer. VI. 17. Hoſ. VIII. 1. & de voce Evangelii contra Babelem myſticam ultimis temporibus audienda Eſ. XXVII. 13. Jer. LI. 27. eadem adhibetur locutio . Itaque non ſolum tubis illis , quarum frequens in ſacris Judæorum occurrit mentio adumbratum fuit, ſed & ἤχῳ illo , ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας , qui audiebatur die illo illuſtri Pentecoſtes , quo Apoſtoli ὁμοθυμαδὸν congregati erant. Act. II. 2. Sonum enim σάλπιγγος ſive שופר dici ἦχον demonſtrabitur alio a nobis loco . Saltim ita id intellexit , egregieque tubam hanc Evangelii deſcripſit vetuſtus auctor anonymus in hymno de miſſione Spiritus S. quem adverſariorum ſuorum L. I. v. 3. vulgavit C. Barthius:

Hæc TUBA profecta de Sion magnalibus
Orbem replevit Meſſiæ,
Qua ſol relicto veſpere auroram refert ,
Et mane mutat veſpere.
Hic audietur regna per mundi ſonus ,
Chriſtumque diſcent Cardines.
Septentrione nil ſub algido latet ,
Nil auſter humanum premit,
Quod non , ad hujus claſſicum vocis frequens
Adoret in monte Iſrael.

Neque id denique plane negligendum puto vocem שפר parum diſtare a τῷ בשר , quo paſſim Evangelium inſigniri , nemo eſt qui neſciat , tranſpoſitis tantum paululum

(m) Vide de hac re amicorum meorum & Præſtantiſſimorum juxta Theologorum συνόρίδα Joh. *D' Outreinium* , in libro *de Clangore Evangelii*, & *Lampium* in Pſ.XLV. Exerc. I. p. 23. 24. utrumque nunc colitibus adſcriptum.

lulum literis, & ב in cognatam literulam פ, quod frequentiſſime fit, mutato. Quæ omnia cum cogito apud animum, in ea non parum confirmor ſententia, per אמרי שפר intelligi ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, & שלוחים נותנים אמרי שפר eſſe *Apoſtolos & Evangeliſtas*.

§. 24. His nunc probe notatis, quid hoc vaticinio a ſanctiſſimo Patriarcha indicatum ac prædictum fuerit, manifeſtum eſt. Nos ea ſequentibus includemus ποϊσματι [א] *Ex tribu Naphthali orientur Apoſtoli, vel ſaltim Apoſtoli patriam ſortientur regionemque tribus Naphthaliticæ.* [ב] *Illi*, cum alias ob cauſas tum præcipue ob celerem prædicationis curſum *ſimiles erunt Cervæ.* [ג] *Ablegabuntur illi, atque ab illa MISSIONE nanciſcentur nomen ſuum.* (ד) *Idque eum in finem ut prædicent* EVANGELIUM. Hæc autem omnia & ſingula implementum ſuum adcurate nacta eſſe, id nunc ſequenti capite efficiendum eſt, ut intelligatur.

CAPUT II.

In quo *implementum* vaticinii Jacobæi exhibetur.

ARGUMENTUM.

Dicenda. [A] *Termini tribus Naphthaliticæ ponuntur. Attingit illa littus maris Galileæ, non tribus Zabulon, quod oſtenditur.* §. 1. (a) *Ex loco Joſ.* XIX. 33. 34. §. 2. [b] *Ex Joſ. XIX.* 35. Cinnereth *an Tiberias, an* Rakkath? *Chamath eſt* Ammaus. §. 3. *Ex* [c] *Judæorum confeſſione.* §. 4. *Ex loco* (d) *Deut. XXXIII.* 23. *qui illuſtratur.* §. 5. *Occurritur objectioni.* §. 6. [B] Urbes quæ Apoſtolos vel pepererunt vel aluerunt, ſitæ fuere in portione Naphthali. *Quod* [α] *oſtenditur de BETHSAIDA, idque contra Ligtfootum. Duplex fuit hujus nominis urbs.* §. 7. *Noſtram ſitam fuiſſe cis Jordanem pluribus argumentis evincitur.* §. 8. *Occurritur objectioni ex Joh. VI.* 1. *coll. Luc. IX.* 10. *Quibus locis, ut & Marc. VI.* 33. 45. *Math. XIV.* 22. *lux affunditur*, πέραν, περαιῶν *notat ulterius progredi.* §. 9. 10. (β *De CAPERNAUM, cujus verus ſitus indagatur*, §. 11. *Qua ratione illa in confiniis Naphthali & Zabulon ſita dici poſſit.* §. 12. (γ) *De Cana* §. 13. *Non longe aberat a CAPERNAUMO. Hiſtoria reguli Joh. IV.* 47. *ſeqq. illuſtratur.* §. 14. *Situs ex Joſepho oſtenditur.* §. 15. *Hæ* (C) tres fuere Apoſtolorum vel patria vel domicilium. *Ita BETHSAIDA protulit PETRUM, & ANDREAM, & PHILIPPUM.* §. 16. *& JACOBUM & JOANNEM.* §. 17. *CANA genuit SIMONEM* τὸν Καναανίτην, *quod nominis ille non tulit a Zelo, id quod quatuor oſtenditur argumentis.* §. 18. 19. *Sed a* patria. *An fuerit ſponſus in nuptiis Canenſibus? Cur ille fere ſolus a loco gentili cognomen geſſit.* §. 20. *Simonis populares fuere JUDAS THADDÆUS.* §. 21. *Unde factum, ut Judas dicatur Zelotes, & aliquando cum Simone confundatur.* §. 22. *& JACOBUS minor. Qui idem eſt, quem Thalmudici dicunt ortum ex vico* סכניא. *Secanja eſt* Cana. § 23. *Judæ nomen Iſcariotes, vel Cariotes.* §. 24. *& NATHANAEL, qui non alius eſt a Bartholomæo.* §. 25. *MATTHÆUS quoque e Nephthali.* §. 26. *ut & THOMAS, ſaltim veroſimiliter.* §. 27. *JUDAS & PAULUS huc non pertinent.* §. 28. *An & LXX. diſcipuli & MATTHIAS.* §. 29. *Reliqua, quæ verbis Jacobi continentur, impleta eſſe oſtenditur. Recte veniunt ſub ſymbolo* Cervorum. *Summa eorum agilitas in annuntiando Evangelio.* §. 30. 31. *Apprime dicuntur* Cervæ, non Cervi. §. 32. *Recte vocantur* miſſi *vel* ablegati, *in quo ipſum eorum nomen* τῶν Αποςόλων *ſive* שלוחין *latet.* §. 33. 34. *Dicuntur dare* אמרי שפר, i. e. prædicare Evangelium, *quia in eo præcipua muneris eorum pars ſita erat.* §. 35. *Anne hoc oraculum quoque impletum fuerit in glorificatione Chriſti in monte.* §. 36. *Quæ contigit non in Tabore monte, ſed Paneo, qui erat in Naphthalitide.* §. 37. *Occurritur duabus objectionibus, quarum altera petita eſt ex Pſ. LXVIII.* 24. *qui locus illuſtratur.* §. 38. *Altera ex confuſione & diſperſione tribuum quæ contigit tempore captivitatis Babylonicæ.* §. 39.

§. I.

UT quod primo [א] loco nobis probandum ſumſimus, videlicet *Apoſtolos J. C. Naphthalitidem nactos eſſe patriam & commorationis ſedem*, oſtendamus liquido, *primo* (A) terminos, quibus illa regio circumſepta fuit, nobis ob oculos ponemus.

nemus. *Deinde* tres urbes, Bethsaidam, Canam & Capernaum ad portionem tribus Naphthaliticæ pertinuisse. *Denique* hæc esse loca in quibus vel patriam vel domicilium nacti fuere Apostoli, ostendemus. Sume (A) itaque tibi tabulam in manus, qua situs Palæstinæ delineatus est, considera attente hujus ad Septentrionem vergentem tractum. Pedem fige ad montis Libani radices & Jordanis fontem. Lege hujus & maris Tiberiados littora, perge ad austrum usque ad tribum Zabulonis, qua lacus ille rursus fluvio miscetur ad confinia urbis Tiberiados, & habebis Naphthalitarum sedem. Videmus eam ab aquilone definitam esse Auranitide. Ad occasum terminatam tribu Aseris. Limitatam ad Orientem Jordane & lacubus Merom & Tiberiadis. Ad austrum denique Zabulonitide conclusam definiri. Nullo hæc res scrupulo impeditur. Unicum quod morari nos posset, est, quod sint qui putent, tribus Zabulonis orientalem partem a lacu Genesaritico fuisse terminatam. Certe tantum non in omnibus mappis Geographicis Zebulonitica terra maximam partem pulsatur ab undis maris Galilææ. Id vero perperam fieri, ex diligenti collatione deprehendi, & propterea cum multis aliis huc pertinentibus corrigendum esse puto. En illius rei rationes.

§. 2. *Primo* (1) ubi apud Jos. XIX. 33. 34. fines tribus Naphthali recensentur, non quidem ἡ λίμνη Τιβεριάς memoratur, at bis Jordanes, scilicet superior & inferior, qui ex lacu promanavit, diciturque se Naphthalitis extendisse non solum ad Zabulonis fines, quoad austrum, sed & *orientem solem ad Jordanem in Juda*. Quæ ne intelligi quidem possunt, si non hanc totam oram lacus Kinneser complexam fuisse dicamus. At, tunc hic sensus verborum ex sententia Lightfooti Opp. T. II. p. 223. foret. *Exivit limes Naphthali Borealis Orientem versus ad Jordanem in Galilæa*. Australis pariter exiit *Orientem versus ad Jordanem, jam profluentem in Judæam*. Quanquam & ita locum hunc suis non carere difficultatibus fatendum est.

§. 3. Porro (ב) eodem in Josuæ loco vs. 35. inter urbes Naphthali numerantur *Cinnereth, Rakkath & Chammath*. Jam autem *Cinnereth* esse Tiberiadem Hieronymus in Ezech. c. XLVIII. 21. scribit. Et si non fuit Tiberias, fuit tamen urbs lacui Genesaræ contigua, utpote cui nomen dedit. Rakkath quoque esse Tiberiadem in codice Megilla Talmudis fol. 5. col. 2. edocemur: וקייבא לי רקת זו טבריא *Et certum nobis est Rakkath esse Tiberiadem*. Vide & fol. 70. col. 1. Denique Chammath ei quoque proxime adjacuisse credunt Judæi in Erubhin fol. 23. col. 4. Ego indicari puto vicum prope Tiberiadem thermis illustrem, de quo ita Josephus Antiq. I. L. XVIII. c. 3. Θέρμα ἐκ ἄπωθεν ἔνεστιν ἐν κώμῃ, Ἀμμαοὺς ὄνομα αὐτῇ. Convenit enim & *formalis* ratio & *materialis*. Formalis quia Ἀμμαοὺς ne litteris quidem differt a חמת, Σ solum cum ת, quod sæpissime fit, permutato. Neque materialis, quia Ἀμμαοὺς idem est, quod θέρμα, (observante ipso Josepho L. IV. de B. J. c. 1.) i. e. Hebræorum חמת, qui Chammath dictum statuunt in Babyl. Megill. fol. 6. col. 1. עד שם חמי טבריה *Quia ibi thermæ Tiberienses*. Cum itaque Tiberias locaque illi finitima posita ad terminos maris Gennesarethi, sint tribus Naphthaliticæ, sequitur hanc comprehendisse totum illius lacus latus, qui a Borea ad austrum extenditur.

§. 4. Præterea id (ג) confirmat communis Judæorum traditio. Ita scribunt in Gemara Bavakama fol. 81. col. 2. תנו רבנן ימה של טבריה בחלקו של נפתלי היתה *Tradiderunt Doctores nostri, mare Tiberiadis in portione tribus Naphthali* fuisse. Vide quæ in hanc rem uberius adducit LIGHTFOOTUS Cent. Chorograph. in Matth. c. 71. sqq. Atque illud Talmudicorum assertum eo majoris apud nos ponderis esse oportet, quo melius illis in ipsis illis locis, atque adeo in ipsa Tiberiade scribentibus tota res poterat esse notior, & quo minus fraudolenter eos in hac re agere voluisse, ulla adest suspicio. Præsertim cum id quoque testimonio suo corroboret D. Hieronymus, quo nemini Palæstinæ, in qua tam diu versatus fuit, fines magis fuerunt explorati. Ita enim ille in Comment. ad Ezech. cap. XLVIII. *Septa NEPHTHALI in Galilæa usque ad Jordanem, ubi Tiberias, quæ olim appellabatur Chenereth*. Vides terminos Naphthali ad Tiberiadem adeoque ad fines lacus Galilæi, qui in Jordanem illabitur, dilatos fuisse.

§. 5. Denique (ד) accedit ipsa sacrarum literarum auctoritas, quando Deut. XXXIII. 23. Moses possessionem tribus Naphthali fore prædicit ים ודרום id est, *Jam, Mare*, videlicet lacum (a) Galilææ vel Gennesareth. Mare enim Mediterraneum intelligi nequit, quod illud Aseriticam terram contingebat. Præter *mare* quoque possidebit דרום, hoc est, AUSTRUM. Cujus loci vexati & variis explicationibus contorti hunc puto esse sensum, ut innuatur Naphthaliticam regionem con-

(a) Lacus nomine marium vocari ostendit Rel. in Palæst. L. I. c. 38.

tenturam amplexu suo *austrum*, hoc est, extremos maris Tiberiados fines, qua illud extenditur ad austrum, adeoque occidentalem omnem stagni illius ripam fore terminum portionis Naphthalitarum. Ita ut & nunc facile careamus conjectura doctissimi viri, qui locum emendandum putat, & loco ים ודרם *Jam Vedarom* legendum vult ים מרם *Jam Merom*, ut indicetur lacus ille, *Merom* dictus, qui agros Naphthalitarum alluit, & alias Samochonites dicebatur.

Non tali auxilio, nec defensoribus istis
Res eget.

§. 6. Unicum, quod contra hanc sententiam, qua omne littus occidentale lacus Tiberiados ad tribum Naphthali pertinuisse credo, moveri posset, & a solertissimo terræ sanctæ descriptore A. Relando motum fuit, hoc est, quod urbs Capernaum adsita fuerit littori ejus lacus, ea autem fuerit sita in confiniis tribuum Zabulon & Naphthali, adeoque ad austrum habuerit Zabulon, neque ita Naphthali totam attingere potuerit ripam λίμνης Τιβεριάδος. Sed facilis est responsio, si dicamus Naphthali possedisse quidem urbes adjacentes littori maris, sed tractu tam angusto, ut haud longe dissiti agri pertinuerint ad Zabulonitidem, & ita Capernaum potuit dici in confiniis sita Naphthali & Zabulon, quod in extremis sita esset Naphthali, & Zabuloni adjaceret non ad meridiem, sed ad occidentem. Quam rem ut capias eo pronius, considera sodes tabulam chorographicam, quæ ex Lightfooto depromta præmissa est Antiquitatibus S. Relandi, & res tibi ob oculos liquido versabitur. Plura tamen huc facientia monebuntur deinceps §. 11. 12.

§. 7. In hac itaque quam determinavimus Naphthalide, tres urbes BETHSAIDA, CAPERNAUM & KANA Galilææ, in quibus Apostolos habitasse statim videbitur, fuerunt sitæ, id quod nunc (B) secundo loco ostendendum est. BETHSAIDAM quod attinet, communis adhuc fere omnium & inveterata sententia fuit, eam pertinuisse ad Galilæam, adeoque ad latus sitam fuisse occidentale maris Gennesareth. Vicinam fuisse Capernaumo docet Epiphanius L. II. adversus hæreses p. 437. ὀ μακρὰν ὄντων τῶν τόπων τούτων τῷ διαστήματι. Primus, quod sciam fuit Lightfootus (b) qui dubiam rem eam fecit, quod Josephus qui veram locorum illorum, quibus ille id ætatis præfuit, positionem omnium nescire minime potuit, L. II. de B. Jud. c. 13. & A. J. L. XVIII. c. 13. eam in inferiori Gaulonitide [ἐν τῇ κάτω Γαυλανιτικῇ) adeoque in regione trans Jordanem collocet, & a Julia Cæsaris filia nomen Juliadis per Philippum Tetrarcham adeptam commemorat. Quod si hæc ita se habent, non potuit esse urbs Galilææ, quæ cis Jordanem erat collocata. Christophorus CELLARIUS hinc quæstionem hanc, num scilicet illa Bethsaida, quæ Julias dicta est, sit Apostolorum patria, vocat *ex difficillimis*, quæ *in sacra Geographia moveri possunt*, & re utramque in partem disputata, lectorem incertiorem pæne relinquit, quam fuerat dudum. RELANDUS ut hanc difficultatem tollat, eam ingressus est opinionem, duas ad lacum Gennesariticum Bethsaidas ponendas, quarum altera cis mare Galilææ, altera trans illud fuerit sita. Hanc esse Juliada Josephi in Gaulonitide, illam, cujus toties in sacro N. T. codice fit mentio. Recte autem id fieri, saltim hanc esse, quæ domicilium præbuit Christi legatis, sequentibus adducor argumentis, ut credam.

§. 8. Primo (1) Bethsaida diserte dicitur ἡ Γαλιλαίας Joh. XII. 21. & Apostoli quorum tertia pars erat ex Bethsaida oriunda, persæpe dicuntur Galilæi. Unde conficere licet Bethsaidam cis Jordanem esse quærendam, nisi Galilæam regionem quæ trans Jordanem erat, etiam complexam fuisse velis statuere. Id quod & sacris literis & omni traditioni aperte repugnat. *Porro* [2] Apostoli vixere sub ditione Herodis Antipæ, si autem fuissent nati in Bethsaida, ad latus sita maris orientalis, subditi fuissent Philippo, ad quem pertinebat Gaulonitis, non Herodi, qui præerat Galilææ. *Præterea* (3) illa Josepho memorata Bethsaida illud nomen jam amiserat superstite Augusto & vivente adhuc Christo, illudque in nomen Juliadis commutaverat. Haud dubie autem illa eum in modum fuisset ab Evangelistis appellata, sicut Tiberias, cui olim Kinnereth vel Rakkath dictæ a Tiberio ea tempestate nomen inditum erat, eo quoque fuit a sacris Scriptoribus insignita. *Denique* [4] accedit suffragium omnium veterum & recentioris ætatis scriptorum præcipue ὁδοιπορικῶν, quos mihi quidem lustrare licuit, licuit autem non paucos, qui Bethsaidam ignobilem faciunt & paucissimis tuguriolis constantem vicum ad latus situm maris Gennesarethici occidentale, quorum adeo conspirans & conflatus consensus in tali re haud temere negligi debet.

§. 9.

(b) Vide Lightfoot. T. II. opp. p. m. 235. & 329. in posthumis p. 71. Ipse tamen a se dissentit. Nam Opp. T. I. pag. 398. fatetur *Bethsaidam vel in tribu Naphthali, vel saltem ab ea non procul fuisse sitam.*

§. 9. Si quis objiciat Chriſtum, cum trajeciſſet πέραν τῆς θαλάττης τῆς Γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος, ut legimus Joh. VI. 1. perveniſſe εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά, ut legimus Luc. IX. 10. adeoque Bethſaidam ad alteram lacus illius ripam fuiſſe ſitam, is meminerit πέραν & voces hinc derivatas, περαιῶσιν, περαιοῦν, διαπεραιοῦσθαι & διαπεράσαι non denotare ſemper talem trajectionem, quæ fit in locum e regione & e diametro oppoſitum, ſed quæ fit in ulteriorem regionis tractum. Ita cum Chriſtus dicitur πέραν τῆς θαλάσσης veniſſe in deſertum Bethſaidæ, inde non ſequitur tranſiiſſe ad alteram maris ripam illi ἐξ ἐναντίας oppoſitam. Illuſtrabo rem ſimili. Pone tibi ob oculos mare illud auſtrale [die Suyder-See) quod Friſiam & Weſtfriſiam ſive Hollandiam Borealem interjacet, anne commode v. gr. quiſquam dixerit Horna ſolventem, cum appulerit Edamum vel Amſtelodamum, iviſſe πέραν τῆς θαλάσσης, quanquam non totum quam latum eſt, mare tranſjecerit & pervenerit Harderovicum Geldrorum, quæ in oppoſito maris littore viſitur. Iter itaque, quod Chriſtus fecit, ita puto apte intelligi poſſe. Chriſtus Hieroſolyma veniens ſolvit Tiberiade Joh. VI. 1. & navi in ulteriorem maris Galilææ ripam pervenit in deſertum Bethſaidæ. Luc. VI. 14. Marc. VI. 32. Tum eum ſequitur πεζῇ *pedibus* populus undiquaque confluens, imo eum prævortit. Marc. VI. 33. Ibi miraculo illo cibationis tot millium perpetrato jubet diſcipulos iter proſequi & e deſerto Bethſaidæ ad ipſum Bethſaidæ vicum deſcendere, Matth. XIV. 22. Marc. VI. 45.

§. 10. Hæc autem duo loca probe inter ſe committenda ſunt. Ex eorum enim diligenti collatione clariſſime patebit, ire εἰς τὸ πέραν, nihil notare aliud, quam ulterius tantum procedere. Cum enim Chriſtus eſſet in deſerto Bethſaida Luc. IX. 10. jubet diſcipulos ſuos ἐμβῆναι εἰς τὸ πλοῖον, καὶ προάγειν αὐτὸν ΕΙΣ ΤΟ ΠΕΡΑΝ, ἕως οὗ ἀπολύσῃ τοὺς ὄχλους, quæ verba ſunt Matth. XIV. 22. Iiſdem utitur Marcus, niſi quod addat ΕΙΣ ΤΟ ΠΕΡΑΝ ΠΡΟΣ ΒΗΘΣΑΙΔΑΝ. Cum itaque ex deſerto Bethſaidæ, Bethſaidam pervenientes dicuntur tamen προάγειν εἰς τὸ πέραν, vides phraſin hanc adhiberi poſſe, quamvis de itinere ſermo ſit in locum ad eandem ripam ſitum. Niſi malles ſtatuere, quod prorſus ἀπροσδιόνυσον foret, deſertum Bethſaidæ ſitum fuiſſe cis mare Galilææ, at ipſam urbem Bethſaidam trans illud in ripa illa oppoſita. Sed pergamus & ſequamur Chriſtum. Cum diſceſſerant diſcipuli, Chriſtus ſeorſim precatum abit Matth. XIV. 23. Marc. VI. 46. deinde quarta noctis vigilia Chriſtus pedibus in mari obviam it diſcipulis in magno diſcrimine ob tempeſtatem vehementem, quæ eos obruerat, verſantibus Matth. XIV. 24. 32. Marc. VI. 47. 53. eoſque accedit poſtquam circiter iter ſtadiorum XXV. vel triginta remigando dimenſi eſſent. Joh. VI. 1. ubi tandem ad terram appellunt, perveniuntque in regionem Genneſaritidem Matth. XIV. 34. Marc. VI. 53. & quidem Capernaum, quæ urbs in pulcherrimo Genneſaritidis ſolo collocata erat. Joh. VI. 17. Et ita facile intelligi poſſunt, quæ apud Johannem porro leguntur VI. 22. ſed quæ pluribus explicare hujus loci non eſt. Sufficit ex hiſtoria Evangelica nihil afferri poſſe, quod cum ſententia noſtra adverſa fronte pugnet. Quanquam, ſi ipſe ſitus & ſinus & limites illius maris nobis plenius eſſent explorati, dubio procul, plura adferri poſſent, ad quidquid hic difficultatis eſt, ſolvendum. Vide tamen omnino, quæ ex Biddulphi popularis ſui, αὐτόπτου teſtimonio ipſe in alia omnia tranſiens adduxit Lightfootus in Chorogr. Marco præmiſſa Opp. T. II. p. 413. Quin itaque tuto concludamus, Bethſaidam, Apoſtolorum præcipuorum patriam, poſitam fuiſſe in Galilæa & quidem ad ripam occidentalem maris Galilææ non procul a Capernaumo, quod & ex Matth. XI. 21. haud obſcure colligas, adeoque in tribu Naphthalitica. J. Q. E. O. Capere itaque non poſſum, quid doctiſſimo viro Samueli BASNAGIO, (c) in mentem venerit, ut omni auctoritate, quantum memini, deſtitutus urbem hanc tribui Gad aſſignaverit, *ut ſi ex patria de tribu Apoſtolorum Petri, Andreæ, Philippi judicium fieret, eorum genus a Patriarcha Gad demiſſum ſit concedendum*. Id vero nemo ſane qui rei adtenderit, viro docto conceſſerit, neque tam acutum cerno, ut vel qua ſpecie veri id aſſeri poſſit perſpiciam.

§. 11. Procedimus ad alteram urbem CAPERNAUM, quam ad Naphthalitidem pertinuiſſe ex eo patet, quod ſita fuerit, in Galilæa, Luc. IV. 31. & quidem in *Genneſaritide*, ut clariſſime conſtat ex collatione Matth. XIV. 34. & Marci VI. 53. cum Joh. 22. 24. 25. ubi cum Matthæus & Marcus dicunt Chriſtum veniſſe εἰς τὴν γῆν Γεννησαρέτ, Johannes eum Capernaumum acceſiſſe teſtatur. Genneſaritis autem erat pars Naphthaliticæ tribus docente id auctore Aruch in גנסר. *Fuit e portione Naphthali, ſicut dicitur. Atque e Naphthali Principes mille*. Neque aberat longe a Tiberiade; Ita in Aruch deſcribitur מקום קרוב לטבריא, *locus propin-*

(c) V. in Ann. Pol. Eccl. T. I. p. 309.

propinquus Tiberiadi. Interea apposita erat ripæ maris Galilææ, quod rursus colligitur ex Joh. VI. 17. quam Naphthalitarum fuisse jam supra §. 2. satis evictum est. Neque longe a Bethsaida erat dissita. Ejus rei Epiphanius testis est, qui L. II. p. 437. ubi narraverat de Petro Bethsaida oriundo, *eum uxorem duxisse ex urbe Capernaumo*, addit ὀ μακρὰν ὄντων τῶν τόπων τούτων τῷ διαστήματι, *quæ loca non longo intervallo a se distabant*. Idque pariter colligitur ex collatione Luc. IX. 10. cum Joh. VI. 17. & 24. Denique cis Jordanem fuisse collocatam clarissime liquet, quod fuit παραθαλάσσια ἐν ὁρίοις Ζαβουλὼν καὶ Νεφθαλεὶμ, ipso Matthæo Capernaumita teste c. IV. vs. 13. Ita Hieronymus in locis Hebraicis scribit. *Capernaum juxta stagnum Gennesareth usque hodie oppidum in Galilæa gentium situm in finibus Zabulon & Nephthalim*, hoc est, *in ea regione Nephthalitica, quæ contermina est Zabulonitidi*, ut loquitur Witsius in Δέκαφ. c. VI. §. 17.

§. 12. Hoc autem ipsum quod in confiniis Nephthalim & Zabulon ponitur, si quispiam existimet, sententiæ nostræ adversari, & ex ea phrasi sequi non fuisse Capernaumum totam ditionis Nephthalitarum, is velim ea ponderet, quæ supra §. 6. monuimus, consideretque, numne sequenti simili res illustrari possit luculenter. Si quis patriam hanc nostram Bremam in confiniis Saxoniæ & Westphaliæ, aut Argentoratum in limitibus Germaniæ ac Galliæ sitas esse dicat, illene rei convenienter locutus esse censebitur, &, quisquam ex eo inferre posset, non Bremam ad Saxoniam, aut Argentinam ad Germaniam pertinere, dictum fuisse? Similem in modum, quando legimus Capernaumum *in confiniis Zabulonis & Naphthali positam fuisse*, non negatur eam urbem fuisse terræ Nephthaliticæ, sed innuitur tantum fuisse sitam in Nephthalitide, ita tamen ut adtingeret tractum Zabuloniticum, eo modo quem supra exhibui, vel saltim non longe ab eo abesset.

§. 13. Sed pergamus ad *tertiam* urbem quam putamus Christi legatis habitandi præbuisse sedem; CANAM scilicet Galilææ, probe distinguendam ab illis quæ tribubus vel Aser vel Ephraim vel Manassis adscribuntur, quamque illud fuisse oppidum, quod miraculo insigni mutatæ in vinum aquæ nobilitavit Sospitator, existimamus, aliter ac Eusebio & Hieronymo visum fuit. Sunt qui ינוח, quæ inter Nephthalitarum urbes, quas Tiglath Puleser Assyriæ Rex in suam redegisse potestatem narratur 2. Reg. XV. 29. putant esse קנה Κανα. Hoc certius est fuisse urbem Galilææ, ut dicitur Joh. VI. 46. Et quidem cis Jordanem fuisse sitam, ex ea narratione Josephi in vita sua colligitur, qua p. 1029. narrat Silam castra quinque stadiis ab urbe Juliade, quæ Betharamptha dicebatur, metaturum stationes militum posuisse per vias, quarum altera ducebat Canam, altera Gamalam, ei ad alterum stagni Cinnereth littus oppositam, ut ita ab utroque latere Julias, quæ obsidione premebatur, intercluderetur commeatu, & Cana tam vicina fuerit Juliadi cis flumen, quam Gamala trans illud. Neque longe distabat a Capernaumo, quam modo sortis fuisse Naphthaliticæ ostendimus. Id non solum ex Joh. II. 12. ubi Christus se huc Cana contulisse narratur, sed & ex cap. IV. 47. colligas, ubi legimus, vix DOMINUM venisse Canam, quin fama de ejus adventu pervenerit Capernaumum, excitaveritque τὸν βασιλικὸν, ut Canam ad Christum advolaret.

§. 14. Scio quidem summum virum Francisc. BURMANNUM F. in harm. Evangelica p. 566. & 567. longius invicem has urbes a se divellere, & saltim horarum XII. intercapedine unam ab altera separatam fuisse contendere. Non autem tantam harum distantiam fuisse sine ulla dubitatione, patet ex eo, quod tota longitudo maris Galilææ fuit tantum circiter sex vel septem horarum; Capernaumum in medio circiter littore visebatur, ad austrum ejus adhuc sitis Bethsaida, Tarichæa, Tiberiade. Cana etiam a Juliade, i. e. quæ maxime ad septentrionem vergit, adhuc quinque stadiis aberat, ut ex Josepho audivimus, unde non multum ultra quatuor horas distare potuit Capernaumo. Sed audiamus, quos calculos ponat Vir Cl. Aulicus ille, inquit, ex Joh. IV. ejusque servi illud iter eodem tempore instituunt, hora septima, i. e. prima nostra pomeridiana, altera autem die vs. 50. 52. sibi obviam fiunt. Hinc colligit saltim utrosque sex horas singulis diebus impendisse itineri, adeoque duodecim horarum spatium iis fuisse emetiendum, quibus Cana disjuncta fuerit a Capernaumo. Sed nescio num hæc tam adcurate exputata sint, ut omnem exceptionem respuant. Quis enim edixit nobis, Regulum illum confestim, posteaquam cum Christo sermones miscuerat, se commisisse viæ? Delassatus erat dubio procul festino itinere, quod eopse die Capernaumo proficiscens Canam emensus erat. Neque festinatione tanta opus erat, cum salva omnia, filiumque cum valetudine rediisse in gratiam ex ore Domini percepisset. Nullum

erat

erat in mora periculum . Neque verosimile est in ipso meridie , fervente solis cum maxime æstu , reditum ad suos molitum esse . Quiete itaque usum , & cibo refocillasse corpus fit probabile . Quin & negotia potuerunt esse in vicina urbe , quæ ante discessum erant expediunda . Advesperascente itaque cœlo in viam se dedit ; *Idque ut , videtur , non tumultuarie festinans , verum animo tranquillo ac pacato ita iter dirigens , ut die demum sequenti occurreret servis obviam venientibus* , quæ verba sunt præstantissimi nuperi interpretis . Neque opus est, ut ponamus servos quoque illius viri hora septima , quæ prima est a meridie , ubi melius se herilem filium habere animadvertissent , id illi nuntiatum derepente properasse . Expectandum enim iis procul dubio fuit , donec morbum plane depulsum esse & profligatum certiores essent facti . Potuerunt itaque altero die sub solis exortum se viæ committere , ubi herus qui nocturno tempore quieti se dederat , iis obviam factus est . Et sic Cana quatuor aut quinque tantum horis distare potuit Capernaumo , ut non necesse sit duodecim horarum spatium illarum urbium intervallo adsignare.

§. 16. Adcuratius adhuc situm illius urbis ex Josepho rationibus optime subductis collegit C. CELLARIUS Geogr. L. III. c. 11. Narrat enim Josephus cum in vico Canæ esset , nuntiusque adferretur de Tiberiensibus ad seditionem sollicitatis cum ducentis militibus hinc profectum , itinereque δι᾽ ὅλης τῆς νυκτος facto primo mane pervenisse Tiberiada . Tantum igitur distabat Cana a Tiberiade , quantum itineris tot milites una nocte solent conficere , quod non erit ultra quinque aut sex horarum spatium . Jam cum Tiberias Capernaumo distaret stadiis saltem sexaginta , adeoque plus dimidio spatio , quod longitudo lacus Gennesaritici esset stadiorum vel CXX. vel CXL. & Capernaum e Tiberiade Canam proficiscentibus vel transmittenda , vel a latere dextro relinquenda esset , vides Capernaum a Cana non ultra quatuor , idque ad summum , potuisse distare horarum dimensionibus . Ut itaque horum locorum situm cognoscas , vide illam maris Gennesaritici descriptionem ære expressam apud Lightfootum Opp. T. 11. p. 412. Prope terminum australem illius lacus , qui & terminus fuit terræ Naphthaliticæ , invenies Chamath , ubi utraque Jordanis ripa ponte jungebatur , haud longe ab illa Tiberiadem , inde post confectam XXX. stadiorum viam pervenies Tarichæam ; huc oras lacus legens Bethsaidam adtinges , hinc post triginta stadiorum intervallum Gennesaritidem transmittens invenies Capernaumum & deinde Chorazin , hinc ad Septentrionem perge , & paululum deflectens ad tribum Aseriticam occurret Cana , a qua non longe Julias abfuit , qua mari Genesaritico immiscetur Jordanus . Quibus omnibus probe consideratis dubitare vix potes, quin illæ memoratæ tres urbes fuerint ditionis *Nephthaliticæ* . J. Q. E. O.

§. 16. Atque hæ sunt , quæ Apostolorum multo maximam partem , si non genuerunt , aluerunt tamen , id quod *porro* [C] nunc confirmandum est . BETHSAIDAM quod adtinet , illa diserte vocatur ΠΟΛΙΣ ΑΝΔΡΕΟΥ ΚΑΙ ΠΕΤΡΟΥ Joh. I. 45. utpote quos propter littus maris Galilææ capiendis piscibus intentos ad se arcessivit Christus Matth. IV. 18. Unde recte Scriptor Anonymus in comm. de S. Petro ex Codice Asfr. Florentino inserto T. V. Sanctorum mensis Junii Πέτρος ὤκει τὴν Γαλιλαίαν . Πατρὶς δὲ τούτῳ ΒΗΘΣΑΙΔΑ . Neque minus clare id de *Philippo* constat, quem rursus Johannes citato loco vocat τὸν ἀπὸ ΒΗΘΣΑΙΔΑ, ἐκ τῆς πόλεως Ἀνδρέου καὶ Πέτρου τὸν ἀπὸ ΒΗΘΣΑΙΔΑ τῆς Γαλιλαίας Joh. XII. 21. unde & Epiphanius adv. Heres. L. II. p. 436. eum vocat Petri σύσκηνον καὶ ὁμόχωρον *contubernalem & popularem*.

§. 7. Adjungere his liceat, quos Christus inter electos suos esse voluit, JACOBUM sc. & JOHANNEM ejus fratrem , Zebedæi filios . Illos Petri fuisse populares, haud obscure colligitur, tum quod in eodem terræ tractu in quo ille piscibus irretiendis operam dabat , ad littus maris Gennesarethici eos sibi ascivit Jesus , quod ex Matth. IV. 21. 22. & Luc. VI. 1. 12. discimus, tum quod societatem mutuam laboris iniverant, unde hi vocantur μέτοχοι καὶ κοινωνοὶ τῷ Σιμῶνι , Luc. V. 7. 10. id quod a diversarum urbium incolis fieri haud facile solet . Saltim cum in λίμνῃ τῆς Τιβεριάδος piscatui operam navantes suam sint inventi , hæc autem tribus erat Naphthaliticæ, facile illos quoque Naphthalitas fuisse colligendum est . Unde & hi quinque *Petrus*, *Andreas*, *Jacobus* , *Joannes* , *Philippus* in laterculis Apostolorum apud Matth. X. 2. 3. & Marc. III. 16. 17. 18. ut & Luc. VI. 14. 15. semper conjunguntur. Unde si non disertis verbis, subobscure tamen id docet Evangelium, id confirmante Athanasio in catena Patr. T. II. p. 365. Καὶ ἐκ μὲν Ζάβουλων καὶ Νεφθαλεὶμ Πέτρος καὶ Ἀνδρέας καὶ Ἰακώβος καὶ Ἰωάννης, καθὼς τὸ Εὐαγγέλιον δηλοῖ . *Atque ex Zabulon quidem & Naphthalim erant PETRUS & ANDREAS, & JACOBUS & JO-*

& JOANNES (adde & *PHILIPPUS*) *ut Evangelium declarat* . *JOANNEM* ſane fuiſſe Bethſaidenſem omnium fere Patrum confirmat ſuffragatio. Ipſi Chryſoſtomo , qui in Hom. I. in Joannem dixerat, nomen patriæ illius ignotum eſſe, dicitur tamen deinde . Ο ΑΠΟ ΒΕΘΣΑΙΔΑ , ὁ Ζεβεδαίυ παῖς . Vir Πολυφίλτατος , qui illuſtrem lampada divino Johannis Evangelio accendit, licet dicat incertum eſſe, num Zebedæus , horum Pater , fuerit Bethſaidenſis , fatetur tamen , *ſibi non eſſe argumenta ad manus, quibus vulgatam hanc opinionem impugnet*. Cum igitur Philoſophorum παῖδες nos doceant, unamquamque rem in ſtatu ſuo debere manere immotam, donec a fortiori deturbetur, vulgarem hanc opinionem tamdiu tuebimur, donec rationes exhibeantur, quibus ab ea diſcedendum eſſe evincatur.

§. 18. Habes itaque integram πέντάδα apoſtolorum BETHSAIDENSIUM ; nunc τέτραδα Cananorum ſive ex CANA , quæ pariter oppidum Naphthalitidis erat, oriundorum tibi ſiſtemus. Talis certe erat SIMON, qui a Matth. c. X. vſ. 4. & Marc. c. III. vſ. 18. ὁ Κανανίτης, vel ut quidam codices habent Κανανέτης , vel Κανανᾶιος , vocatur. Non quidem neſcius ſum, aliter viſum eſſe viris quibuſdam ſummis, qui vocem illam non eſſe πατρονυμικὴν exiſtimant , ſed deducendam a קנהי vel קנאה , hoc eſt *Zelus*, quaſi dictus fuerit קנאו Ζηλώτης, quod ei nomen quoque tribuitur Luc. VI. 15. Act. I. 13. ita ut ſit Hebraici vocabuli expoſitio, ſicut Petrus vocis Cephæ. Sed cur huic ſententiæ adſurgere nequeam , non unis factum eſt rationibus . Nam *primo* , ſi id ei nominis adhæſit a *Zelo*, dicendus potius eſſet Καννῶος vel Καννᾶιος, cum Hebræis קנוא (v. gr. Joſ. XXIV. 19.) vel קנא (Exod. XX. 5.) notet Ζηλώτης, uti interpretati ſunt LXX. etiam interpretes. Non autem appellari potuiſſet Κανανίτης vel Κανανᾶιος , cujus vocis terminationem eſſe gentilem norunt , qui Græce norunt.

§. 19. Porro nulla dari poteſt ſufficiens & apta ratio , cur a *Zelo* ei inditum fuerit nomen. Si enim cum quibuſdam id factum dicere velis, ab inſigni, quo erga Dominum incaluit, *Zelo*, de eo in ſacris nihil omnino legitur. Quin ea ratione a Simone Petro non potuiſſet diſtingui, (a quo tamen ut diſtingueretur , id ei nominis adhæſit) quod hic unicus ſit, cujus Zelum imprimis commemorant ſacri Scriptores. Sin autem cum aliis , quorum agmen ducit Ill. *Scaliger* in trih. c. I. qui certum putat ordinem fuiſſe Zelotarum , *ſanctimoniæ vitæ ac obſervationi legis deditum, ex quo ad Chriſti diſcipulatum tranſierit Simon Cananæus* , ab illo ordine appellationem ſuam nactum eſſe mavelis , notandum , talis ordinis nullum extare apud Judaicos ſcriptores veſtigium . Neque , quod viſum eſt nonnullis , in Zelotarum referendus eſt claſſem, qui Hieroſolymis olim tot turbas tragœdiaſque excitaverunt. Illorum enim poſt demum Servatoris tempora, neque diu ante πανολεθρίαν urbis memoria exiſtit. His argumentis addo *tertium*, quod liceat verbis celeberrimi Annalium Politico-Eccleſiaſticorum conditoris Sam. *Baſnagii* exponere. Ita ille T. I. pag. 309. *Si Græca dictio* Zelotes *expoſitio ſit Hebræi nominis Cananæus , quanam de cauſa non Matthæus modo, ſed Marcus etiam vocem adhibuerunt Hebraicam ſignificando Simonis Zelo? An Græce ſcribentibus Græcum nomen deficiebat , ut peregrinum & ſolis Hebrææ linguæ peritis notum uſurparent . Quidni non ſecus ac Lucas , Simonem Zelotæ appellatione deſignabant? His accedit , quod Marco Matthæoque ſolemne eſt , nomina Hebræa , quæ adhibuere, Græce vertere, ne lectoribus eſſent impedimento*. Sic Talitha Kumi, Abba, Emanuel, eli, eli, lamma ſabachtani *Matthæus & Marcus Græce reddunt* . Proindeque more ſuo , *Græcam & explicationem adjunxiſſent voci Hebraice, Simon* Κανανίτης ὁ Ζηλώτης , *Simon Cananites , hoc eſt Zelotes*. Hæc Baſnagius.

§. 20. Ex quibus cum conſtare putem non ab Hebraica voce קנא, quatenus illa Zelum ſignificat , Apoſtoli hujus cognomen eſſe natum, nihil reſtat, quam ut ἔθνικον illud eſſe & a ſolo natali petendum cum Hieronymo aſſeramus . Neque enim nunc moramur eos qui putant dictum quaſi χανανίτην, ut nota illa mulier in Evangelio appellata fuit χαναναία , quaſi ex regione Canaan oriundus fuerit . Sed quod in urbe Galilææ Cana vel natus, vel ibi educatus. Imo fors in illa nuptias fecit . Si enim Nicephoro, qui eapropter præter fas atque æquum Caſaubono atque aliis vapulat, credimus & Græcorum menæis, qui diem decimum Junii Simonis hujus , quem tamen perperam cum Nathaneele confundunt , memoriæ conſecrarunt , hic fuit ſponſus in illis nuptiis Canenſibus, quas ſua & præſentia & miraculo primo condecoravit Salvator. Immo parum abeſt, quin pedibus eam in ſententiam Lightfooti, qui in ædibus Alphæi, Simonis hujus Patris, nuptias illas celebratas eſſe conjecit, idque valde probabilem in modum . Cum autem ille etiam Ζηλώτης vocatus eſt, id putem per meram factum eſſe alluſionem, ob vicinitatem nominis, quæ pa-

triæ

triæ ejus *Canæ* intercedit cum Hebræorum קנא. Ita ut ſolidam pæne dixerim conjecturam Maldonati, quam habet in Matth. c. 10. quamvis illam vir quidam doctus vanam appellare non dubitaverit. *Credo propterea, quod ex oppido Cana eſſet, aut Cananæum dictum eſſe, & quia idem rurſus Zelo fervebat, facta ad ſignificationem nominis alluſione Zelotem appellatum, quemadmodum ſi quis Simon Valentinæ natus vir fortis eſſet, & Valentinus gentili forma, & Valens a fortitudine ſed per alluſionem ad nomen urbis ſuæ vocaretur*. Quod ſi autem quæris, cur hic ſolus ex Apoſtolis a patria denominetur, cauſa in promptu eſt. Ut videlicet diſtingueretur eo commodius a συνέργῳ ſuo, ſibi ὁμονύμῳ Petro, Bethſaidenſi. Cui fortaſſis & illud adjungi debet, quod hoc cognomine memoria nobis refricari debuit inſignis illius miraculi, quo ejus nuptiæ cohoneſtatæ fuerunt. Cum itaque eſſet oriundus Cana, ea autem pertineret, ut ſupra §. 13. 14. 15. evictum eſt, ad Naphthaliticam regionem, patet fuiſſe Naphthalitam. Id quod & jam olim obſervavit Theodoretus, cujus in comm. ad Pſ. LXVIII. vſ. 28. hæc verba ſunt: Σίμων ὁ Ζηλώτης, Κανανίτης ὠνόμαςαι. Ταῦτα δὲ πάντα χώρια τῆς Γαλιλαίας ἐςι. Ζάβυλων δὲ καὶ ΝΕΦΘΑΛΕΙΜ ἐκεῖνον εἶχον τὸν κλῆρον.

§. 21. Atque his probe animadverſis idem quoque ſtatuendum eſſe de JUDA Thaddæo dicto & Λεββαίῳ, quem non alium eſſe *a Levi*, a telonio per Chriſtum accerſito pluribus ſingulari ſchediaſmate, quod in Bibliotheca noſtra Cl. V. Faſc. III. diſſ. 6. compareti, oſtendimus, apparebit. Fuit enim ille Simonis Frater, filius Alphæi, ſive Cleophæ. Ita Λευὶς vocatur ὁ τοῦ Ἀλφαίου Marc. II. 14. Adeoque matrem habuit Mariam illam, ſororem matris Domini, quæ vocatur Maria τοῦ Κλέοπα Joh. XIX. 25. Fratres autem ejus fuere & Jacobus, qui dicitur *minor*, & *Joſes*, & Simon noſter, qui ſimul ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου dicuntur, quod ejus eſſent conſobrini, atque ex duabus nati ſororibus. (a) Patet hoc ex ſciſcitatione Judæorum Matth. XIII. 55. & Marc. VI. 3. *Anne fratres ejus ſunt JACOBUS & JOSES & SIMON*, & quod probe obſerva, *JUDAS*, qui non diverſus eſſe poteſt a Juda Thaddæo. Unde etiam factum eſt, ut veluti in hoc loco, ita etiam paſſim, quando catalogus Apoſtolorum contexitur, ſoleant copulari. Sic e. gr. Matth. X. 2. 3. 4. ubi *Petrus* & *Andreas*, *Jacobus* & *Johannes* Zebedæi filii conjunguntur, quod fratres eſſent, ita eodem quoque nomine *Jacobus* Alphæi, & *Lebbæus*, i. e. Judas, & Simon Cananites aſſociantur. Idem fieri legimus apud Lucam VI. 15. ubi cum Judas dicitur τοῦ Ἰακώβου, id non ita intelligendum eſt, ut Lu. aliique intellexerunt, quaſi Jacobi fuerit filius, ſed frater. Judas itaque ſimul fuit Simonis Cananæi frater.

§. 22. Quod cum cogito, videor mihi deprehendere originem errorum aliquot, qui in veterum ſcripta irrepſerunt. Primus eſt, quo Judas vocatur ZELOTES. Fit illud in hiſtoria apoſtolica, quæ Abdiæ nomen præ ſe fert. L. VI. c. 7. *Jacobi fratres majores natu SIMON cognominatus Cananæus, & JUDAS, qui & Thaddæus & Zelotes*. Alter eſt, quo Judas ille cum Simone noſtro perperam confunditur. Fit illud ab Hippolyto in libello de XII. Apoſtolis. Σίμων ὁ Κανανίτης, ὁ τοῦ Κλώπα, Ὁ ΚΑΙ ΙΟΥΔΑΣ. Fit a DOROTHEO in Synopſi de Vita Apoſtol. Fit a *Sophronio* vel quiſquis autor eſt appendicis ad librum Hieronymi de viris illuſtribus. Fit ab autoribus tam laterculi Apoſtolorum, quem ex Cotelerio exhibui in Bibliotheca T. V. p. 505. quam Chronici Alexandrini. Immo ex recentioribus hos ſecutus eſt Florentinius in notis ad martyrologium, quod dicitur Hieronymi. Fontem erroris hunc mihi videor indagaſſe. Simon dicebatur a patria Cananites. Frater ejus erat Judas, quem pariter Cana protulit. Unde & ille potuit Cananites appellari. Certe in variis lectionibus a Marchione Valeſio collectis, quas adverſariorum S. capite XCI. exhibet Ludovicus de la Cerda, loco Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος apud Matth. X. 4. legitur καναναῖος. Cum autem hoc vocabulum non abludat ab Hebræorum קנא, quod Zelum ſignificat, dictus quoque Zelotes, & cum id quoque nominis datum eſt Simoni, Judas cum Simone facile potuit commiſceri. Nobis ſufficit liquido patere, cum Judas frater fuerit Simonis, oriundi ex Cana, illum quoque fuiſſe Cananitam. Sicut & ſimul inde pateſcit Alphæum ſeu Cleopham, illorum Patrem, ſaltim domicilium fixiſſe Canæ, *Jacobum* autem hujus Filium, illorum fratrem quoque Canam pariter nactum eſſe patriam. Id ſane credidit auctor, quiſquis ille ſit, hiſtoriæ Apoſtolicæ, quæ Abdiæ dicitur. Ita enim ille in limine libri ſexti. *SIMON Chananæus cognomine, ac JUDAS, qui & Thaddæus, & JA-*

(a) Mirari ſubit; quomodo illuſtri Scaligero ad verba Hegeſippi, quibus meminit Ἰούδα τοῦ κατὰ σάρκα λεγομένου κυρίου ἀδελφοῦ, in animadv. ad Euſebium. p. 187. excidere potuit. *Mirum iſtius Judæ fratris Domini Evangeliſtas nuſpiam meminiſſe*; cum tamen id in citatis locis fiat diſertiſſime. Eſt quoque propterea notatus a Valeſio ad Euſ. H. E. L. III. c. 20.

COBUS , quem fratrem Domini appellant , fratres Germani fuerunt ex Cana Galilææ oriundi parentibus Alphæo , & Maria Cleophæ filia.

§. 23. Atque ita una fidelia duos , quod ajunt , dealbavimus parietes , hoc eſt , dum Judam vindicavimus Naphthalitidi , hanc quoque Judæ fratris , JACOBI Alphæi , ſ. minoris , τȣ̃ Θεαδελφȣ̃ & *juſti* dicti , fuiſſe patriam , aſſertum eſſe vides . Neque enim ſolum Cananitam fuiſſe , cum Judæ Cananitæ frater fuit , perſpicuum eſt , ſed & hoc ex Talmude nos edoceri exiſtimo. Fit enim ibi mentio אחר מתלמידי ישו הנוצרי ויעקוב שמה: איש כפר סכניא *Unius ex diſcipulis Jeſu Nazareni , cujus nomen erat Jacobus , oriundus ex vico* Secanja. Vide Talm. Babyl. Av. Sara c. 1. f. 17. 1. & Toſaph. in fol. 27. 2. coll. Hieroſ. Av. S. c. 2. fol. 40. col. 4. & שבת c. 14. fol. 14. col. 4. Idem commemoratur in Midras Coheleth fol. 89. col. 3. & in Saph. c. VI. fol. 23. col. 2. citatque ea Talmudis loca R. Abraham Perizol in libro adhuc inedito , cui titulum fecit מגן אברהם cap. 58. Vix dubitari poſſe exiſtimo per illum Sechanienſem innui Jacobum venerandi Servatoris noſtri conſobrinum , idque a viris doctis [a] comprobatum eſt dudum. Sed quis ille כפר סכניא *Vicus Secanja* fuerit , id a nemine deprehendi indagatum . Neque illius alibi , vel in ſacris vel τοῖς ἔξω Scriptoribus fit commemoratio. Sed qui animum advorterit, videbit illico, illum eſſe Galilææ vicum CANA . Nihil enim acceſſit aliud niſi literula præfixa ס vel quæ ejuſdem cum illa fere ſoni eſt, millieſque permutatur ש. Apud Syros Scriptoreſque Rabbinos illa nominibus præmittitur ſæpiſſime, ut patet ex vocibus סקבל pro קבל caligo, סגרגר granum a גרגר, & סגלגל rotundum pro גלגל , ut & ſexcentis aliis.

§. 24. Huic itaque voci idem accidit , quod voci Iſcariotes, quæ data eſt appellatio alii Apoſtolorum JUDÆ, Chriſti Proditori. Vocatur enim ille ita, [b] i. e. Hebraice איש קריאות *Vir ex urbe* [Judæ) *Carioth* [c], ſive ἀπὸ Καριώτȣ , ut Codex habet Cantabrigienſis, qui olim Theodori Bezæ fuit, ſive Cariothenſis. Syrus autem habet ܣܟܪܝܘܛܐ Uti & vetuſtiſſimus N. T. codex Cantabrigienſis apud Matthæum , Marcum & Lucam Ὁ Σκαριώτης, & plures Vulgati Interpretis antiquos codices habere Scariotes teſtatur Lucas Brugenſis . Et de duobus vetuſtiſſimis Latinis codicibus, qui in Bibliotheca Bodlejana ſunt, id affirmat Millius. Origenes quoque περὶ ἀρχῶν L. III. c. 3. vocem ita ſcribit. Quemadmodum itaque Scariotes ſcriptum eſt pro Cariote , ita Secanja pro Canja'. Et cum Jacobus a Talmudicis appellatur Secanienſis, indicatur fuiſſe Canienſis , ſive ex vico Cana , quæ cum fuerit Naphthalitidos pars, Naphthalitam quoque oportet fuiſſe Jacobum .

§. 25. Sed & *quartus*, qui ex Apoſtolis Canam hanc agnovit patriam, in promtu nobis eſt . Is eſt BARTHOLOMAEUS . Quod ita conficio. NATHANAEL diſerte dicitur ὁ ἀπὸ KANA τῆς Γαλιλαίας Joh. XXI. 2. Et in illa urbe ad Chriſtum acceſſit , quod haud obſcure colligere licet ex Joh. l. 46. ſeqq. coll. cap. II. vſ. 1. Unde etiam a nonnullis veterum creditus eſt Sponſus fuiſſe in nuptiis Canenſibus . Hic porro Nathanael non alius fuit a Bartholomæo , quod vel integris libris a tribus eximiæ doctrinæ viris Bartholomeo *Gavanto* , Johanne *Roberti* , & Fabricio *Pignatello* oſtenſum fuit . Unde manifeſtum fit , Bartholomæum quoque Apoſtolum Cananiten adeoque & Naphthalitam fuiſſe.

§. 26. Habemus itaque jam NOVEM ex illa tribu , quibus *decimum* adjungimus MATTHÆUM , quem in telonio ad littus maris Tiberiados ſedentem haud procul a Capernaumo Naphthaliticæ tribus urbe a Chriſto vocatum fuiſſe Apoſtolum ex ipſius narratione conſtat . Sive itaque ille natus fuit Cæſareæ Philippi, ut multis viſum eſt , ſiva Capernaumi , quod nobis veri videtur ſimilius, cum utraque urbs in Naphthalitide fuerit conſpecta , illum quoque Naphthalitam fuiſſe dicendum eſt . Ingentem enim , neque ulla vel veri ſpecie ſubnixum errorem errat Athanaſius in Cat. Patr. T. II. p. 368. quando ſcribit: Ἐκ Ιȣ̓δα ὁ Λευὶς ἤτοι Ματθαῖος , καὶ οἱ ἕτεροι τῶν ἀποςόλων . *Ex Juda eſt Levi ſive Matthæus , & reliqui Apoſtolorum.*

§. 27. Reſtant tantum duo THOMAS & *Judas* Servatoris Proditor . De illius patria nihil nobis certi divinæ paginæ tradiderunt . Licet itaque eum in cenſum referre Naphthalitarum eodem jure, quo fortaſſis alii ad eum ex eo exturbandum uti volent.

(*a*) Vide de hoc Jacobo a Judæis memorato *Coceji* Ultima Moſis §. 1103. *Buxtorf.* in Lex. in voce כפר p. 1080. G. El. *Edzardum* in notis ad Av. Sara p. 299. ſeqq. Ch. *Noldii* Hiſt. Idum. p. 644.

(*b*) Lightfootus nomen illius derivat a voce סקורטיא , quod & אסקורטיא ſcribitur, quæ ut in Gemara explicatur, notat præcinctorium. Hoc moneo, ut oſtendam vocabulum hoc non ſolum convenire cum latinorum ſcortea, ſed & eandem prorſus eſſe cum Germanorum Schürtze / & Belgarum noſtroque Schorte / ita ut ſi eam vocem velis literis Hebraicis ſcribere, non poſſis ſcribere aliter quam סקורטיא. Sed hæc obiter.

(*c*) Niſi malis accedere doctiſſimi Philologi Io. Got. *Lakmacherii* , ſententiæ, quam ipſis his diebus depromiſit in Obſerv. Philol. L. V. obſ. 4. ubi Judam dictum a קרתן, Karthan , urbe Judæ obſervat.

volent. Immo majori cum verisimilitudine. Cum enim plurimi, quin omnes, Apostoli dicantur fuerintque Galilæi, [vide Act. l. II. II. 7. ubi legimus, ἐκ ἰδε ΠΑΝΤΕΣ ἔτοι εἰσιν οἱ λαλῦντες Γαλιλαῖοι;] cur e numero Galilæorum expungemus Thomam? Et cum Naphthalitis maximam & præcipuam Galilææ partem confecit, nihil est, quo eum, non Naphthalitam fuisse, possis evincere. Quid? quod cum in consortio reliquorum Apostolorum Naphthalitarum piscium capturæ intentum invenit Jesus ἐπὶ τῆς θαλάσσης, τῆς Τιβεριάδος, *in ripa maris Tiberiadensis*, quod legimus Joh. XXI. 1. 2. quam totam, quatenus spectabat occidentem, ad tribum pertinuisse Naphthaliticam supra vidimus, sane plus quam vero fit simile, eum in Naphthalitide, si non genitum, tamen commoratum fuisse. Lightfootus ad Joh.XX. 24. ex duplici ejus nomine quo & Thomas & Didymus appellatur, colligit, *forsan natum esse in loco aliquo ubi habitabant & Judæi & Græci, qualis erat regio Decapolitana*; Ea conjectura si vera est, & sic fuit Thomas Naphthalita, cum longe plurima pars urbium, quæ ad Decapolin pertinebant, sortis quoque fuerint Naphthaliticæ.

§. 28. Superest solus JUDAS, ὁ γενόμενος ὁδηγὸς τοῖς συλλαβῦσι τὸν Ιησῦν. Ne nunc dicam, de ejus patria quæ fuerit, quod prorsus indubium esset, nihil posse asseri, ille etsi primum fuit κατηριθμημένος σὺν τοῖς Αποςόλοις, tamen quando ἔλαχε τὸν κλῆρον τῆς διακονίας αὐτῆ semetipsum illorum numero miserandum in modum excussit, neque adeo nobis necessitatem impositam esse putamus, ut, si Naphthalitas fuisse Apostolos ostendendum est, id de Juda quoque, qui nefando, quo caput suum alligavit, flagitio, se Apostolorum & collegio & nomine reddidit indignum, ἀναμφισβήτως singillatim demonstretur. Neque PAULUS heic nos moratur, de quo quidem ex tribu Benjaminis orituro non agit in hoc commate Divinus Vates, cum deinde vs. 26. ex collatione Psalm. LXVIII. 28. separatim eum ejusque patriam ex multo eruditissimorum Interpretum opinione indicaverit.

§. 29. Neque prorsus hic negligendi sunt LXX. discipuli, quos Apostolorum choro adjunxit, atque ad annuntiandum regnum suum quaquaversum ablegavit, testante inter Evangelistas solo Luca X. 1. seqq. Quanquam enim de illorum patria nihil commemoretur, fuisse tamen Naphthalitas maximam partem, inde puto non inepte me posse colligere, quod a Christo in tribus Naphthaliticæ provincia vocati atque missi fuere. Hoc autem ex illo sermone colligo, quem cum illis habuit in illo itinere, quod paulo ante mortem ex Gailæa in Judæam fecit; Tum enim videtur Bethsaidam, Χωράζιν & Capernaum, Naphthalitidos urbes habuisse in conspectu, digitoque quasi exserto commonstrasse, quando illis acclamabat: Οὐαί ΣΟΙ Χωράζιν, ΣΟΙ Βηθσαϊδα &c. Καὶ ΣΥ Καπέρναυμ. &c. vss. 13. 15. Inde pariter conjicies, quam nactus sit patriam MATTHIAS, qui deinde sorte in locum Judæ proditoris suffectus fuit, siquidem ille, quod Patrum antiquorum plerique, idque sane non contemnendis rationibus suffulti credidere, ex numero τῶν ὁ μαθητῶν in collegium cooptatus fuit Apostolorum. Unde hanc tandem rationibus subductis cogitationum nostrarum summam facimus, regionem, quæ in sortem cessit Naphthali, fuisse domicilium Apostolorum tantum non omnium & duorum saltim Evangelistarum, & si conjecturis agendum, etiam discipulorum Christi τῶν ἑβδομήκοντα. J. Q. E. O.

§. 30. Illud autem ut aperte verbis Jacobæis continetur, ita nunc porro est ostendendum, reliqua quoque, quæ habet sanctissimus Patriarcha, in illos convenire apprime. Quod enim [ב] adtinet titulum CERUÆ, quo Apostolorum chorus insignitur, quisquis ea, quæ Cap. I. §. 10. seqq. adduximus repetere volet memoria, confitebitur, vix Apostolorum mores & fata sub concinniori potuisse depingi emblemate, quam quidem *cervarum*. Pone tibi tantum ob oculos incredibilem velocitatem, qua in propogando Evangelii cursu usi, salebras omnes & ardua feliciter superarunt. Neque necesse est ut confugias ad illam orbis terrarum divisionem, qua unicuique Apostolorum certam ajunt terræ provinciam, quam suis illustraret præconiis, fuisse adsignatam. Hæc enim traditio fabulam olet, & a multis explosa est. Neque Pauli expeditiones atque itinera commemorabo, in quibus Evangelio suo *ab Hierosolymis in circuitu ad neque Illyricum implevit omnia* Rom. XV. 19. & Syriam, Ciliciam, Judæam, Palæstinam, Pisidiam, Pamphiliam, Attaliam, Cretam, Meliten, Italiam, Macedoniam, Græciam, Peloponnesum, Phrygiam, Galatiam, Dalmatiam, Macedoniam, Cyprum, Cappadociam cœlestis doctrinæ luce illuminavit. Hæc enim ad implementum commatis potius 27. quam hujus ostendendum pertinent.

§. 31. Omnibus enim nuntiis suis id dedit in mandatis Salvator optimus maximus,

mus, ut *proficiſcentes* εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα *Evangelium prædicarent* πάσῃ τῇ κτίσει Matth. XXVIII. 19. Marci XVI. 15. *ut eſſent ejus teſtes & Hieroſolymis & in tota Judæa & in Samaria* ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς Act. I. 18. Prædixerat quoque ante excidium Hieroſolymorum, prædicatum iri Evangelium regni ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι. Matth. XXIV. 14. Illi præcepto obſecundantes *exierunt & prædicarunt* πανταχοῦ Marc. XVI. 20. *ita ut ſonus eorum exiret* εἰς πᾶσαν τὴν γῆν Rom. X. 18. & *Evangelium annuntiaretur* ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ Col. I. 16. imo ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν vſ. 23. ita ut unuſquiſque CURSUM ſuum abſolvens ex phraſi Paulina 2. Tim. IV. 7. nullum locum diſciplinæ ſuæ ſineret expertem, μὴ νήσους, μὴ ἤπειρον, μηδ᾽ εἴ τινα τρίτην ἀνθρώποις κατοικίαν, ἡ φύσις ἐδίδου, *non inſulas, non continentem, non ſi quam tertiam habitationem natura hominibus dedit*, quæ verba ſunt Gregorii Nyſſeni in Or. de Petro & Paulo. Neque illa res obſcura eſſe poteſt illi, cui modo Legatorum hujus acta, quæ D. Lucas conſignavit, aliaque primæ eccleſiæ monumenta, volvere animo lubitum eſt. Præſertim, ſi cogitet ſtupendos illos, & mirum quantum proſperos ſucceſſus, quos in tot longe lateque diſſitis nationibus, inſtar fulguris momento temporis ab ortu ad occaſum penetrantis, omniaque lumine ſuo illuſtrantis, habuit doctrinæ Chriſti annunciatio. Cum enim, ut verbis utar Lactantii de morte perſec. c. 2. *Dominus ſubtractus eſſet oculis hominum, raptuſque in cœlum, diſcipuli ejus diſperſi ſunt PER OMNEM TERAM* ad evangelium prædicandum, & per annos XXV. uſque ad principium Neroniani imperii PER OMNES PROUINCIAS ET CIUITATES ECCLESIÆ fundamenta miſerunt, vel, ut Theodoretus in διαλέξει περὶ νόμων ſcribit, *illi piſcatores & publicani* (intelligit Apoſtolos) *cunctis nationibus legem Evangelicam detulerunt. Neque ſolum Romanos, quique ſub Romano vivunt imperio, ſed Scythas quoque & Sauromatas, Indos præterea, Æthiopes, Perſas, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios & Germanos, utque ſemel dicatur, omne hominum genus, nationeſque omnes induxerunt Crucifixi leges accipere*. Idque eo cum fructu, ut de Eccleſia ſecundi ſæculi idem lacteus ſcriptor cap. 3. potuerit ſcribere *Eccleſiam nullos inimicorum impetus paſſam, manus ſuas in orientem occidentemque porrexiſſe, ut jam nullus eſſet terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetraſſet, nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non ſuſcepto Dei cultu ad juſtitiæ opera miteſceret*. [a] Sed hæc demonſtrationis uberioris non indigent.

§. 32. Neque minus in eos *Cervarum* ſymbolum quadrare, quod ab omni deſtituti præſidio perpetuis hoſtium ſuorum perſecutionibus objecti, forti tamen atque conſtanti animo in curſu ſuo perrexerunt, id abunde patebit illi qui Cap. I. §. 11. 12. 13. legere dignabitur. Tales eos conſiderabat eorum Magiſter, quando eos ablegaturus, ita alloquebatur: Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων, ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ΕΝ ΤΗ ΠΟΛΕΙ ΤΑΥΤΗ ΦΕΥΓΕΤΕ εἰς τὴν ἄλλην, ut legimus Matth. X. 16. 23. quid hoc aliud eſt quam ſi dixiſſet *eritis* כאילה שלוחה, *ſicut CERUA emiſſa*, ſive mittam vos ut cervas imbelles in medium inſectantium venatorum & canum, quæ huc illuc agitatæ fuga præcipiti ſibi potiſſimum conſulere debent. Confer omnino verſus 17. 18. 22. 23. Luc. X. 3. & Joh. XV. 17. 18. 20. 21. XVI. 2. 20. Quam accurate autem huic prædictioni reſponderit eventus, nemini, niſi in hiſtoria Apoſtolica prorſus hoſpiti, obſcurum eſſe poteſt. Vide Actor. XIII. 50. XIV. 5. 19. XVI. 22. 23. XVII. 5. & paſſim alibi. Sane, ut infirmas, & undequaque hoſtium agitationibus atque furoribus expoſitas cervas Apoſtolos deſcribit Apoſtolorum haud infimus Paulus, quando ſcribit: Καυχήσομαι ἐν ταῖς ΑΣΘΕΝΕΙΑΙΣ ἐν ὕβρεσιν, ἐν ἀνάγκαις, ἐν ΔΙΩΓΜΟΙΣ ἐν στενοχωρίαις ὑπὲρ Χριστοῦ. 2. Cor. XII. 9. 10. Ἔσμεν Θεοῦ διάκονοι ἐν θλίψεσιν, ἐν πληγαῖς, ἐν ἀκαταστασίαις, ἐν κόποις, ἐν ἀγρυπνίαις, ἐν νηστείαις. 2. Cor. VI. 4. 5. 6. Vide porro ac perpende 2. Cor. XI. 23. 28. 2. Cor. IV. 8. ſeqq. 1. IV. 9. 14. & confer Hebr. XII. 26. 37. 38.

§. 33. Quum vero divinus vates non cervæ ſolum meminit, ſed & *emiſſæ* & *ablegatæ*, manu quaſi ducimur ad cogitandum de APOSTOLIS. Ubi enim in textu Hebraico שלח, quæ vox heic loci legitur, occurrit, Alexandrini Interpretes eam per ἀποστέλλειν tantum non ſemper, i. e. *quinquies centies* tranſtulere, uti & שלוחות Eſa. XVI. 18. τὰς ἀπεσταλμένας, & משלחת & שלוח ἀπόστολας verterunt. Ita Duodecim exploratores a Moſe in terram promiſſam emiſſi, ubi in Hebraico eſt שלח, dicuntur ἀποστελλέσθαι Num. XIII. Immo cum 1. Reg. XIV. 6. Achias propheta ſe vocat שלוח οἱ ὁ eum vocant Ἀπόστολον. A tali autem Ἀποστολῇ nomen datum eſt duo-

(a) Vide de celeri primi Evangelii curſu Interpretes ad loca citata Lactantii, *Wieſii* Miſc. Lib. II. ex. 13. §. 7. 8. *Cavium* de Apoſt. vita pag. 161. 162. *Lampium* in Pſ. XLV. ex V. §. 39. *Centur.* Magdeb. I. L. II. c. 2. Spanh. hiſt. Eccelſ. Sec. I. c. 8. *Pagium* in Critica ad a C. 42. n. 2. *Malvendam* de Anti-Chr. T. I. Lib. IV. e ſqq.

duodecim Christi Legatis, qui dicti sunt ΑΠΟΣΤΟΛΟΙ, i. e. ἀπεσαλμένοι. Erant illi enim, quos ΑΠΕΣΤΕΙΛΕΝ ὁ Ἰησοῦς Matth. X. quos ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ΑΠΟΣΤΕΛΛΗ αὐτοὺς κηρύσσειν. Marc. III. 14. quibus acclamabat; Ἰδοὺ ἐγὼ ΑΠΟΣΤΕΛΛΩ ὑμᾶς Matth. X. 16. de quibus dicebat ΑΠΕΣΤΕΙΛΑ αὐτοὺς εἰς τὸν κόσμον Joh. XVII. 18. Confer quoque Joh. IV. 38. XX. 21. & Luc. X. 1. 3. Rom. X. 15.

§. 34. Et quod magis est, notandum porro, quos Hellenistæ vocabant Apostolos, illos Hebræi appellabant שלוחים vel שלוחין. Vulgatum quoque est & passim a Viris doctis (a) observatum id nominis a Synagoga Judaica ad Christianorum Ecclesias manasse. Illi enim a cœtu Ecclesiastico ablegatos vel ad literas encyclicas vel decimas colligendum appellabant שלוחין vel שלוחי צבור sive הקהל, hoc est Ἀποστόλους τῆς Ἐκκλησίας. Unde quando Lucas VI. 13. οὓς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμασε, scribit, cave credas, Christum usum esse voce Apostolorum cum Syriace vel Chaldaice loquens, eos omni dubio procul vocaverit שלוחין, nomine tum temporis inter Judæos valde usitato. Quæ cum ita sint, cum quis mentionem fieri legit Cervæ שלוחה, cui non statim in mentem veniunt שלוחים, i. e. APOSTOLI? & parum abest, quin illos Domini nostri ἱεροπομποὺς suo pæne nomine a Jacobo indicatos asseram.

§. 35. Quemadmodum autem ita Apostolorum *patriam*, *facta*, atque *munus* prædicta ab Israele deprehendimus, ita & verba, quæ sequuntur הנותן אמרי שפר ea, in quibus præcipua muneris eorum ratio versabatur, innuunt. Ostensum enim satis superque a nobis C. I. §. 20. seqq. per illa אמרי שפר significari lætum de instauratione generis humani nuntium; hoc est, EVANGELIUM. Hujus autem *prædicationem* præcipuum missionis illorum scopum finemque fuisse, & nemo ignorat, & sacræ literæ plus vice simplici confirmant. Missurus eos Dominus jubebat; πορευόμενοι δὲ ΚΗΡΥΣΣΗΤΕ, λέγοντες ὅτι ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν Matth. X. 7. Πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα ΚΗΡΥΞΑΤΕ ΤΟ ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ. Marc. XVI. 15. Πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη-Διδάσκοντες αὐτοὺς Matth. XXVIII. 19. 20. Idque testatur Marcus III. 14. Ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ΑΠΟΣΤΕΛΛΗ αὐτοὺς ΚΗΡΥΣΣΕΙΝ, Atque illi mandato morem gessere accurate, nam ἐξελθόντες ἐκήρυξαν πανταχοῦ Marc. XVI. 20. & πᾶσαν ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ καὶ κατ' οἶκον οὐκ ἐπαύοντο διδάσκοντες καὶ ΕΥΑΓΓΕΛΙΖΟΜΕΝΟΙ Ἰησοῦν τὸν Χριστόν. Act. V. 42. Unde vocantur Κήρυκες 1. Tim. II. 7. 2. Tim. I. 11. & Μάρτυρες, testes Christ. Luc. XXIV. 47. Actor. I. 8. X. 41. 42. XXII. 15. Imo videor mihi abusurum me opera, si huic rei insistam diutius, vellemque probare pluribus Apostolos fuisse שלוחים הנותנים אמרי שפר, EVANGELISTAS, adeoque Jacobi vaticinium implementum omni ex parte nactum fuisse.

§. 36. Quod si autem quispiam præfracte illorum virorum cogitationes sibi retinendas esse existimat, qui verbis nostris putant contineri prædictionem, de terra Naphthalitide, dulcissimis vocibus Jesu Christi personatura & primo loco Evangelii luce collustranda, quod & Esa. IX. 1. 2. coll. Matth. IV. 13. 14. 15. prædictum fuit, tantum abest ut eas explodi velim, ut potius aliquid afferre lubeat, quo illud singulari quodam atque extraordinario modo impletum esse dispalescat. Innuo nempe memorabilem illam de mirifica Christi in monte μεταμορφώσει historiam, tanti visam Spiritui Sancto, ut & a quatuor Evangelistis & tribus Apostolis simul eam voluerit victuris æternum chartis commendari. Narrat ille e cœlo hanc vocem ὑπὸ τῆς μεγαλοπρεποῦς δόξης auditam fuisse, Οὗτος ἐστιν ὁ υἱός μου, ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. Erant hæc sane אמרי שפר ab ipso Deo prolata, audiente maxime venerabili choro, qui ecclesiam & militantem & triumphantem, & Veteris Testamenti juxta & Novi, & Mosen & Prophetas cum Apostolis, eorumque omnium CAPUT & Principem simul uno intuitu exhibebant. Complectebantur totius Evangelii summam, ac medullam; JESUM CHRISTUM esse MESSIAM (tum enim temporis Messiam Judæi *Dei filium* appellabant) quin & illum populo Israelis olim propositum Angelum, in cujus medio nomen Dei futurum erat, & magnum illum Mosi parem Prophetam. Utrique enim huic, neque ulli mortalium vel angelorum unquam in plena emphasi dictum erat. Αὐτοῦ ἀκούετε, Exod. XXIII. 21. 22. Deut. XVIII. 15. Præterea utrumque illius *statum*, & *naturam* utramque & triplex *officium*, quin & omnia hominis *officia*, quæ sunt, credere Evangelio, eoque digne vivere, quod utrumque sub præcepto *Audiendi* involvitur, in his verbis concluduntur. Quæ autem verba dicas magis אמרי שפר? quid pulchrius, quid suavius promul-

(a) Vide *Lightfootum*, *Grotium* & Calovium ad Matt. I. *Hammondum* ad Luc. VI. 13. Joh. XX. 21. C. *Vitringam* de Synag. Vet. L. III. P. II. c. 3. *Casaub.* ad Bar. Ex. XIV. n. 2. seqq. J. *Buxtorff.* in Lex. Fr. *Burmannum* P. in diss. de Apost. I. & de Synag. §. 22. 23. S. *Petiti* Var. Lect. Lib. I. c. 12. *Caveum* de Vitis Apost. p. 154. Fr. *Spanhem.* de Apost. §. 7. J. Fr. *Mayerum* in diss. de *Apostolis Hebræorum* habita Gryphisvvaldæ n. 1705.

mulgari potuit illa voce, quæ tum audita fuit, ΕΝ Ω ΕΥΔΟΚΗΣΑ. Non ſolum delector eo ſponſore, mediatore, inſtauratore hominum, mox λύτρον ſoluturo, æternamque redemtionem adducturo, phraſi deſumta a ſacrificiis Veteris Fœderis, quæ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας offerri dicebantur, ſed & ἐν ᾧ, i. e. PER quem placatus ſum hominibus, videlicet, cum quibus nunc mihi mox in gratiam redeundum eſt, collato Luc. II. 14.

§. 37. Hæc autem verba audita ſunt in tribus Naphtalicæ ditione. Neque tamen id factum puto in monte Tabore, quæ opinio omnium pæne ſæculorum traditione confirmata fuit, licet ille, teſte Euſebio ac Hieronymo, in confinio tribuum Zebulon atque Iſaſchar ſitus fuerit. Omnes enim hiſtoriæ Evangeliſticæ circumſtantiæ docent, transfigurationem illam factam non longe a Cæſarea Paneadenſi, ſive Philippi, quæ ſita erat in extremis Galilææ oris. Et quidem inter illam urbem & urbem Capernaum. Conf. Matth. XVI. 13. XVII. 1. & 24. Marc. VIII. 27. & Luc. IX. 37. Immo ſi conjecturis ſane probabilibus agendum eſt, in monte Paneo, qui Cæſareæ adjacebat, cujus mentio fit in nummo quodam Marci Antonini, qui in nummophylacio eſt Mediceo, cujuſque κορυφὴ εἰς ἄπειρον ὕψος ἀνατείνεται *vertex in immenſam altitudinem extenditur*. Hunc autem terrarum tractum ad Naphthalitidem pertinuiſſe, caret dubio. Illi itaque, qui hoc oraculum de verbis in illa regione auditis accipiunt, hic inveniunt, ſuam opinionem quo confirment. Num autem huc quoque faciat illud, quod non pauci iique non infimæ notæ ex Prophetarum choro, v. gr. ELIAS, ELISA, JONAS, AMOS, HOSEAS, & NAHUMUS tribui Napthaliticæ genus ſuum debere credantur, quod peculiari ſchediaſmate ante hos undecim annos Clariſſimus in Academia Julia Philologus *Hermannus* von der HARDT aſſerere voluit, id aliis perpendendum relinquo.

§. 38. Eſt tamen, ne quid diſſimulem, quod contra ſententiam, quam propoſui, adduci non ſine aliqua ſpecie queat, v. gr. locus inſignis Pſ. LXVIII. 28. ubi ingens & recentiorum & vetuſtiſſimorum Interpretum agmen Apoſtolos, eorumque natale ſolum indicari, & per *Benjaminem parvum*, PAULUM, per *Principes Judæ*, JACOBUM utrumque cum JOHANNE & SIMONE, per *Principes Naphthali & Zabulon* reliquos Apoſtolos intelligendos exiſtimavit. Inferre itaque aliquis poſſit, ſi & Apoſtoli ex tribu fuere JUDÆ, & ZABULONIS, non poteſt omnibus Naphthalitis adſignari patria. Sed non unum eſt, quod reſpondeam; Nam (1) certum eſt hoc dictum eſſe perobſcurum, iis etiam conſcriptum verbis, quæ alibi non occurrunt, neque id extra omnem eſſe poſitum dubitationis aleam, heic diſerte APOSTOLOS nominari, adeoque inde nullum inevitabile telum in nos contorqueri poſſe. Porro pone (2) unum alterumve ex Apoſtolis fuiſſe ex tribu Juda id tamen illam, quam dedimus, interpretationem non ſubverſurum eſſet, cum nobis ſufficiat oſtendiſſe, longe plurimam maximamque eorum partem fuiſſe Naphthalitas. Præterea (3) vel ſi de Apoſtolis illa Pſalmi verba explices, non opus eſt, ut eorum patriam ſignificari dicas, neque enim vocantur FILII *Judæ Naphthali*, *Zabulon*, ſed Principes eorum, ut innuantur potiſſimum illæ tribus, quas illi præſentia ſua nobilitarunt, & doctrina expoliverunt. Ad extremum (4) cum verba שרי יהודה רגמתם etiam verti poſſint *principes Jehudæ eorum eſt maledictio*, locutione Hebraica, pro *principes Jehudæ maledicti ſunt*, id obſervante clariſſimo Viro Alberto SCHULTENS (a) conſiderandum offero, anne per *principes illos Judæ maledicto* intelligi debeat infelix ille Chriſti proditor JUDAS, qui ſolus ex tribu Juda deſcendit. Ita enim omnium Apoſtolorum haberes tribus, *Paulus* enim erat Benjaminita, Judas ex Juda ortus, Reliqui omnes ex urbibus Naphthaliticæ terræ, quæ ſortem Zabulonis adtingebat.

§. 39. Tandem Apoſtolos ex Patriarchis Naphthali & Zabulon natos eſſe nos neſcire, id inde conficere vult BASNAGIUS: *Cum Galilæi eſſent Apoſtoli ex illis tribubus orti videntur, quæ Galilææ regionem incolebant. Cum autem Joſephus doceat, præter duas tribus nullam rediiſſe in Judæam, ſed ultra Euphratem manſiſſe, hinc patere, nullam in Palæſtina fuiſſe vel Naphthalitarum vel Zabulonitarum tribum*. Sed hæc noſtram quam adſtruximus ſententiam non deſtruunt. Nam ſi vel multo maxima pars Naphthalitarum non rediit, nullos tamen rediiſſe ecquis dixerit? Neque id volumus, qaod Apoſtoli omnes ex lumbis Naphthali fuerunt orti, ſed tantum in illo, quod a *Naphthali* ſortitum erat nomen, ſolo, vel lucem adſpexiſſe vel domicilium habuiſſe. Atque hoc eſt, quod a nobis iis argumentis, quibus in rebus id genus fortiora vix dantur, oſtenſum eſſe arbitror. Quibus nunc *verbum non amplius addam*.

JOAN-

(a) In obſerv. Philolog. in V. T. p. 1603.



JOANNIS CHRISTOPHORI WICHMANSHAUSEN DISSERTATIO DE THERMIS TIBERIENSIBUS.

I.

Palæstina cum nulli terrarum regioni, vel cœli temperie, vel soli fœcunditate, vel rerum, ad usum vitæ necessariarum, affluentia, secunda fuit, tum nec aquarum salubrium copia concessit. Tanto hæc carior existimanda est provinciæ felicitas, quanto solet esse rarior in terris ad orientem solem reductis. Nec miraculis ea tantum, virtute divina, quemadmodum II. *Reg.* II. 21. traditum est, editis, accepta omnis referenda est, sed naturæ etiam & ingeniis locorum. Scaturiginosam certe, ac plenam purissimorum fontium, fuisse regionem, facile ex *Deut.* VI. II. *Jos.* XV. 19. I. *Reg.* XVIII. 5. II. *Chron.* XXVI. 10. XXXII. 30. liquet. Celebre præter ceteros nomen עין רגל, FONS ROGEL, *Jos.* XV. 7. XVIII. 16. II. *Sam.* XVII. 17. I. *Reg.* I. 9. עין שמש, FONS SOLIS, *Jos.* XV. 7. XVIII. 17. עין חרוד, FONS TREPIDATIONIS, *Jud.* VII. I. מי השלח, AQUÆ SILOAH, quæ antiquo nomine, ut LIGHTFOOTUS *Chorogr. Matthæo præmiss.* c. XXV. ex auctoritate *Paraphrastæ Chaldæi* contendit, גיחון GIHON appellabantur, I. *Reg.* I. 33. II. *Chron.* XXXII. 30. *Jes.* VIII. 6. & באר בית-לחם *fons Bethlehemiticus*, cujus intempestiva DAVID cupiditate flagrabat, II. *Sam.* XXIII. 15. in divino Codice obtinuerunt. Potum hi forte sitientibus gratum: at alii medicati balneas, infirmis salutares, mollibus ac valuptariis jucundas, præbuere. Horum aliquos frigidioribus, aut tepidis certe, calidioribus ceteros, aquis scaturiisse accepimus. In gelidioribus *Ammaunticas* aquas eminuisse, haud injuria JOANNES LIGHTFOOTUS *Chorograph. Lucæ præmiss.* cap. IV. *Sect.* I. p. m. 479. *Tom.* II. *Opp.* cum ex Scriptura nominis אמאוס, *Talmudicis* familiari, tum ex loci, in quo מים יפים ונוה יפה *amœnæ aquæ, & amœna habitatio* fuisse in *Midrasch Coheleth fol.*101. 2. dicuntur, descriptione coniectat. Plane enim id ex iis verisimile fit, quæ de eodem fonte SOZOMENUS. *Hist. Tripartit.*

Palæstinæ solum scaturiginosum.

Fontes in ea celebres.

Balneæ.

Ammaunticæ an frigidæ.

L. V.

L. V. cap. xx. refert, utcunque de adjecta fabula ceteroqui sentiamus. Πρὸ ταύτης, inquit, τῆς πόλεως (Ἐμμᾶ, τῆς νῦν καλουμένης Νικοπόλεως) παρὰ τὴν τριοδίαν ἔνθα συμβαδίζων ὁ Χριστὸς τοῖς περὶ Κλεόπαν, μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, συνετάττετο, ὡς ἐπὶ ἑτέραν κώμην σπεύδων, πηγή τίς ἐστι σωτήριος, ἐν ᾗ τὰ πάθη ἀπολούονται ἄνθρωποί τε, καὶ τὰ ἄλλα ζῶα διαφόροις νόσοις κάμνοντα. Λέγεται γὰρ ἐξ ὁδοιπορίας ποθὲν ἐπὶ τὴν πηγὴν, ἐλθόντα τὸν Χριστὸν ἅμα τοῖς μαθηταῖς ἐνθάδε τοὺς πόδας ἀπονίψασθαι, καὶ τὸ ἐξ ἐκείνου ἀλεξίκακον παθημάτων γενέσθαι τὸ ὕδωρ. *Ante urbem hanc* (Ammauntem videlicet, quæ Nicopolis post dicta est) *juxta trivium, ad quod Christus cum Cleopha, post suum in vitam reditum, progressus, alium se pagum petiturum simulabat, fons est salutaris, quo loti homines, aliaque animantia, variis affecta morbis, sanantur. Christum, ferunt, aliquando cum discipulis ex itinere ad illum fontem venisse, & in eo lavisse pedes. Atque inde salubritatem istam, sanandique virtutem aquis volunt extitisse.*

Calidæ in agro Sidonio.

Calidiorum, qui in sacris historiis memorantur, fontium haud dubie antiquissimi sunt משרפות מים *Jos.* XI. 8. XIII. 6. quippe quæ vocabula, & suis originibus convenientius, & pro re nata aptius, a Luth., clarissimoque CLERICO, *thermas* sive *aquas calidas*, quam a MASIO *vitrarias officinas*, vel ab aliis *salinas*, reddi existimamus, quod in agro *Sidonio*, bituminoso, ut ex DIOSCORIDE, de *Materia Medica Libr.* I. cap. xc. Pliniique *Hist. Nat. Libr.* XXXV. c. XV. constat, & alendis ignibus subterraneis aptissimo, fuisse dicuntur. Fuit præterea,

Trans Jordanem. Callirhoes

quæ trans *Jordanem* ad *Asphaltidem* lacum sita erat, regio, aquarum calidarum copia nobilis. Pulcherrimus inter ceteros fons CALLIRRHOES prope *Machæruntem* & *Arnonis* ostium, qui & vicino oppido nomen dedit, laudatur a PLINIO *Hist. Nat. Libr.* V. cap. XVI. *Eodem*, inquit, de Machærunte locutus, *latere est calidus fons, medicæ salubritatis, Callirrhoe, aquarum gloriam ipso nomine præferens.* Hoc ipso, veluti desperatissimo vitæ perfugio, *Herodem* usum esse, non sine maxima aquarum laude, meminit JOSEPHUS *Archæolog. Libr.* XVII. *cap.* VIII. p. 550. Ποταμὸν τε, inquit, περάσας Ἰορδάνην, θερμοῖς, τοῖς κατὰ Καλλιρόην αὑτὸν παρεδίδου, ἅπερ σὺν τῇ ἐν πάντ' ἀρετῇ καὶ πότιμά ἐστιν. Ἔξεισι δὲ τὸ ὕδωρ τοῦτο εἰς λίμνην τὴν Ἀσφαλτοφόρον λεγομένην. *Jordanem cum trajecisset, calidis, quæ ad Callirrhoen sunt, aquis usus est, quæ, præter universalem medendi virtutem, potui etiam serviunt. Influit autem aqua ista in lacum, qui Bituminosus vocatur.*

Machæruntícæ.

Non minus celebres sunt *Aquæ Machæruntícæ*, de quibus JOSEPHUS *Bell. Libr.* VII. Cap. XXIV. pag. 901. Ῥέουσιν, ait, καὶ θερμῶν ὑδάτων πηγαὶ κατὰ τὸν τόπον, πολὺ τὴν γεῦσιν ἀλλήλων διαφέρουσαι. Πικραὶ μὲν γὰρ αὐτῶν τινές εἰσιν. αἱ δὲ, γλυκύτητος οὐδὲν ἀπολείπουσι. Πολλαὶ δὲ καὶ ψυχρῶν ὑδάτων ἀναδόσεις, οὐ μόνον ἐν τῷ χθαμαλωτέρῳ τὰς πηγὰς παραλλήλους ἔχουσιν, ἀλλ' ὡς ἂν καὶ μᾶλλόν τις θαυμάσειε. σπήλαιον γάρ τι πλησίον ὁρᾶται, κοιλότητι μὲν οὐ βαθὺ, τῇ πέτρᾳ δὲ προυχούσῃ σκεπόμενον. ταύτης ἄνωθεν ὡσανεὶ μαστοὶ δύο ἀνέχουσιν, ἀλλήλων ὀλίγῳ διεστῶτες, καὶ ψυχροτάτην μὲν ἅτερος πηγὴν, ἅτερος δὲ θερμοτάτην ἐκδίδωσιν. αἱ μισγόμεναι ποιοῦσι λουτρὸν ἥδιστον, παιώνιόν τε νοσημάτων πολλῶν δὲ μάλιστα νεύρων ἄκεσιν. *Ad eundem locum* [Machæruntem] *calidarum fontes aquarum prorumpunt, multum inter se sapore diversarum. Quædam enim amaræ sunt, aliæ dulces. Præter has non tantum aquæ gelidæ in depressiori solo passim adversis scaturiginibus prosiliunt, sed, quod magis mirere, prope spelunca est, nec alta admodum, nec latebrosa, prominentiori tamen saxo tecta, supra quam duæ fontium scatebræ, parum dissitæ, nec absimiles mammis, altera quidem frigidissimam, fervidissimam altera, undam emittit, quæ mistæ balneas dant & amœnas maxime, & medendis morbis, nervorum in primis debilitati, salutares.*

Buntingii conjectura de Medeba.

Tales quoque fuisse MEDEBÆ, in oppido prope urbem *Hesbon* trans *Jordanem* sito, ac *Jos.* XIII. 9. 16. *Jos.* XVI. 2. 1. *Maccab.* IX. 36. commemorato, HENRICUS BUNTINGIUS *Itiner. Sacr. Script.* p. 227. ex *Hebræo* nomine מידבא, incerta conjectura, divinat.

Thermæ Ammaunticæ.

At id quidem explicatius constat, *Ammauntem*, non quæ *Hierosolymis*, sed quæ *Tiberiadis* cis *Jordanem* propinquior est, calidioris aquæ nomine inclaruisse. Μεθερμηνευομένη δὲ, inquit JOSEPHUS de B. I. Libr. IV. cap. II. p. 795. Ἀμμαοῦς θερμὰ λέγοιτ' ἄν· ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πηγὴ θερμῶν ὑδάτων πρὸς ἄκεσιν ἐπιτήδειος. *Ammaus, si interpreteris, aquas calidas significat. Est enim ibi fons aquarum calidarum sanandis morbis idoneus.*

Thermæ Tiberiadis.

Eminuisse tamen præter ceteras *Palæstinæ* urbes thermarum laude TIBERIAS videtur, quarum quippe tanta olim fama fuit & existimatio inter *Judæos*, ut non aliarum frequentius cum insigni elogio meminerint *Talmudis* enarratores. Hæ autem quæ fuerint, qua virtute, quibus nominibus celebres, cum sigillatim, curateque his chartis exponere apud animum constituerimus, eam nobis viam esse ineundam intelligimus, qua de fatis, situ, & antiquis *Tiberiadis* appellationibus, primum edisseramus, deinde originem, naturam, scaturigines, ususque *Thermarum Tiberiensium*, qua ex veteris historiæ monumentis cognosci possunt, pervestigemus.

II.

I I.

TIBERIAS, Hebræis טבריא vel טיבריא, *inferioris* urbs *Galilææ*, ad oram lacus *Gennesaritici* Austrum versus, in amœna, fœcundaque, valle, non longe a *Jordane*, ubi lacum effluit, sita, *Herodis*, quem *Antonius Triumvir*, annis circiter XL. ante CHRISTI *Servatoris* natalitia, *Judææ* tetrarcham constituerat, auspicio condita, ab Imperatore TIBERIO, cujus gratiam *Herodes* novi operis nuncupatione captabat, nomen tulit. Ita namque de ea JOSEPHUS *Archæol. Jud. Libr.* XVIII. cap. III.p. 550. Ἡρώδης δὲ, inquit, ὁ τετράρχης, ἐπὶ μέγα γὰρ ἦν τῷ Τιβερίῳ φιλίας προελθὼν, οἰκοδομεῖται πόλιν ἐπώνυμον αὐτῷ Τιβεριάδα, τοῖς κρατίστοις ἐπικτίσας τῆς Γαλιλαίας ἐπὶ λίμνῃ τῇ γεννησαρίτιδι. *Herodes Tetrarcha, cum magnam sibi Tiberii gratiam conciliasset, urbem ei cognominem, Tiberiadem, condidit in optimo Galilææ agro ad lacum Gennesaret*. Ad amœnitatem urbis igitur, ac regionis potius, quam veram nominis originem alludunt *Talmudici*, cum *Tiberiada* quasi טוב ראיה, quod *pulchra adspectu* esset, vel שבטבורה, *quod in umbilico* terræ esset, appellatam ajunt. Tam autem vicina fuit *Tiberias* littori שימה חומתה, ut lacus ex altera parte ipsi vicem muri præstaret, ut tradunt *Talmudici* in *Megill. Babyl. fol.6.* I. Lacus autem *Genesariticus* cum non ad *Zabulonitidem*, quorsum pleræque Geographorum tabulæ referunt, sed ad *Nephtalidem*, cujus quippe fines supra & infra lacum ad *Jordanem Jos.* XIX. 33. 34. statuuntur, LIGHTFOOTO *Centur. Chorogr. Matth. præmiss.* c.LXXI. p.375. judice, pertinuerit, eodem facile positam in littore urbem reducemus. Confirmat id in *Vita sua* JOSEPHUS p. 650. *Edit. Froben.* CIϽ IϽ XLIV. ubi *Tiberiadem*, ait, κειμένην ἐν τῇ γεννησαρίτιδι λίμνῃ, καὶ ἀπέχουσα Ἵππου μὲν στάδια τριάκοντα, Γαδάρων δὲ ἑξήκοντα, Σκυθοπόλεως δὲ εἴκοσι καὶ ἑκατόν. *in lacu Genesaritico sitam, ab urbe Hippo triginta, a Gadaris sexaginta, a Scythopoli centum & viginti stadia abesse*. Concordant cum his illa STEPHANI *Byzantini* de *Urbibus*. Τιβεριὰς πόλις τῆς Ἰουδαίας πρὸς τῇ γεννησαρίτιδι λίμνῃ. ἐκτίσθη δὲ ὑπὸ Ἡρώδου. *Tiberias Judææ urbs juxta lacum Gennesiritidem, ab Herode condita*. Ipse JONATHAN *Chaldæus*, *Deut.* III. 17. ubi de regione *Genesaritica* sermo est, *Hebræis* hæc interponit: וקרתא טבריה דסמיכא לים דמלח *Et ad urbem Tiberiadem, quæ sita est ad mare salis*. Adde his BENIAMINIS *Tudelensis* testimonium, qui in Itinerar. מציפורי ה' פרסאות לטבריא היושבת על הירדן הנקרא ים כנרת *ab urbe Zephore ad Tiberiadem, quæ juxta Jordanem, qua mare Cinereth vocatur, est, quinque esse milliaria*, scribit. Ceterum in valle urbem fuisse collocatam, auctor libri מוסר *fol.* 88. 2. *edit. Cracrov.* & *Abraham Zachut* in *Libr.* יוחסין fol. 21. 2. quorum verba BUXTORFIUS *Comment. Masorethici Libr.* I. cap. IV. p. 18. recenset, JOSEPHUS item de *Bell. Jud. Libr.* III. cap. XXXII. ubi *Tarichæas* ὑπόρειον πόλιν, ὥσπερ ἡ Τιβεριάς, *urbem sub montium radicibus, quemadmodum Tiberias* fuit, collocatam appellat, haud obscure confirmant. Constituta sic, auctore *Herode*, urbs magna subito incrementa cepit, ac finitimis *Sephori*, *Capernaum*, *Chorazin*, *Betsaida*, omnique *Decapoli* facile principatum præripuit, prorsus ut & novum lacui adjacenti nomen ex ea datum, & memoriam ejus passim in divino novi fœderis Codice, propter res a *Servatore* hominum, CHRISTO, ibi præclare gestas, celebratam, videamus. Hac fortuna, dum *Herodis* familiæ paruit, usa civitas, ingentes mox animos sustulit, nimiumque in suis opibus confisa, cum nec superiorem ferre, nec parem, vellet, parum absuit, quin in suum ipsa exitium rueret. Primus illius mali semina JUSTUS quidam, *Pisti* filius, e primoribus urbis, jecit, dum cives, omni externæ potestati jam infensos, odio *Sephoritarum*, in quorum urbe *Romani*, rerum domini, *Galilææ* imperium constituerunt, seditiosa oratione incendit. Armati ita furore *Tiberienses*, vicinam, quæ in fide erga *Romanos* perstiterat, *Galilæam* incendiis ac latrociniis devastant, AGRIPPÆ *Regis*, ac *Romanorum*, imperium pertinacissime insectantur, ac respuunt, &, quibus viribus pares esse nequeunt, eos ex insidiis adoriuntur, perfidia lacessunt. At dedit rebellionis, læsæque fidei, pœnas, vario belli discrimine afflicta, civitas, cum victi a JOSEPHO, *Galilææ* præfecto, cives, ac intra mœnia compulsi, urbs capta, ac pene direpta, mox recepta iterum *Josephi* astu, ac tandem a VESPASIANO occupata, & in ordinem redacta fuit. Quæ *Tiberiadis* fata fusius persequitur JOSEPHUS *Libr.* II. de *Bell. Jud.* cap. XLIII. & *Libr.* III. cap. XXXII. item in *Vita sua* p. 627. *Edit. Froben.* CIϽ IϽ XLVI. Amisso ita splendore pristino, *Tiberias* mox literis cœpit inclarescere. Expulsæ enim *Hierosolymis* Musæ in *Babyloniam* discesserunt aliæ, aliæ in *Palæstinæ* urbibus, *Japhne*, *Zephori*, *Cæsarea*, *Tiberiade* consederunt. Id quod ex gentis *Judaicæ* monimentis electe comprobarunt BU-

Tiberiadis origo, nomen, situs.

Fama

Academiæ.

BUXTORFIUS *Comment. Masoreth.* c. V. p. 20. seqq. & LIGHTFOOTUS *Tom.* II. Opp. *Cent. Chorogr.* in *Matth.* cap. LXXXI. p. 228. Ac *Tiberiensis* quidem *Academia*, cum tredecim scholis, sive synagogis, floreret, quarum celeberrima כנישתא עתיקתא דסרונגין *antiqua Synagoga Serongiana*, propter tralatum illuc a R. *Jehuda Sancto* consilium סנהדרין, erat, semper גדולה משל צפורי, *major & illustrior Sephoritana*, aliisque *Palæstinæ* Academiis, habita est, uti traditur in *Talm. Hierosol. Kilaim* fol. 32. 3. & *Gloss. Babyl. Sanhedr. fol.* 32. 1. Quantum autem inter illas

Doctores.

hæc, tantum inter doctores ejusdem ר' יהודה הקדוש, *Rabbi Jehuda Sanctus*, quem *Judæi* honoris ac reverentiæ caussa, sigillatim ac simpliciter רבי appellant, excelluit, quippe qui annum circiter centesimum ac nonagesimum a nato homani generis Servatore, collectis antiquorum doctorum commentationibus, voluminis משנה, seu *pandectarum juris Judaici*, editione, nomen suum æternitati consecravit. Eminuit inde studiorum laude *Tiberias* ad annum ducentesimum ac tricesimum, quo, ut communiter eruditi, dissentiente licet LIGHTFOOTO *Chorogr. in Matth.* cap. LXXXI. p. 228. Tom. II. Opp. existimant, codex doctrinæ Judaicæ, *Talmud Hierosolymitanum* vocatus, variis eruditorum disceptationibus auctus, in lucem prodiit. Ex eo tempore sensim paulatimque defecit ejus gloria, vel uti R. *Jehudæ* morte labefactata, oppressaque est *Babyloniarum* Scholarum celebritate, postquam principes discipulorum *Jehudæ*, *Raf* & *Samuel*, eo, maxima doctorum ac commilitonum parte in societatem consilii pertracta, commigrarunt. Ab anno certe trecentesimo ac quadragesimo, quo הנשיא sive *Princeps* סוף הנסמכים ובו יספקו הסמוכים בארץ ישראל, *ultimus promotorum, & in quo defecerunt promoti in terra Israel*, ut est in *Schalschelet* fol. 34. & in *Tzemach David* fol. 47. inter doctores *Palæstinæ* celebratur, nihil omnino memoratu dignum de *Scholis Palæstinæ* annales *Judæorum* prodidere. Urbs tamen ipsa inter temporum injurias utcunque perstitit, novis subinde ornamentis amplificata. Summa namque imperii ad Christianos delata, HELENA, *Constantini* Imperatoris mater, non tantum juxta *Tiberiadem*, quo loco quondam CHRISTUS quinque millia hominum, & amplius, quinque panibus ac duobus piscibus, vi divina, satiaverat, Δωδεκάθρονον, *templum*, *duodecim* forte *Apostolis sacrum*, statuit, sed & in ipsa urbe, ubi domum socrus *Petri* repererat, ædem magnificam divo *Petro* dedicavit, ut auctor est NICEPHORUS Libr. VIII. *Hist. Eccles.* cap. XXX. Deinde *Saracenorum* in *Palæstinam* irruentium, furorem, ac ju-

Sedes Episcopalis.

gum, aliquantisper sustinuit. At ubi illam *Christiani*, traductis ex *Europa* numerosissimis exercitibus, recuperarunt, *Tiberiadi* locus inter principes *Galilææ* urbes redditus est, constitutusque in ea non tantum Sacrorum antistes, *Episcopi* nomine,

Dynastæ.

sed *Dynasta* etiam, qui adjectam urbi ditionem regeret. Quo titulo celebres olim TANCREDUS, HUGO *de S. Audemaro*, & JOSALINUS extitere. Inde per va-

Nomen hodiernum.

rias fortunæ commutationes urbs nomen *Tabarie*, antiquo ab advenis paulisper depravato, tenuit, ac suæ antiquitatis vestigia, peregrinantibus lustranda, ad nostram usque memoriam, si itinerum enarrationibus habenda fides est, conservavit.

III.

Tiberiadis antiqua appellatio.

Novum ita cum *Tiberiadis* nomen, ac *Tiberii* Cæsaris ævo, natum sit, videndum nunc est, quomodo antiquitus urbs fuerit appellata. Miram hic scriptorum dissensionem deprehendas, quam urbium, juxta lacum *Gennesariticum* olim positarum, frequentia, nec accurare satis descriptus situs peperere. TALMUDICI *Tiberiada* nunc antiquam urbem *Chammath* esse, nunc *Raccath* contendunt. Ita namque

an חמת, sive Chammatha?

in *Megilla Babyl. fol.* 61. ajunt, חמת היא טבריא *Chammath est Tiberias*. At in *Megilla Hierosolymitana fol.* 70. רקת היא טבריא *Raccath est Tiberias*, & iterum in *Megill. Babyl. fol.* 6. 2. & 6. 1. וקיימא לן רקת זו טבריא *constat nobis*, *Raccath esse Tiberiada*. Contra ea HIERONYMUS in *Ezech.* XLVIII. *Tiberiada* antiquum oppidum כנרת *Chinereth*, esse asserit, sectatores nactus ADRICHOMIUM *Theatr.*

quæ urbs distinguenda est.

Terr. S. p. 143. LEUSDENIUM *Onomast. Sacr.* p. 268. HEIDMANNUM *cap.* V. 46. p. 167. alios. Atque hæc sunt illa tria *Nephtaliticæ* ditionis oppida, quæ haud multum inter se distitisse ex *Jos.* XIX. 35. ubi חמת רקת וכנרת conjunctim recensentur, intelligimus. Nec enim illud *Chamath* huc quisquam cum PATRICIO ad

a חמת Syra urbe.

Jos. l. c. referendum putet, quod *Hebræi* חמת *Num.* XIII. 22. XXXIV. 8. *Jos.* XIII. 5. 2. *Sam.* VIII. 9. 1. *Reg.* VIII. 65. *Jerem.* XXXIX. 5. *Ezech.* XLVII. 16. 17. 20. *Amos* VI. 14. *Zach.* IX. 2. & alibi, scribunt, interpretes *Græci*, Ἐμάθ, Αἰμάθ, Ἡμάθ, *Josephus* Ἀμάθην, *Hieronymus Emath*, appellant. Hoc namque nomen, quod a *Syro*, verbo ܚܡܐ *spectare*, *intueri*, pro מחמת aut מחמה, ut *urbem spectabilem*,

vel

vel *aſpectu præclaram*, ſignificet, nuncupatum eſſe, HILLERUS *Onomaſt. Sacr.* p. 408. & 516. ſtatuit, alii autem ab *Amathæo*, החמתי, undecimo *Chanaanis* filio, *Gen.* X. 18. commemorato, proxime repetunt, non quidem *Antiochiæ* aut *Epiphaniæ*, urbis tamen *Syræ*, *Damaſco* vicinæ, proprium fuiſſe, CELLARIUS *Geogr. Antiq.* Tom. II. Libr. III. cap. XII. pag. 460. ſeqq. demonſtrat. Nec eſt aliqua hic *Chammathæ* noſtræ ſomnianda cognatio cum Ἀμάθη, quam STEPHANUS de *Urb.* p. 69. *Edit. Amſt.* CIↃ IↃCC LXXVIII. *Arabiæ* oppidum, forte per errorem, vocat, aut cum *Amathunte*, *Cypri* urbe, a *Phœnicibus* condita, quæ inſulæ *Amathuſiæ* nomen dedit, vel *Amathunte*, omnium, quæ circa *Jordanem* ſunt, munitiſſimo caſtello in tribu *Gad*, quod ALEX. JANNÆUS, cum *Theodorus Zenonis*, *Philadelphiæ* tyrannus theſauros ſuos illuc contuliſſet, expugnavit, cujus idem JOSEPHUS de *Bell. Jud. Libr.* I. *cap.* III. & *Libr.* XIII. cap. XXI. & *Libr.* XIV. cap. X. EUSEBUS item & HIERONYMUS de *Locis Hebraicis* in *Æmath*, meminere. *Chammath* enim nomen, quod cum *Tiberiade* tandem permutatum fuiſſe *Talmudicorum* quiſtuantis refert notionem. Quo magis eorum firmatur ſententia, qui urbis חמת ſodam opinantur, *Hebræis* חמת *Joſ.* XIX. 35. 1. *Chron.* II. 55. *Græce* Ἀμμάθ, eſt, vique originis ſuæ, quam a verbo חמם, *incaluit*, duxit, loci calidiſſimi & exæſtuum calidis ſcaturiiſſe aquis exiſtimant. Atque hanc ipſam עיר מבצר, *munitam*, inde a *Joſuæ* temporibus, *urbem*, *Joſ.* XIX. 35. eandem eſſe ac חמות דאר vel חמון *Joſ.* XXI. 32. 1. *Chron.* VI. 61. *Gerſonitis* de *Levitarum* familia conceſſum oppidum, haud inepte HILLERUS *Onomaſt. Sacr.* p. 780. judicat, præſertim cum & notatio nominum facile eadem, & eidem urbes notatæ tractui ſint attributæ. Neque enim חמות דאר auſit quiſquam *Doram*, *Menaſſitidis* cis *Jordanem* oppidum, aut aliquem vicinum illi vicum, interpretari, cum expreſſis illa conceptiſque verbis *Joſ.* XXI. 32. & 1 Chron. VI. 61. ad *Nephtalidem* dicatur pertinere. Quam autem fortunæ varietatem inde ab initiis ſuis experta urbs ſit, obſcurum omnino eſt, niſi, quod vero ſit ſimile, in ſocietatem calamitatis, cum BENHADAD, *Syriæ* rex, omnem *Nephtalitidem* devaſtaret, pertractam, & ita dirutam fuiſſe, ut ab eo tempore urbis dignitatem vix tueretur. Neque enim ulla deinceps ejus in veterum monimentis facta eſt mentio, præterquam quod *Talmudis* explanatores parvæ alicujus urbis חמת *Hieroſolym. Erubhin fol.* 23. 4. & alibi frequentius, JOSEPHUS autem, antiquitatum gentis ſuæ haud indiligens enarrator, *Libr.* XVIII. *Cap.* 3. κώμης Ἀμμαοῦς, *vici Ammaus*; HIERONYMUS denique villæ *Amathæ* de *Loc. Hebr.* in *Æmath*, meminere. Cujus quidem poſitum ita definiunt, ut & prope *Tiberiadem* fuiſſe, nec a *Gadaris*, aut *Gadarena* ſaltem regione, multum diſtitiſſe, videatur. *Sabbaticum certe iter*, hoc eſt *octo ſtadia*, ſive *bis mille cubitos*, aut *mille paſſus*, *Chammatham* a *Tiberiade* æque, ac *Gadaris* abfuiſſe, *Talmud Hieroſolym.* ERUBHIN *fol.* 23. 4. haud obſcure, apertiſſime autem *Babylon. Megill. fol.* 2. 2. tradunt. JOSEPHUS l. c. de *Tiberiade* præfatus, ſubjicit. Θερμὰ δὲ οὐκ ἄπωθεν ἔνεστιν ἐν κώμῃ. Ἀμμαοῦς ὄνομα αὐτῇ. *Aquæ autem calidæ haud procul abſunt in vico, cui Ammaus nomen.* HIERONYMUS l. c. *Eſt & alia villa*, inquit, *in vicinia Gadaræ*, *nomine Amatha*, *ubi calidæ aquæ erumpunt*. *Gadara* autem, *Decapoleos* urbem, *Peræa* principem trans *Jordanem* LX ſtadiis, hoc eſt ſepties mille & quingentis paſſibus a *Tiberiade* in tribu *Manaſſitica*, ſitam fuiſſe, JOSEPHUS in *Vita ſua* p. 650. *edit. Frob.* indicat. Id vero ſi eſt, aut *Chammatham*, *Tiberiadi* vicinam, ab urbe, *Gadaris* longius itinere Sabbathico remotam, aut aliam prorſus a חמתא דגדר, *Chammatha Gadaræ*, in *Hieroſolym. Schabb.* fol. 5. 4. in *Trumoth* fol. 41. 1. in *Kidduſchin* fol. 64. 3. in *Abboda Zarah* fol. 42. 1. & 45. 2. commemorata, eſſe, oportet judicemus, niſi cognomentum illud malis a propinqua *Gadarenorum* regione, ſolo *Jordanis* alveo intercepta, quam ab urbe, *Gadaris*, ortum exiſtimare. LIGHTFOOTO ſaltem *Cent. Chorograph.* in *Matth.* c. LXXIV. p. 225. *Tom. II. Opp.* & in *Fragm. Terr. S. Hiſt. Chorogr.* & *Topogr.* p. 70. ratio non conſtat opinionis, dum ab utraque Jordanis ripa conditam *Chammatam* exiſtimat, ponte utramque conjungente, quem GUILIELM. TYRIUS de *Bell. Sacr. Libr.* XVII. *cap.* VIII. & *Libr.* XVIII. *cap.* XXI. juxta *Tiberiadem*, unde de lacu *Genezar Jordanis* fluenta ſe dividunt, ſtructum fuiſſe confirmat. Nihil enim tale unquam fide digna antiquitatis monimenta eum docuere. Neque vero opus erat iſthæc fingere, cum facile nobis HIERONYMUS de *Locis Hebraicis* perſuadeat, ad radicem montis, in quo ſita erant *Gadara*, aquas calidas, balneis deſuper ædificatis, erupiſſe, quas a *Judæis* חמתא דגדר *Chammatham Gadaræ*, ut a חמת, ſive חמי טבריא, *Chammatha*, vel *Thermis Tiberiadis* diſtinguerentur, nuncupatas eſſe, haud abſonum foret crediſſe. Proinde id quidem

Item ab Ἀμάθη, Arabiæ oppido. & Amathunte Cypri ac Perææ urbibus.

חמת unde dicta?

Alia ejus nomina antiqua.

Fata ejus quæ?

Nomina recentiora quæ?

Poſitus ejus definitur.

Lightfootus notatur.

Chammath Gadaræ an diverſa a חמת.

recte constat, חמות, quod JOSEPHUS Αμμαῦς, HIERONYMUS *Amatham*, ll. cc. vocant, vicum fuisse, calidorum fontium scaturiginibus celebrem, prope *Tiberiadem*, qua *Jordanes* ponte trajicitur, a *Gadaris* quinquaginta circiter stadiis distantem. Ex quo conficias *Tiberiada*, si antiquum חמת idem omnino est, ac recentius illud, olim nec *Chammatham* fuisse appellatam, nec eo, quo חמת quondam, loco constitutam.

חמת non est Tiberias.

IV.

Antiquum Tiberiadis nomen an רקת.

Videntur id, qui obesioris nasus fuere, *Judæorum* doctores olfecisse. Itaque, velut errorem sociorum emendaturi, novam *Tiberiada* antiquæ urbis רקת loco excitatam esse, adstruere maluerunt. Fuit nimirum & ea olim *Galilææ* urbs munitissima, *Nephtalitidi* contributa, *Chammathæ* & *Cinnereth* vicina, uti ex *Jos.* XIX. 35. liquet. Eandem vero esse, quæ post *Tiberias* dicta est, in ipso forsitan nomine רקת, quo *Chaldæi* littus, quemadmodum vocabulo רקק *aquam lutosam*, *paludem*, significant, *Judæi* videntur sibi reperisse. Hinc auctor libri de *Cippis Hebraicis* p. 52. *edit. Hotting.* mari *Tiberiadis*, sive *Cinereth*, *Raccath*, ait, *imminere*. Sed nec eo quidem acies male ingeniosorum Talmudicorum penetrasse videtur, cum in *Megill. Babyl.* f. 6. 1. remotiores nominis caussas consectentur. Ita enim ibi Rabba, רקת זו טבריא ולמה נקרא שמה רקת שאפילו ריקנים שבה מליאין מצות ברימון *Raccath est Tiaerias. Et quare dicitur Raccath? Quia etiam, qui vacui in ea videntur, pleni sunt præceptis, sicut malogranatum acinis.* At aliam nominis notationem HILLERUS *Onomast. Sacr.* p. 213. 381. 914. nobis indicat, dum רקת, transpositis literis, idem ac קרת, quo vocabulo *oppidum Job.* XXIX. 7. *Prov.* VIII. 3. designatur, esse pronunciat. Cujus rei facile nobis facturus fidem est, si nomina קרתן & קריתים, quibus *Jos.* XXI. 32. & 1 *Chron.* VI. 61. urbs *Nephtaliticæ* ditioni, *Gersonitis* de familia *Levi* attributa, denotetur, ut elementorum affinitate, sic notione, cum nomine רקת conveniunt. Quo pacto etsi omne, quod indicavimus supra, *Talmudicæ* opinionis firmamentum corruat, ipse tamen, quem modo laudavimus, *Vir. Cl.* p. 914. & 588. in eam haud obscure concedit. Si quid videmus, facit illud auctoritate inductus *Rabbæ* cujusdam, qui, ut, *Raccath* esse *Tiberiadem*, fortius confirmet, in *Megill. Babyl.* fol. 6. 1. ad morem plangendi funera eorum provocat, quorum nomen & apud *Tiberienses* inclaruisset. Ita namque narrant *Talmudici*: אמור רבא מי אכא למאן דאמור רקת לאו טברוא היא והא כי שכיב אינוש הכא התם ספרו ליה הכי גדול הוא בשישך ושם לו ברקת וכי פסקי ארונא להתם ספדי ליה הכי אוהבי שרידי׳ יושבי רקת צאו וקבלו הרוגי עומק כי נח נפשיה דר׳ זירא פתח עליה ההוא ספדנא ארץ שנער הרה וילדה ארץ צבי גידלה שעשועיה אוי נא לה אמרה רקת כי אבדה כלי חמדתה: Quorum nos verborum mentem, utut aliter paulo ista interpretetur LIGHTFOOTUS *Cent. Chrorog. in Matth.* LXX. p. 223. Tom. ll. Opp. ita reddi posse existimamus. *Dixit Rabba. Quis ausit negare, Raccath esse Tiberiadem, cum ibi* (Tiberienses) *eos, qui hic* (Babylone) *moriuntur, ita plangere soleant? Celebre huic & in Babylonia & in Raccath nomen est. Quid? quod, dum effertur illud sandapila, tale quoque carmen lugubre concinunt. O cives Raccath, qui reliquias* [Israelitarum) *amatis, prodite, & cum planctu recipite occisos vallis* (Babyloniæ) *R. Ziram, cum diem suum obiisset, ita lamentatus est aliquis. Quas conceperat, genueratque, terra Sinear* (Babylonia) *delicias, terra gloriosa* (Israel) *educavit. At nunc væ ipsi* (Sinear) *inquit Raccath, quod suarum vasa deliciarum perdidit.* At facile apparet, non ex communi omnium doctorum sententia, sed ex singulari quorundam opinione hæc esse disputata. Neque enim hanc universalem & unam plangendi formulam fuisse, credendum est, cum ipse *Rabba* diversas afferat, ab auctoribus variis profectas. Quo magis nobis fit verisimile, ex ἐπιταφίοις quorundam λόγοις, seu *funebribus carminibus*, privato consilio conscriptis, illas potius collectas, quam ex consuetudine, rituque publico, allegatas esse. Multos enim, ac summæ quidem inter Judæos auctoritatis, viros longe secus de *Raccath* sensisse, idoneus nobis auctor est celeberrimus ille gentis suæ doctor, JUCHANAN, de quo in *Megill. Babyl.* 5. 2. ista legimus. אמר ר׳ יוחנן כי הוינא טלייא אמינא מילתא דשאילנא לסבייא ואשתכח כוותי חמת זו טבריא ולמה נקרא שמה חמת על שום חמי טבריא רקת זו צפורי ולמה נקרא שמה רקת משום דמידליא כרקתא דנהרא: *Dixit R. Juchanan. Cum adbuc puer essem, quæstiunculam senioribus, de qua suo quisque arbitratu loqueretur, posui. Inveni autem omnes sentire idem, quod senseram ego, nimirum Chammath esse Tiberiadem, & appellari Chammath propter thermas Tiberiadis, Raccath autem esse Sephorin, vocarique Raccath, quod elata esset sicut ripa fluvii.* Ita

Notatio nominis secundum Judæos.

Secundum Hillerum.

συνώνυμα urbis רקת

Fundamentum opinionis Judææ in more plangendi doctores Babylonios & Tibérienses innixum.

Labefactatur.

Multorum dissensione

Quæ.

enim ultima verba reddi oportere, non ut HOTTINGERUS in *Not. ad Auct.* de *Cippis Hebræorum*, p. 52. aliique, habent: quod sita esset *in ripa fluminis*: vel sola nos *glossa* ad eum locum docet, quæ talis est; רקתא דנהרא שפת הנהר גבוה מן הנהר אף צפורי ישבת בראש ההר: *Comparatur Zephoris cum ripa fluminis, quod, ut hæc altior solet esse ipso, quod continet, flumine, ita Zephoris excelsa est, sita quippe in montis vertice*. Quodsi certis, indubitatisque, indiciis exploratus veteris *Raccath* positus fuit, unde orta est tanta *Doctorum* dissensio? Nimirum, quæ monimentorum veterum pervestigatione non poterant, conjecturis assequi voluere. Quod argumento est, priscam illam *Raccath* a BENHADADO forte 1. *Reg.* XV. 20. aut *Tiglath Pileser*, 11. *Reg.* XV. 29. seu quocunque alio casu, ita desolatam esse, ut vix, ac ne vix quidem, ejus vestigium, posteris contemplandum, relinqueretur. Præstat igitur certum antiquæ *Raccath* situm ignorare, quam incerta *Talmudicorum* commenta consectari, præsertim cum illi jam pridem in rebus Geographicis, sicubi soli quicquam definiunt, aut ex nominum notatione argumenta rerum ducunt, omnem pene fidem apud eruditos decoxerint.

Certum veteris רקת situm ignoratum

Et urbem funditus alius deletam arguit

Sublesta Rabbinorum in Geographicis fides.

V.

Fortassis autem HIERONYMO, *Tiberiadem* esse antiquam כנרת, largiemur? Fuit sane כנרת *Nephtalitidis* urbs, ut inde ab ultimis temporibus munitissima, *Jos.* XIX. 35. sic præter ceteras in diviniore historia celebrata, prorsus ut, cum & circumjecto agro, & lacui vicino, cognomentum ex eo natum sit, *Num.* XXXIV. 11. *Deut.* III. 17. *Jos.* XI. 2. XII. 3. XIII. 27. 1. *Reg.* XV. 20. caput regionis quondam extitisse videatur. Neque vero aliam ab hac ejusdem nominis urbem EUSEBIUS unquam somniavit. Memoria namque lapsus est, & כנרת, quod mare appellat EUSEBIUS *Onomast. Sacr.* p. 55. oppidum dici forte putavit MASIUS, cum ad *Jos.* XIX. 35. scribebat: *Cinereth duas, secundum Eusebium, significare urbes, alteram apud Nephtalitas, alteram, quæ, ab Herode Magno Tiberias vocata, mari Galilææ suum nomen dedit*. Quibus autem caussis originem nomen urbis acceptam referat, haud facile divinet quispiam. *Talmudici*, ut solent esse in nominum notatione indaganda nimis ingeniosi, in *Megill. Babyl. fol.* 6. 1. ita in eam rem commentantur, כינרת זו גינוסר ולמה נקרא שמה כינרת דמתיק פירא בקלא דכינור *Cinnereth est Gennesar. Vocatur autem Cinnereth, quia fructus ejus dulces sunt, quemadmodum sonus citharæ*. Quæ verba etsi allusionis potius, quam justæ derivationis, rationem habere non ignoremus, a regionis tamen natura non abludere deprehendimus. Hanc enim amœnissimam æque, ac fœcundissimam fuisse, vel nomen גנוסר γεννησὰρ, *Gennesar*, quod ævo nativitati *Servatoris Opt. Max.* propiori, consecuta est, indicat. Nam ut non desint, qui illud ex *Hebræo* כנרת, ademto ת postremæ syllabæ, & elemento כ in ג commutato, depravatum esse opinentur: probabilior tamen eorum est conjectura, quibus a multitudine hortorum amœnorum, vel situs jucunditate, & ubertate soli, quasi גני סרים *Horti principum*, videtur esse nuncupatum. Enimvero, ut illorum opinionem litera ס, quæ inserta præterea, incertis de caussis, voci גנוסר est, haud leviter labefactat: ita horum sententiam apprime firmant idoneorum auctorum de regionis amœnitate testimonia. Instar omnium esse potest illud JOSEPHI de *Bell. Jud. Libr.* III. *Cap.* XXXV. Παρατείνει δὲ τὴν γεννησὰρ [λίμνην] ὁμώνυμος χῶρα, θαυμαστὴ φύσιν τε καὶ κάλλος. οὔτε γὰρ αὐτὴν τι φυτὸν ἀρνεῖται διὰ τὴν ποιότητα, καὶ πᾶσαν πεφυτεύκασιν οἱ νεμόμενοι. Τοῦ δὲ ἀέρος τὸ εὔκρατον ἁρμόζει καὶ τοῖς διαφόροις. Καρύαι μέν γε, φυτῶν τὸ χειμεριώτατον ἄπειροι τεθήλασιν, ἔνθα φοίνικες, οἳ καύματι τρέφονται, συκέαι τέ, καὶ ἐλαῖαι πλησίον τούτων, αἷς μαλθακώτερος ἀὴρ ἀποδέδεικται. Φιλοτιμίαν ἄν τις εἴποι τῆς φύσεως, βιασαμένης εἰς ἓν συναγαγεῖν τὰ μάχιμα, καὶ τῶν ὡρῶν ἀγαθὴν ἔριν, ἑκάστης ὥσπερ ἀντιποιουμένης τοῦ χωρίου. Καὶ γὰρ οὐ μόνον τρέφει παρὰ δόξαν τὰς διαφόρους ὀπώρας, ἀλλὰ καὶ διαφυλάσσει. Τὰ μὲν γε βασιλικώτατα, σταφυλήν τε, καὶ σῦκον, δέκα μησὶν ἀδιαλείπτως χορηγεῖ. Τοὺς δὲ λοιποὺς καρποὺς δι' ἔτους ὅλου περιγηράσκοντας αὐτοῖς. *Adjacet lacui Gennesar cognominis regio admirandæ naturæ & amœnitatis. Neque enim illa, ut est uberrima, plantam negat, cum eam omnem plantis cultores conseverint. Cœli temperies diversissimis etiam fructibus convenit. Idcirco hic nuces, fructum maxime hiemis patientem, illic palmas, æstu gaudentes, istic ficus & oleas, mollioris aeris indigas, florentes licet intueri. Putes, naturam hic in rerum inter se, ac cum temporum, locique, ingenio, pugnantium, arcta conjunctione, gloriolam quæsiisse. Nec vero idonea tantum terra est, ad fructus diversissimæ indolis nutriendos. Præcipuos enim, ut sunt uvæ, ac fici, continuis decem mensibus præbet, ceteros per totum annum, veluti cum illis consenescentes*. Ab hortorum autem

Tiberias an Cinnereth. Descriptio antiquæ Cinnereth

Notatur Masius.

Notatio nominis inquiritur.

Origo nominis Gennesar demonstratur.

Natura regionis descripta.

Hortorum frequentia in ea.

autem frequentia passim eam in COMMENTARIIS *doctrinæ Judaicæ* laudari, LIGHTFOOTUS *Cent. Chorogr.* in *Matth.* cap. LXXIX. p. 227. *Tom.* II. *Opp.* indicavit. Summam elogiorum auctor libri ARUCH in voce גנסר subtraxit : מקום קרוב לטבריא (inquit) ויש בו גנות ופרדסין : *Sunt, qui Gennesar locum esse dicunt Tiberiadi vicinum, ubi horti sunt & paradisi*. Est autem *Gennesar* tantum regiunculæ & lacus, non æque urbis, nomen.

Regionis ambitus definitur.

Regiuncula ad oram lacus XXX. stadia in longitudinem, XX. in latitudinem porrigebatur. Ita sane JOSEPHUS l. c. Μῆκος δὲ τῆς χώρας κατατείνει, παρὰ τὸν αἰγιαλὸν τῆς ὁμονύμου λίμνης ἐπὶ σαδίους τριάκοντα, καὶ εὖρος εἴκοσι.

Ejus nomina.

Atque hæc ipsa est, quæ *Matth.* XIV. 34. γῆ γεννήσαρετ, ab aliis passim χώρα γέννησαρ, vel γεννησαρῖτις, appellatur.

Lacus nomina.

Lacus autem, qui, ut JOSEPHUS l. c. ait, ἀπὸ τῆς προσεχοῦς χώρας καλεῖται, *a continente terra mutuatur*, idem est, qui λίμνη γεννησαρὲτ, *Luc. V.* 1. θάλασσα τῆς γαλιλαίας *Matth. IV.* 18. *XV.* 29. *Marc. VII.* 31. θάλασσα τῆς Τιβεριάδος *Joan.* XXI. 1. θάλασσα τῆς γαλιλαίας τῆς Τιβεριάδος *Joan.* VI. 1. ὕδωρ γεννησάρ 1. *Maccab.* XI. 67. ab *Hebræis* ים כנרת, a *Targumistis* ימא דנניסר vel דנניסור aut דבננוסר, a *Talmudistis* frequentissime ימא דטבריא, a JOSEPHO passim λίμνη τῆς Τιβεριάδος λίμνη ἡ Τιβερίων, a PTOLEMEO Τιβεριὰς λίμνη, a PAUSANIA Τιβηρὶς λίμνη, a PLINIO *Genesara*, a SOLINO, per errorem, quem SALMASIUS *Exercit. Plin.* p. 408. notavit, *Lacus Sara*, ab aliquibus etiam propter vicinam urbem, ut PLINIUS *Libr. V. Hist. Nat. cap. XV.* asserit, *Tarichæa*, denique nostro ævo *Mer de Tabarie*, nominatur. Quo rectius absurditatis a SALMASIO l. c. arguuntur, qui cum SOLINO lacum *Gennesar* a lacu *Tiberiadis* diversum faciunt.

Ambitus.

Quamvis autem de ambitu lacus hujus JOSEPHO, qui l. c. latitudinem ejus XXX. longitudinem vero centum stadiis definit, cum PLINIO, qui *Hist. Nat. Lib. V. cap. XV.* sedecim millia passuum in longitudinem, sex millia autem in latitudinem, diffusum fuisse tradit, non omnino conveniat :

Natura.

illud tamen omnium consensione vere dixit, aquas lacus dulces, sapidas, ac media æstate gelidas, ipsum autem piscosum maxime esse, & *Jordanis* flumine permeari.

Cinnereth oppidum illi propinquum.

Ab hoc igitur haud procul dissitum antiquum oppidum כנרת fuisse, vel solum, quod lacus olim ab eo tulit, æque ac ipsa regio, cognomen indicat.

Quid sit כל כנרת

Proinde & כל כנרת, quod 1. *Reg.* XV. 20. rex *Syriæ*, BENHADAD, armis subegisse, ac desolasse fertur, totius forte oram lacus *Gennesaritici*, sive tractum terræ *Cinnereth* circumjectum, quam omnem *Nephtalitidem*, quod tamen NICOLAUS SANSON *Ind. Geogr.* p. 33. contendit, interpretabimur, præsertim cum expresse, discreteque, ibi verba על כל ארץ נפתלי adjecta sint, quæ non ad solum nomen כנרות, sed ad דן etiam, & cetera, videntur referenda.

Hieronymi sententia probabilior ceteris.

Sumere hinc aliquod robur HIERONYMI conjectura poterat, ut, cum *Tiberias* urbs, novi ortu nominis, antiquum & lacus, & regionis fere ejusdem nomen aboleverit, in ruderibus veteris *Cinnereth*, majori certe probabilitate, quam *Chammathæ* aut *Raccathæ*, condita crederetur. Neque enim officit ei, quod BONFRERIUS in *Not.* ad *Onomast. Urb. & Loc. S. S.* p. 55. & SPANHEMIUS *Geogr. S.* p. 60. objiciunt, *Cinnereth* videlicet ad *Nephtali*, *Tiberiadem* autem ad *Zabulonitarum* regionem pertinuisse, cum supra jam evictum sit, *Nephtalitidis* fines præter oram lacus *Gennesaritici* ad *Jordanem* usque angusto tractu pertigisse. Quod autem HIERONYMUS *Onomast. Urb. & Loc. S. S.* p. 55. *Sed & oppidum*, inquit, *quod in honorem Tiberii Cæsaris Herodes, rex Judææ, postea instauratum appellavit Tiberiadem, ferunt hoc primum appellatum nomine* : id non tam dubitanti, quam ad famam publicam, a majoribus acceptam, & consensionem non pauciorum forte, quam qui *Chammath*, aut *Raccath*, esse *Tiberiadem* velint, provocanti, excidisse videtur. Ut adeo, quod ait CELLARIUS *Geograph. Ant. Tom.* II. *Libr.* III. *cap.* XIII. p. 488. non penitus contemnenda sit sententia HIERONYMI, qui *Chenereth* dixit esse *Tiberiadem* : minus verisimilis BONFRERII, qui id oppidum in *Capernaum* quærit.

V I.

Decisio caussæ.

Nos autem de disceptata hactenus lite quid sentiamus, ut aperte constet, idoneis inducti argumentis, statuimus, *Tiberiadem* in agro libero, nec habitato ante, saltim qua sui partem maximam, ab *Herode* excitatam esse, adeoque situm ejus nec antiquæ *Chammath*, nec *Raccath*, nec *Chennereth*, positu circumscribi, ipsam tamen mediam in illarum ruderibus haberi oportere. JOSEPHUS enim, qui *Libr. XVIII. Antiquit. Jud.* cap. III. initia *Tiberiadis* accurate persequitur, facile persuadet nobis, illam non tam instauratam aliquam veterem, quam plane novam urbem fuisse. Ἡρώδης, inquit, ὁ τετράρχης,

ἐπὶ

ἐπὶ μέγα γὰρ ἦ τῷ Τιβερίῳ φιλίας προηλθὼν, οἰκοδομεῖται πόλιν ἐπώνυμον αὐτῷ Τιβεριάδα, τοῖς κρατίστοις ἐπικτίσας τῆς γαλιλαίας ἐπὶ λίμνῃ τῇ γεννησαρίτιδι. Σύγκλυδες δὲ ᾤκησαν οὐκ ὀλίγον δὲ καὶ τὸ γαλιλαῖον. Καὶ ὅσοι μὲν ἐκ τῆς ἀπ' αὐτῶν γῆς ἀναγκαστοὶ, καὶ πρὸς βίαν εἰς τὴν κατοικίαν ἀγόμενοι. Τινὲς δὲ καὶ τῶν ἐν τέλει. Ἐδέξατο δὲ αὐτοῖς συνοίκους καὶ τοὺς πανταχόθεν ἐπὶ συναγομένους, ἄνδρας ἀπόρους, ἔστι δὲ οὓς μήτε σαφῶς ἐλευθέρους. Πολλὰ μὲν αὐτοὺς καὶ ἐπὶ πολλοὺς ἠλευθέρωσεν, καὶ εὐηργέτησεν, ἀνάγκασμα τοῦ μὴ ἀπολείψειν τὴν πόλιν ἐπιθεὶς, κατασκευαῖς τε οἰκήσεων τελέαις τῇ αὐτοῦ καὶ γῆς ἀποδόσει, εἰδὼς παράνομον, τὸν οἰκισμὸν ὄντα, καὶ ἀπὸ τοῦ Ιουδαίοις πατρίου, διὰ τὸ ἐπὶ μνήμησιν, ἃ πολλὰ τῇδε ἦν ἀνῃρημένοις τὴν ἵδρυσιν Τιβεριάδι γενέσθαι. Si igitur exædificavit urbem *Herodes*, si in selectissimo *Galilææ* loco posuit, si magnam gentium colluviem illuc colonos misit, ac vi compulit, exulibus etiam quibuslibet, ac iis, quorum non manifesta satis erat ingenuitas, in civitatem cupide receptis, si magnis eos beneficiis, ac immunitatibus, sed ea lege auxit, ne desererent novam urbem, si denique in loco, ubi plurima sepulchra erant, urbem constituit, vero sane proximum est, non instaurasse eum, non amplificasse, sed novam urbem condidisse. Quidni enim vetustum urbis nomen, si quod extitisset, situmque commemoret, qui novæ conditum & auspicia ex instituto diligentissime consectatur? Quin potius in veteris *Chammathæ*, aut *Raccath*, aut *Cinereth*, ruinis, quam selectissimo *Galilææ* agro, *Tiberiadem* excitatam diceret, si quid ejus rei compertum habuisset? Quid opus erat tot hominum in coloniam coactione? quid lege nova de non deserenda urbe? quid tantis privilegiis ac immunitatibus, vim pelliciendi habentibus, si antea quoque urbs fuit habitata? Sepulchra certe cum fere nulla in urbibus fieri *Hebræi* patiantur, in eo autem, quo *Tiberias* post extitit, loco multa fuisse perhibeantur, apparet, urbem ibi prius non stetisse. Viculos tamen olim & casas piscatorum haud procul absfuisse, non inepte forsan conjiciemus. Liquet inde, quo jure ELIAS LEUITA, aliique, eandem, *Tiberiadem* מעזיא *Mœsiam* olim appellatam scribunt. Nimirum cœlum terræ miscent, imperitissimi *Geographiæ* nugatores, & quod *Paphlagoniæ* est oppidum *Galilææ* faciunt. Quod autem auctorum veterum alii TIBERIADEM *Raccath*, alii *Chammath*, alii *Cinnereth* antiquum faciunt, id vero nobis argumento est, bellorum tempestatibus deleta quondam esse prorsus illa oppida, ut ne ruinas quidem, ex quibus certum de situ vicinæ *Tiberiadis* indicium fieri posset, discernere liceret.

V I I.

Positu *Tiberiadis* ita utcunque definito, de THERMIS TIBERIENSIBUS liquidius constabit. Nimirum non sunt חמי טבריא idem, quod חמת רגדר *Chammath Gadaræ*, cujus mentionem in *Talmud Hierosolymitano Tractat. Kiddoth* fol. 64. 3. factam animadvertimus. Est enim GADARA, quam ex originibus suis *sepem*, ex *Arabicæ* autem linguæ indole *lacum*, vel *stagnum*, interpreteris, urbs PERÆÆ in *Cœlesyria* princeps, munita & opulenta, XL. stadiis a *Tiberiade*, trans *Jordanem*, ad lacum *Gennesareth*, in monte sita, teste JOSEPHO *Bell. Jud. Libr.* IV. cap. XXVI. & *Libr.* V. *cap. III.* nec non in *Vita sua*, atque a PLINIO *Libr.* V. *cap. XVIII.* in *Decapolitanis* numerata. Externi eam juris, & a gentibus *non Judæis* habitatam fuisse, cum ex *Vita Josephi*, tum e porcorum saginatione, *Judæis* per *Magistrorum* interdictiones, perinde ut ipsa carnis porcinæ comestio per legem *Mosaicam*, invisa, *Matth. VIII.* 30. *Marc. V.* 11. *Luc. VIII.* 32. intelligimus. Neque eadem existimanda sunt hæc *Gadara*, atque illa, e quibus STRABO *Libr. XVI.* p. 759. *Philodemum Epicureum*, *Meleagrum*, *Menippum* & *Theodorum Rhetorem*, ortu *Gadarenses* fuisse ait. Illa enim, quæ 1. *Reg.* IX. 15. גדר, 1. *Maccab.* XIV. 34. γάζα, a JOSEPHO *Antiquit. Libr. XIII. cap. XI.* γάζαρα appellantur, in *Palæstina* ad *Maris Mediterranei* littus celebri portu inclaruerunt, nacta nomen ex *Hebræo* גזר, *Syrorum* more ז cum ד commutato: hæc in *Cœlesyria* ad *Jordanem* tam vicina oppido *Gergesæ* fuerunt, ut, quæ a divino MARCO cap. V. 1. & LUCA cap. *VIII.* 26. χώρα γαδαρηνῶν dicitur, eadem a MATTHÆO cap. VIII. 28. χώρα γεργεσηνῶν vocetur. *Gerasam* autem, sive *Gergesam*, in extremis *Transjordaninæ* regionis finibus juxta *Philadelphiam*, quæ *Peræam* ab Oriente claudit, sitam fuisse, JOSEPHUS *Libr. III. Bell. Jud.* cap. II. & PTOLEMÆUS in *Tab. Geograph.* item *Libr.* V. *Geogr.* cap. XV. ubi *Gadaris* longitudinis gradus LXVIII. *Gerasæ* vero 68 assignat, affirmant. Hinc, quæ inter utramque urbem interjecta est, regio modo *Gadarenus*, modo *Gerasenus*, seu *Gergasenus*, *ager* nuncupatur, in quo ὕδωρ μοχθηρὸν λιμναῖον, οὗ τὰ γευσάμενα κτήνη, τρίχας καὶ ὁπλὰς, καὶ κέρατα ἀποβάλλει, *gravem aquam palustrem esse, cujus haustu jumenta pilos, ungulas, & cornua perdant*, auctor est

Thermæ Tiberienses non sunt Chammath Gadaræ.

Gadaræ situs & conditio.

Lacus Gadarenus quis.

STRA-

STRABO, *Libr.* XVI. p. 764. Quæ utrum illa ſit, in qua grex ſuum merſus interiit *Matth. VIII.* 32. an alia, litigent, quibus eſt otium. GENNESARITICUS ſaltem lacus, qui contiguus quidem *Gadareno* agro eſt, at aquam dulcem & ſalubrem habet, a STRABONE intelligi nequit. Nec eſt, quod de ASPHALTITE, longius quippe diſſito, cogitemus. Neque vero ullum *Gadarenæ* iſtius aquæ in reliqua antiquitate monimentum eſt, niſi has exiſtimes calidas illas, quæ ad radices montis, in quo condita ſunt *Gadara*, HIERONYMO teſte, erumpunt, & in uſum balnearum, deſuper extructarum, transferuntur. Montem autem, in quo condita ſunt *Gadara*, alias PLINIO *Libr. V. cap. XVIII. Gaddara*, STRABONI *Libr. XVI.* γαδαρὶς PTOLEMÆO *Libr. V. cap. XV.* γάδωρα appellata, *Hieroniace* fluvius, qui & *Hieronis*, & *Hippodion*, dicitur, præterfluit, in lacum *Genneſariticum* exiens. Quantum igitur a *Tiberiade* GADARA, tantum a THERMIS TIBERIENSIBUS THERMÆ GADARENÆ diverſæ ſunt, *Jordane* fluvio videlicet, & lacu *Geneſaritico* ſejunctæ; quæ poſtremæ tum demum balneis ornatæ magnificentius videntur, cum diruta per *Judæos* urbs, a POMPEIO, in gratiam *liberti Demetrii Gadarenſis*, quod narrat JOSEPHUS *Libr. I. Bell. Jud.* cap. V. eſſet inſtaurata. Quodſi חמת *Chammath* altera cis *Jordanem*, quam THERMAS TIBERIENSES magna *Judæorum* pars interpretatur, *Tiberiadi* fuit propior, eſt, quod forte ſuſpicetur quiſpiam, de *Gadarenis thermis* loqui HIERONYMUM, cum in *Onomaſt. Urb.* & *Loc.* ſub *Æmath. Eſt & alia*, inquit, *villa in vicinia Gadaræ, nomine Amatha, ubi aquæ calidæ erumpunt*.

VIII.

Thermæ Tiberienſes an in vico Chammath.

Utcunque tamen illud exiſtiment alii, nobis certe, in ipſa urbe *Tiberiade*, an extra illam in vicinio, quo *Chammath* ſtatuitur, loco, quærendæ ſint THERMÆ TIBERIENSES? jam incumbit definire. Poſtremum id pleroſque *Judæorum* Magiſtros profiteri novimus, quippe quos nominis חמת rationem ex ipſis, quæ ibi ſunt, thermis petere, ſupra diximus. Et ſane fuiſſe *Chammath* ut *Tiberiadi* vicinam, ſic thermis celebrem, idoneus nobis auctor JOSEPHUS eſt, diligens iſte rerum *Judaicarum* enarrator. Ita namque ille *Archæol. Lib.* XVIII. cap. III. p. 550. Θερμὰ δὲ οὐκ ἄπωθεν ἔνεστιν ἐν κώμῃ. Ἀμμαοῦς ὄνομα αὐτῇ. *Aquæ calidæ non procul abſunt* (a Tiberiade) *in vico, cui Ammaus nomen*. Iterum de *B. I. Lib.* IV. cap. II. p. 795. Μεθερμηνευομένη δὲ Ἀμμαοῦς θερμὰ λέγοιτ' ἄν, ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πηγὴ θερμῶν ὑδάτων πρὸς ἄκεσιν ἐπιτήδειος. *Ammaus nomen translatum ſignificat aquas calidas. Eſt enim in illo vico fons aquæ calidæ ſalubris*. Nec officere poterunt illi ſententiæ JOSEPHI ejuſdem, quæ conſequuntur, dicta, ſi Τιβεριάδος nomen, non modo urbem, ſed & regionem urbi contributam, deſignare cogites. Ita autem JOSEPHUS in *Vita ſua* p. 631. *Edit. Frob.* γράφει πρὸς μὲ Ἰωάννης, παρακαλῶν ἐπιτρέψαι καταβάντι χρήσασθαι τοῖς ἐν Τιβεριάδι, θερμοῖς ὕδασι τῆς τοῦ σώματος ἕνεκα θεραπείας. *Scripſit ad me Joannes, rogitans, ut ſibi darem veniam thermis Tiberienſibus utendi, valetudinis cauſſa*. Rurſus de *Bell. Jud. Lib.* II. cap. XLIII. p. 761. Σκηψάμενος δὲ νόσον, ἱκέτευε, δι' ἐπιστολῆς τὸν Ἰώσηπον ἐπιτρέψαι πρὸς θεραπείαν αὐτῷ χρήσασθαι τοῖς ἐν Τιβεριάδι θερμοῖς ὕδασιν. *Simulans autem morbum, per epiſtolam oravit Joſephum, ut concederet ſibi uti calidis aquis, quæ ſunt in Tiberiade, propter valetudinem*. At rectius hæc, & in

An in ipſa urbe.

cauſſas rerum a JOANNE perfide geſtarum convenientius, de ipſa urbe accipiemus, quippe in qua fontem aquæ calidæ fuiſſe, plenam nobis fidem ANTONIUS MARTYR in *Itinerario* p. 8. facit. *Deinde*, inquit, *veniamus in civitatem Tiberiadem, in qua ſunt thermæ ſalſæ. Nam aqua maris in ipſo loco dulcis eſt, quod mare circuit millia VII.* Quid? quod ipſe quoque PLINIUS Lib. XV. *urbem Tiberiadem aquis calidis ſalubrem appellavit? Chammath* autem non contigua *Tiberiadi*, ſed aliquantulum diſſita fuit, ut ſupra e JOSEPHO didicimus. Proinde in ipſa urbe *Tiberiade* fuiſſe aquas, & balneas calidas, quæ ſigillatim, ac proprie, THERMÆ TIBERIENSES vocentur, credimus, tametſi non negemus, & *Chammatenſes*, & ſi quæ aliæ in *Tiberienſium* ditione fuerunt, *Thermas*, generali TIBERIENSIUM THERMARUM appellatione haud raro contineri. Neque enim in lacu *Geneſeritico* TIBERIENSES THERMAS quiſquam, cum SOLINO quæſierit, qui, quod

Notatur Solinus.

PLINIUS urbi tribuerat, *lacum*, ait, *ingenuo æſtu ſalubrem*, notatus propterea merito a SALMASIO *Exercit. Plin.* p. 408. Quicum componendus eſt error auctoris

Auctor libri Aruch.

libri ARUCH, qui aquas maris ſive lacus *Tiberienſis*, laxare alvum tradit, id videlicet lacui, quod calidarum in urbe aquarum eſt, adſcribens.

IX.

I X.

Atque de illis THERMIS TIBERIENSIBUS cum nobis propositum sit, quæ tradita reperimus, dicere, boni lex ordinis postulat, ut primum de earum origine, & antiquitate, exponamus. Nec vero ullum hic certæ originis indubitatum indicium expectes e monimentis *Judæorum*, quippe qui tantum abest, ut veros rerum ortus aut indagaverint, aut recensuerint, ut potius vel ipsi incerta commenti sint, ac consectati, vel indagata, & explorata, confictis fabulis obscurarint. Hos ergo si audias, ad ultima rerum procreatarum initia THERMARUM TIBERIENSIUM origo forte fuerit referenda. Fontem enim aquarum calidarum, qui *Tiberiade* fuit, jam antiquissimis temporibus inter eos fuisse, quorum inundatione universalis extitit eluvio, in *Sanhedrin Babyl. fol.* 108. 1. postquam, quæ ad intelligentiam verborum MOYSIS *Gen.* VII. 11. ביום הזה נבקעו כל מעינות תהום רבה : *eo die aperti sunt omnes fontes abyssi magnæ* : facere viderentur, commentati erant, expresse ita tradunt. אמר רבי יוחנן : ג׳ מעינות נשתיירו מהם גלועה דבדר וחמי טבריא ועינה גדול דבירם *Rabbi Jochanan ait : Tres fontes ex iis supersunt, vortex nempe Gadarenus*, THERMÆ TIBERIENSES, *& magnus fons Biram.* Ac בלועה דגדר *vorticem* quidem *Gadarenum* haud dubie illum vocant, de quo nos supra, & STRABO *Libr.* XVI. p. 764. Ἐςι δὲ ϗ ἐν τῇ γαδαρίδι ὕδωρ μοχθηρὸν λιμναῖον, ἓ τὰ γευσάμενα κτήνη, τρίχας καὶ ὁπλὰς καὶ κέρατα ἀποβάλλει. *Est in regione Gadarena aqua palustris dura, cujus haustu jumenta pilos, ungulas & cornua perdunt*. Quis autem עינה גדול דבירם *Fons magnus Biram* sit, ipsi in *Rosch Haschana Babyl.* fol. 23. 2. ita explicant : מאי בית בלתין אמר רב זו בירם *Quæ domus Belatin? Raf dicit : est Biram.* In cujus pronunciati expositionem hæc adjecta glossa est : זו בירם משמע כאן שהוא מארץ ישראל וכן מפרש רבינו תם בקדושין גבי מיחסי דפומבדית אמבירם נסבי : *Hic Biram. Sensus hic est, quod extra terram Israel sit. Atque ita interpretatur Magister noster in Keduschin : Abstulit ex familiis Pumbeditanis* : h. e. *Biram sumsit*. Adjungunt his חמי טבריא, THERMAS TIBERIENSES, earumque, perinde ac ceterarum, scaturigines in תהום הבר, *abysso magna*, quærunt. Nec vero multum falluntur ingeniosi scilicet naturæ indagatores, si abyssum illam OCEANUM appellent, ex quo omnes omnino aquas oriri, ac per subterraneos ductus transmitti, & in quem indidem refluere vulgo existimantur. At cum omnis illa fabulis nitatur disputatio, aut nullæ nobis, aut propriores vero, originis & antiquitatis caussæ sunt afferendæ. Atque id quidem haud temere videmur asserturi, regionem istam inde a primordiis, frequentatæ post illam immanem aquarum eluvionem *Palæstinæ*, THERMIS inclaruisse, si, quod constanter affirmant *Judæi*, antiquæ urbi חמת, de qua supra fuse diximus, a *calidis aquis* nomen extitit. Neque tamen ausit quisquam ad ANÆ, filii *Zibeonis, Seiritæ*, ætatem THERMARUM referre initia : tametsi HIERONYMUS את הימים a quibus במדבר *in diserto* inventis, ANA *Gen.* XXXVI. 23. laudatur, tanquam ex lingua *Punica*, חמים, *aquas calidas* interpretetur. Illud forte non inepte conjectando assequemur, fontem illum TIBERIENSEM aquis calidis multo scaturiisse prius, quam ab hominibus fuit exploratus, ac proinde eandem expertum esse fortunam, quam thermæ aliæ, quarum fere sero ac fortuito cognita virtus est. Quibus autem e caussis aliæ nasci thermæ solent, iisdem quoque TIBERIENSIUM originem adscribendam esse judicamus. Ut adeo illa non ex תהום רבה *abysso magna* arcessenda, sed natura ac indole soli mineralis & bituminosi, fortassis & propinqui lacus, ducenda videatur.

Origo & antiquitas.

Quæ. Judæis videatur.

Vortex Gadarenus

Magnus fons Biram.

הימים an חמים.

Vera antiquitas. & origo.

X.

Ipsarum autem THERMARUM TIBERIENSIUM naturam si quæras, & indolem, ingenuo eas æstu ferbuisse, reperies. Inde nomen iis חמים est, quod a חמם ortum, *fervidum* ac *calidum* significat, non quod calefieri demum illas, admoto igne, oportuerit, sed quod ipse fons calidis scaturiret. Explicate MAJEMONIDES ea de re ad *Mischnæ* נגעים cap. IX. *Halach* 1. in hanc sententiam. *Notum est*, inquit, *Tiberiade existere aquas calidas. Aquæ autem calidæ dum ab auctore dicuntur, aquæ intelliguntur ejusmodi, quæ ex fonte sulphureo promanant, adeoque non sunt obnoxiæ illi juri, cui aquæ igni calefactæ*. Nec minus enucleate OBADIAS de BARTENORA ibidem : *Aquæ Tiberienses*, ait, *ab ipsis fontibus, e quibus ebulliunt, calidæ sunt, non ab ignibus*. Præterea sulphuratas quoque & salsas fuisse, cum ex jam laudato MAJEMONIDIS dicto, tum ex ANTONINI MARTYRIS *Itinerario*

THERMÆ TIBERIENSES natura calidæ.

Item sulphuræ ac salsæ.

rio p. 5. diſcas. *Deinde*, inquit, *venimus in civitatem Tiberiadem*, *in qua ſunt thermæ ſalſæ*. Quo magis nobis ad CAROLINARUM THERMARUM naturam videntur acceſſiſſe, præſertim quum non tantum in lavacra adhibitæ, ſed etiam potæ valetudini profuiſſe perhibeantur. Ita namque in *Scabbath* fol. 3. 1. R. JOSUA filius LEVI, *ægrotus laviſſe in* THERMIS TIBERIENSIBUS dicitur, *innixus humeris R. Chajæ*. Quorſum & illud in *Miſch. Schabb.* cap. XXII. *Halach* V. p. 70. referas חרוחץ במי מערה ובמי טבריא ונסתפג אפילו בעשר אלונטואות וג׳ : *Lotus aquis Mearæ* [calidis] *& Tiberienſibus*, *etiamſi decem ſe abſterſerit linteis. Cetera*. De potis autem teſtatur, quod in *Tractat.* מכשירים cap. VI. *Halach.* VII. p. 448. *Judæorum Magiſtri* afferunt. אלו לא מטמאין ולא מכשירים וג׳ רבי יוסי אומר חוץ מדמו והשותה מי טבריא אף על פי שיוצאין נקיים *Sed non polluunt*, *nec diſponunt. Cetera* R. JOSIAS ait: *excepto ſanguine ipſius*, *& eo*, *qui bibit aquas Tiberienſes*, *licet puræ exeant*. Quibus verbis MAJEMONIDES ſubjicit: *Aquæ Tiberienſes ejus naturæ ſunt*, *ut ventrem relaxent*, *ſi bibantur*, *atque ex iis aquæ puræ prodeunt*, *uti eæ*, *quas bibimus*. Ex quo ſimul intelligas, non poſtremam fuiſſe

Virtutes earum.

TIBERIENSIUM AQUARUM virtutem, laxare alvum, cum potæ eſſent. Ceterum eas communem omnibus morbis medelam habitas eſſe, paſſim JOSEPHUS indicat, dum πρὸς ἄκεσιν ἐπιτηδείυς eſſe, & πρὸς θεραπείαν τῦ σώματος adhibitas tradit. Igitur cum & POCULORUM TIBERIENSIUM in *Nidda* fol. 50. & MENSURARUM TIBERIENSIUM in *Mezia* fol. 11. mentio injicitur: tum vero præcipue in *Judæorum* monimentis *Tiberias* a THERMARUM virtutibus, & hominum illuſtrium, qui valetudinis cauſſa illuc confluerent, frequentia commendatur.

& Celebritas.

Huc pertinet, quod paullo ante ex *Schabb. fol.* 3. 1. adduximus, ubi JOSVA, filius LEVI, *in humeris Chajæ innixus*, *laviſſe in Tiberienſibus thermis* dicitur. Cui adjici & illud poteſt, quod JOSEPHVS in *Vita ſua* p. 681. *Edit. Frob.* refert. γράφει πρός με Ἰωάννης παρακαλῶν ἐπιτρέψαι κατκβάντι χρήσασθαι τοῖς ἐν Τιβεριάδι θερμοῖς ὕδασι τῆς τῦ σώματος ἕνεκα θεραπείας. Et iterum de *Bell. Jud. Libr. II. c. XLIII. p.* 761. Σκηψάμενος δὲ νόσον ἱκέτευε δι' ἐπισολῆς τὸν Ἰώσηπον ἐπιτρέψαι πρὸς θεραπείαν αὐτῷ χρήσασθαι τοῖς ἐν Τιβεριάδι θερμοῖς ὕδασι.

XI.

Profanæ tamen habitæ ſunt. & Quare.

Ut vero ſumma fuerit THERMARUM TIBERIENSIUM in communi vitæ uſu exiſtimatio: nullo tamen unquam in numero inter ſacra fuere. Enimvero multa ſibi ſuperſtitioſi *Judæi* finxere aquarum genera, quibus in ſacrificiorum procuratione uti nefas eſſet. Præter cetera hic nominari juvat המי המוכים *aquas molles*, המים המכזבים *aquas fallaces*, מי הערובות *aquas miſcellaneas*, quarum quod diſcrimen ſit, in Tract. פרה cap. VIII. *Halach. IX.* pag. 296. ita exponitur: המים המוכים פסולים אלו הם המוכים חמלוחים והפושרים המים המכזבים פסולין אלו הם המים המכזבים המכזבים אחד בשבוע . *Aquæ molles profanæ ſunt. Sunt vero aquæ molles ſalſæ ac tepidæ. Aquæ fallaces profanæ ſunt. Sunt vero fallaces aquæ*, *quæ ſemel exareſcunt per hebdomadem*. Ac paulo poſt *Halach.* X. מי תערובות אחד כשר ואחר פסול *Aquæ miſcellaneæ ſunt*, *partim ſacræ*, *partim profanæ*. In quæ loca prorſus ad mentem noſtram BARTENORA. *Aquæ*, inquit, *molles dicuntur*, *quæ nocent*, *quales ſunt ſalitæ*, *vel tepefactæ*. *Atque eas non licet adhibere piaculis*. *Aquæ fallentes ſunt*, *quæ exareſcunt*. Cum his gemina ſunt, quæ ibidem MAJEMONIDES ediſſerit. *Molles*, ait, *ſunt aquæ nocivæ*, *ſalitæ nimirum & tepidæ*, *quæ licet fluidæ ſint*, *non tamen vivæ habere queunt*. *Similiter aquæ fontium exſiccatorum vocantur aquæ fallaces*. *Aquæ autem miſcellaneæ appellantur*, *ubi aqua profana cum legitima miſta eſt*. Unde haud difficulter animadvertas TIBERIENSES THERMAS, ſalſas quippe ac fervidas, ad המים המוכים, *aquas molles* referri, profanaſque, & a ſacrorum contagione alienas, cenſeri oportere. Nimirum ea cauſſa eſt, quamobrem in *Schabb.* cap. XXII. *Halach.* V. p. 70. tam ſolicite cautum eſt, ne quis aquæ Tiberienſis quicquam imprudens auferat. הרוחץ במי מערה ובמי טבריא ונסתפג אפילו בעשר אלונטיאות לא יביאם בידו אבל עשרה בני אדם מסתפגין באלונטית אחד פניהם ידהם ורגליהם ומביאים אותן בידן . *Unus aliquis lotus aquis Mearæ aut Tiberienſibus*, *tametſi decem ſe linteis abſterſit*, *ne tamen auferat ea manu ſua*. *Quodſi decem homines vel uno linteo abſterſerint vultus*, *manus*, *& pedes*, *idem tamen auferre illis eſto licitum*. Multi namque videntur rectius cauturi, ne qua illius aquæ gutta e madido linteo in ſacram aliquam ſuppellectilem deſtillet, quam unus, etſi fere ſiccum abſtuliſſe ſecum linteum videatur. Quid? quod Tiberienſes aquæ in *Machſchirin* cap. VI. *Halach. VII.* p. 448. quem locum

Aquæ molles, fallaces & miſcellaneæ.

Sacris prohibitæ.

paulo

paulo ante excivimus, expressis verbis polluere dicuntur? Proinde etiam, si qua forte ex contractu TIBERIENSIS AQUÆ in humana cute nota esset, ulcus ea, quale ex alliso ligno, lapide, ac olivarum cortice fit, judicatur in *Mischn.* נגעים cap. IX. *Halach. I.* p. 243. איזה הוא השחין לקה בעץ או באבן או בנפת או במי טבריא כל שאינו מחמת האש זה הוא שחין *Quid est* שחין, sive *apostema? Quod a percussione ligni, aut lapidis, aut corticis olivarum, aut e contactu aquæ Tiberiensis ortum est. Et quicquid non læsum est igne, id dicitur* שחין *ulcus.*

XII.

In ipsis autem THERMIS TIBERIENSIBUS, earumque usu, quid pium ac fas superstitio gentis, quidve nefas & impium habuerit, vel ex iis, quæ de aqua frigida ad temperandum *Thermarum* calorem per canales inducta, in *Scabbath. cap.* III. *Halach. IV.* fol. 16. referuntur, cognoscitur. Ita namque ibi: מעשה שעשו אנשי טבריא והביאו סלון של צונן לתוך אמה של חמין אמרו להן חכמים אם בשבת בחמין שהוחמו בשבת אסורין ברחיצה ובשתייה ואם ביום טוב כחמין שהוחמו ב״ט אסורים ברחיצה ומותרין בשתייה. *Id nimirum est, quod Tiberienses fecerunt. Aquam frigidam per canalem in fossam calidæ deduxerunt. Admonuerunt eos Sapientes: Si in Sabbatho* (adducitur frigida) *pro calidis, quæ in Sabbatho calefactæ sunt, habetur. Sin in die festo, pro calidis festo die calefactis, quæ probibitæ sunt ad lotionem, non ad potum.* Ad quorum intelligentiam verborum faciunt, quæ BARTENORA & MAJEMONIDES iis subjecerunt. Et ille quidem in hanc sententiam: סלון, inquit, *est canalis, per quam aquæ deducuntur. Canalis autem iste, in* THERMAS TIBERIENSES *immissus, ab ipso* THERMARUM *calore incaluit. Aquæ igitur frigidæ, per eum deductæ, intra eundem calefactæ sunt. Ex eo occasionem nacti sunt Sapientes, eandem esse rationem aquarum per illum canalem in Sabbatho deducturum, atque aliarum, quæ in Sabbatho calefactæ sint. His autem neque minimum fas est, membrum lavare, tantum abest, ut bibere eas liceat. Ita etiam aquarum in die festo per canalem illum defluentium eandem esse naturam statuerunt, quæ est aliarum in die festo calefactarum, nimirum ut nefas habeatur in iis totum lavare corpus, fas autem, lavare faciem, manus & pedes, æque ac potare eas. Atque in eo recte sensisse Sapientes visi sunt. Proinde ad saniorem mentem cives Tiberienses redierunt, ac, quem fecerant, canalem confregerunt.* Similiter MAJEMONIDES סלון, ait, *est canalis rotundus, e luto, plumbo, aut alia materia factus. De* TIBERIENSIBUS *autem* THERMIS *constat, quod balneæ per naturam calida præbuerint.* אמה *est fossa, in quam aquæ calidæ deductæ sunt, perinde ut canalis. Canales vero, quod in balneas calidas immersi erant, ab ipsis calefiebant, prorsus ut aquas etiam per eos manantes calefieri oportuerit. A Sapientibus igitur, quæ per illos canales in Sabbatho fluebant aquæ, habitæ sunt eodem in numero, quo, quæ in Sabbatho calefiunt, quibus sive ad potum, sive ad lavacra uti nefas judicatum est. Contra, quæ in die festo per illos canales deveherentur, eandem creditæ sunt habere dignitatem, quam aliæ in diebus festis calefactæ, nimirum, ut liceret quidem iis lavare faciem, manus, pedes, nec non eas bibere, nefas autem totum in illas corpus immittere putetur. Illud tamen animadvertendum est, aquas, Sabbathi vespera calefactas, impune adhiberi posse ad faciei, manuum item ac pedum lotionem: aquas autem vespera diei festi calefactas ad totius corporis lotionem.* Atque ea sunt, quæ de THERMIS TIBERIENSIBUS ex *Judaicæ Antiquitatis* monimentis discere licuit. Quæ vero istarum THERMARUM post id tempus facies ac fortuna fuerit, quærant alii. Nobis id adjecisse suffecerit, Patrum memoria adhuc THERMAS TIBERIENSES, quod ex ANTONINI MARTYRIS *Itinerario*, aliorumque commentariis cognoscimus, floruisse.

Usus earum quis licitus, quis illicitus.



JEREMIÆ PHILADELPHI,

DE

VALLE JOSAPHATI

Ex Joel. III. 2. 12. nec non

Valle Excidii Joelis IV. 14. meditatio.

§. I.

Esse δυσνόητα permulta in sacris utriusque fœderis voluminibus, si vel alia deficerent testimonia, quæ est summa inter interpretes in explicandis capitibus non paucis, docet dissensio. Contradicit alter alteri; hic ostendit, quomodo lapsus sit ille, in securiorem inquirit viam alius, ubi reliquos a veritatis tramite videt aberrasse. Nec tamen raro contingit, ut meliora non afferat, cui sordent aliena; vehementius impingat ipse, aliis id exprobrare paratissimus; imo incidat in scyllam, qui vult vitare Charybdim. Mirum non est, si ingens antiquitatum & rituum, quorum vix quidam ad nos pervenere; isque perexigui rivuli, pelagus; si longam rerum gestarum, quarum una alterave tantummodo inaudivimus summa capita, seriem; si ipsam denique styli virorum Θεοπνεύστων spectemus sublimitatem atque magnificentiam. Accedit, quod de lingua Hebraica ejusdem hodie peritissimi tantum callent, quantum per temporum licet injuriam. Hæc mecum reputans, vix impetrare a me possum, ut juris faciam publici, si qua in sacri codicis lectione se mihi offerat explicatio a nemine vel paucis jam ante proposita. Quæ tamen me lactat spes, eandem, si qua a vero deflexero, quam alii, impetrandi veniam; imo quod me tenet desiderium rectiora ab iis, quibus mea non probantur, & his meliora norunt, edoceri; stimulum mihi admovit, ut cum perito & benevolo lectore, quæ de *Valle Josaphati & deducendis in illam a Deo gentibus* ex Joelis cap. IV. 2. 12. opinor, communicem.

§. 2. Perpetuo veluti montium jugo hæcce vallis includitur, nullis se pylis aperiens interpretibus, aut certe perangustis. Inde fessum investigandi studium plurimos ad vallem Cedron, urbi Hierosolymorum contiguam, detulit. Et cum meliores fere omnes hoc Joelis vaticinium de extremo a Christo in totum genus humanum exercendo judicio uno ore interpretentur; sunt qui tradidere, hoc lo-

co

co moti, judicium ultimum in hac ipsa prope Hierosolyma valle habitum iri. In quibus Christianus *Adrichomius* in Theatro Terræ sanctæ pag. 172. num. 204.

§. 3. Recte ab his dissentiunt, ne Chiliastis aliisve superstitiosis de terreno quodam, cum Judæis, Messiæ regno somniandi materiam suppeditent, qui typice hæc & per metalepsin a vate dicta malunt, quemadmodum Josaphat in valle benedictionis insigni potius est victoria, quæ 2. Chron. XX. prolixe recensetur, & verus omnino in hunc prophetæ locum est Commentarius; sic Christum in extremo judicio e suis veritatisque hostibus triumphum esse acturum amplissimum. In his est Stephanus *Fabricius*, Bernensis Ecclesiæ quondam pastor, cujus verba ex sacris ipsius in prophetas minores concionibus, p. 523. huc adscribi merentur. „ Locus, in„ quit, etiam judicii exercendi designatur parabolice: nempe VALLIS JOSAPHAT. „ Hoc autem non ita accipiendum est, ac si certa quædam vallis sit, in quam to„ tus mundus aliquando cogendus & congregandus sit, ut ibidem judicium Dei „ subeat, sicuti quidam putant: Sed locutio hæc sumpta est ab insigni victo„ ria, quam reportavit rex Josaphat de suis hostibus, quæ describitur 2. „ Chron. XX. Ab hac ergo pugna & victoria Josaphati vallis ista hic denomina„ tur, alioquin dicta vallis benedictionis, sive laudis, quia ibi benedixerunt Jeho„ væ, id est, laudaverunt eum, gratias ei agentes pro tam insigni victoria. Sen„ sus igitur est, ac si diceret Dominus: Se aliquando cum hostibus Ecclesiæ actu„ rum, quemadmodum olim cum Moabitis & Ammonitis populi sui hostibus ege„ rit. “ Hæc ille. Eodem quo Fabricius modo exponunt Joh. *Schmidius* in Proph. min. pag. 518. 519. Joh. *Tarnovius* in Proph. min. p. 492. seqq. & alii multi. Nisi quod celeberrimi hi viri vocem יהושפט appellative, ut significet פילוג דינא h. e. *distributionem judicii*, *contentionem judicii*, *habendum judicium*, vertentis. Quem & secutus Raschi hunc ad locum ita commentatur: אל עמק יהושפט ארד עמם בעמק יהושפת הדין משפטי יה h. e. In vallem *Joschaphat* hoc loco reddendum est: Descen„ dam cum illis in vallem *habendi judicii*. Vocabulum *Ihoschaphat* enim *judicia Dei* „ hic significat. Sic habent viri celeberrimi, & qui cum iis faciunt, ex ipsis Judæis, quorum vestigia premunt: & Jonathanis in primis auctoritas. propter antiquitatem, videatur non esse nulla. Quomodo vero יהושפט appellativum esse potest, cum Hebræa lingua composita ejusmodi nesciat? Objiciat mihi quis צלמות, & si qua fuerint pauca alia. Ast hæc non sunt vera composita, sed revera binæ voces, quæ cum loquentium celeritate in unam quasi coaluerint; scribendo quoque cum tempore fuerunt contractæ, aut potius manserunt; haud aliter quam ὤνθρωποι pro οἱ ἄνθρωποι apud Græcos, & ab Hebræis מזה pro מה זה, & ejusdem farinæ plura. Vel & concedamus composita hæc esse; utrumque tamen simplex comparet integrum, secus ac in יהושפט.

§. 5. Quare עמק יהושפט nobis erit *Vallis Josaphati*, cum vulgata Græca, Lut., Sanctio, & aliis; quibus addo Kimchium & Abarbanelem, Judæos. Explicaturus quomodo Josaphati cognomen vallis illa fuerit sortita Kimchius subjungit: וזה העמק היה למלך יהושפט אולי בנה שם או עשה שם מעשה ונקרא על שמו' „ Fuit vallis ista Josaphati, quo in illa forsitan ædificavit aut fecit opus aliquod, „ unde ab ipso est cognominata. “ Satis mihi jejuna hæc videtur conjectura, cum nullo plane ex historia fulciatur fundamento; posteriori Paralipomen. aliam appellationis hujus rationem suppeditante. Abarbanel tamen, & quod miror, Drusius ad ipsius abeunt opinionem.

§. 6. Hanc Josaphati vallem, ubinam quærant interpretes verbo jam supra fuit indicatum. Affert Drusius p. 466. historiam ex Josephi Gorionidis lib. 6. c. 74. de Zacharia quodam, ex summa turri, quæ ad mœnia urbis Hierosolymorum fuerit, in terram præcipitato, qui e muro in latera vallis Josaphat ceciderit. A quo magistro se rectissime edoceri existimat vir celeberrimus, vallem hanc Hierosolymorum urbi fuisse contiguam. Est hic unus antiquiorum, qui cum Judæorum tum Christianorum permultis, iisque magni nominis viris, persuasit, eandem esse Cedronis & Josaphati vallem. Unde Adrichomius, quasi re extra omne dubium posita, p. 172. n. 202. „ Torrens Cedron, rivus est ad orientem Jerusalem, inter ipsam „ & montem Oliveti, qui pluvialibus aquis undique de montibus, nec non ex „ fontibus ac piscinis auctus, dulci quodam strepitu per mediam vallem Josaphat „ atque Gehennon, perque plana deserti in mare mortuum fluens absorbetur. “ „ Et num. 204. Vallis Josaphat, quæ & vallis Cedron, & vallis montium voca„ tur, vallis est lata & profunda inter Jerusalem & montem Oliveti interjecta, „ totam ab oriente cingens urbem. “ Joh. Lightfootus Operum Vol. II. p. 200. ambi-

ambigit cum Kimchio, quid de Valle Josaphati statuendum sit; ad eandem tamen sententiam videtur inclinare. Vid. & ejus Vol. I. p. 94. Mihi quidem Josephi hujus auctoritas tanta non est, ut illa abripi me patiar. Argumenta deinceps in medium proferentur, quæ me plane aliter jubent sentire.

§. 7. Jam ne diutiuscule in valle incerta oberremus, examinandum paucis adhuc erit, an de strage hostium Ecclesiæ in valle Josaphati edenda consentiant Commentatores; & quorum explicatio alteri sit præferenda. Missas facimus Judæorum nugas, de suo hæc, quem expectant, Messia explicantium, gentes internecione deleturo & Hierosolymas restauraturo.

§. 8. Gravius fere impingunt, qui in ipsam Josaphato a Deo concessam adversus Moabitas, Ammonitas & Idumæos victoriam hæc a propheta dicta volunt. Ponamus, Joelem Josaphati ævo vixisse, [quod tamen probatione, singulis fere contradicentibus, multoque recentiorem eum facientibus, indigeret admodum probabili;) nequivit certe propheta, si intelligi a lectoribus voluit, pugnæ vallem ante reportatam in ea victoriam adpellare Josaphati vallem; quod cognomen demum post pugnam & ab ea est nacta. Adeo infirmis hæc opinio nititur talis, ut quod possem, multis opponendi lubens supersedeam labore.

§. 9. Refutans ita sentientes Drusius Comm. in proph. min. p. 465. Babyloniis Judæos in captivitatem abducturis eorumque sociis putat interitum prænunciari. „ Sequentia, inquit, satis declarant, hunc locum intelligendum esse de Assyriis & „ Chaldæis, hoc est, de iis gentibus, quæ Chaldæis in bello adversus Judæos mili- „ tarunt. Sic Abd. *6. quemadmodum bibistis (vos* Judæi *) in monte meo sacro, bi- „ bent omnes gentes jugiter: bibent, inquam & absorbebunt, & erunt ac si non „ fuissent*. Cum autem *omnes* dicit, nullam excipit. Quocirca errant, meo judi- „ cio, qui hæc restringunt ad historiam, quæ narratur 2. Paral. 20. Nam quæ gen- „ tes bellum Josaphato intulerunt, memorantur ibi Ammonitæ, Moabitæ, & Idu- „ mæi, nec plures. " Errent omnino illi: Verum errat & Drusius. Quis enim historicorum memoriæ prodidit, ea passos esse Assyrios & Babylonios, quæ hic propheta minatur? Et quod majus, connexioni quomodo consuletur; cum in antecedentibus effusio Spiritus Sancti in Apostolos facta tam vivis depingatur coloribus, ut non possit vividioribus. Reductorum ex captivitate Judæorum mentio Cap. IV. 1. facta, movit procul dubio virum, ut ita sentiret.

§. 10. Nisi connexio & multa, quæ illuc trahi nullo modo possunt, obstarent, rectius se mihi probaret *Tarnovii* conjectura, quam p. 493. inspergit: „ Quid ve- „ ro, inquiens, si totum hoc caput de Senacherib expeditione & clade intelliga- „ tur, quem judicabit Dom. in valle Josaphat prope Jerusalem, occisis ejus co- „ piis? 2. Reg. 18. 35. „ Cum quo & Lightfoot facit Vol. I. p. 49. Quomodo autem hæc cum promissione effundendi Spiritus sancti cohærent? Qualis tum facta erat captivitatis Judæ & Hierosolymorum reductio? Quid denique Tyriis eo tempore & Sidoniis rei cum Judæis fuerat, quod propheta Cap. IV. 4. tam acerbe in eos dicit? Quid Ægyptii peccaverant? quid Idumæi? qui non erant Sancheribi fœderati, sed quos & ipsos populabatur. Nullus dubito, viros eruditissimos & primo inter interpretes loco suo jure ponendos hoc probe perspexisse, quod quibusdam in locis textui hac expositione omnino vis sit facienda. Seduxit autem vallis Josaphati, quam prope Hierosolymorum muros & illo ipso in loco se invenisse crediderunt, ubi Sancheribi illa strages post hominum memoriam maxima, multisque de causis cum hostium Josaphati cæde omnino comparanda, fuerat edita.

§. 11. Denique vero nec ad extremum sub finem mundi judicium insignem hanc Joelis prophetiam referre audeo. Veniam a tot Theologis celeberrimis optimeque de Christi ecclesia meritis, qui unanimi consensu hanc amplectuntur sententiam, peto, quod argumento adductus non uno ipsis non possum suffragari. Quantus quæso prophetæ faciendus fuisset saltus, si, modo locutus de effusione Spiritus sancti in Apostolos statim ad finem mundi & extremum judicium flectere sermonem voluisset! Nimis magno tempora distant intervallo. Cur vero separabimus, quæ uti in vaticinio arctissime cohærent, ita una temporis serie esse impleta fide dignissimis demonstrare licet testimoniis? Non immerito in posterum eventura credimus, si quæ a viris sanctis legimus prænunciata, quorum vestigia nulla in historiis reperimus. Ubi tamen magna opus est circumspectione; cum unico verbo maximi momenti res & historiæ haud raro attingantur verius quam exponantur. Nec inficias ire quis poterit, præsagiorum in sacra scriptura obviorum completionem ex solis interdum exteris scriptoribus esse petendam. Undecunque vero sciamus facta jam esse quæ Deus per prophetas suos jussit prædici, frustra illa adimplenda expecta-

mus.

ctamus. Similia iis accidere iterum atque iterum posse, ad quæ ejusmodi vaticinium adplicari commode queat, experientia edocemur quotidiana. Sic accommodari Joelis vaticinium ad judicium extremum eleganter, concedo manibus ambabus; de eo esse explicandum primario, ut credam vix ac ne vix quidem a me impetravero. Admodum enim multa sunt in eo vi quadam illuc trahenda. Figurate multa, imo fere omnia, dicta esse facillime largior. Quis vero θεοπνεύστους arguat viros, quod figuris usi sint incongruis & rei absonis? Ego certe non video, quomodo de extremo dici queat judicio, quod Deus ecclesiæ hostes filiis Judæ sit traditurus, ut vendant eos Sabæis, & ejusmodi multa. Figurate loquimur, non ut simus obscuri, sed ut dicamus significantius, ut intelligamur rectius, & rem dicendam auditoribus vel lectoribus sistamus veluti præsentem. Quid si vero reperiamus in præteritis hostium ecclesiæ fata, quibus omnia a propheta vel proprie vel figurate dicta commode respondent, ipsis viris θεοπνεύστοις interpretibus? Id jam agemus ut ostendamus.

§. 12. Duplex erit opera nostra. Ante omnia in Josaphati illam vallem, a perpaucis adhuc inventam, lectores erunt deducendi, ut coram intueantur, situmque ejus & res in ea gestas probe examinent; ut a quibus & qua de causa Josaphati ipsi cognomen fuerit inditum ipsi judicent. Dein vero investigandum nobis erit, a quibusnam ecclesiæ hostibus & quomodo Deum sumturum vindictam propheta inflatu divino prænunciet. Si quid invenerit benevolus lector, quod assentiatur, erit quod mihi gratuler: Sin minus, edoceri cupio rectiora.

§. 13. In utroque nobis argumento lucem affundit clarissimam posterioris Chronicorum caput vigesimum. Prolixe ibi describitur Moabitarum, Ammonitarum atque Seiritarum in Josaphatum Judæosque moventium expeditio. Castra posuerant בחצצין תמר היא עין גדי, *prope Chazezon Thamar, quæ & Engedi*. v. 2. Josaphatus illorum sustinendo impetui impar divinum implorat auxilium v. 3. seqq. De quo impetrando per prophetam Jachsielem certior factus, obviam ire hostibus jubetur. 2. 14. seqq. Quos, עולים במעלה הציץ, *cum jam agmen ducant præter montana Ziz*, sint offensuri בסוף הנחל פני מדבר ירואל, *in extrema valle versus desertum Jeruel spectante*. v. 16. Pugna opus haud fore. Irent tantummodo, ut spectatores sint vindictæ divinæ ab hostibus sumendæ. 17. Confisus rex prophetæ promissionibus, inter preces & cantica copias urbe educit, למדבר תקוע *in desertum Thecoæ* adjacens. v. 18. seqq. Ante vero quam illuc pervenirent, discordes inter se hostes facti semet peremerant. Invenerunt igitur cadavera cæsorum hinc illinc in valle jacentia, tanta edita strage, ut nulli fere fuga salutem invenerint. v. 22. seqq. Tantam repererunt prædam, ut integro triduo illa occupanda detinerentur. v. 25. Quarto die in ipsa illa valle gratias summo numini pro tanta liberatione persolverunt humillimas. Unde hæc vallis cognomen עמק ברכה *vallis benedictionis* vel *gratiarum actionis*, est sortita. v. 26. Cum gaudio dein & jubilis Hierosolyma sunt reversi. v. 27. 28. Et ex eo tempore pace constanti fruebantur. v. 29. 30.

§. 14. Breve hoc laudati capitis dedisse argumentum, est digitis vallem Josaphati, quam quærimus, commonstrasse. Quis enim non videt, me non monente, unam esse vallem, עמק יהשפט, עמק הברכה, סוף הנחל פני מדבר ירואל & עמק החרוץ, quomodo similiter a Joele cognominatur c. IV. v. 14.

§. 15. Jam non ad Hierosolymorum mœnia vallis Josaphati a nobis erit quærenda, quam invenimus, בסוף הנחל פני מדבר ירואל h. e. *in extremitate vallis versus Jeruel spectante*. Huic vero ubinam assignabimus situm? Illam enim omnes ignorant Geographi, uno excepto Adrichomio; qui vero, p. 50. num. 162. præter nudum nomen nihil quicquam de situ habet. Imo fingit torrentem in hac ipsa valle, de quo in sacris nulla mentio; quando p. 55. num. 240. scribit: *Torrens contra solitudinem Jeruel, juxta quem Moab, Ammon & Seir perierunt a facie Josaphat*. 2. *Reg*. 20. „ נחל non est torrens hoc loco, sed vallis.

§. 16. Cum igitur solatium aliunde frustra quæratur, ipsum laudatum posterioris Chronicorum caput Geographorum supplet defectum. Qui primum Joeli afferebant de hostium adventu nuncium, eos prope *Engadi* castra posuisse indicabant. Progressi dein fuerant ad montana *Ziz*, offendendi a Josaphato in extremitate vallis e regione deserti *Jeruel*. Rex Josaphat obvius iis factus in desertum *Thecoæ* subjectum pervenit. Res equidem in expedito esset, si non æque ignoraretur *Ziz* atque *Jeruel*. Habet quidem Ptolemæus Arabiæ Petrææ *Zizam*, lib. 5. c. 17. Hæc vero Judææ illa Ziz esse nequit; nisi ille nimium regiones locorumque situs, quod haud raro facit, confundat: Sunt enim Ptolemæi incerta fere omnia, nisi antiquorum alii illum illustrent. Sufficiat ergo nobis, vallem, quam insignis hæc victoria nobilitavit,

vit, intermediam fuiſſe Engadi & Thecoæ urbibus; quarum ſatis certum definire poſſumus ſitum.

§. 17. *Engadi* ſive *Engaddi* oppidum ad latus Aſphaltitæ adpoſitum fuiſſe occiduum omnes conſentiunt Geographi. In eo diſſentiunt, quod aliqui ad ſuperiorem, qua Jordanem omnem recipit; plures iique potiores ad inferiorem lacus linguam vel ſinum id collocant. Sive ad hos ſive illos accedamus, parum ad rem faciet præſentem. Operæ tamen fuerit pretium, verum oppiduli hujus ſitum definire; quo rectius hoſtes Joſaphati ad internecionis ſuæ vallem progredientes proſequamur. Ad inferiora ponit Stephanus Byzantinus: Ἐγγάδα, κώμη μεγάλη πλησίον Σοδόμων Ἀραβίας. Engada, vicus eſt magnus, prope Sodoma Arabiæ. Sodomam vero circa auſtralem lacus Aſphaltitæ ſinum fuiſſe recentiorum nemo dubitat. Ad medium circiter lacum videtur collocaſſe Joſephus Antiqu. lib. IX. c. I. in relatione hujus ipſius Moabitarum & ſociorum in Joſaphatum expeditionis. Κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν, inquit, ἐστράτευον ἐπ' αὐτὸν Μωαβῖται καὶ Ἀμμανῖται, συμπαραλαβόντες καὶ Ἀράβων μεγάλην μοῖραν, καὶ κατεστρατεύονται πρὸς Ἐγγαδὲ πόλιν, κειμένην πρὸς τῇ ἀσφαλτίδι λίμνῃ, τριακοσίους ἀπέχουσαν σταδίους τῶν Ἱεροσολύμων. *Circa idem tempus bello eum* (Joſaphatum) *perſequuti ſunt Moabitæ & Ammonitæ, magna Arabum ſibi turba juncta. Caſtra poſuerunt ad Engade urbem, adjacentem Aſphaltitæ lacui, & trecenta ſtadia Hieroſolymis diſſitam.* Hoc Joſephi loco Relandus in Palæſtina, p. 448. 449. argumentis vero admodum debilibus, probare annititur, adpoſitam eam fuiſſe parti maris bituminoſi ſeptemtrionali. Quod ut poſſit, affert ejuſdem Joſephi auctoritatem, longitudinem maris bituminoſi ad 580. ſtadia extendentis, lib. IV. de Bello cap. 27. Ταύτης τῆς λίμνης μῆκος μὲν ἐγδοήκοντα καὶ πεντακόσιοι στάδιοι, καθὸ δὴ μέχει Ζοάρων τῆς Ἀραβίας ἐκτείνεται. Εὖρος δὲ πεντήκοντα καὶ ἕκατον. *Lacus hujus longitudo quingentorum & octoginta ſtadiorum eſt; nam uſque ad Zoara Arabiæ extenditur: latitudo centum quinquaginta ſtadiis patet.* Hinc concludit Relandus, Engedi plus quam 600. ſtadia Hieroſolymis abfuiſſe, ſi ad ſinum lacus auſtralem fuiſſet poſita. Quaſi vero parti lacus auſtrali adpoſita dici nequiret, niſi in extremo illius fuerit limite. Hoc diſerte Hieronymus, cui ibi contradicit, non aſſerit. Auſtrali lacus parti adpoſita fuit, dummodo extremitati illius meridionali quam ſeptemtrionali fuit propinquior. Cur autem vir celeberrimus non recta via Hieroſolymis ad lacum cum Joſepho pergit, ſed ambages Hierichuntem & ad Jordanem quærit? Hos ut ſequamur anfractus ad minuendam oppidi Engaddi ab Hieroſolymis a Joſepho datam diſtantiam ratio ſubeſt nulla; admodum ſunt multæ, ut longius paulo removeamus. Quotquot fere Scripturæ ſacræ loca oppidi Engedi faciunt mentionem, ad extremos, qui Judæam meridiem verſus includunt, limites id rejiciunt. Si conferantur capita XXIII. XXIV. & XXV. prioris Samuelis, dubitare nos non ſinunt, hunc fuiſſe urbium ibi memoratarum ſitum, procedendo a ſeptemtrione verſus auſtrum: *Ziph*, *Engedi*, *Maon*. David fugiens inſidias Saulis in ſolitudine *Ziph* latitabat. Cum ibi tutum ſe non videret, in deſertum *Engadi*, finibus Judææ propinquius, ſe recipiebat. Verum nec hic ſecurus, in ſolitudinem *Maon*, Judææ partem extremam qua in meridiem vergit, & Arabiæ deſertum *Pharen*, promovebat. Fuit autem *Ziph* in octavo milliario ab *Hebrone* verſus auſtrum & orientem; *Hebron* ut Hieronymus tradit, ultra viginti millia in meridiem ab Hieroſolymis recedit. Jam cum *Engadi* magis adhuc in auſtrum vergat, trecentorum ad minimum ſtadiorum intervallo recta linea Engadi & Hieroſolyma diſſita fuerunt. Imo longius abfuit Hieroſolymis, ſi non oppidum, certe deſerti Engedi pars auſtralior. Nullum ſane eſt dubium, quin longo adhuc intervallo verſus auſtrum deſertum *Engedi* a *Ziph* poſitum fuerit aut ſe extenderit, in auſtrali limite Judææ, eoque extremo. Quantum enim ex Gen. XIV. 7. adparet, in eodem fuit cum Kades tractu; quippe quod prius contingerent Kedorlaomor & ſocii quam ad pentapolin pervenirent, igne cœlitus deinceps delendam. Nec impedit, quod ibi חצצן תמר adpellatur. Utrumque nomen 2. Chron. XX. legitur. Hujus, de qua nunc eſt ſermo, adpellationis rationem explicat Joſephus Ant. lib. IX. c. I. Γεννᾶται δὲ ἐν ταύτῃ φοίνιξ ὁ κάλλιστος, καὶ ὀποβάλσαμον. Fert regio circa Engedi egregia palmeta & balſamum. Interdum & unde תמר dictum fuit, quemadmodum Ezech. XLVII. Ubi limes Judææ conſtituitur meridionalis ab hac *Thamar*, per *Cades*, ad *mare mediterraneum*. Jam quis *Engedi* oppidi & deſerti ſitum non videt, in ipſis ferme Judææ & Arabiæ confiniis, ad linguam maris mortui inferiorem, nec adeo longe ab ultima hujus ſinus extremitate. Id quod miror Relandum non animadvertiſſe. Hoc in deſerto Moabitæ, Ammonitæ & Seiritæ primo ſua caſtra collocaverant.

§. 18.

§. 18. Supereſt, ut paucis *Thecoæ* illuſtremus ſitum. Hæc *Hieroſolymis* in auſtrum aberat duodecim millibus, Hieronymo in Eſaiæ VI. 1. & Euſebio teſtibus. Eodemque Hieronymo in Amos prophetam monente, ſex millibus ad meridianam plagam diſtabat a Bethlehemo; quod Euſebius in ſexto ab Hieroſolymis ponit milliario, in via quæ Hebronem ferebat. Joſephus lib. V. de bello c. 7. Herodio vicinam fuiſſe docet; cui 60. ſtadiis ab Hieroſolymis verſus auſtrum, Antiqu. XIV. 28. XV. 12. de Bello I. 11. 16. & 200. ab Hierichunte ſtadiis, de Bello I. 21. locum aſſignat. Ex quorum collatione adparet, ita Hieroſolymis verſus auſtrum fuiſſe, ut in orientem ſimul ab Hieroſolymorum meridiano declinaret, nec longe ab Aſphaltite lacu recederet. מדבר תקוע, *Deſertum* ſive *campeſtria Thecoæ* in celebrem vallem mari mortuo adjacentem deſinebant; quam a Tiberiadis mari ad ultimos Aſphaltitæ lacus fines, imo vel ulterius, ſe extendentem Joſephus de Bello V. 4. magna induſtria deſcribit.

§. 19. Hæc uti ingentis longitudinis, ita ſatis quoque amplæ latitudinis vallis τό μέγα πεδίον dicebatur. In cujus magnæ planiciei parte inferiori mari bituminoſo adjacebat Engedi, prout ſupra oſtendimus; Eratque מדבר עין גדי, *ſolitudo* ſive *campeſtria Engedi*, ubi David latitabat 1. Sam. XXIV. 2. hujus ſpacioſæ vallis pars. In his circa *Engedi campeſtribus* prima in Judæa Moabitæ & ſocii caſtra poſuerant. 2. Chron. XX. 2. In eadem hac valle pergentes, ne tot Judææ tranſcendere montes cogerentur, prætermeabant מעלה הציץ *adſcenſum* ſive *montana Ziz* v. 16. In hac quoque valle, ex promiſſo prophetæ Jachſielis, offendendi erant a Joſaphato illiuſque copiis; & quidem בסוף הנחל פני מדבר ירואל, *in extremitate vallis e regione campeſtrium Jeruel deſinente*. Non quod ipſa hic vallis terminetur, quæ ad lacum Geneſareth uſque procurrit; ſed quod a latere ſinu quodam flexuque montibus ſe inſinuans altero cornu per aliquot ſtadia in mediterranea excurrat, ibique deſinat e regione ſolitudinis *Jeruel*. Hunc ingreſſi ſinum Joſaphati hoſtes in montana ex eo aſcendere cogitaverant, & Hieroſolymam recta jam via pergere. Dei vero providentia impediti, ſuiſmet ſe jugulabant gladiis, in valle quam ingreſſi fuerant ſepeliendi.

§. 20. Non jam afferemus, quas poſſemus de *Jeruel* conjecturas; cum aliunde ſatis certum extremitati vallis, in qua cladem hanc inſignem Moabitæ & ſocii ſunt perpeſſi, aſſignare queamus locum. Cum enim Joſaphatus cum copiis ſuis ad *campeſtria Thecoæ* deveniſſet, & in ſubjectam proſpicerent vallem, attoniti videbant hoſtium ſuorum cadavera humi jam ſtrata, ut finito bello de præda facienda ipſis tantummodo eſſet cogitandum v. 18. ſeqq. Quidni ergo colligamus, ipſa Thecoæ campeſtria eſſe סוף הנחל, laudatam illam *vallis extremitatem*; aut ad *Thecoæ* urbem hunc vallis ſinum, de quo propheta Jachſiel dixerat, deſiiſſe. Quare quem Thecoæ dedimus ſitum, eundem jam merito conſtituimus vallis, in qua ſtrages illa celebris Joſaphati hoſtium fuit edita. Aberat itaque illa סוף הנחל, extremitas vallis, de qua ſermo eſt, duodecim circiter millia paſſuum Hieroſolymis.

§. 21. Eadem hæc eſt עמק החרוץ, *vallis internecionis*, quod nomen Joel cap. IV. 14. ipſi tribuit, ab hac hoſtium Joſaphat cæde ibi perpetrata, & ſimili eccleſiæ hoſtium aliquando ſequutura.

§. 22. In hac ipſa valle Judæi præda graves, quam per integrum triduum cæſis abſtulerant, quarto poſt cladem die gratias Deo, Joſaphato præeunte, agebant quam humillimas. Quid enim nos moveat, quin gratiarum actionem in eadem hac valle ſtatim factam credamus? Hiſtoricus ſacer hoc omnino innuere videtur. Ubi enim de ſpoliis abreptis retulit, ita pergit v. 26. וביום הרביעי נקהלו לעמק ברכה כי שם ברכו את יהוה על כן קראו את שם המקום ההוא עמק ברכה עד היום *Die dein quarto congregabantur*. Hinc inde prædæ cauſa diſpalantes in ordines denuo coire cogebantur, לעמק ברכה, *in valle benedictionis*, vel *gratiarum actionis*; quomodo illam cognominat anticipando. Statim tamen rationem ſubjungit novæ hujus adpellationis: *Quia enim gratias ibi Deo agebant*, poſtquam ex præda congregati iterum fuerant, hunc ipſum in finem convocati; *hinc locus ille* עמק ברכה, *vallis gratiarum actionis, fuit adpellata; & hoc nomen retinet ad diem uſque hodiernum*. His Deo gratiis in ipſo victoriæ & tantæ ab hoſtibus factæ liberationis loco publice rite peractis, reverſi demum Judæi Hieroſolyma dicuntur, v. 27. 28. An huc trahendus ſit locus Καβαρβαέιχα, quem ex Epiphanio Relandus allegat in עמק הברכה p. 356. qui tria milliaria Hebrone abfuerit, non equidem dixerim. Si eſt, Hebroni fuit ad ſeptemtrionem, ita tamen ut ſimul orientem verſus declinaret, & lacui bituminoſo eſſet propinquior. Et vel tribus milliaribus major inter eum & Hebronem fuit diſtantia; vel ſinus ille vallis, in quo fuſi ſunt Moabitæ cum ſociis, ali-

quot milliarium habuit latitudinem a ſeptemtrione verſus auſtrum. Quod autem, referente Adrichomio p. 44. num. 72. ex Hieronymo, Paula in montem, cui hæc villa ſuperſtructa fuit, aſcendens, in eo ſpeluncam Lothi fuerit contemplata, aut fabula eſt; aut aliam videns ſpeluncam, eam eſſe in qua delituit Lothus cum filiabus, falſis decepta credidit traditionibus, quæ Sodoma ad ſuperiorem lacus Aſphaltitæ linguam collocarunt.

§. 23. Quemadmodum vero hæc vallis a cæde hoſtium cognomen עמק החרוץ, & a gratiis Deo ibi actis עמק ברכה eſt nacta; ita tertium עמק יהושפט, a rege Joſaphato, cui Deus celebrem hanc ab hoſtibus ſuis victoriam in illa concesserat, Joel propheta eidem imponit. Conſentiunt mecum interpretes plurimi, prophetam ad Joſaphati hiſtoriam reſpicere; in eo diſſentire vidimus, quod ad mœnia Hieroſolymorum plerique valli locum aſſignant. Peſſime; cum vallem החרוץ, vel in qua hoſtes Joſaphati proſtrati ſunt, longius ab Hieroſolymorum urbe removere cogantur. Synonyma autem eſſe prophetæ Joel עמק הברכה & עמק יהושפט, vel cœcus videat, ſi conferantur capitis IV. v. 12. & 14. עמק החרוץ vulgo eam fuiſſe cognominatam expreſſis verbis ſacra ſcriptura teſtatur: *Joſaphati* atque *excidii* cognomina ipſi fuiſſe impoſita nuſquam docemur, nec niſi apud Joelem ea legimus. Quare dubitari poſſit, an in vita communi his appellari nominibus conſueverit. Hoc vero nihil ad nos. Omnia recte ſe habent, dummodo legentibus de eadem hac valle intelligi & potuit & debuit propheta. Non poteſt autem non ab omnibus hiſtoriæ hujus non plane imperitis. Haud raro ab hominibus cognominari locos, in quibus ſingulare quid aut egerunt aut ſunt experti, perquam multis ſcripturæ ſacræ exterorumque ſcriptorum teſtimoniis, nec non experientia docemur quotidiana. Non deſunt argumenta, quibus adduci queamus ut credamus, vulgo hoc Joſaphati cognomentum valli, de qua loquimur, eſſe impoſitum: Verum & in contrarium ſunt, quibus a ſolo hoc factum eſſe propheta perſuadeamur. Quod licuit vulgo, idem licuit & prophetæ. Sive hanc amplectamur ſententiam ſive illam, neutra nobis repugnat. Jam qui Joſaphati vallem nobiſcum non credit eandem eſſe, in qua Joſaphati hoſtes ſunt fuſi, argumentis nos oppugnet neceſſe erit, & aliam monſtret Joſaphati quodam facinore celebrem, a quo ita mereatur cognominari. Celebriorem autem hac noſtra vix quiſquam invenerit; imo ſi conjecturas inſuper habeamus, nulla ſe offeret alia quodam Joſaphati facto inclyta.

§. 24. Habemus, quam inveſtigavimus, *Joſaphati vallem*, non uno, ſed quatuor nominibus ſuperbientem: סוף הנחל פני מדבר ירואל a ſitu; עמק החרוץ a ſtrage Moabitarum, Ammonitarum & Idumæorum in illa edita; עמק ברכה a gratiis Deo in eadem ob conceſſam ſibi victoriam a Joſaphato perſolutis; עמק יהושפט a rege Joſaphato, qui in ea hanc victoriam ab hoſtibus ſuis reportavit; aut qui ſuos in eam deduxit, ut victos a Deo hoſtes ſpectarent potius & deprædarentur quam cæderent. Reliquum eſt, ut examinemus, quænam ſit hoſtium ſtrages in Joſaphati valle repetenda, & quinam illi ſint hoſtes, de quibus Joel propheta.

§. 25. Quem tutius ſequamur, Petro Apoſtolo Joelis interpretem neminem reperiemus. Hic Act. II. 16. Τῦτο ἐςι τὸ εἰρημένον διὰ τῦ προφήτῦ Ἰωὴλ. De ſuo explicat tempore hoc Joelis vaticinium. Objiciatur, de illa prophetiæ parte loqui Petrum, qua effuſio Spiritus ſancti in fideles promittitur. Annon vero ipſiſſima Joelis ſunt verba, quæ ſubnectit v. 19. 20. 21. Καὶ δώσω – ὄνομα Κυρίῦ σωθήσεται? Hæccine etiam de donis ſpiritus ſancti interpretabimur? Nequimus ſane. Minæ ſunt, non promiſſiones. Petrus vero cum antecedentibus hæc conjungit, quod eodem cum illis tempore erant implenda. Inſtituerat dicere de eo, quod in feſto pentecoſtes mirabantur alii, alii eludere tentabant, miraculo; non quæ in fine mundi eventura explicare. Cum enim diſcipuli Chriſti ſancto ſpiritu repleti dialectis variis loquerentur τὰ μεγαλεῖα τῦ Θεῦ, quo ipſo timorem incutiebant plurimis, non deerant tamen homines profani, qui irridentes calumniabantur ipſos vino graves ejuſmodi garrire. Quare Petrus: Non vinum loqui, ſed ſpiritum ſanctum. Inſtare, imo adeſſe jam, de quibus Joel propheta dixerit tempora, læta fidelibus, impiis autem atque incredulis triſtia & luctuoſa. Quemadmodum videant, ad tenorem prophetæ Joelis, προφητεύσαντας indoctos, qui nrn ſint γραμματεῖς; ita nec dubitent, veriſſima eſſe, quæ divino acti ſpiritu pronuncient, reliqua quoque ex Joele impletum iri incredulis & Jeſu Meſſiæ hoſtibus internecionem minantia. Jamjam Chriſtum vindictam ſumturum ab impia Judæorum gente, quæ ipſum Meſſiam non tantum repudiaverit, ſed & trucidaverit. Allegantur quidem ex Joele tantummodo ſigna atque prodigia τὴν ἡμέραν Κυρίῦ τὴν μεγάλην καὶ ἐπιφανῆ anteceſſura; quis vero non videt cum ſequentibus prophetæ hæc cohærere? Male certe, imo peſſime, ſepararemus; cum

de

de eodem hoc tempore iisdem satis commode imo commodius quam de aliis possint exponi. „ Nam ecce! pergit propheta, illis diebus & illo tempore, quo redu- „ xero captivitatem Judæ & Hierosolymorum, congregabo omnes gentes, & dedu- „ cam eos in vallem Josaphati, “ & reliqua. Ἡμέρα illa Κυρίȣ ἡ μεγάλη ϗ ἐπιφανὴς est ipsum illud tempus, quo gentes sive ecclesiæ hostes in vallem Josaphati dicuntur deducendi atque cædendi. Quando itaque Petrus testatur, adesse tempus quo edantur prodigia τὴν ἡμέραν κυρίȣ τὴν μεγάλην ϗ ἐπιφανῆ antecessura; necessario inde sequitur, nec longe illam diem absuisse, in qua ecclesiæ hostes in valle Josaphati fuerint delendi. Sic Petro interprete intelligi nobis potest insignis, de quo est sermo, Joelis prophetia. Lanienam a Joele fuisse prænunciatam docet Petrus non gentium exterarum, sed ipsorum Judæorum, qui olim quidem Dei fuerint populus; jam vero, perpetrata cæde filii sui & incredulitate pertinaci, hostes Dei sint facti. Quare hortatur auditores v. 40. Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης.

§. 27. Idem procul dubio fuit argumentum orationum reliquorum fidelium spiritu sancto impletorum, & ἑτέραις γλώσσαις τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃ λαλȣ́ντων. Quis enim ignorat, τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃ vocari facta Dei stupenda atque miranda facinora, quibus suorum prospicit saluti, hostium vero vel compescit insultus, vel, qua voluerant suos, eadem ipsos subvertit internecione, jure talionis? Non ignoro quidem, Judæos in festis suis, majoribus inprimis, occasioue decantati sui Hallel haggadol multis deprædicare solitos fuisse magna Dei beneficia tempore exitus ex Ægypto genti suæ exhibita, quæ ipsi τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃, & quidem κατ᾽ ἐξοχὴν, solent vocare; necnon benignam ex captivitate Babylonica liberationem, & quæ hanc secuta erat, Nehemiæ, Estheræ & Maccabæorum temporibus, a vicinorum injuriis defensionem. Nec inficias eo, τὸ הלל הגדול & olim perpetrata Dei facinora occasionem Christi discipulis subministrasse, τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃ suo tempore patranda prioribusque multo futura excellentiora celebrandi atque divulgandi. De futuris autem, non præteritis, præcipue perorarunt. Ita ut sentiam argumento adducor non uno. Finem adesse reipublicæ Judaicæ a magistro suo Jesu plus simplici vice erant edocti. Hinc non erat quod de instauratione reipublicæ paucis post annis destruendæ, imo cujus ruinam cum Petro veluti jam præsentem intuebantur, tam magnifice ad præsentes loquerentur. Nec materiam habebant de Judaicæ, qualis tum erat, gentis gaudendi incrementis; quam Christianis rebus videbant inimicissimam. Rectius cum Johanne Zachariæ filio inculcabant, ne jactarent Judæi, quod Abrahamum eosque patres habeant, quorum in gratiam Deus quondam prodigia varia ediderit; sed meminerint, Deum vel ex lapidibus filios Abrahamo posse suscitare. Exprobrandum ipsis erat acerbe, quod Jesum Messiam ad salutem sibi reparandam a Deo missum in crucem suspenderint; & serio inculcandum, nisi pœnitentiam facinorum agant, vindictam divinam capitibus suis jam imminere. Ejusmodi fuisse argumentum orationum variis dialectis a singulis habitarum licet concludere ex verbis, Petri jam supra laudatis, v. 16. Τȣ̃τό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τȣ̃ προφήτȣ Ἰωὴλ. Id quod videtis, inquit, & quod viros hosce spiritu sancto repletos prædicere atque monere auditis, ne contemnatis, sed credatis, id ipsum esse quod jam olim Joel propheta vaticinatus est, nostris nunc temporibus eventurum. Hæc satis declarant, Petrum & Apostolos celebre Joelis vaticinium de cæde hostium gentis suæ in valle Josaphati a Deo repetenda de gentis Judaicæ & Hierosolymorum excidio intellexisse, & nos ut idem faciamus docere.

§. 28. Jam si conferamus Josephum & omnes, qui res illorum temporum memoriæ prodiderunt; eventus quoad singula tam accurate Joelis vaticinio respondit, ut definire non ausim, quis omnes vividius descripserit & veluti depinxerit circumstantias, propheta, an historici? Singula illius verba videntur ab his repetita, nisi quod ille de futuris, hi de præteritis loquuntur. Eodem ab his plane modo referuntur evenisse & ordine, quo propheta prædixerat, & omnia tantam cladem antecessura, & ipsa gentis eversio, & hanc sequutæ calamitates nunquam satis deplorandæ. Par ratio fatorum prosperorum, quæ ecclesiæ Christianæ propheta auguratur. Operæ foret pretium, singula prophetæ cum historicorum conferre verbis; quo evidentius pateret, de hoc tempore prophetam locutum fuisse, non de alio. Quod vero faciendum cum in præsentia mihi non sumserim, utpote a meo alienum proposito, in aliud forsitan tempus rejicio; confisus, quæ dicta jam sunt, satis his sententiam meam iri confirmatum. Missis adeo ceteris, paucis tantummodo pondus, quod inest verbis, quibus in vallem Josaphati hostes dicuntur deducendi ibique cædendi, adhuc sub examen revocabo.

§. 29. Bene Stephanus Fabricius loco jam supra laudato, non proprie hæc, sed figurate esse intelligenda, quod Deus aliquando cum hostibus ecclesiæ sit acturus, quemadmodum olim cum Moabitis & Ammonitis populi suis hostibus egerit. Qua vero de causa propheta reipublicæ Judaicæ eversionem pingit præcise imagine hostium in valle Josaphati cædendorum? Qua ratione Judæi in valle Josaphati delendi גוים nomine adpellantur? Quænam illa denique ex captivitate liberatio Judæ & Hierosolymorum, quæ cædem hanc ingentem dicitur antecessura?

§. 30. Significantissima est figura, qua eversio reip. Judaicæ per Titum comparetur cum cæde Moabitarum, Ammonitarum & Idumæorum in valle Josaphati; prout videbimus, singulis utriusque facti circumstantiis probe invicem collatis. Rex Josaphat, in cujus gratiam Deus hostes populi sui tam cruenta clade prostraverat, typus est Christi, regis Judæorum atque piorum, perfectissimus. Ille abrogavit aras, in quibus extra Hierosolyma, nulla interdicti divini habita ratione, Judæi vel idolis, vel Idololatrico more vero Deo, sacra faciebant; emisitque anno regiminis tertio, qui per totum suum regnum legem domini populorum docerent. Christus quomodo ab omnibus impuritatibus, a Pharisæis inductis, Dei perpurgaverit cultum; imo lege abrogata ceremoniali, quæ post suum adventum nullius amplius erat usus, internum eumque Deo longe acceptiorem homines docuerit; instruxerit denique discipulos, qui doctrinam suam in toto propalarent orbe, ne solis Judææ limitibus salus ex ea suaque redemtione in homines redundatura includeretur: nosmet testes esse possumus.

§. 31. Tantos jam reges & tam gratos Deo injusto persequebantur bello, illum Moabitæ, Ammonitæ ac Idumæi, vicini iidemque consanguinei; hunc cives Judæi. Merito hostibus suis objicere poterat Josaphat 2. Chron. XX. 11. quod sint גומלים רע תחת טוב. De Christo quid dicemus, qui in mundum venerat, ut redimeret populum suum a peccatis, & a servitute Diaboli eos liberaret? Imo qui & in cruce pendens patrem suum cœlestem multis & supplicibus verbis orabat, ne parricidium in se commissum ulcisceretur.

§. 32. Judæi, sanguine tam mitis sui regis atque redemtoris inquinati, jam non habebant amplius quod objicerent Moabitis atque Ammonitis sanguinis maculam: aut Idumæis, quod proavus ipsorum primogenituræ prærogativa parvi habita verum paterni Dei cultum missum fecerit atque vicinarum gentium peccatis & idololatria se suosque contaminaverit. Ipsos jam spurios & rebelles merito dici Christus & Apostoli plus simplici vice objecere. Degeneres facti sui non amplius similes erant, sed barbari, לא עמי. Quod salse exprimit Joel, גוים eos appellando; nomine ptoprie quidem gentem quamcunque significante, quo sensu & de ipsa Judæorum gente in sacris aliquoties legitur; quod vero significatu strictiori apud Judæos vulgo recepto hodieque Græcorum atque Romanorum *barbaris* æquipollet. Exulabant Judæi in ipsa Judæa. Hierosolyma, urbs Dei sancta scelerisque pura, ab ipsis obsidebatur atque angebatur impiis Hierosolymorum incolis, veritatem divinam pro viribus oppugnantibus.

§. 33. Adeoque pii, Christo nomen suum professi, merito a propheta e captivis liberi facti dicuntur, eorumque cœtus *reducta Judæ & Hierosolymorum captivitas*. Quam prophetæ figuram totius N. T. stylus luculentissime illustrat.

§. 34. Quæ cum ita se sint habitura, genti Judæorum improbæ, Moabitis Ammonitisque, spuriis, atque Idumæis, idololatris, quoad omnia simillimæ, similem quoque propheta minatur exitum, stylo pathetico atque sublimi: *Congregabo omnes gentes* [omnes Judæos, ex servis aut rectius filiis meis גוים, *barbaros* factos,] *in vallem Josaphati. Ubi vindictam ab ipsis sumam propter populum meum & hæreditatem meam Iischrael*. Hoc est, propter cædem filii mei Jesu, regis Israelis spiritualis, perpetratam, & quod asseclas ejus odio persequuntur æterno; simili Judæos rebelles perimam modo, quo olim Josaphati hostes in valle prope Thecoam sunt oppressi.

§. 35s Magnitudinem cladis describit propheta, quod sit futura universalis. Sic enim de Josaphati hostibus 2. Chron. XX. 24. ואין פליטה. Simillima fata Judæorum remp. experturam propheta auguratur. Fuerantque tam sane dura atque horrenda, ut sine horrore nequeant legi historicorum monumenta. Tacitus lib. 5. hist. c. 13. Multitudinem obsessorum omnis ætatis, virile ac muliebre sexus, sexcenta millia fuisse accepimus. Horum autem tam pauci in vita sunt conservati, ut omnes periisse dici queant. Josephus, cui major in his fides habenda, multo plures trucidatos esse tradit. Τῶν μὲν ἒν, inquit de Bello lib. 7. c. 17. αἰχμαλώτων πάντων ὅσα καθ' ὅλον ἐλήφθη τὸν πόλεμον ἀριθμὸς, ἐννέα μυριάδες, καὶ ἑπτακισχίλιοι συνήχθη.

Τῶν

Τῶν δὲ ἀπολυμένων, κατὰ πᾶσαν τὴν πολιορκίαν, μυριάδες ἑκατὸν ϗ δέκα. " Captivorum
„ omnium, qui toto bello comprehensi sunt, nonaginta & septem millium com-
„ prehensus est numerus. Mortuorum vero per omne tempus obsidionis undecies
„ centena millia. „ Hi in una periere urbe, vel fame, vel peste, vel ferro, tam miserandum in modum, ut ipsos victores miseratio subiret malorum. Unde mirum nobis esse non debet, ita res eorum tunc fuisse adflictas, ut exinde nunquam resurgere potuerint.

§. 36. Modus quoque tantæ Judæorum stragis a propheta definitur. De hostibus enim in valle Josaphati obtruncandis Jachsiel propheta 2. Chron. XX. 15. לא לכם להלחם בזאת החיצבו עמדו וראו המלחמה כי לאלהים Et vers. 17. pergit : לא לכם להלחם בזאת החיצבו עמדו וראו את ישועת יי עמכם יהודה וירושלים. Eventus vaticinium confirmavit, ceu vers. 22. 24. videre est. Non minus Judæi, quiescentibus Christianis, quibus nec magis ad resistendum vires erant quam Josaphato, ipsum Deum experti sunt hostem. Si vel alia defuissent iræ divinæ testimonia, satis ex eo cognosceretur, quod tota gens ex omnibus orbis provinciis paschales ad ferias congregata subitoque circumfusa bello velut diro carceri inclusa periit. Supervenit exitiosissimum oppugnatorum malum discordia. De ea Tacitus Hist. lib. 5. c. 12. " Pervicacissimus quisque illuc confu-
„ gerat, eoque seditiosius agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema & la-
„ tissima mœnium Simon; mediam urbem Joannes, quem & Borgioram vocabant;
„ templum Eleazarus firmaverat. Multitudine & armis Joannes, ac Simon, Elea-
„ zarus loco pollebat. Sed prælia, dolus, incendia inter ipsos, & magna vis fru-
„ menti ambusta. Mox Joannes, missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum
„ manumqoe ejus obtruncarent, templo potitur. Ita in duas factiones civitas di-
„ scessit, donec propinquantibus Romanis bellum externum concordiam pareret. "
Multo prolixius Josephus enarrat, quomodo justo Dei judicio in semet rebelles acti, suismet armis fuerunt confecti : Ad hujus vero libros de Bello lectorem ablego, cum prolixiora sint quæ huc pertinent, quam ut hic inseri queant; contentus attulisse adhuc luculentissimum ipsius Titi victoris testimonium. De quo ita Suidas in voce Τίτος : Ἐπεὶ δὲ ᾕρηκει τὰ Ἱεροσόλυμα ὁ Τίτος Συρία τε πᾶσα, ϗ Αἴγυπτος, ϗ ὅσα τῇ Παλαιστίνῃ πρόσοικα γένη, ἐστεφάνουν τὸν ἄνδρα νικητὴν ἀνακαλοῦντες. Ὁ δὲ διωθεῖτο τοὺς στεφάνους, οὐκ αὐτὸς λέγων εἰργάσθαι ταῦτα, Θεῷ δὲ φήναντι ὀργὴν ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας. " Postquam Titus Hierosolyma cepit, Syria universa, & Ægyptus, &
„ omnes Palæstinæ finitimæ gentes tantum virum coronabant, victorem adpellan-
„ tes. Ille vero coronas repudiabat, dicens non se illa fecisse : sed Deo iram suam
„ declaranti suas manus commodasse. „

§. 37. Finem denique spectemus belli hujus gloriosissimi, ab ipso Deo pro suo populo gesti, utrobique eundem, requiem populo ab hostium injuriis concedendam. De pace constanti, tanta hostium strage parta, qua Josaphatus & regnum ipsius dein fruebantur, 2. Chron. XX. 29. 30. : ויהי פחד אלהים וג' עד וינח לו אלוהיו מסביב. Quietem similem ecclesiæ Christianæ propheta Joel pollicetur Cap. IV. 16. seqq. ad finem. Quæ & secuta est. Multo enim tranquillior ecclesiæ status statim post deletos Judæos factus. Etsi vero temporibus proxime insequentibus quædam adhuc diræ persecutiones eidem a Romanis fuerunt tolerandæ, nec tamen, tot adversis defuncta fatis, per longorum seculorum seriem sub divinæ gratiæ mansuetudine requiescit.



CHRI-



CHRISTIANI BENJAMINI OTTONIS DISSERTATIO DE FLUMINE SABBATTHICO.

MAgnum Redemtionis Sabbathum ultimo elapſi Seculi Anno illuxerat, cum invitante ſolennioris Diei occaſione, indultu Ampliſſimæ Facultatis Philoſophicæ, *Sepulcrum Chriſti* philologico labore ſiſteremus, & *Excelſa Meſſiæ*, prælucente nobis Jeſaia, ingrederemur. Et ſane Septima iſta Hebdomadis dies, quam circa exorti Mundi incunabula Creatoris Patris Sanctificatio jam ceteris omnibus illuſtriorem fecerat, quiete glorioſa Redentoris Filii adeo nobilitata fuit, ut nonnisi feſta omnibus etiam Chriſtianis, [1] perpetuaque Veneratione digna, quovis recurrente ſeptiduo, videatur. Aſt vero, poſtquam fugatis ex veteri Caligine umbris, exortoque largioris Luminis Sole, cum ipſa Judæorum Synagoga etiam prioris Sabbathi ſolennitas ſepeliretur, non Quietis, ſed magnificæ Reſurrectionis Dies, quam ipſe Salvator conſecravit, Chriſtiano Orbi feſta illuxit. Moroſa igitur ſuæque Legis tenaciſſima, ſi diis placet, Judæorum Gens, amara in Chriſtianos, tanquam divinæ Sanctionis tranſgreſſores, vibrare dicteria non ceſſavit, & more cœcutientium in Solis Luce Talparum non modo ipſa in umbroſis ſuis manere tenebris, ſed & alios ſecum ſub Religionis ſpecie ad abſoletas Legis alligare Ceremonias ſemper voluit: Præcipue autem Sabbathum, quod ſolennitatum ſuarum Reginam & Caput Feſtorum [2] nuncupant, & velut non minus inſigne quam amabile antiqui fœderis Decus, Sponſam ſuam [3] nominant, ſtricte tantum die ſeptimo celebrandum eſſe contenderunt. Traxit in aſſenſum Superſtitionis ſuperioribus temporibus etiam nonnullos Chriſtianos maleſana Judæorum Cohors, quos tamen Herculeus variorum Theologorum Labor compeſcuit. Nobis hac vice animus eſt Argumentum Judaicum, quod in Colorem nunquam immutandi Sabbathi, maleferiata Rabbinorum Caterva excogitavit, ipſique Naturæ a DEO impreſſum eſſe gloriata eſt, deſtruere, & monſtrum illud Sabbathicum, quod flumen dicunt, uno ictu, ut perpetuo fruatur Sabbatho, conficere. Quamvis enim alias Controverſias Sabbathicas tractare res ſit æque ardua ac difficilis, ita ut & Quæſtiones graviſſimæ antiquis

tiquis

[1] Prout Æthiopes hodie adhuc Sabbathum ac diem Dominicam ſimul feriantur, quod ex Apoſtolica Inſtitutione fieri parum ſolide probat Zagazabo f. Chriſtoh. Liconatius, Epiſcopus Abyſſinus, in Confeſſ. de Fidei & Relig. Æthiop. p. 494. ſeq. [2] Æſra in Levit. XXIII. [3] Conf. Buxt. in Epiſt. Hebr. Inſtit. p. 45. ex quo Seldenus Lib. III. J. N. & G. cap. x.

tiquis Jurium Doctoribus [1] Sabbathinæ dictæ fuerint; Non multum tamen ſudoris huic flumini Sabbathico donabimus, ſed facili evincemus negotio illud nonniſi ex putidis Judæorum Lacunis profluere. Affluat modo Nobis ex Alto exuberans cum veritate Sapientia, & tumultuoſos hos Mendaciorum Curſus nos impedire ſinat feliciter.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ
SIVE
PRÆFATIO, AD DICENDA.

§. I.

NOn adeo operoſa indigebimus hic præparatione, nec Sabbathum hoc tantum eſt ut ſolennem aliquam Paraſceven poſcere videatur, quam alias vocum Evolutio ſibi vindicat. Fluunt ſine noſtro labore ea ſatis promte, quæ ad priorem *Fluminis* vocem pertinent: Perennem aquarum decurſum a fluendo perpetim dictum, fluvius ſ. Flumen notabit, licet aliqui [2] magis proprie Flumen de Aqua, Fluvium de Curſu Aquæ dicant, & ſic Flumen prius faciant quam fluvium. *Amnem* Sabbathicum dum alii ſcribunt, palatum Criticorum lædere videntur, quibus Amnis ab amænitate nomen trahens, fluvium nemore ac frondibus redimitum, lenique decurſu aures demulcentem ſignat: quæ denominatio huic noſtro Sabbathico flumini ex eo adverſatur, quod illud Saxa & Arenas horrendo impetu (quam facilis itaque cerebri Judaici concuſſio) trahere venditetur, adeo ut Torrentis nomine potius inſcribi poſſit, qua voce Aqua cum impetu veniens indigitatur. Aſt cum nec hæc appellatio accurate quadret, utpote quia Torrens ex pluvia quidem impetuoſos accipiens decurſus, ſiccitate tamen iterum penitus torreſcit ſeu areſcit, & flammeo vapore juxta Pacuvium [3] torret, commodiſſimo Fluvii ſeu Fluminis Vocabulo hic utendum erit.

§. II.

Sabbathici nomen largitur Sabbathum, in cujus natales non diu inquiremus: Exploſa diu eſt Plutarchi [4] Etymologia, quæ non tam ex Bacchantium voce Σαβοῖ, qua ſuum Bacchum ſeu Σαβάζιον graſſantes cum ululatu & tripudiis in ſacris ſuis acclamabant Gentiles, ſed ex odio Ejus Autoris adverſus Chriſtianos acerbiſſimo derivanda erit: Nihil enim σάββατον Judaicum cum illo Gentilium σαβασμῷ commune habuit, adeo ut Sabbathum a Sabazio dici, pueri m. Chriſtiani nullo negotio, ut Voſſius [5] loquitur, refellant. Superſedemus adducere ineptias Appionis Alexandrini, qui ex Sabbo Inguinis Morbo Sabbathum dici hariolatur, at ſatis craſſe: quapropter & Joſepho vapulare [6] meruit. Audiremus etiam in hac Grammaticorum Scena Lactantium [7] qui Sabbathum tanquam ſeptimum Hebdomadis diem a שבע numero ſcilicet Septenario dictum exiſtimat, & inde hunc numerum legitimum & plenum appellat, varia ex hoc argumento de Seculi Conſummatione contra Platonem & Chaldæos diſputans; niſi invictæ Veritatis Etymon Spiritus S. proſtaret, vi cujus Sabbathum a rad. שבת deducitur, quæ πρώτως & eſſentialiter Ceſſationem ab Opere, δευτέρως autem & accidentaliter quietem ſignificat. Uti enim ipſe Creator poſt exantlatum intra ſextiduum Creationis opus *ceſſavit* & בלשון ארם i. e. humano more loquendo, *quievit*, [8] ita etiam Homines ad recolendam animo mirabilem Mundi fabricam, ad Septimi diei Celebrationem & Quietem adduxit. [9]. At quid moramur ulterius, & primo ſtatim limine vocibus defatigamur? Otia nobis & quieta Sabbatha fecerunt alii, quorum Labores de Sabbatho exſtant. Uti autem a Sabbatho hoc nomen ſortitur *annus Sabbathicus*, [10] quo apud Judæos ceſſandum erat a debitis exigendis, agro colendo & aliis, & terræ שבת שבתון Sabbathum magnum concedendum; uti inſuper *dies Sabbathicus* [11] Sabbatho denominationem debet; ita & Flumini Judaico ſua affluit ex Sabbathi voce denominatio: nec abs re. Ea enim eſt Natura portentoſi fluvii, ut

cum

[1] quod probat Beſoldus in ſuo Theſ. pract. [2] V. Iſidorus Hiſpalenſis Lib. XIII. Originum ſeu Etymologiarum Cap. XXI. de Fluminibus [3] Citante Iſidoro l. c. [4] Lib. IV. Συμποσ. Probl. V. [5] De Orig. & Progr. Idol. Lib. II. Cap. xiv. [6] Lib. II. adv. Appion. [7] Lib. VII. Inſtit. div. Cap. xvi. [8] Gen. II. 2. [9] Exod. xx. 8. Levit. xxiii. 32. [10] Deut. xv. 1. Lev. xxv. 4. [11] Exod. xxxi. 15.

cum ſex diebus magno labatur impetu, ſeptimo tamen, qui Sabbathum eſt, (mirare figmentum!) quieſcat, & ita moderante natura otia Sabbathi ſtupendo miraculo approbet. Hinc Joſephus [1] expreſſum nominis fundamentum enarrato commento ſubjicit hoc tenore: ὅθεν δὲ καὶ σαββατικὸν αὐτὸν κεκλήκασιν, ἀπὸ τῆς ἱερᾶς τῶν ἰουδαίων ἑβδόμης οὕτως ὀνομάσαντες. Quapropter etiam dum ceſſat a Curſu fluvius, σαββατίζειν & tacite Venerari diem ſeptimam a Beemanno [2] dicitur. Plura autem inferius inter elatos fabularum Vortices, quibus flumen hoc fertur, de natura Ejus enarranda erunt, ſabbathicam appellationem arguentia.

§. III.

Variis præterea commentum ſuum exprimere nominibus voluerunt Rabbini, hinc mox סבטון alibi סבטיון, communiſſime סנבטיון aut סמבטיון legimus. Ultimum ex his præcipuum eſt, quare in ejus originem brevibus adhuc penetrabimus. Fundamentum שבת hebraica radix ſine dubio erit, a qua tamen nonnihil vox noſtra deflectit, adeo ut imperite & male Rabbinos ita ſcribere doctiſſimus in literatura orientali Jobus Ludolſus [3] cenſeat. Elias in Thisbi vocem hanc in Arabia natam dicit ex Hebræorum שבת, ſcilicet ט & ת, ס & ש inter ſe permutatis; terminationem יון pro addititia & formativa Nominis habens. Interjectum מ aut נ Euphoniæ Cauſa dicit, cujus rei tamen profundiorem rationem modo laudatus Ludolfus ſuppeditat, qui dageſch ex שבת in נ reſolvit, quod non adeo alienum eſſe Syrorum ܐܢܬ ex Hebræorum אתה veniens comprobabit, cui & Arabum *Anba* pro *Abba* aſſimilari poterit. Mutatur demum נ propter ſequentem labialem ב, in מ literam ejuſdem organi, & proſtat vox סמבטיון uti Germanorum Sambſtag pro Sabbaths-Tag; operoſo ſatis ad futile Negotium labore.

§. IV.

Homonymiam attingere non opus erit: Neminem enim adeo in Hydrographicis rudem credimus, qui vel *Sabatum*, Lacum Hetruriæ, hodie *Lago di Anguillara*, ſive ab oppido adjacente, *Lago di Bracciano* appellatum, cum noſtro Sabbathico flumine confundat. Et licet præterea etiam duplex fluvius Italiæ qui *Sabbatus* audit, teſte Baudrando [4] inveniatur, alter quidem Irpinorum juxta Beneventum, hodie *Fiume di Benevento*, alter autem Brutiorum, vulgo *Savuto* nominatus, attamen Utrumque Locus & Terra ubi Monſtrum judaicum graſſatur, a noſtro Sabbathico flumine facile diſterminabit. Joſephi Sabbathicum in Via Antiochena, Plinii in Judæa decurrens, a Judæorum flumine Æthiopico non ſecernimus: (quid enim tam diſſitum eſt, quod per Somnia connecti nequeat?) Aliorum rationes in contrarium ſtrepentes inferius exploſuri.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ

SIVE

VERÆ SENTENTIÆ ADSTRUCTIO.

§. I.

TRansfretatis igitur anguſtis his vocabulorum Vadis, ſaxoſas Fluminis Sabbathici undas emetiemur, facturi periculum annon Judæis feliciores ſine omni Naufragii damno per minantes arenarum tumultus penetrare poſſimus. Et quid nos morabitur? Umbras has ex hyperborea nocte natas facile, ſi ſolidioris Cognitionis Lux affulſerit, pellemus. Audentes nos Veritas juvabit. Fabulam igitur inter otioſa mendacis populi Sabbatha enatam, quicquid de Sabbathico Flumine profertur, nominamus: & licet non modo faſcinatus Judæorum cætus, verum etiam non pauci Chriſtianorum malecreduli operoſe ſatis pro Veritate ejuſmodi fluminis Sabbathici laboraverint, attamen omnia quæ ex figmentis ab Utraque parte largo decurſu fluunt, uno gurgite mergemus.

§. II.

[1] Lib. VII. de Bell. Jud. Cap. 17. [2] In Hydrographia Cap. III. §. XV. adde Fullerum in Miſcell. Theol. Lib. I. Cap. IV. [3] in Commentario ad ſuam Hiſt. Æthiop. No. LXVIII. vid m. Buxt. Lex. Chald.Rabb. in rad. סבט [4] in Novo Lex. Georg. Tom. II.

§. II.

Clamitet itaque audaci suo asserto Abraham Peritsol: [1] שם תמצאנו בוראי *Ibi* (in India) *invenies Eum* (fluvium Sabbathicum) *certissime*: Nos tamen primum aggerem, quo rapidi fluminis cursus coercebimus, in eo quæremus, quod in toto quaqua patet orbe nihil hujus Chimeræ Sabbathicæ inveniatur. Vindicet fidem suam quisquis sit ex antiquis Geographis & Historicis, indicent Recentiorum Itineraria Miraculum Orientis aut Septentrionis! ast nemo cui non vesana Judæorum oculos & mentem fascinavit persuasio, liberum sibi crediturus est Aliis prudentioribus imponere: Hinc ignoscat nobis Plinius cum aliis [Cunæum [2] audis nunquam hoc credere potui,

- - - Sum paulo infirmior unus
Multorum. - - - -

Et tantum abest ut Galatinum effrontis Gentis mendacia ceperint, ut potius fabulas hæc omnia dudum vocaverit, & firmatum contra hæc insulsa figmenta animum ita prodiderit: [3] *Nullus sub Cœlo est Fluvius qui magis in Sabbathis quam in cæteris Diebus quiescat, Per universum namque orbem Mercatores discurrunt, qui sicuti ab extremis terris advehunt Medicinalia, variaque Pigmenta : ita tantum quid, si verum esset, sibi invicem narrarent, ac nomen Provinciæ ubi fluvius hujusmodi esset, Judæis percontantibus non tacerent.* Non minus delicati admodum oris est celeberrimus Genevensium Professor, *Fridricus Spanhemius*, ut hæ deliciæ Talmudicæ parum afficiant ad solidiores cibos præparatum ejus palatum, nihil enim horum omnium animadverti dicit, [4] quod ex Itinerariis illorum liquet, qui Regiones istas abhinc aliquot Seculis invisere. Nauseam ab his fabellis non minus prodit Gisbertus Voetius, curiosus alias abditarum rerum scrutator, & ubicunque obiter in suis electis Disputationibus hæc deliria attingit, eadem cum risu & Castigatione ad Claustra borealia relegat, digna eadem judicans, quæ ad Utopiam Mori & Anonymi Terram australem incognitam, imo in terras Orbis Lunæ referantur.

§. III.

Pandant igitur Aliis Mysteria sua Rabbini, in quorum Capitibus solum denotant veluti per flumen Sabbathicum Vortices, tantam arenarum Vim in oculos horum observatorum effundentes, ut in ipso sole non videant. Licet enim magni ex Judaicis Doctoribus Viri, quibus alias rara in solidioribus est Eruditio, hoc miraculum in Scriptis suis crepent, ad Cathedras tamen discipulorum plorent magni illi Israelis Magistri, quibus nondum cum fabellis ludendi ex puerili corde fugata est voluptas. Oracula olim in Sabbatho consulta fuisse cum aliis Rabbinis etiam Aben-Esra Autor est: Oraculo quoque hic opus erit, ex quo Sabbathicum flumen hauriamus, & demersos in æstuosis Æthiopiæ sabuletis latices mysticos ope Pythonis alicujus Delphicæ eliciamus: Nemo enim, si humanas Vires æstimes, adhuc adeo felici usus est Sagacitate, qui per Caspias penetrare portas, & ad miraculum Sabbathicum stupere αὐτόπτης hucusque potuerit.

§. IV.

Scaturiginem forsan judaici fluminis non infelices aperiemus ex Libro IV. Esdræ, ubi [5] larga fingendi materia ita fluit: " *Hæ sunt decem Tribus abductæ captivæ e*
" *Terra sua diebus Hoschechæ Regis, quem captivum abduxit Salmanasar Rex Assy-*
" *riorum, quæ deportatæ cis flumen postea translatæ sunt in Terram aliam. Ipsi au-*
" *tem sibi ceperunt hoc Consilium, ut derelinquerent multitudinem Gentium, profectæ*
" *in ulteriorem regionem, ubi nunquam Genus humanum* (en pronissimam fingendi
" licentiam) *habitavit. Et ibi observarunt legitima statuta sua, quæ non observave-*
" *rant in Regione sua. Per Introitus autem Fluvii Euphratis angustos introjerunt.*
" *Fecit enim Eis tunc Altissimus Signa* (ne miraculo carerent Commenta) *sistens*
" *Venas fluminis, usque dum transivissent.* Et post quædam interjecta ita pergitur:
" *Tunc habitaverunt ibi ad Tempus usque ultimum : nunc autem cum incipient rever-*

[1] Cap. XXIV. Orchoth Olam, citante Constantino L'Empereur in Notis ad Benjaminis Itinerarium p. 208. Edit. Lugd. Batav. in to. A. 1633. [2] Cunæus de Rep. Hebr. Lib. II. Cap. 24. [3] Lib. x. de Arcanis Cathol. Verit. Cap. IX. [4] Spanhem. in Dubb. Evv. part. III. Dub. XCIV. de abrogatione Sabbathi, p. 579. [5] Cap. XIII. 40. seqq.

„ *ti, iterum Altiſſimus ſiſtet venas fluminis ut poſſint tranſire.* „ Mirare ſuaviſſimum perſonati Eſdræ cum Eldad Danita, fabulatorum principe, concentum! Avide hauſit commenta ſitiens Judæus ex turbido hoc fonte, & larga proinde mendaciorum maria, velut ille Septentrionis gurges, eructare quam facile potuit. Ducitur enim Ipſi Sabbathicum flumen circa IV. Tribus Iſraelis, (Alii X. Tribus ibi congregant) tanquam myſterioſus Regni magni terminus, qui ſeparatos a genere humano Judæos a tranſitu in alias regiones arceat, & omnem Communicationem cum ceteris ſuæ Gentis hominibus intercipiat, hinc eſt quod Æſopus iſte Iſraelita expreſſe dicat [1] אין בני אדם רואים אותם *Filii Hominum Eos non vident.* Inſuper non pudet Eldadum in argumentum fabulæ Canonicam Jeſaiæ huc trahere Scripturam, & ita impudenti conatu ψευδερμηνείᾳ ſuam effutire: [2] נהר שבטיון ביניהם שכתוב בהם לאסורים צאו *Flumen Sabbation eſt inter ipſos* [& ceteros] *quia de ipſis ſcriptum eſt* (Eſa. XLIX. 9.) *dicendo Vinctis, exite.* Aſt gratulamur recutito Interpreti, quod adeo ſponte ipſi pateant prophetica Oracula, e quibus Theologi noſtri non has frivolas fictorum ſomniorum ineptias, ſed veriora elicere ſolent eloquia, ad quæ etiam hic Lectorem remittimus. Quis autem Euphratis miraculum, quod iſte Eſdras citat, a primo Ingreſſu Judæorum in Terram Canaan, & ſtantibus ibi Jordanis aquis, mutatum non perſpicit? Quicquid alii Judæi circa fundamentum hujus commenti aliter dicunt, id ad inferius dicenda reſervamus, ubi in Conflictum & mutuas Cædes, quibus ſe ipſi conficient, egregii fabulatores deſcendere tenebuntur: Nunc ſolum Eſdræum Oraculum Junii Verbis obſignamus, qui in notis marginalibus, poſtquam Sabbathici fluminis undas ex hoc fonte ebullire obſervaverat, ita fatur: *En impiam falſamque Hiſtoriam hoc prophetico* [*ſi credere fas eſt*] *Libro confirmatam & ab Autore explicatam! qui Librum hunc mirantur & pro divino habent, agnoſcant ex hoc ſaltem loco, a quo ſpiritu iſthæc ad nos allata ſint: Hæc enim Verba ementiuntur plane Veritatem DEI aliis Libris authenticis ab ipſo Hezra traditam.*

§. V.

Profundiores ex Canonica V. T. Scriptura fontes hujus Fluminis inveniſſe ſibi videntur Alii, qui ad Hiſtoriam Regum [3] provocant, in qua Rex Aſſyriæ poſt expugnatam Samariam Tribus Iſraelis ſecum abduxiſſe narratur. Siſtuntur ibi triſtia Exilii Nomina, Chalach ſcilicet & Chabor, flumen Gozan, & Civitates Medorum. Quid clarius dictum velimus, rogant nonnulli, [4] qui flumeu Gozan pro Sabbathico habent. Et quam bene ipſis applaudit Origo Vocabuli? גוזן ex נזה ſeu גזז deducunt, quod eſt *abripere, avellere*: non modo quia in Sabbatho aquæ priores ab inſequentibus ſe abripiunt, ſed & quoniam Flumen Saxa impetu ſuo ubique avellit, & in ſplendidius myſteriis argumentum ſecum trahit. Aſt penitus hunc fluvium Gozan Caſtigatione ſua exſiccare videtur *Lucas Holſtenius*, omnemque fontem fabularum obturare in Epiſtola ſua ad *Cl. Nihuſium* [5] ubi Nihuſio ſuo fundamentum erroris, circa fluvium Sabbathicum enati aperturus acriter Eos ſtringit qui Gozan in hiſtoria Regum l. c. pro fluvio aliquo habent, *Nam ſi probatos Geographos conſulas*, Ipſius Verba legis, *dubitare non poteris quin Chabor flumen Gozan ſit celebris ille fluvius Chaboras, ſive ut alii, Aboras, qui in Mediæ finibus ortus per Meſopotamiam in Euphratem effluit, quem Nubienſis Geographus adjuncto articulo Al-Chabor appellat. Eo flumine obſervato*, ita Holſtenius pergit, *ſimul cognoſcitur, Gozan non eſſe fluvium ſed Regionem ad fluvii Chaboræ partem ſuperiorem ſitam, quæ Gauzanitis Ptolemæo dicitur.* Sed ignoſcat Holſtenius, ſi non omnes hæc nova aſſerta æque veneraturi ſunt: Laborabit hebraicæ Accentuationis fides, niſi duas voces נהר גוזן ſervo accentu junctas committere, & priora Nomina בחלח ובחבור eodem modo copulare velimus: hæc autem manifeſte Holſtenio obſtant: nonne enim חבור magis ſibi junctam poſceret vocem ſequentem נהר ſuæ naturæ propriorem, quam quidem vocem antecedentem חלח, quam Holſtenius non æque ut Chabor de aliquo fluvio, ſed de regione quadam explicat? Aſt ſic h. l. Chabor fluvius plane inconvenienter cum nomine regionis magis quam cum נהֹר, quæ tamen Deſcriptio fluminis Chabor juxta Holſtenium eſt, conjungeretur. Obiter forſan Holſtenium inſpexit

[1] In Libello de Tribubus Iſrael, ex quo citat L'Empereur in Annott. ad Benjaminis Itiner. p. 206. eſt autem ille ספר אלדד הדני impreſſus Conſtantinopoli una cum Epiſtola Preſte Johannis ad Papam Rom. ſcripta: uti refert Buxt. Lex. Talm. rad. סבט [2] Hoc Argumentum Eldado in Talmud. Hieroſol. ſuppeditatum refert idem doctiſſimus L'Empereur l. 2. [3] 2. Reg. XVIII. 11. [4] V. Schindl. Lexic. Pentagl. in גזן Cui opinioni inter alios favent Benjamin Tudelenſis in ſuo Itinerario pag. 97. med. editionis quæ cum Verſione & Notis Conſtant. L'Empereur Lugd. Bat. in 8vo prodiit 1633. & R. Majemonides, ut habet Elias in Thisbi notante Buxtorfio in Lex. Tal. l. c. [5] Exſtat illa inter Σύμμικτα Leonis Allatii, a Bertholdo Nihuſio edita Colon. 1653. 8vo.

ſpexit Ludolfus, & novam fluvii Gozan metamorphoſin ibi viſam magna exultatione & approbatione excipit.[1] Omnibus idem non probabitur. Itinerarium Benjaminis, quando Gozan nominat, perpetuo fluminis nomen addit,[2] quod & ut tritum ſatis accipit & multis vicibus repetit non indoctus & incurioſus hac in re Conſtantinus L'Empereur in adjectis ad hoc Itinerarium Notis,[3] & hoc ſaltem teſtatur, ſibi perſuaderi adhuc non poſſe, fluvium Gozan Oxum eſſe, uti Vir longe doctiſſimus cenſuit.

§. VI.

Licet autem jam pro fluvio Gozan pugnaverimus, attamen tantum abeſt ut flumini huic ſua aſſignemus Sabbatha, ut potius quicquid Judæi ex hoc Gozan in tutamen fabulæ ſuæ hauriunt, rejiciamus. Unde enim Rabbi Gedaljah in ſuo Libro שלשלת & Rabbi Abraham in Libro יוחסין[4] aliique egregii hujus farinæ Hiſtorici probabunt, quod Gozane fluvio quaſi foſſa Tribus Iſraelis Deus circumdederit, & quod Exilium maledicti populi adeo mutaverit, ut immenſæ Magnitudinis Regno quiete inter lata auri, argenti gemmarumque decora vivant, tantum in eo infelices, quod videre fratres ſuos & viciſſim ab illis videri interjacente flumine prohibeantur.[5] Pudeat igitur Rabbinos tam aperti Mendacii convictos, inſigne obſtinationis judaicæ documentum prodentes, qui, quamvis jam remotiſſima Aſiæ loca, judicante Ludolfo, ſatis cognita ſint, tale tamen flumen in aliquo Mundi angulo ultra hyperboreos fortaſſis montes dari, pro certo ſibi perſvaſum habent, ne fidem Talmudi ſuo derogare cogantur.

§. VII.

Vacillat præterea Miraculi Talmudici fides, quod omnia circa hoc flumen, & quæ occaſione Ejuſdem narrantur, ineptiſſimis mendaciis adeo turgeant, ut magis Judæorum quiſquiliæ quam aqua aut ſaxoſi fluctus intra alveum volvantur. Sabbatho ſingularis vis generativa a DEO impreſſa Judæis creditur ex prima benedictione, quapropter & Ipſi eodem hoc die ſtrenue liberis procreandis operam dare narrantur, utpote quo ingruente נשמה יתירה Anima excellentior Homini infundi cenſetur. Sed heu nimium excellentes & fœcundos in fingendo Judæos, quando in Sabbatho otiantur! quanta vis generativa mendaciorum etiam fabulas de Flumine Sabbathico adauxerit, (nauſeam parumper ſuſpendite) perſpiciamus: Non enim ſolum Pictoribus atque Poetis quidlibet audendi poteſtas eſt, ſed Judæi etiam addendi ſunt, qui non ex decoro neque pudenter, ſed ſola animi libidine mentiuntur, quæ diſſona & ridicula ſunt, hanc unam ob cauſam ut mentiantur: ut hoc Elogium Judæorum, quod Cunæus[6] ipſis impertire voluit, in medicinam nauſeæ forſan exorituræ, prius adjiciamus.

§. VIII.

Nugas & Gerras Eldad Danita αὐτόπτης Teſtis & Legatus, ut ſe ſcribit, adeo impudenter vendere non veretur in libello ſuo de Tribubus Iſraelis, ut mirum ſit, alios qui auditu rem complexi ſunt, viam adhuc fingendi ineptiorem invenire potuiſſe. Tribum Dan (Alii Zebulonem habent) recuſata adverſus Judæos pugna, ne injuſto Jeroboami pareret imperio, de alia ſede ſibi proſpexiſſe tradit, & electis prius aliis regionibus demum in Æthiopiam abiiſſe. Hanc ſecutæ ſunt Aſſeris, Gadi & Naphthali Tribus: Acceſſere dein Moſis Poſteri ex Midianitide ſuſcepti, qui hactenus a Judaiſmo alieni fuerant; & ſic Reſpublica erecta eſt. Formam Reipublicæ ſcire deſideras? monarchica eſt: regium Nomen Uzielis. Terra victus & amictus abundantiſſima, & in eo præcipue felix, quod nihil noxium in ea inveniatur. Tota cingitur [attende Monſtrum!] Sabbathico, qui per hebdomadem arena [non aquis] & lapidibus cum ſtrepitu maximo intonat, Sabbatho igni ardet, ut ex religione Sabbathi & propter furentes undique impetus tranſiri nequeat. Compendium fecimus fabularum Eldadi, quod excerpſit Becmannus in ſua Hydrographia.[7]

[1] In ſuo Comment. ad Hiſt. Æthiop. p. 135. fin. [2] p. 96. 97. &c. [3] præcipue p. 205. 206. [4] Fol. 36. Edit. Cracov. citante Buxtorfio in Lex. Talm. in rad. סבט. [5] Ut ex Eldad Danita refert Buxtorf. Lex. Talm. l. c.
[6] De Rep. Hebr. Lib. II. 24. [7] Cap. III. §. XIII.

§. I X.

L'Empereur Eldadis Verba referens, & conclusos in suo felici Regno Judæos videns addit, [1] nihil ergo mirum esse, si de isto beato Israelitarum statu nihil aliquot Seculis auditum fuerit, ex eo quod nemini eo pervenire, nec inde egredi liceat. Ut autem insignis etiam modus hinc inde transmissi nuncii pateat, adhuc aliqua, quæ Eldad Danitæ sunt, audiamus: *Est Locus*, inquit, *ubi se mutuo vident*, (loquitur autem de clausis Tribubus & aliis qui exadverso habitant) *& invicem vociferando colloquuntur*: sed Fluvius Sabbation interjacet inter illos. Narrant autem illis omnia, quæcunque Ipsis accidunt, sed cum negotium aliquod arduum & alicujus momenti adest, habent certam speciem Columbarum quibus utuntur. Scribunt enim tum Literas, & alligant eas alis aut pedibus Columbarum, quas illæ deferunt ultra fluvium Sabbation, & Regibus aut Principibus illorum offerunt: uti hæc, quæ retulimus, Buxtorfius recenset [2] ex ipso Eldad Haddani transcripta, numerosam insuper copiam felicium istorum Exulum adjiciens, quod eorum quintuplo plures sint (fœcunda mendacia) quam Israelitarum qui ex Ægyto exiverunt.

§. X.

Credimus equidem Judæos Noa avidiores Columbam talem ex sambationis ripa præstolari, ipsis Columbis suis simpliciores: Sed vix dabitur occasio ipsis de accepto nuncio gratulandi. Bonum aliquando Rabbinis Consilium suggessit Ludolfus, [3] ut, quia ipsis obstat Sabbathi celebratio, assumtis pauperibus Christianis, quorum ministerio pro Tabellariis uterentur, nuncium suum ad fratres deferrent, quibus flumen in Sabbatho quiescens pertransire religio non erit: Ad quod suffusi rubore quid respondi debuit, non habuerunt, nisi frivolas ex perversitate sua tergiversationes & strophas, quibus adhuc subdola natio ad mille formas induendas utitur. Quo & spectat egregia illa Excusatio in Epistola Preste Johannis ad Romanum Pontificem data, [4] qua Causa aperitur, cur nemo ex felici Regno ad nos decurrat: ita autem scribitur: Nos Custodias collocamus in transitu: nam si Judæi possent transire, maximum facerent damnum in toto Mundo, Christianis pariter & Israelitis, omnique Nationi & Linguæ quæ sub Cœlo est: Nulla enim est Lingua, nulla Natio, quæ coram ipsis posset subsistere. &c.

§. X I.

Nolumus ulterius nugas sordentes evolvere, & mysticas hic congerere fabulas, quas Elias in suo Thisbi adjicit, uti eosdem Judaismi thesauros dignos citatione non judicat Voetius, [5] sed eodem modo quo R. Menasseh commenta, etiam Eliæ deliria intacta relinquit. Idem judicat Holstenius ad Nihusium, [6] & fabulas R. Men. Ben Israel de arena Sabbathica unico verbo explosisse contentus est: Et quia semper similes quærunt Labra Lactucas, parum operose maleolentia circumvertere voluit fercula, palato judaico jucundiora. Initio autem Epistolæ miratur Cœcitatem malignæ Gentis, & dolet, Primores Ejus ita Talmudicis tenebris mersos esse, ut ad Veritatis Lucem oculos attollere nequeant, quam facile perspicerent, si in Sacrarum Literarum sensu pervestigando sine partium studio optimos quosque Interpretes, quam portentosa illa suorum commenta, consulerent. Quamvis autem etiam Targum Hierosolymitanum Jonathanis [7] jam fabularum meminerit, attamen Judicium Ludolfi iisdem opposuisse sat erit, qui Commentum hoc valde vetus & longo tempore auctum globo nivali comparat, quem quo magis volutaveris, eo magis auxeris, donec hic Solis, illud Veritatis radiis liquescat. Transeant igitur cætera figmenta, quæ Judæis Nugatoribus stoliditatis, & Eorum Flumini Sabbathico fabulæ nomina jure affricare possunt: imo transeant, quia illis nihil futilius, nisi diutius iisdem immorari velle, adhuc futilius nominaveris.

§. XII.

Scopulis præterea quot & quantis asperata conficti fluminis rigent littora? ad quos, qui illud navigare amant, continuo magna vertigine allidunt, ut in damnosa

[1] In Annot. ad Benjam. Itin. p. 207. [2] Lex. Talm. l. 2. [3] in Comment. suo ad Hist. Æthiop. p. 133.
[4] Quam adducit Buxt. in Lex. Talmud. ead. כנפ. [5] Part. III. Sel. Dispp. p. 1273. [6] p. 441.
[6] Exod. XXXIV. 20.

ſa trahantur naufragia. Nomen fluvii quietem promittit; aſt plures vix alibi numerabis rixas & Autorum Contradictiones, quam quidem ex his Sabbathicis ſurgunt undis: Quomodo autem iſthæc omnia Veritatem rei arguent? Hiſtriones non Geographos aut hiſtoricos videbis, quotquot hic leges Judæorum, qui Πρωτέως ποικιλώτεροι in omnes ſe vertere didicerunt formas, ſuiſque Lectoribus illudere & eoſdem effaſcinare ingenti molimine, ſed gratis, conantur. Aſt tentabimus in ſecretis ſuis hos adire Proteos Senes, & mox tenacia captis vincula tendere.

§. XIII.

Circa ipſam Fluminis Naturam, quod mireris, nondum Omnes conveniunt. Aliis Rabbinis in Sabbatho Ignes ardent intra quietum alvei ſabulum, quod Eldad [1] claris verbis prodit: הנהר הוא מאבנים ומחול ירעים כל ששת ימי המעשה ובשבת ישבות וינוח ומיד תעלה אש סביבות הנחל מעבר שבת עד למוצאי שבת *Flumen Lapidibus & arena conſtans intonat ſex diebus operariis, ſed Sabbatho ceſſat & quieſcit; tum à veſtigio ignis circa flumen exoritur, inde a pridie Sabbathi ad exitum Sabbathi*. Alii contra eam Flumini in Sabbatho aſſignant quietem, ut tranſitum nihil niſi Religio Sabbathi prohibeat: Sabbathis enim flumen quieſcit & pedibus pervium eſt, hæcque tantum Pœna Iſraelitis eſt poſita, ut quo tempore undarum impetus conſtitit, Sabbathi veneratio eos inhibeat, & movere vetet pedem: Ita ad libertatem via ipſis ante oculos poſita eſt, ſed ut pejus crucientur; Vident enim eam, ſed viſa & relicta, [ut Cunæus loquitur] intabeſcunt. Nihil etiam de Ignibus habet R. Gedaljah in Libro ſuo שלשלת, licet alias craſſius læteris mentiatur, & tam vehementem intra dies operarios fluvio ſtrepitum adſcribat, ut lapides in eo voluti, montes ferreos, ſi adeſſent, diſpergere ipſi credantur. Nullæ Ignis ex R. Salomonis Gloſſa [2] emicant flammæ: quieſcit ipſi tranquillum flumen in Sabbatho. Imo expreſſe fatetur Epiſtola Preſte Johannis ad Papam, [3] in Sabbatho poſſe tranſiri flumen, quod tamen ne fiat, per Cuſtodias in tranſitu poſitas (nullo igne) impediatur.

§. XIV.

Et quam mire in egregium Miraculi dedecus ſibi invicem contradicunt magnus ille Naturæ Myſtes, Plinius, & Joſephus? Ille [4] Talmudicis applaudens Rivum dicit in Judæa omnibus Sabbathis ſiccari; Hic vero [5] oblitus tribulium ſuorum fabulis audet & dicit: *Habet autem quoddam* (Fluvius iſte) *miraculum peculiare: Nam cum ſit quando fluit plurimus ſive largus, neque meatu ſegnis, tamen interpoſitis ſex diebus a fontibus deficiens ſiccum exhibet Locum videre. Deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur, atque hunc ordinem ſemper eum obſervare pro certo compertum eſt. Unde etiam Sabbathicus appellatus eſt, a ſacro Judæorum ſeptimo die ſic nominatus*. Autoritatem Joſephi veneratur Agricola, qui de Natura eorum quæ ex Terra fluunt ſcribens, [6]. eandem Joſephi narrationem prodit. Aſt tranſigere prius jubemus Hiſtoricum Judæum cum Phyſico Romano, antequam nobis ſtupor ad Miracula decantata ſurgat. Minime Sabbathicum erit Joſephi Flumen, quod, dum debet σαββατίζειν, maximo decurrit impetu, & Sabbatha ſua in ſex dies ceteros transfert. En quam mira conſonet Portenti Veritas! Obſervat has vertigines Paulus Colomeſius, [7] & Spanhemius [8] exinde rationem hæc Commenta negandi non immerito deſumit.

§. XV.

Tranſactionem Joſephi cum Plinio popoſcimus. Non deſunt, qui fœdera pacis inter Eos pangere laborant. Quis autem tantorum Virorum alteri cedet? Baronius [9] Plinium erroris arguit, quando occaſione fontis Siloæ hiſtoriam fluminis Sabb. commemorat, Joſephi vulgatam retinens Lectionem: Aſt Fullero [10] Verba Plinii ſine omni ſupercilio dicta, licet pauca ſint, credibiliora videntur præ Joſephi narratione longiori. Caſaubonus [11] Utrumque conciliat, & rupta fuiſſe pacis

fœdera

[1] Vid. L'Empereur in Notis ad Benjamin p. 207. [2] Conf. Lighfoot in Decad. Chorograph. Marco præmiſſa, Cap. IV. §. V. [3] ap. Buxt. in Lex. Talm. l. c. [4] Lib. XXXI. Cap. II. Hiſt. Nat. [5] Lib. VII. de Bell. Jud. cap. IV. & lat. cap. 24. [6] Lib. III. p. 114. [7] In Cimeliis ſuis Literariis, (quo nomine χρυσομαθίας ad morem Veterum ſ. Excerpta ſua publicavit) cap. XXV. de amne Sabbat. p. 57. Edit. Pariſ. 12. 1663. [8] in Dubb. Evv. l. c. [9] An. XXXIII. No. XXXVII. [10] Miſcell. Theol. Lib. I. cap. 9. [11] in Exercitar. ad Baron. Exerc. XV. No. XX. p. 392.

fœdera non niſi ab oſcitantibus Scribis exiſtimat. Cum enim obſervet Plinii Lectionem conſonam eſſe omnibus Rabbinis, qui illius ſive hiſtoriæ ſive fabulæ mentionem faciunt, & ubique affirmant, hunc fluvium magno ferri impetu כל ימי השבוע חוץ בשבת *omnibus diebus ſeptimanæ præter Sabbathum*; Joſephi Textum corruptum hoc modo in ordinem redigere conatur, ut verba trajecta in ſuum locum, omiſſa in lacunas reſtituat, & ita Textum Joſephi ſcribat: πολὺς γὰρ ὢν ὅτε ῥεῖ, καὶ κατὰ τὴν φορὰν οὐ χαλαῖος, (ἓξ ἡμερῶν ἀριθμὸν,) ἔπειτα δὲ πᾶς ἐν τῶν πηγῶν ἐπιλείπων, (κατὰ τὴν ἑβδόμην ἐνδίδωσι,) καὶ ξηρὸν παραδίδωσιν ὁρᾷν τὸν τόπον. Εἶθ' ὥσπερ μηδεμιᾶς γενομένης μεταβολῆς, μετὰ τὴν ἑβδόμην ἐκδίδωσι. Aſt duras has transigendi Conditiones forſitan Joſephus nou admittet: Quamvis enim Caſaubonus alia Exempla proferat ab incuria Librariorum deformata, hoc tamen noſtrum ceterorum ordinem vix ingredietur, alibi enim facilius evenire potuit, ut una ex duabus periodis in ſimile verbum terminatis, & lineam conficiens, lapſo in inferiorem lineam ſcribæ oculo, omiſſa fuerit, quam hic, ubi non modo omiſſa, ſed & trajecta verba ſimul obſervantur; ut taceamus qui fieri potuerit, ut & nova plane vox ὅμοιος, quam Caſaubonus expungit, in ſolemne errorum augmentum vitio Librarii irrepſerit. Nec videmus præterea novam Lectionem Membranarum regiarum autoritate firmatam, quas tamen Caſaubonus in ceteris ad tutamen ſuæ Emendationis proferre voluit. Magis itaque aliis placet perpetuum hic canere Claſſicum, quam Pacis Tubam ad Concordiam Joſephi & Plinii inflare, imprimis quia & aliæ contradictiones eoſdem in continua armant prælia. Quapropter & nos pugnaturos ſine fine hos Duumviros credimus, & nihil præter Lightfooti [1] Quæſtionem: *Utri credis Lector?* adjicimus.

§. XVI.

Materia fluminis præterea non eadem ubique fingitur. Aquam Plinius & Joſephus fluxiſſe perhibent: *Siccatur* Rivus in Sabbatho apud Plinium, *ſiccum* terræ locum a fontibus ſuis deficiens fluvius apud Joſephum relinquit. Sed Saxa & Arenas ſubſtituunt Judæi, uti Eldad expreſſe eundem conſtare dicit מאבנים ומחול, quemadmodum & Epiſtola Preſte Johannis clariſſimis addit Verbis: *Nulla plane in Eo ſunt Aquæ:* Imo tanta hic adeſt undarum Metamorphoſis, ut mendax ille Danita Aquæ loco Ignem flumini inferre non erubeſcat, ſed Elementorum etiam contrariorum in ſua Figmenta Conſenſum ſibi promte admodum polliceatur, parum ſollicitus, annon curioſior poſteritas Aquam ab Igne exſiccatam & ſic totum flumen in aera & vapores abiiſſe ſuſpicatura ſit. Abſit igitur ut hoc modo Ignem aut Lapides pro Aqua, & ſic monſtroſum flumen pro Rivo Pliniano nobis obtrudere patiamur.

§. XVII.

Nimium ſequaces nos ſibi promittunt Errones iſti Sabbatharii: proinde in omnes fere terræ angulos nos ſecum raptare ad inviſendum miraculum ſuum ipſis placet. Plinius Judæam deſignat Theatrum Portenti: Joſephus alveum ducit ad Palæſtinæ Terminum, verſus Syriam, μέσον ἀρκαίας τῆς ἀγρίππα βασιλείας καὶ ῥαφαναίας: quæ verba novus Latinus Interpres ita vertit: *Inter Arcas & Raphanæas Agrippæ Regni Civitates*; ubi tamen notandam doctiſſimi Angli, Fulleri, Caſtigationem experitur: [2] tantum enim abeſt ut hanc verſionem approbet, ut tale quid magis *pervertere* quam *vertere* nominet. Errorem tam a Græcis quam ab ipſa Veritate ſubeſſe contendit, ſiquidem Arcen ſeu Arcæam, a Claudio cum ditione Lyſaniæ, Agrippæ donatam & in Libano ſitam agnoſcit, Raphanæas vero ad Caſiotidis in Syria præfecturam pertinens oppidulum longe a Libano & ab Agrippæ dominio removet, ſicque demum Joſephi Verba transfert: *Fluit medius inter Arcen, Agrippæ Regni Civitatem, & Raphanæam*. Et ille eſt locus quem Eleuthero amni aſſignarunt Geographi, hunc autem a Joſepho Sabbathicum cognominatum fuiſſe idem Fullerus Autor eſt.

§. XVIII.

Sed diu in Judæa morari & Terram ſanctam luſtrare non poſſumus, magnum enim adhuc nobis iter conficiendum eſt cum noſtris Erronibus; quis enim non aliquantum Viæ impenderet Fluvium Sabbatizantem inviſurus, quis non certos adeo Duces ſequeretur, ut rem videat tam ſtupendam? Manum porrigunt primi Inventores

[1] In Decad. Chorogr. l.c. [2] Exſtat illa in Miſcell. theol. Lib. I. C. 9. p. 71.

tores, & ad Septentrionem aut Orientem borealem declinare nos jubent. Illis enim ſuum Sambation inter Babylonica Flumina referre libuit. Recentiores Judæi difficile ſatis iter nobis monſtrant, & hyperborea juga ſcandere nos poſcunt: At niſi urentes Æthiopiæ arenas formidaremus, alios Duces ad auſtrales ſequi poſſemus plagas, ibidem Preſtegani Regni ſplendores, quos Sambation valde nobilitat, ſimul viſuri. En quam ſe diffundat per Orbem frivolum iſtud nugamentum! Neſcii enim ſunt fabulandi artifices ubi incipiat ubi deſinat Fluvius, & piaculo ſibi haud ducunt Septentrionem cum Auſtro in favorem nugamenti ſui conjungere, æque tamen felices quam noſtri Seculi Monarcha, cui in diſtantium Marium conjunctione ſucceſſus non adeo reſpondere voluit. Quam belle igitur hæc inter ſe concinnant; (cum Fullero loquimur) quanquam mirifico ſaltu, tanto Terrarum tractu, tot altiſſimis montibus ſuperatis, Sabbathicus iſte, ſive fluvius, ſive Rivus, a Mari Mediterraneo ad Caſpium, a Judæa in Mediam jam pridem pervenerit? Nec dubium eſt uſque eo continenter (quantum ſcilicet per Sabbatha licuerit) perrecturum, dum ad Hyperboreos, ultra omnem Aquilonis flatum, ſub ipſo mundi cardine, degentes permeet, quæſiturus apud eos mirificas illas Danitarum maxime atque Nephthalitarum, quas alluat, imo quas fabuloſa vi ſua coerceat, Hordas.

§. XIX.

De ortu & fontibus fluminis hujus æque contraria valde deblaterant. Ex Mari Lapidum & horto Edenis derivatur in Epiſtola Preſte Johannis: [1] ודעו כי מזו הים של אבנים בא נהר אחד שיוצא מגן עדן והולך בינינו ובין הארץ הגדלה של המלך הגדל דניאל מלך היהודים *Præterea ſcitote, quod ab iſto Mari Lapidum oritur Fluvius quidam, qui egreditur ex Horto Edenis, & decurrit inter Nos & inter terram magnam Regis potentiſſimi Danielis, Regis Judæorum.* Ex Monte aliquo idem fluvius elicitur in Verbis Geographi Anonymi Bibliothecæ Regiæ MS. ubi referente Paulo Colomeſio [2] hoc tenore verba fluunt: Τρίτον ὄρος ἐςὶν τὸ καλέμενον Σαββατιὸν, ἔςιν δὲ πρὸς τὸ νότιον μέρος τῆς ἀνατολῆς; Σαββατιὸν δὲ λέγεται διὰ τὸ βρύειν ποταμὸν ἐξ ἐκείνε, καὶ μὴ κινεῖσθαι τὸν ποταμὸν ἐν σαββάτῳ ταῖς τῦ Μωσέως ἡμέραις. Alii pro antiquitus cognito flumine Gozan ſuum Sabbathicum venditant, quod ſupra audivimus; Alii rurſus recens ortum flumen appellant. Operæ pretium erit in contradictionis argumentum audire R. Gedaljah in ſuo שלשלת temerarium magis quam verum ſcribentem: באיתה הלילה היה רעש גדל ובבוקר ראו חיל גדל נהשיב האל סביבם נהר שגולל אבנים וחול במקום שלו היה שם נהר מעולם. *In ea nocte erat Terræ motus maximus, & mane facto conſpexerunt* [Iſraelitæ] *Exercitum magnum. Sed DEus adduxit circa Eos fluvium volventem Lapides & Arenam, IN LOCO UBI ANTEA NON FUERAT FLUVIUS UNQUAM.* Aſt ſat erit inſudaſſe his vertiginibus & contradictionibus: quis autem ita miſere laceratas narrationes credet niſi Judæus apella? Tranſigant prius Judæi an in Aſia an Africa decurrat Sabbathicus, an in Caſpium an Mediterraneum, an demum in Utopiam ſe exoneret fluvius: hæc niſi fecerint, uſque cum Lightfooto [3] aſſeremus, veritatem hiſtoriæ nimis in ſuſpicionem induci per varias & contrarias Hiſtoricorum relationes.

§. XX.

Ultimum demum labenti fluvio aggerem opponimus, quod miraculoſa quieſcendi ratio Naturam ſuperare & exinde magis figmento quam veritati ſe aſſimilare videatur. Intervalla enim motus & quietis adeo Naturam ſuperant, ut, niſi vis ſuperior in ſingnlare quoddam ſuperatæ Nataræ ſpecimen intercedat, Portenta talia ex concuſſo Judaici Cerebri æſtu currere dicamus, Cunæi verbis id edocti, qui raro ſolitum modum Naturam egredi, & miracula facilius credi quam fieri, aſſerit: ſed (*addit*) tenet pleroſque amabilis inſania, & favet ſibi atque plaudit prudens temeritas: aniles fabulas tradimus invicem accipimuſque, non incauti hercle, ſed ſcientes & inter ſeria.

ANA-

[1] Epiſtolam hanc ex Cairo Ægypti Baſileam adſe allatam eſſe Sebaſtian Munſterus teſtatur in fine Coſmographiæ ſuæ latinæ, referenre Buxtorfio in Lex. Talm. l. c. [2] In Cimeliis Literariis Cap. xxv. p. 51. qui præter Eliam Germanum ibidem citat Johannem Mandevyle (alias dictum de Barbam) in Itinerario MS. cujus tamen Copia nobis fieri non potuit. Geographum autem iſtum Anonymum Bibliothecæ Regis Galliæ excerpſit Gilbertus Gaulminus in Notis ad Michaelem Pſellum de Operatione Dæmonum, No. 74. [3] In Decad. Chorogr. Marco præm. l. c.

ΑΝΑΣΚΕΥΗ
SIVE
EXCEPTIONUM DESTRUCTIO.

§. I.

Ast concitavimus nimium Admiratores judaicæ insaniæ : exhausimus undas & discussimus arenas fabulosi fluminis ; Omnia igitur Sabbathica monstra in nos involant , quibus tuta admodum intra has Voragines fuit ad efformanda Commenta sua sedes. Sabbathum olim jugi splendore a cæteris diebus discriminatum fuisse, nullamque noctem diei septimi benedictam Lucem intercepisse, Judæi nonnulli Autores sunt . [1] Cur vero spissa adeo se involvunt nocte tenebriones Sabbatharii, ut atra sua mendacia post Caspias enata Portas non modo velint audaces effingere sed & pertinaces tutari?

§. II.

Non curamus autoritatem Rabbinorum , quorum asserta superius destruximus, licet Eorum nubem Judæi recentiores nobis opponant, ex tot columnarum veritatis, si diis placet, firmitate sat roboris superesse rati, quo Miraculi sui decus fulciant. Ast coeant in unum Nugivendulæ, hauriant conjunctis viribus Oceani aquas, aut si magis solidum præ fluxis aquis exoptant fundamentum, congerant Arabiæ Saxa & Saburras in flumen suum, & herculea vi novos fluctus moveant, impellant, misceant; ægre tamen, si etiam innumerabiles Utopici istius Regis Subditi unitis viribus ipsos ex littoribus suis adjuvent, Sabbathicum suum salvare per hoc poterunt, quod multi simul mentiantur. Eo enim jam diu annisa est stulti populi temeritas, ut ad defendendas Talmudis ineptias omnes audaciter conspirent, & omni veritate posthabita, morose gerras suas tueantur. Et quid prodesse poterit fabulæ antiquitas? Eadem omnibus Seculis fingendi Libido Judæos tenuit. Amor populi sui excœcavit plurimos : In DEO Israelis gloriantes , postquam vera cessavere miracula , ad conficta dilabuntur , & largam Numinis Benevolentiam magno flumine derivare student ad conclusos in dissito orbis angulo fratres . Totum quippe Miraculum Sabbathicum etiam ab antiquissimis Judæis eum in finem excogitatum est, ut persuadere reliquis voluerint, Deum amore perpetuo electum Populum suum fore comitaturum : inde est quod Jonathanis Targum Hierosol. DEUM loquentem sistat : [2] *Faciam miracula ipsis Israelitis*] *& tempore quo abibunt in Captivitatem ultra flumina Babyloniæ , educam ipsos inde & habitare Eos faciam ultra ipsum flumen Sambation*. Quo & referas egregium illud Esdræ somnium, quod supra tetigimus, admodum bene cum hac judaica veritate conspirans . Adsit autem, precamur, Veritas Canonica & Historica , sibi enim ipsi aut in gloriam suæ gentis vaticinari & somnia fingere non sufficit. Et quis crederet (liceat ita nobis cum Ludolfo quærere) DEUM Genti reprobatæ & ad dispersionem damnatæ Miraculum tantum facere voluisse? Falsa itaque ex falso primordio fluxere, nec falsitatem excusabit antiquitas, præcipue cum pronissimam fingendi occasionem Jordanis Miraculum etiam in prima antiquitate Judæis dare potuerit.

§. III.

Sequax Majorum Nugatorum Posteritas autoritatem Patrum venerata ambabus manibus hæc antiqua asserta amplexa est , hiantique ore dulces tabellas excepit , Patribus suis fingendi, sibi obsequendi & tuendi gloriam relictam esse existimans . Uti autem Fluminum Natura est , quo longius decurrant , eo magis aquarum vi onerari, imo exceptis hinc inde novis rivis alte circa ostia sua intumescere, & latiores alvei ripas implere: ita etiam largis Sabbathicum nostrum per tot secula manavit augmentis , & novis quotidie fabulis velut imbribus intumuit . Magna hunc in modum Religione hoc antiquum Gentis miraculum semper inter Judæos custoditum ac defensum est, hinc quid miremur , quod etiam vacillante nonnunquam rei hujus stupendæ veritate, Testes oculares producere ausi sint.

§. IV.

[1] Quod citat Seldenus (ex Beres. Rabba , Parash. II. & Rab. Bechai , ad Beres. fol. 10.) in suo J. N. & Gent. Lib. III. Cap. 13. [2] Exod. XXXIV. 10.

§. IV.

Pertinet huc ille Ali, Mercator Ismaelita, felix ad Judæos Nuncius: Quater iste [ter id fecisse ad rei fidem nonne sufficeret?] ad Judæos ultra fluvium Sabb. iter fecit, & ne deesset fides, prolixe statum Regionis, Regum 24. Judaicorum & naturam Sambationis descripsit, multa stupenda de Gentis robore, excursionibus & aliis referens, quæ habentur pluribus in Epistola hebraica Isaaci Akarisch, relationem prolixam Mosis cujusdam Sacerdotis, Germani, Incolæ Cretentis, ab ipso Ali acceptam continente & a Buxtorfio ad Hottingerum missa, cujus ipse Hottingerus [1] meminit, sed simul hæc omnia anilium fabularum nomine nonnisi in confusionem stultæ gentis citanda rejicit & dimittit. Nos quidem Mercatori huic de felici reditu ex inaccesso alias Regno gratulamur, pluresque Judæis e fratrum suorum felici carcere nuncios exoptamus, hoc tamen dolentes, quod non comitem sibi Eldadem aut alium elegerit, quo & nobis ex duorum Testium ore firmior constare posset Veritas. Insuper valde veremur, ne intolerabilis saxosi fluminis impetus Memoriam totumque caput Viri adeo concusserit & turbaverit, ut relatio dubia Ejus parum fidei mereatur.

§. V.

Crepent Alii [2] Josephum, alii Plinium, & Duumvirum horum autoritatem nobis in tutamen Sambationis sui opponant, parum utriusque fasces venerabimur. Josephus fabularum Gentis suæ strenuus propagator castigatus jam est a Ludolfo [3] propter inconditam & frigidam rei descriptionem, quod illa gravem Historicum vix deceat: *Imperatoris filium ad Miraculum tanti momenti visendum ex itinere digressum memorat* [hæc sunt Josephi apud Ludolfum Elogia] *de successu silens*. At respondeat etiam nobis, rogamus, ad hæc quæsita Josephus: Fluebat ne flumen an quiescebat, cum illuc veniret Titus? Exspectabat ne reliquos dies ut experimentum certum ipse sumeret? an audiebat vicinos Accolas narrantes quæ ipse exspectare non poterat? Cur genuinum nomen fluvii non nominat Josephus, & tantum Epitheton *Sabbathici* tangit? num hoc munus est boni historici? adeone incuriosus erat ille Historicus, ut rem sui temporis non diligentius indagaret, quo eventu peracta fuerit, tantam rem scire aut nescire num perinde est? Et nonne totius figmenti scopo repugnat, *senis diebus siccari & septenis fluere*? adeone sui oblitus σαββατίζειν credit quod impetu labitur? quapropter hunc suum universæ Rabbinorum contradicentium Scholæ ferulis cædendum damus Historicum.

§. VI.

Pudeat autem egregium Naturæ Mysten cum Judæis insanire, & ab inepto populo incautum decipi! putavit, judicante Buxtorfio, [4] rivum [quem ipse non nominat] in Judæa esse, quod Judæos ad eundem habitare & ab ipsis hanc historiam profectam didicerat, & nimis cupide crediderat. Hinc Cunæus, uti R. Mosen Ben Maimon, quem alias merito laudibus in Cœlum locavit, delirasse dicit hac in re, ita & dolet Plinium adeo a Judæis deceptum fuisse, ut ille Romanus se magis traducere non potuerit, quam cum tam futile Judæorum commentum arripuit tam avide. Et quam suspecta titubat Pliniana Fides? pleraque enim quæ in eodem capite memorat de fontibus fluviisque & de aquis, ejusdem levitatis sunt, ita ut Cunæus subjiciat, [5] se rerum incredibilium atque inusitatarum narrationem in Julio Obsequente, non in Plinio, summo historiarum Scriptore, tolerare velle. Mitius Plinium excusat Ludolfus, & præcipue Plinii Junioris narratione [6] motus: *Liber legebatur, adnotabatur, excerpebaturque, nihil enim unquam legit, quod non excerperet*: & judicat, multa ab Eo utut indigna fide promiscue collecta fuisse, quæ deinceps cruda & indigesta in Operibus ejus remanserint: non ex his omnia ipsum Plinium credidisse existimat, quæ fabulosa in historia sua habet, sed eum cuncta prout eadem reperit vel audivit, animo & spe eadem elaborandi & digerendi, vel etiam an vera aut falsa sint, Lectorum Judicio relinquendi, excerpsisse. Merito igitur & hoc Lemma Plinianum: *Rivus in Judæa omnibus Sabbathis siccatur*: in eandem classem cum Ludolfo & Spanhemio [7] reponimus.

[1] In ἀρχαιολογία Orientali Parte II. quæ audit Topographia Ecclesiastica p. 226. [2] Quod faciunt plurimi ex recentioribus. [3] in Comment. ad Hist. Æth. p. 135. [4] in Lex. Talm. in voce סבט p. 1420. [5] de Rep. Hebr. Lib. II. c. 24. [6] quam habet Lib. III. Ep. 5. [7] in Dubb. Evv. l. c.

§. VII.

Instant autem Alii, quos Fabularum Talmudicarum hucusque puduit : *Navigent arenosum fluvium in Æthiopia Judæi , minime tamen Palæstina carebit miraculo , cujus Assertores Josephus & Plinius erunt*: Imo ad tollendam inter hos Assertores pugnam, adeo larga fluminum Ipsis fluit materia, ut duplicem potius Terræ S. fluvium Sabb. concedere velint, quam de alterutrius Historici fide aliquid delibare. *Lundium* hic experimur obstrepentem [1] Virum in antiquitate hebraica stupende studiosum, hic tamen nimis vel credulum vel superstitiosum, quam ut Josepho & Plinio aliquid deroget. Præter hunc aliosque etiam quendam Anonymum ex Epistola ad Cl. Nihusium data [2] huc referimus, qui fluvium Sabb. duplicem a Scriptoribus commemorari dicit, uni, cujus Josephus meminit, suam constare autoritatem, alterum fabulis accensendum, sentiens. At vero Assertori utriusque autoritatem quoad hoc commentum jam supra non satis firmam ostendimus. Sed ut ad ultimum priori loco cum Ludolfo respondeamus, quisnam est, & ubi fluit ille unus, cujus autoritas firma stat? Quinam illi Scriptores sunt, qui duplicem commemorant Sabbathicum? Omnes de uno solo loquuntur: Unum solum diversi diversimode describunt, diversa vero *unius rei descriptio* rem non efficiet duplicem: Pars autem Narrationis fabulosa rem totam suspectam reddit, nisi autoritate idonea restabiliatur. Nescio vero cur Lundius difficile fabulatoribus putet Sabbathicum ex terra sua aliorsum deportare: Josephus & Plinius decepti propius locant quod ipsi non viderunt; ast secuti hos recentiores blaterones utopici, veriti ne nullibi reperiretur, in eos Mundi Angulos ex Judæa Sabbationem transposuere, ubi non facile ab aliquo quæretur. Et cur non curiosi Lustratores Terræ S. illud Palæstinæ Miraculum in Itinerariis suis exhibent? Willebrandus ab Oldenborg Canonicus Hildeshæmensis, Autor neque indoctus neque incuriosus [3] A. 1211. Terram S. lustravit, omniaque quæ vidit in Scripta retulit, nullam tamen hujus Portenti mentionem injicit, quod nec fecit ante Eum Johannes Phocas, cujus compendiariam Palæstinæ & Syriæ Descriptionem Leo Allatius e charta bombycina transscripsit, & una cum Willebrando publicavit. Adrichomium facile potuisse errare in tanta decurrentium e Libano fluviorum multitudine, ipse Anonymus fatetur, propterea quod anceps sit antiquitatum ejusmodi cum recentioribus comparatio. Eadem & Holstenio respondisse sufficiet, qui nescio qua Josephi & Plinii autoritate pellectus pro Eleuthero Sabbatizante, & Plinianum Rivum forsan aliunde influentem excipiente pugnare videtur, ea modo pro putidis nugis habens, quæ Judæi de Sabbathico Fluvio extra Phœniciam quærendo scribunt. Sed est ne credibile [si vera scripsit Josephus] Judæos sui fluminis portentosi, quod propius est, oblituros, & alium in extrema Asia aut Æthiopia confícturos fuisse? uti optime cum Ludolfo sentire possumus, quia nullum recutitum ad Judææ flumen ullibi provocasse comperimus.

§. VIII.

Evanuit forsan quod olim Palæstinam magnificavit Flumen. Sic excipiunt iterum alii miraculi Judaici Assertores, quos inter præter Galatinum & Paulum Fagium [4] nominamus Anonymum antea citatum, qui ita ad Nihusium : *Defecisse autem sive ipsum flumen , sive potius miraculum illud jam ante multa secula , ac fortasse statim post excisam Hierosolymam , id indicio est , quod nemo posteriorum , ac ne recentiorum quidem ejus tanquam sibi visi meminerit*. Additur ibidem Majoli sententia, qui causam defectus ad excisam Judæorum retulit Politiam, cum qua fluvius quoque ille Sabbathi index defecerit. Otia nobis hic facit Ludolfus, qui eandem Exceptionem, quam in ipsa Epistola legimus, referens, Majolum accusat, quod more Philosophis communi non adeo bene citius rerum Causas exploret, antequam de Veritate Facti constet. Conjecturam insuper hanc vanissimam judicat, non verisimile æstimans, quod DEUS tantum Naturæ Miraculum, Sabbathi & Creationis Indicium, cessare fecerit: Quamobrem & nos cum Eo tale miraculum nunquam exstitisse, quam defecisse, tutius asserendum censemus.

§. IX.

[1] In Tract. quem inscribit: Von den Gottesdiensten der alten Hebräer p. 70. [2] Exstat illa inter Σύμμικτα Leonis Allatii post Holstenii Epistolam, quam supra citavimus p. 443. [3] Uti laudatur in Præfatiuncula Leonis Allatii Opusculis præfixa : Exstat Ejusdem Itinerarium inter eadem Σύμμικτα Leonis. [4] Sequitur enim Galatinum, in suis Annotatt. ad Onkeli Targum ad Cap. xxx. Deut. v. Galat. Lib. xI. de Arc. Cath. Ver. Cap. 9. Uterque autem Fluvium Sabb. forsan defecisse existimat.

§. IX.

Quid si Deus Miraculo hoc uti voluisset ad Sabbathi a se sanctificati solennes ferias indicandas? Ita Judæi magno agmine facto in nos insurgunt, simulque Aliqui Sabbatharii ex Christianis deducunt nos secum in deserta ad Mare rubrum, & simile signum Sabbathicum in miraculosa Mannæ pluvia intueri jubent. Plura producit R. Menasseh Ben Israel [1] Sabbathi sui magnifica Testimonia, Lumen citans Sabbathicum, cujus mentio fit in Talmude; Et nonne id aliquid peculiare est, quod Præstigiatores & Magi (ut ipsi fatentur) nullo modo nefarias suas artes eo die exercere possint? Addimus hoc loco ea quæ R. Akibah Turno Ruso Sabbathi argumenta nominat, [2] Turnus enim quærit ex R. Akibah: *quis probaverit quod hic Dies est Sabbathum*? Cui Akibah respondet: נהר סבטיון יוביח *Fluvius Sabbathicus hoc probabit*. Imo plura addit: *Pythonicus hoc probabit*; & iterum: *Sepulcrum Patris hoc probabit*. Ast arguant Judæi Sabbathum suum, quam diu velint, per Talmudis ineptias, firmiora nobis ex divinis Oraculis præstant Sabbathi judaici olim solennis argumenta, ipsa enim divina Sanctificatione & Institutione nihil firmius est nihil augustius.

§. X.

Contra judaizantes aliquos e Christianis Sabbatharios hic non disputabimus, qui perpetuas ejus Diei ferias etiam a Christianis poscunt: Ex illorum Numero fuerunt, [præter alios obscuros & ἀπαιδεύτους] magni & literati Viri, *Theophilus Braburn*, erroris tamen sui mox pœnitens, cui se opposuit Franc. White Episcopus Eliensis in suo Tract. de Sabbatho: Alius nomine *Traskus* quem refutavit Lancelotus Andrews, Episcopus Wintoniensis in Oratione habita in Camera Stellata: Quibus a Voetio [3] productis alia infausta Nomina e Belgio adjungere cum placitis suis judaicis possemus, sed hoc esset nihil aliud quam לקט אחרי קציר tenue post largam aliorum messem Spicilegium. Accedit quod talia de perpetua Sabbathi celebratione non ad nostram sed superiorem Theologorum Cathedram pertinent, e qua etiam multum jam contra Sabbatharios diu declamatum est. Legant qui velint Rivetum & Amesium de Sabbatho, Anton. Walæum in sua Differt. & Hoornb. in Tract. Belg. quem inscribit: Des Heerend Daghs Heyliging.

§. XI.

Non tamen plane hic Nobis tacendum erit. Inter alia enim Sabbathi judaici argumenta etiam ad Sabbationem fabulosum provocatur, per quem ipsa Natura Sabbathi ferias perpetuas approbare videatur. Ast porrigimus hic Sabbathariis Lightfooti judicium, quod fabulosæ de Sabbathico Fluvio recensioni ita subjicit: *Nonne subolet tibi, Lector, unde & quare excogitatum est hoc Commentum? Nempe cum jam ortus esset Splendor Sabbathi Christiani, cresceretque indies, ad Monstra hæc vel Magiæ vel Fabularum est recursum, quibus obscuraretur Sabbathi nostri gloria & illustraretur Judaici*. Imo cum Spanhemio [4] potius contra hanc objectionem notamus, si Josepho credendum est, tantum abesse ut septimi diei quies fluxu isto designata fuerit, ut potius contrarium exinde concludi possit.

§. XII.

Ridet frivola hæc Commenta Seldenus, [5] quod rationes e fluvio Sabbathico a nonnullis petantur ad obligandum universum Genus humanum ad celebrationem Sabbathi judaici, & pluris faciendum hoc nugamentum non censet, quam illud Alcoranicum de Piscibus in Sabbatho, nec aliis diebus, capita sua e Mari exerentibus, & aliis similibus, quæ nimis oscitanter ex amabili credi solent insania. Et ostendant quæso vim argumenti sui ad quod Sabbatharii provocant, ducant nos ad mysticos Sambationis Latices, & propinent nobis zelum sabbathicum. Sane quod quærunt pro sententia sua robur, in toto Orbe non invenient: & concedamus cum Galatino, fluxisse olim tale portentum sabbathicum, quis exinde hodie ex ejusdem

[1] Quæst. 36. in Exod. [2] Refert ex Tract. Sanhedrin Babylonico eadem Lightfootus in Chorographia Marco præm. Cap. VI. §. 5. quæ Galatinus prolixus recenset Lib. XI. Cap. 9. Cath. Verit. [3] In Dispp. Sel. Part. III. p. 1273. in Disp. de Sabbatho & Festis. [4] In Dubb. Evv. l. c. [5] De Jur. N. & G. juxta Discipl. Hebræorum Lib. III. C. XIII. p. 359.

defectu non ad abrogationem potius antiquati Sabbathi quam ad ejus solennes adhuc ferias concluderet? quippe subducto hoc miraculo κατὰ τὸ βίαιον cum Spanhemio concludimus, etiam id exspirasse, quod miraculo isto designatum volunt Judæi, & siccitatem Sabbathi futuram, fluminis exsiccatione & defectione etiam olim, si extiterit, fuisse præfiguratam. Ipse Galatinus [1] eodem contra Judæos utitur Argumento, & insigni retorsione eos castigat, ita scribens: *Quemadmodum fluvius ille fictus observandi Sabbathi signum fuit, cum in tota hebdomada lapides volvendo flueret, & in Sabbathis quiesceret, ut ipsi fabulantur; ita quoque nunc est Sabbathi non observandi efficax contra Eos argumentum, cum nusquam sub Cœlo sit nunc fluvius qui magis in Sabbathis quam cæteris diebus quiescat.*

§. XIII.

Ultimos demum experimur Antagonistas, qui pro fide Sambationis ex Natura & similibus portentosis fluminibus valde laborant. Objicitur ex Geographo Nubiensi fons precum, in Xili Castro, qui fluit publicæ precationis tempore, & extra illud arescit, quapropter & Fons temporum appellatur: Opponitnr Tamesis & Trenta, aliique sistentes cursum suum per integrum diem fluvii. Prius dum tangit L'Empereur [2] hanc addit ad Nubiensis verba arabica Glossam: *non quod preces exspectet, quandocunque sunt, sed, ut existimo, istis statis horis fluit, quibus Arabes communiter precari solent, & sic ista tempora fortuito concurrunt.* Licet autem his dictis verisimilem hanc narrationem præstare conetur L'Empereur, tamen Voetius [3] adhuc de fide miraculi dubitat, & ex inspectione ipsius Autoris hanc interpretationem vix verisimilem fieri judicat. De Trenta & Tamesi aliisque talibus alibi Voetius [4] mavult non credere & saltem ἐπέχειν, aliam plane & quidem manifestam rationem esse putans, cum aut terræ motu aut quacunque obturatione violenta cursus fluminis sistitur, uti in Valle Telina monte fracto A. 1618. factum est.

§. XIV.

Naturalem subesse rationem, quæ veluti in Febribus certas ac statas motuum periodos servet, instant aliqui. At faciat suas motuum periodos Natura in aliis, quæ oculis peregrinantium patent, fluviis: Nova tamen fingere portenta Nuturæ, idem est, ac Naturam in pigmentum mendaciorum adhibere, & Sapientia Creatoris suis fabulis patrocinari. Gratis itaque laborant, qui occasione Maris intumescentis aut dissolutæ nivis tantam aquarum vim in canalibus subterraneis cogi asserunt, ut eadem per integros sex dies eructetur, septimo autem deficiat & fluvium Sabbatho frui sinat: Imo nihil agunt, quando æstum aliorum fluviorum & Lacuum etiam Sambationi applicant, & vel exemplo fontis Bollerbrun in Westphalia bis interdiu aquam in sabulosam planitiem insigni cum impetu emittentis, vel Balnei piperini in Curiensi Territorio circa tertium Maji diem usque ad 14. Septembris aqua intumescentis, tueri volunt Sambationis periodos. [5] Æstum enim fluviis juxta stata tempora non denegamus, at fabulas æstuare more fluminum nullibi comperimus: Quidquod etiam multis fluviis non ex aliqua ratione mystica, quæ in Sambatione quæritur, sed ex resolutis nivibus aut labentibus nimia vi imbribus sui tumores veniant; Ex nive autem colliquefacta aut imbribus Æthiopiæ lapides & arenas generari & insolita metamorphosi Sambationem inde impleri, non facile quis, ut a nobis credatur, poscere poterit.

§. XV.

Cardano facile est in profundos telluris meatus subtili suo Ingenio penetrare, totumque negotium harum motus quietisque vicissitudinum levi opera expedire, omnia enim se confecisse circa Sambationem credit, si modo mysterium rudi plebeculæ abstulerit, hinc indigne fert, *relatum ad Religionem a rudi & credula plebe, quod causa naturali constat*; quippe tantum aquarum cogi dicit, ut in sex dies flumini sufficiat, septimæ non sufficiat. Sed oportebat bonum Cardanum continuare subtilitatem suam (Ludolfum audis) [6] & rudi atque credulæ plebi ostendere. Quis septenis diebus tantum aquarum cogeret, & fontem interim obstrueret, ut non nisi

prima

[1] De Arc. Cath. Verit. Lib. XI. C. 9. [2] In Annot. ad Benjamin. Itin. p. 209. [3] Part. III. Sel. Disp. oag. 1179. [4] Part. I. Sel. Disp. p. 659. [5] Hunc & similem fluxum & refluxum fluviorum exhibet Kircherus in Mundo Subter. Lib. V. Sect. IV. Cap. IV. [6] In Comment. ad Hist. Æth. No. LXVIII. p. 135. med.

prima Hebdomadis die rursus erumperet, senisque diebus sufficeret, idque constanti vicissitudine per multos annos continuaret.

§. XVI.

Ivimus itaque per concitatos monstrosi fluminis impetus, exhausimus saxosos, qui damnosa naufragia minabantur, gurgites, sedavimus qui per arenosos Vortices grassabantur, turbines, & perpetuis Sambationem feriari jubemus Sabbathis. Fingant ulterius quicquid velint otiosi inter Sabbatha sua blaterones utopici, pascantur Æthiopicis aut hyperboreis suis deliciis, & adorent, quam diu velint, ultra Sambationem suum Uzielis Sceptra: navigent feliciter, si lubet, turbidos fluctus, nos interim cum Canonico Sarisburiensi dignissimum hoc flumen judicamus quod ex putidis Rabbinorum profluat Lacunis; & cujus in ripa quidem una ludant vicini Pygmæi a Gruum periculo metuque liberi, in altera autem Cygni jamjam morituri

Dulcia defecta modulentur Carmina lingua,

& suavissimos illos Cantus fundant, a Poetis tantopere celebratos.





MICHAELIS LIEBENTANTII
DISSERTATIO PHILOLOGICA
DE
TERRA MORIJAH,
ET
MONTE VISIONIS DEI,
Ex Gen. XXII. verſ. 1. 14.

ARduum, & non ſine adverſitatibus graviſſimis conjunctum erat iter, conſtantiſſimus cum ille Amator Dei Abraham, dulce Patriæ Solum juſſu divino relinqueret, ſeque in Terram, olim a Poſſeſſore ejuſdem antiquiſſimo Noachi e filio Cham nepote, Canaan dictam converteret; Verum utut illud fuerit grave & difficile, vix tamen, imo ne vix quidem, cum itinere ad omni ævo clariſſimum Montem Morija, in ullam venire poteſt comparationem; tanto enim magis hoc eſt admirandum, quanto magis propter implendi difficultatem eſt ſingulare, & præ illo tam graviſſimis; quæ non tantum inclinationi naturali repugnare ſed & ipſas vires humanas plane excedere videntur, circumſtantiis aggravatum. Nam præter *Rei Qualitatem*, (quod poſt cultrum ductum per jugulum Filii & reductum, ipſe Pater propriis manibus, Corpus unici & ſine ulla amoris ceſſatione dilecti filii, Filii promiſſionis & quaſi per miraculum in ſenectute geniti, ad redigendum in cineres & pulverem Rogo imponere, & ita omnes corporis partes torrendo & cremando quaſi annihilare, deberet;) ſane *Circumſtantia Loci* mandati exſequendi difficultatem & Rei acerbitatem non parum augebat, ſed & inſuper ad excruciandum Fidelis animum majorem in modum faciebat, quod in via tridui itinere id tamdiu præſente Objecto continue meditari, & in eo per totam viam animo diſcruciari cogitationibuſque diſcerpi deberet, adverſus quod non tantum affectus animi paterni, ſed & tota carnis militia pugnaret. Verum, hinc etiam eo magis hocce Abrahami obſequium, non impetuoſum forſan ſed diu deliberatum & præmeditatum commendari, & pro exemplo inter mortales omni exceptione majori, haberi ſolet. Agnovit hoc etiam ex Rabbinis imprimis R. Bechai Comment. ad h. l. factum hoc ita qui deprædicat : פעולה זו לא היתה כאשר הפעולות והנסיון הזה לא היה כאשר הנסיונות אין הטבע יכול לסבלו ואין הכוח המדמה לחשבו : *Hæc actio alia plane fuit præ cæteris, & hæc tenta-*

tio

tio reliquis omnibus fuit plane dissimilis ; nam ipsa Natura non est potens ad id ferendum, multo minus vis imaginatrix ad id satis expenendum . Optime hic itaque Senecæ illud poterit adhiberi, & dici hunc Deo visum fuisse, in quo experiretur , quantum natura humana possit pati. Et hoc est, quod R. Joseph Albo plenis buccis evehit , quando Serm. 14. cap. 13. de pietate Patriarchæ ita scribit : יודע השם שאין בעולם עובד יותר גדול מהיותו שוחט בנו יחידו זה אות גדול מורה על היותו עובד מאהבה גמורה *Cognoverat Deus, quod in mundo non fuerit religiosior præ eo, qui filium suum dilectissimum mactaret. Ideoque hoc insigne documentum erat Abrahamum Dei amore maximo flagrare*. Flagravit omnino amore Dei maximo Abraham , hinc etiam generosæ huic menti, vero amore Dei imbutæ, posuit Deus ejusmodi heroici amoris objecta, ne virtus quæ semper vult oppugnari, in animo hujus amatoris delitesceret, sed potius ostenderet, quomodo magis magisque ex vulneribus vires acquirat. Vidit & hoc quasi per somnum & umbram Seneca, (cujus integer de providentia liber, suo merito dignus est, qui quoad potiora axiomata huc trahatur & applicetur, præcisis tamen, quæ gentilismum spirant flosculis) quando sparsim inquit c. 1. 2. *Deus Virtutum non lenis exactor viros bonos ut severi Patres filios durius educat, aitque Operibus, doloribus ac damnis exagitentur, ut verum colligant Robur. Marcet sine adversario Virtus*, &c. 4. *Prospera in plebem ac vilia ingenia deveniunt, at calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere, proprium magni viri est*, &c. *Hanc itaque rationem sequuntur Dii in bonis viris, quam in Discipulis suis Præceptores, qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est* . Quam penitissimam quasi ex Tripode Senecæ Sapientiam, extra omnem dubitationis aleam esse positam, docet adhuc quotidiana experientia. Sic enim omnino Deus solet suos ducere.

- - - - - Per Saxa, per Ignes,
Quaque est difficilis, quaque est via nulla, sequuntur.

Et talem quoque imprimis viam secutus est Abraham , majora si minoribus conferre velimus, & quidem tali promtitudine, ut non adeo male, illud Pyrrhi Regis, quod olim de Fabricio Romano ajebat, applicari possit Abrahamo, facilius fuisse Solem a suo cursu, quam hunc a suo proposito avertere. Nam ex ea nocte, qua Oraculum acceperat, illico summo mane surgens, ad iter se accinxit, & sine ulla cunctatione, DEO obtemperavit, & ad locum constitutum , Terram nempe Morijah , sese contulit. Cumque iter & historia hæc Abrahæ, imprimis primam Monti huic nostro, quem & nos jam cogitationibus nostris adire meditamur, dederit claritatem & nobilitatem in Scriptura S., paucis hinc etiam eandem antea ita prælibandam duximus. DEUS clementissimus, qui circa admirandum hoc iter Abrahamo de omnibus benignissime prospexit, ut & nobis divina sua gratia adsit & prospiciat, devotis suspiriis est quod ingeminamus!

בהנ״א:

§. I. Totius Hebrææ Litteraturæ cum hæc Lut. judice, natura sit, quod tota tota, etiam quoad nomina propria sit Etymologica, ab ipso nomine nostri Thematis primordia ut capiamus, abs re haud erit ; nam expedita accurate vocis ipsius Origine, vi atque potestate, ad rem ipsam felicius quin deveniamus, non est ut dubitemus. Si enim in aliis Linguis Plinii illud, verba rerum esse Notas, obtinere solet, quidni majore jure tanquam verissimo verius id affirmari poterit, de sanctissima Lingua & ipsius DEI verbis, in quibus sane vix reperietur litera, profundam quæ non redoleat Sapientiam & doctrinam, vel uti Hebræi loqui amant שאין ההרים גדולים תלויים בה a qua non maximi montes pendeant?

§. II. Nomen itaque illius Terræ ad quam Abrahamus a Domino ablegabatur, dicitur Morijah, quæ vox origine Hebræa est, vocabuli compositi rationem habens, utut alias compositionis genus, *ex duabus justis & separatis vocibus*, secundum limitationem Excellentissimi Dn. Sennerti, Patroni & Fautoris nostri ætatem devenerandi, in ebherina hacce lingua soleat esse rarior. Scribitur מריה indifferenter quoad syllabam primam vel sine fulcro ut h. l. Gen. XXII. vers. 1. vel cum eodem 2. Paral. III. vers. 1. Latinis literis si efferendum, exprimitur vulgo per Moria vel Morya aut Moriah, verum rectius cum Lut. effertur per Morija vel Morijah, nam (י) hic in medio non quiescere monstrat punctum sive מפיק sive Dagesch Hebræis dictum.

§. III. Explanationem ipsam hujus vocis quod attinet, circa eandem propter varietatem Sententiarum inter Scriptores, cum longe major sit disconvenientia, quam esse

eſſe ſolet inter multa horologia, deſudandum hic aliquantisper erit, cumque illius Originatio controverſa prolixiorem crenam poſcat, quare prolixitatis exoramus veniam. Rabbinorum quidam deflectunt Nomen hoc a ירה in hiphil הורה quod *docere* ſignificat, formant inde ſibi nomen הוראה *Doctrina*, putantque montem hinc dici המוריה quaſi הוראה יה montem doctrinæ Domini, propterea שמשם יצאה הוראה לעולם quod ab eo Doctrina ſive Lex in totum mundum ſit exitura. Approbatur quidem ipſum hoc etymon etiam a ſummis Chriſtiani nominis viris quibuſdam, communiter tamen alia explicatione allegorica, habito reſpectu ad montem Calvariæ applicatur, quod, uti loquuntur, Chriſtus omnino in eo, non tantum Legem Evangelicam ſua morte ſanciverit, verum etiam ab eodem omnis doctrina ſalutis & Evangelii ad nos pervenerit. Quæ allegoria quamvis alias inſulſa adeo non ſit, ipſa tamen Etymologia pro vera neutiquam eſt venditanda, meram enim hic tantum luſionem eſſe unicuique ad primum oculi nictum ſatis apparet. Quod ſi tamen Radici ipſi aliquid tribuendum eſſet, certe convenientius derivari poſſe videretur ex Participio Hiphil ejuſdem nominati Thematis quod eſt מורה docens qs. dicas מורה יה docens Dominus, eadem explicatione retenta, vel uti rurſus alii ad Montem Calvariæ, collem ſingularem Montis Morijah, reſpicientes, inſuper hoc participium nominaliter accipiunt, quatenus nempe מורה etiam ſecundum alteram Radicis notationem, denotat *pluviam*, hincque Montem Calvariæ myſtice ita dictum eſſe מוריה q. מורה יה hoc eſt Pluviam DEI, eo quod Sanguis DEI, ut pluvia ſuper eo effuſus ſit. Verum aliam cum videatur Magiſterium ipſius Spiritus Sancti edocere Etymologiam, præter eam certe nec hæc nec ulla alia poterit habere locum.

§. IV. Longius vero jam abire videntur, ad Radicem מרר amarus fuit, qui confugiunt, huncque montem ab amaritudine ita dictum autumant, quia nimirum is tam Abrahamo immolanti, quam Filio immolando amarus fuit; neque collimant adeo, ex ejuſdem Radicis nomine מור Myrrha מריה noſtrum deflectentes, ea ratione, quod tota illa Terra Solymorum illis ſeculis nimis ferax fuerit Myrrhæ & Aloes, nixi fundamento e Cant. IV. verſ. 6. petito : אלך לי אל-הר המור *Ibo ad Montem Myrrhæ*, & ex eo præprimis Conceptus ſuos firmant. Ita n. rurſus R. Bechai de hoc loco Comment. cit. ſcribit : הר המריה הוא ירושלם וקרא הקב״ה לכל הארץ המורה על שם הר שבתוכו ומה שנקראת ירושלם הר לפי שהוא מלשון אלך לי אל הר המור וקנמון והבשם הטוב היה גדל שם וכן דרשו רבותינו ז״ל קנמון היה גדל בארץ ישראל והעזים וצבאים אוכלים ממנו : *Mons Morijah denotat Jeruſalem; & vocat ſanctus benedictus ille totam terram hoc nomine, quia Mons Morijah in ejus medio erat ſitus. Quare autem Jeruſalem mons vocatur? illud fit ea ſignificatione, qua dicitur : Ibo ad montem Myrrhæ. Cinnamomum & Aromata bona ibi naſcebantur. Atque ita Doctores noſtri f. m. myſtice explicant : Cinnamomum creſcebat in Terra Iſrael, & capreæ & capreoli de eo comedebant.* Approbat Originationis hujus explicationem & ipſe Rabbi Moſes Ben Nachman Comment. ad h. l. ita ſcribens : הנבון על דרך הפשט שהוא כמו אל הר המור ואל גבעת הלבונה כי ימצאון שם בהר ההוא מור ואהולים וקנמון : *Juxta ſenſum literalem intelligendum hoc, quemadmodum illud, ubi dicitur* (*Cant.* 4.) *ad Montem Myrrhæ & ad collem thuris. Quoniam inveniebantur in monte hoc Myrrha, Santali, & Cinnamomum.* Rem ipſam hic in dubium vocare, noſter quidem non fert animus. Myrrhiferam & fertiliſſimam fuiſſe Regionem non negamus, quamvis & hic non dubitemus, recutitos multa ſcripſiſſe, quæ deinde pudefecit experientia; interim tamen Etymon hujus vocis quod attinet, licet nec ita plane inconcinnum eſſe videatur, cauſſam tamen ſufficientem nullam habemus, cur relicto vero, hiſtorico & literali ſenſu, myſticum & parabolicum ſic dictum vulgo apprehendamus, cum cuivis notiſſimum, ad monente Cl. Fullero eſſe debeat, ſenſum parabolicum, quo totus Canticorum libellus conſcriptus eſt, ab hiſtorico quam maxime diſcrepare. Quid vero per Montem Myrrhæ intelligatur, cum noſtrum non ſit hic exponere, conſulendi ſunt ſumme Rever. & Excellentiſs. Dn. D. Calovius Annotatis Antigrot. in h. l. & Dillherrus in Elect. Sacr.

§. V. Neque minorem ſi non prorſus incommodam Recenſionem a Textu Hebræo fecit Syrus interpres, quando Terram Morijam a populis Amorrhæis ita dictam autumat; vertit enim hic ܠܐܪܥܐ ܕܐܡܘܪܝܐ *in Terram Amorrhæorum* quaſi hoc ſuum nomen, ab hiſce populis, tum temporis poſſeſſoribus illius terræ & inhabitatoribus, ſortita fuerit. Verum aperte falſum eſt, terram Canaan unquam Amorrhæam dictam eſſe; accedit inſuper, quod plane incertum ſit, Amorrhæos hanc terram unquam inhabitaſſe, multo magis imperium ſuper eandem tenuiſſe, cum non poſſit

non

non esse notissimum, horum populorum Regnum fuisse Regionem Galaaditin, quæ alias stricte & proprie sic dicta Terra Galaad nominari cousuevit; hæcque est illa Terra quam Israelitæ Regi Amorrhæorum Sehon, transitum ipsis per terram suam deneganti ademerunt. Numer. XXI. vers. 21. seqq. quamque deinde Rubenitæ & Gadditæ utpote compascuam, ut sibi in sortem & hæreditatem daretur, postularunt a Mose, qui & ipsis eam tandem ad possidendum tradidit. Num. XXXII. vers. 1. seqq. & 33. seqq. Cognito itaque hoc, licet non negemus, terram Cilead Amorrhæam tunc temporis potuisse dici, non tamen videmus, quomodo ulla specie probabilitatis, hoc nomen ad nostra montana Jerusalem referri possit, cum illa Terra cis Jordanem adhuc sita fuerit, adeoque a terra Canaan multum distarit, quod neminem certe ignorare sinunt tabulæ Chorographicæ. Eadem, si non severiori animadversionis nota dignus censendus est, Interpres Arabs, Moabitis illud qui adscribit, quando vertit : ارض المواببين Terram Moabitarum.

§. VI. Neque risu minus alii digni sunt, qui vocem Morijah Syriacam pariter & Hebræam esse volunt, statuentes מריה compositum esse ex Nomine Syriaco ܡܪܝܐ & Hebræo יה *Dominus*, adeoque significare Dominium Domini Die Herrschafft des HErrn. Sed sine dubio hi aliter sensissent, perspectum si habuissent, male nominis alicujus proprii Etymon ex permistione linguarum inter se deduci. Quis enim non animadvertit, ridicule plane Nomen Pauli a פה os & *αὐλὸς* tibia q. s. Os tubæ formari? Sed aliud est videre, aliud ridere.

§. VII. Longissime vero omnium jacula sua extra scopum jecit R. David Kimchi, vir uti alias eruditissimus, ita hic fere ineptissimus, quando מריה nostrum a רוה quod est irrigari, abunde inebriari, deflectit. Falsam & erroneam hanc suam Opinionem, ut aliquo modo probet, caussam Originationis hujus perhibet sequentem שהיתה ארץ רויה אחר ששכן בה הכבוד יהוה : *Quod tota illa terra irrigua fuerit*, vel *omnibus copiis circumfluxerit & abundarit*, *postquam in ea gloria illa Dei habitaverit*. Verum, dum sensum appellationis explicat, majoribus ineptiis & erroribus sese implicat, & utut illud רוה sive pro abundari sive irriguum esse accipiamus, utrumque tamen non tantum contra Scripturam, verum etiam ipsius Rei veritatem militat; quasi vero illa terra ante exstructionem templi aut erecta ibidem Israelitarum tabernacula, melle ac lacte non affluxerit, h. e. summa ubertate naturalique feracitate prædita non fuerit; quod certe inter alia cum Exod. XIII. vers. & Deut. VIII. vers. 7. 8. 9. stare non posse, aperte constat. Deinde quoque contra Rem experientia munitam loqui videtur, totam illam terram ejusmodi copiis aquarum abundasse. Modice fuisse irriguam non negamus, fuit tamen & sicca, quod confirmat Div. Hieronymus ipse oculatus pariter atque religiosissimus testis Comment. in Jes. c. 49. ubi scribit, saxosis montibus hunc tractum asperari, penuriamque sitis pati; hincque cœlestibus uti pluviis & ita raritatem fontium, cisternarum exstructione solari. Nihil ergo cum videamus esse, quo Judæus pertinacissimus excusari possit, repudianda omnino hinc veniet non tantum ipsa falsa Originatio, sed & ejusdem fulciminis ergo adducta erronea ratio.

§. VIII. Propius autem jam a Rei veritate abesse volunt, qui Radicem ירא timuit, & ex eadem petitum Nomen מורא timor sive Reverentia pro optimo Vocis Morija etymo agnoscunt. Gloriantur vero & de hoc, quasi invento hecatombe digno, præ aliis rursus Rabbini, certo sibi persuadentes, Abrahamum super eo montis colle, arietem loco Isaaci sacrificasse, supra quem deinde Templum Hierosolymitanum exstructum fuerit, hocque suo sacrificio hunce locum cultui divino aliquando destinandum initiasse qs. & consecrasse, dictumque hinc cum jam tum velut Mysterio מריה h. e. timorem sive monumentum timoris & reverentiæ DEI, quod DEUS ibi quasi præsens timeri colique debuerit. Quæ in genere de monte Morijah, uti piè, ita non minus vere dicta esse videntur, nisi modo hæc Rabbinorum Sententia pro concesso, de quo tamen adhuc inter Autores dissensus maximus est, assumat, Abrahamum præcise in illa montis parte, & illo singulari loco, cui deinde templum superædificatum est, ligationem illam filii peregisse quæque ibi facta sit : שתריר זכות העקידה בקרבנות לעולם. Ut ligationis hujus meritum subinde sacrificiis in æternum competeret, quemadmodum R. Gerundensis dure admodum loquitur. Ceterum ipsa tamen Etymologia applausum mereri videtur, imprimis ob Consensum summæ Autoritatis Interpretum, & quidem Chaldæi Paraphrastæ Onkelosii Christi *συγχρόνε*, itemque Jonathanis, Simeonis illius justi Condiscipulo, ostendente utrumque Cl. Schickardo בה, qui in Targumim Verba illa Gen. XXII. vers. 1. vade ad Terram Morijah reddiderunt ואזיל לך לארעא פלחנא *Vade in terram Cultus*, sc. divini, h. e. exercitio pietatis sinceræ & Religiosæ Vene-

nerationi divinæ destinatam, quos etiam proxime accedit alter Arabs vertendo البلد العبادة in terram adorationis. Et hæc etiam Etymologia a verbo ירא quod timere significat, præ reliquis maxime placet Lut., Vocabulum Morija per θεοσέβειαν sive reverentiam & timorem DEI explicanti, eo quod præprimis in hoc monte Patriarchæ nullo non tempore DEUM coluerint, quemadmodum in gloss. margin. ad h. l. inquit: *Morijah* heiß Gottesfurcht/ *Reverentia Dei*, *cultus Dei*, denn die Altväter Adam/Noah/Sem/ auff demselben Berge Gott geehret/ gefürchtet/ gedienet haben. Wir Deutschen heissen es vielleicht den heiligen Berg/ oder da man Gott dienet/ mit Betten/ Loben und Dancken, *& in enarrat. in Genes. ad h. l. sequentia habet: Verum esse videtur, quod Judæi affirmant in illo ipso loco Adam, Abel, Noe sacrificasse. Certe Sem ibi sedem habuit, a quo verus cultus Dei in mundum propagatus est. Huc alludit illud, quod supra diximus, Paradisum ante diluvium fuisse circa illam terram, & ejectum Adamum ex Paradiso habitasse circa Montem Morija; itaque etiam ante diluvium celebris locus fuit, propter Dei cultum ac mansit celebris usque ad Christum, &c. Libenter igitur illos sequor, qui Morijam dictum putant ab Hebræo Verbo, quod significat timere, colere, revereri Deum, ac si dicas Germanice*, heilige Statt, *locus Sanctus, domus Domini, quod is locus a principio Mundi templum & domus Dei fuerit, & cultus ab ipso Adam, Noe & habitatus a summo Patre Sem, sicut hodie Morija est, quam late terrarum Orbis patet.*

§. IX. Quemadmodum vero recensitas modo Etymologias quasdam sua carere probabilitate non asserimus, neque etiam ab his quæ pie ad tractum hunc Hierosolymitanum applicari possint easdem excludimus, respicientes tamen ad ipsum indicium Textus, pro commodissima & indubia Originatione vix ullam harum agnoscere possumus, siquidem ipse Moses claris & manifestissimis verbis impositionem loci immolationis describens, expresse testatur, Abrahamum Nomen illius loci in quo sacrificavit vocasse יהוה יראה ita enim sonant ipsa divina verba: ויקרא אברהם שם המקום ההוא יהוה יראה *Et vocavit Abraham Nomen illius loci, Jehova videbit.* Quo freti certe testimonio non possumus non, quin relictis dubitandi conjecturis omnibus pro maxime genuino & ab ipso Abrahamo intento, Thema ראה agnoscamus, omnemque formationis Rationem exinde hauriamus.

§. X. Sicuti vero nunc hujus Originationis Autorum applausus datur maximus, ita tamen applicationem dissensus nec reperitur minimus. Primum enim LXX. Interpretes (quoad Gen. XXII. vers. 2.) respicientes quidem ad hoc etymon, non tamen ita concinne id explicantes, applicant τὸ ראה ad ipsum Montem, & Morija vertunt per ὑψηλὴν i. e. excelsam, sive uti Crellius substantive & pariter cum additamento quopiam contra fidem τῶν LXX. exponit *Exaltationem DEI*, des HErrn Höhe oder Erhöhung/ quia videlicet sublimis & excelsus, atque exinde conspicuus admodum fuerit, eminus ut videri potuerit; Unde etiam forsan ansa arrepta est illius, quod in communi perhibetur, Abrahamum nempe per integrum diei iter montem hunc vidisse, antequam eo pervenerit, quod tamen alii de nihilo esse autumant, quoniam ille mons non ita fuerit dispositus, ut e longinquo videri potuerit; per montes enim, qui in circuitu ejus fuerunt, illam visionem impeditam fuisse. Quicquid interim de eo sit, quamvis nec nobis eo sensu Etymon hoc arrideat, sufficit in hoc Autores convenire, per illam versionem respectum ad Rad. ראה haberi.

§. XI. Et parum abest, ad idem quin intenderit Aquila, quando Morijah interpretatur per καταφανῆ. Licet enim hujus vocabuli expositio rursus in duplici sit differentia, respici enim eo quidam volunt ad Rad. ירה in hiphil & exponunt id per *illuminans*, eo quod in templo, hoc est, monte Morijah fuerit דביר i. e. Oraculum Dei, ac Spiritus S. docens & illuminans Prophetas, eisque Oracula inspirans; magis tamen aliis placet τὸ καταφανῆ referre ad ראה & transferri id per *lucidum*, eo, quod mons iste præ aliis lucidus atque hinc longe lateque conspicuus & aspectabilis fuerit, quæ Versio cum hoc sensu fere conveniat cum superiori illa, eo quod, judicante Cl. Fullero, necessarium sit, locum longe lateque conspicuum etiam exclusum esse, hinc etiam eidem aliisque probabilius videtur, versione hac interpretem illum magis ad ראה quam ירה respexisse.

§. XII. Alii deinde quibus præprimis ad salivam est idem etymon, convenientius tamen id referunt non tam ad Montem, quam ipsum ad divinum Numen & τοῦ ראה videndi significationem tanquam imprimis litteræ propinquum retinent. Fecisse hoc inter alios Symmachum haud obscure elucescit, quando vertit, montem ὀπτασίας, quam versionem pleno quod dicitur sinu amplectens, secutus est Hieronymus, Montem visionis dum interpretatur.

§. XIII.

§. XIII. Quanquam vero jam hæc interpretatio a plurimis optima textuique maxime propria judicatur, nihilominus tamen & hic rursus circa τό videre inter Autores oritur explicationum varietas. Quidam enim in simplici significatione *videndi* manent, contendentes non aliam ob causam dictam esse terram visionis, nisi quia Deus Abrahamum duplici respectu viderit, tum oculis misericordiæ, vetans immolari filium, tum beneficentiæ, tantam ejus obedientiam amplissimorum bonorum magnificentissimis promissionibus remunerans. Alii vero simplex significatum in composita providendi significatione accipi malunt, idque probant ex eo, quia videlicet expresse dicatur a Mose, impositionem hanc factam esse e vocibus יהוה יראה quæ extra dubium desumtæ sint, ex Responso Abrahami, quo antea filium de pecude holocausti sollicitum, providentiæ divinæ curam hanc committendo Pater quietum esse jusserat, quando in hæc verba erumpebat: אלהים יראה לו השה לעולה Dominus videbit sibi pecus in holocaustum. Quibus verbis, quamvis certum sit, Abrahamum non tam denominationem loci, ubi victima erat offerenda, quam ipsam victimam inscium prænunciasse; (quod alias imprimis Rabbini propugnare solent, qui in illo vaticinio non in genere tantum sed speciatim insuper victimam denominasse Abrahamum per ניטריקון speciem illam Cabalæ, quam vocant ראשי תיבות colligere satagunt, eo quod ex literis verborum istorum אלהים יראה--לו intialibus proveniat Nomen hostiæ איל Arietem significans, quem Abrahamus loco Isaaci Deo obtulit) interim tamen conjiciunt ex eo, quando peracta victimæ oblatione, Abraham statim verba illa יהוה יראה (quorum ante in Responsione filii de victima solliciti mentionem fecerat) repetendo Monti indit, satis elucere, unice Eum respexisse ad Providentiam DEI, qua in præsenti actu imprimis usus fuerat, dum ipsi de alia victima loco Isaaci offerenda Deus benignissime prospexerit, cumque hoc ita comparatum sit, concludunt, verba illa in eadem providendi significatione, qua antea prolata sint, esse quoque retinenda. Imo accedere & hoc, quod in Scriptura id insolens non sit, quod Deus videre dicatur, quando de rebus, quas moderatur & gubernat, prospicit. Conf. Exempla ap. B. Glass. in Rhetor. sac. T. I. c. VIII. p. 139.

§. XIV. Denique præter communes hasce aliam adhuc, nec ineruditam & Christiano homine præprimis dignam suppeditant explicationem, qui ad locum crucifixionis Christi primum respicientes, inclusis cæteris hoc *videre Dei*, tam active quam passive explicandum esse censent. *Active* quidem de ipso Deo Patre, qui totum genus humanum oculis suæ misericordiæ & Providentiæ aspexerit, eique de mittendo filio suo in terrarum orbem, ad pretium redemptionis persolvendum, benignissime prospexerit; *Passive* vero de Filio Dei Christo, vero Jehovah, qui in hac Terra Morijah variis modis se videndum exhibuit, & vel ipsis oculis [sensibusque corporeis visendum exhibuit, & vel ipsis oculis sensibusque corporeis visendum præbuit, quique in singulari illo Montis Morija colle & κατ' ἐξοχήν visionis & patefactionis Dei loco imprimis visus est, dum in eo non tantum hominibus sed & Cœlo & Terræ tremendam & admirandam visionem exhibuit; & hac etiam explicatione lucem videtur accipere maximam, erudita & recepta illa hodie inter Philologos nominis Morijah interpretatio per φανερωθείς θεός Dominus conspicuus factus est, *Germanice* offenbahrter HErr / quemadmodum id translatum in Indice Etymologico bibliorum germanicorum.

§. XV. Præmissis hisce, amplius licet non ambigamus, explicatum Thema ראה genuinum etymon esse vocis Morijah, id enim ut credamus suadet vers. 14. uti monitum, dubium tamen sic oriretur, ipsa formatio quomodo sit instituenda, cum e longinquo esse videatur ex ראה & יה Nomen מריה effabricare. Verum & has dubitandi conjecturas sublatas jam esse ab ipsis Philologis, dubitandum haud est, non enim ita præcise ex 3. Pers. hac singulari conflatum id esse putandum, sed persona huic voci, quoad fieri potest, maxime accommodata est eligenda, si deductio rite peragi debeat. Fecit vero imprimis hoc & admota falce quasi resecavit, difficultatem hanc Clarisf. Fullerus, quem etiam, cum viros maximos pariter atque doctissimos ὁμοψήφους habeat, hic in medium evocare libet, & formationis istius rationem prolixe declarantem ita audire: Ego (inquit) (ut pace tot doctissimorum Virorum libere dicam quod sentio, & in medium proferam, quod tum jam a veritate neutiquam abhorrere, tum ad Christi gloriam imprimis spectare confido) nomen Morijah non solum substantivum, sed ex duobus etiam compositum arbitror: quorum prius est participium in Hiphil passivum מראה alterum unum ex divinis nominibus maxime propriis, nempe יה. Porro compositionis istius perspicua hæc est ratio minimeque difficilis. In participio מראה mutatur primum Cametz

Chatuph per Ectasin in affine punctum Cholem. Tum per Contractionem quandam eliditur א & traductum ipsius punctum Seghol, præcedenti ר subjectum intelligitur. Deinde (more quiescentium Lamed He) migrante ה in ו Seghol item in Chirek vertitur. Postremo Jah (יה) Nomen divinum fini annectitur. Idcirco rei dagesch fortis duplicatur Jod, ut utriusque vicem præstare queat. Quare vocabulum מריה perinde valet ac מראה יה vocibus separatim & distincte scriptis, h.e. φανερωθεὶς θεὸς vel κύριος Deus aut Dominus conspicuus factus. Laudat Fulleri hanc Originationem & ut eruditam, ita non minus piam deprædicat ipse B. D. Glassius Libr. 4. Phil. sacr. Tract. 8. Gram. sacr. p. 801. eandemque adhuc declarans, de Etymo hoc vers. 14. contento sequentia subnectit. Si Grammatice, *inquit*, resolvatur, fit ex eo מראה יה i. e. φανερωθεὶς θεός, Deus manifestatus seu conspicuus factus. Is est filius Dei, qui in loco illo & monte crucifixus & in sacrificium pro peccatis nostris oblatus fuit: cujus typica repræsentatio in Isaaco a Deo præmonstrata, & loco illustre hoc Nomen Mnemonicum inditum fuit.

§. XVI. Expedito & hoc de ipsa formatione Nominis Morijah petito dubio, de tempore quoque quando nimirum & qua occasione Loco illi Nomen hoc impositum fuerit, controverti porro solet. A temporibus Abrahæ illud monti huic cessisse, in dubium quidam vocant, & obvertunt, quomodo (si historia Abrahæ natales huic voci dedisset] jam vers. 2. ejusdem Nominis Morijah mentio fieri potuisset, antequam rationem nominis monti impositi vers. 14. contentam, Abraham dedisset? Hoc eoque primario dubitationis fundamento permotus etiam Cl. Rivetus negat sciri posse quando & qua occasione mons ita vocatus fuerit, Exercit. CVI. in hoc cap. 22. Gen. ad v. 2. quamvis Clariss. Vir ipse statim Exercit. CVIII. ad vers. 14. cit. cap. Nomen Morijah tandem ex יהוה יראה factum, omenque illud & eventum nova hac impositione erutum esse agnoscat; ita enim inquit: *Sanctus Patriarcha loco nomen indit, & gratitudinis suæ monumentum hoc suo facto erigit, posterisque suis reliquit. Nomen loco impositum fuit* יהוה יראה *unde videtur factum nomen Morija per abbreviationem.*

§. XVII. Neque etiam aliud salva veritate vix asseri poterit, obvertunt enim alii, præterquam quod alias nulla ratio dari possit, qua occasione alias mons ita dictus fuerit, certum esse, ante historiam illam Abrahæ Monti illic hoc nomen non fuisse, quod clarum ex eo præprimis fit, quod vers. 14. expresse dicatur, Abrahamum peracto sacrificio denominasse Montem illum; sane ergo id nominis antea non habuisse, si enim habuisset, quomodo ab Abrahamo ita appellari potuisset. Imo nec ullum aliud Nomen huic monti fuisse patet ex vers. 2. ubi Deus mandat Abrahamo filium in holocaustum offerre על אחד ההרים super unum montium, quem ipsi ostensurus erat, ubi sane videmus, nullo nomine proprio montem hic insigniri. Certo itaque hoc, ὀνοματοθεσίαν istam, qua vers. 14. Mons ab Abrahamo nobilitatus est, novam & ab Abrahamo profectam fuisse: quis dubitare poterit, eandem denominationem quoque ejusmodi insigni historia illustrem, locum illum subsecutis deinde temporibus non retinuisse, & ad posteros non propagatam fuisse? quod inter alia etiam imprimis ex verbis quæ vers. 14. post denominationem ab Abrahamo factam, subjunguntur, satis evinci potest; quid enim illo אשר יאמר היום indicatur aliud, quam perdurasse appellationem illam ad ætatem & diem præsentem, qua vixit scriptor ille sacer, historiæ huic verba hæc cum adderet? Quod si ergo per tot secula Mons Nomen jam retinuit, qua probabilitate asseri poterit, quando 2. Paral. 3. vers. 1. Idem ille ipse Mons eodem nomine Morijah denominatur, aliud & diversum id esse ab impositione Gen. 22. 14. ab Abrahamo facta. Accedit, extra dubitationem esse inter eruditos, a Monte Morija totum circumjacentem tractum, Terram Morijah dictum esse, quod ipsum confirmare placet ipsis Lut. verbis quando Comment. in Genes. cit. loc. ita scribit: *Locum Dominus certum designat (scil. Abrahamo) extra domum in terra Morija. Porro Morija, sicut 2. Paral. 3. scribitur est Mons ille monti Sion vicinus, in quo Salomon ædificavit templum in medio Hierusalem versus aquilonare latus, ubi Urbs descendit ad declivium. Dedit autem Mons toti Terræ Nomen, ut vocaretur Terra Morija. Turci quoque adhuc hodie eo nomine Montem appellant, & religiose colunt. Sic sæpe fit, ut unus locus toti Terræ Nomen faciat, sicut ab arce* Sachsenburg *tota Saxonia nomen habet. Ita a Monte Morija illo tempore Morija dicta est tota ea Regio, in qua fuit Hierusalem.* Stante ergo hoc, a loco illo quem, Deus Abrahamo designavit, totam terram denominatam esse, quomodo illa terra a loco illo, qui tum nullum prorsus nomen habuit, cognominari potuit? Quid hic desiderare queat adversa pars, facile apparet. Nihilominus tamen certum manet ὀνοματοθεσία illa vers. 14. nihil

hil aliud referri quam ipſum ſignificatum Nominis Morija , ejuſdemque explicationem quaſi ibidem contineri .

§. XVIII. Ut autem revertamur ad id , a quo digreſſi ſumus , & quid eruditis ſuper eo dubio (quomodo nempe jam v. 2. Abraham a Domino in Terram Morija cum ablegaretur , nominis hujus mentio fiat , antequam pietatis & obedientiæ inſigne illud monumentum , quod Cauſam deinde illius impoſitionis ſuppeditavit , ederet) animi ſit, exponamus, notandum hic eſt, Philologos fere omnes ſibi hoc dubium moventes unanimiter conſentire in hoc , fieri id per πρόληψιν ſive anticipationem in ſacris uſitatiſſimam . Cum enim id ſæpiſſime fieri ſoleat , quod Scriptores θεόπνευςοι poſteriores libris ante ſe conſcriptis vel quædam inſerant , vel imprimis locorum nomina propria ab eventu & rebus geſtis locis impoſita per anticipatam hanc mentionem commemorent, volunt hinc, ex eadem προλήψεως conſuetudine Nomen Morija in ſermone Jehovæ recenſeri.

§. XIX. Verum enim vero utut alias in aliis Scripturæ locis πρόληψις ea uſitata ſit , difficultari , tamen ab aliis quibuſdam de hoc præſenti loco ſolet , ſermoni Jehovæ aliquid inſertum eſſe , quod per πρόληψιν commemoretur , quin potius Moſen verba retinere , prout a Deo ad Abrahamum ea facta ſint , magis hinc placet iiſdem , jam tum cum Patriarchæ indigitaretur , quo proficiſcendum eſſet . Terram ita vocatam , eandemque hinc ante ipſum eventum eo nomine jam expreſſam eſſe ; Abrahamum vero deinde , cum ex eventu hujus nominis vim ſatis cognoviſſet genuinam Nominis Morijah ſignificationem, quod nempe ille ipſe a Deo monſtratus locus is ſit, in quo Deus ipſi non tantum providere , ſed & videndum exhibere voluerit, oſtendiſſe.

§. XX. Quomodo autem Deus oculis ſuæ providentiæ tam Abrahamo de victima loco Iſaaci offerenda , quam toti generi humano de pretio Redemptionis perſolvendo proſpexerit : qua ratione etiam ipſum Abrahamum in hac Sacrificii oblatione verum Deum & Jehovam Chriſtum , qualiter in eodem loco videndus , & pro toto genere humano immolandus erat , in Spiritu prævidiſſe oſtendant & probent , imo illud Joh. 8. v. 52. Abraham exultavit , ut videret diem meum , huc imprimis applicare ſoleant : quomodo etiam in explicatione ὀνοματοθεσίας illius τὸ יהוה יראה Dominus videbit , de Patre cœleſti , qui intuitu hujus immolationis & Crucifixionis Chriſti totum genus humanum oculis miſericordiæ , beneficentiæ & paternæ providentiæ vidit ; illud autem יהוה יראה de Chriſto ipſo , qui iſto in loco Deus incarnatus, immolatus & cruci affixus videndus erat , prophetice dictum exiſtiment, id cum jam ad προκαθέδραν ſpectet , ex ea peti poteſt & debet , nobis ulterius nil quicquam convenit dicere.

§. XXI. De tempore itaque quo nempe Mons ita denominari cæpit, cum jam egerimus, reſtat de loco ipſo, quiſnam, & ubi ſitus, fuerit, quoque diſpiciendum; eo felicius autem de hoc ut diſſeramus, triplicem Montis Morijah facere nobis allubeſcit locum, communem, proprium & propriiſſimum. Communem dicimus, totam illam Regionem montoſam, cui ſuperſtructa ex parte poſtea ſunt Jeruſchalajim, quem locum in medio gentium ſitum, Deus ipſe peculiariter ad hoc elegit, ut veræ Eccleſiæ domicilium divinique ſui nominis ſanctuarium eſſet; huncque etiam eſſe volunt montanam illam terram, per excellentiam bonam, egregium illum montem Deut. 3. verſ. 25. quem Moſes videre a Deo expetebat ההר הטוב Montem iſtum bonum & domum ſanctuarii, uti ex Chaldæo id explicari ſolet.

§. XXII. In ſcriptis Rabbinorum dicitur communiter Regio hæc medium העולם Mundi, eo quod in medio terræ univerſi ſitam eandem eſſe, firmiter perſuaſum habeant ; & hinc etiam procul dubio venit, quod adhuc a plurimis aliis viris Jeruſchalem univerſi hujus orbis, velut quodnam a Græcis Delphi , umbilicus & centrum credatur, quod tamen a Caſaubono aliiſque admitti non poſſe , quin potius tantum medium התבל τῆς οἰκουμένης Orbis habitabilis veteribus cogniti ita dici , aſſeritur. Verum & de hoc quid ſentiendum, quomodo etiam rurſus alii varie id limitare ſoleant, & an umbilicus Corporis medium teneat, jam ne extravagari multum videamur , explicare animo non ſedet , properamus ad locum Montis noſtri ſpecialem ſive proprium.

§. XXIII. Hunc autem facimus non tantum Montem , ſuper quem Templum Jehovæ , verum etiam , in quo Civitas David & Palatium Regis exſtructum fuit, itemque Calvariæ Montem , cui poſt bina a nato Chriſto deinde ſecula ab Helena Matre Conſtantini Templum magnificum quoque ſuperſtructum legimus . Certum enim & inter hiſtoricos Chorographoſque unanimis fere conſenſus eſt, ad Montem Morijah plures alios adhuc pertinuiſſe , eumque in plures colles & monticu-

los

los divisum fuisse, qui successu temporis variis nominibus insigniti fuerint; Hi autem quinam fuerint, quo melius cognoscamus, ex Diodoro Siculo brevis hæc hauriri poterit declaratio. Ita n. vetustissimus pariter ac fide alias dignissimus Scriptor docet: In orientali hujus Montis Morijah parte fuisse Sion, in qua arx Davidis exstructa fuerit, & juxta hanc in area [quam Rex David ab Arauna prisco Jebusitarum Regulo coemerat] Salomonem ædificasse templum, uti patet 2. Paral. 3. 1. aliam autem partem ipsiùs Montis Morija extra urbem Jerusalem mansisse, eumque postea montem Calvariæ seu Golgatha audiisse. Idem fere ex Munstero Fullerus refert, quando Civitatem David, sedem templi & locum Calvariæ unius ejusdemque montani tractus colles fuisse ostendit, quod ipsum etiam ex aliis Chorographis confirmat B. Glassius, additque hinc etiam fieri, quod in indice Nominum propriorum Operi Regio inserto *tit. Morijah* Mons Morijah & Sion pro uno eodemque habeantur. Plura hic qui desiderat testimonia, potest conferre Vilalpandum, Genebrard. Borchard. in Descr. Terræ Sanctæ, qui unanimi sententia tres in eodem Montis tractu fuisse Colles seu Montes, qui aliquando una appellatione Morija aut Sion, aliquando peculiaribus nominibus dicta fuerint, idem asserentes introducuntur.

§. XXIV. Ex hisce tribus quemnam conscenderit Abraham (ut locum quoque propriissimum determinare possimus) erit tandem subjiciendum. Rabbini totis viribus in id unice incumbunt, Abrahamum illum ipsum jussu divino petiisse Montem, cui templum super ædificatum legimus, adeoque propterea etiam Ligationem hanc unice factam esse ut locus domui DEI ibidem extruendæ sacrificiisque offerendis destinaretur. Ex multis unum atque alterum hic tantum adducimus; notandus vero imprimis R. Abarbanel venit, qui Comment. suo in Pentateuchum ita scribit: צוה לו שילך אל הר המוריה ושיעלהו שם לעולה על אחד ההרים אשר יאמר אליו לפי שרצה ית׳ שתהיה העקדה בהר המוריה באותו מקום עצמו שהיה עתיד להבנות המזבח בבית עולמים וכבר סופר בדברי הימים שנבנה המקדש בהר המוריה גם מפני שאדם הראשון נברא מאותו מקום ושם ישב כשנורש מג״ע וגם נח שם בנה מזבח ומפני זה היה ראוי שבאותו מקום שנברא אדם וחטא ונורש מפני חטאו שם יהיה יצחק נקרב לעולה תמימה גם שמפני שלא היה בנה הפועל שישחט יצחק אלא שיגיעהו עד שערי מות: *Præcepit ei ut iret ad Montem Morijah & ibi eum offerret super uno montium quem ipsi ostensurus erat, propterea quia voluit Deus ut ligaretur in Monte hoc Morijah, eoque ipso loco, cui super ædificandum foret Altare in domo Seculorum. Jampridem etiam in libro dierum scriptum est, quod ædificatum sit Sanctuarium in Monte Morijah, imo etiam propterea quod primus homo ex eo loco creatus est, & ibi habitavit cum designato peccato est expulsus. Præterea etiam Noach ibi Altare suum ædificavit. Propterea itaque conveniens erat, ut in illo loco, quo creatus est Adamus & peccato commisso inde ejectus, Isaacus ligaretur, & in holocaustum offerretur, quanquam Deus ut mactaretur minime intendit, sed saltem ut ad limina Mortis perveniret.* Similibus hujus furfuris commentis, si quis delectetur, plura invenire potest in פרקי רבי אליעזר *seu capitulis R. Eliezer* aliisque libris quamplurimis. Ita ejusdem quoque generis esse autumat Cl. Cunæus L. 2. de R. E. c. 12. quod in Breschith Rabba in Pasuk וייצר & in Talmudis Hierosolymitani tractatu, qui נזיר inscriptus est c. XXIII. legitur, *Adamum ex pulvere illius Montis esse conditum, atque recte dictum a Sapientibus Veteri verbo esse* שנברא ממקום כפרתו *Creationem ejus in illo loco contigisse, ubi peracta ejus expiatio est.* Quæ si quis credat, uti Cl. Vir bardum hunc existimat, ita recensita supra vanissima esse & exibilianda judicat.

§. XXV. Sed quamvis quoque ab aliis plurimis tanquam fabulosa, hac de re inscriptis Rabbinorum passim quæ sparguntur, fere omnia rejiciantur, non desunt tamen, qui quædam potius excusanda quam prorsus exsibilanda opinantur; ita Adami, Caini & Abelis Sacrificia in hoc Monte oblata quod concernit, licet concedant, valde dubium id esse, verisimile tamen eo fieri conjiciunt, quod incertum adeo esse non possit, Adam e Paradiso ejectum aut semper aut aliquando & quidem longo tempore non procul ab eo loco habitasse, tum propter amorem & venerationem Paradisi, tum propinquitatem, fertilitatem & amœnitatem Regionis hujus a Paradiso non multum dissitæ. Præprimis vero magno numero adstipulantur Hebræis, circa exstructionem templi, quam omnino in loco ligationis Isaaci factam esse propugnant, imo Murænis Tartissiæs P. Cunæum, vix id persuadere posse asserunt, quod vanissimum & exsibilatione dignum censendum sit, Abrahamum huc profectum fuisse, quando filium immolare voluit. Solet pro fulcimento eorum sententiæ inter alia adduci Chaldæus Interpres, qui expressissimis verbis, Abrahamum immo-

immolatione illa templo destinasse locum, testatur, quando vers. 14. ita exponit: *Et oravit atque immolavit Abraham in illo loco, & dixit coram Domino: hic erunt servitutes* (Deo) *generationes, propterea dicebatur in die hac: in Montem Abraham coram Deo immolavit*. Allegant Josephum aliosque summæ Autoritatis Viros, ejusdem qui esse dicuntur sententiæ, Abrahamum victimam sacrificasse, ubi postea templum Hierosolymitanum stetit. Urgent denique Cap. III. Secundi Chron. vers. 1. ex quo satis apparere colligunt, solum huncce montem, cui templum superædificatum fuit, propriissime dici Montem Morijah; & ex eodem fundamento procul dubio Rivetus non sine mysterio id factum fuisse asserit, ut tam insigni obedientiæ actu antea nobilitaretur locus, quem Deus ad cultum suum in Populo Israelitico eligere voluerit.

§. XXVI. Verum Sententiam hanc, quamvis e contrario alii omni probabilitate non destitui asserant, probabilius tamen & verisimilius adhuc ipsis videtur, Ligationem Isaaci in monte Calvariæ seu Crucifixionis Christi loco factam fuisse. Cum enim extra omnem fere dubitationem sit, Montem Morijah varios colles habuisse, adeoque utrumque locum, tam illum, in quo postea templum stetit, quam Calvariæ collem, in quo Christus crucifixus est, ad eum pertinuisse vel potius unum eundemque montem constituisse, cur non Christiano homini majori probabilitate asserendum conveniat, Abrahamum huncce potius immolationis Christi locum singularem mysterio quasi nobilitasse? Quo etiam maxime facit Traditio illa Veterum, de qua Augustinum L. 16. de C. D. c. 32. ita scribere hinc inde apud Autores legimus: *Audite*, inquit, *Sacramentum Fratres Carissimi, Hieronymus Presbyter scripsit, sa a Senioribus Judæorum cognovisse, quod ibi immolatus sit Isaac, ubi postea Christus crucifixus est*. Ita rursus a Cornel. a Lapide Comment. suo h. l. ita loquens introducitur: *Lignum, ubi fixa erant membra morientis, Cathedra fuit Magistri docentis*. Et in hanc sententiam B. Glassius verbis jam supra allegatis cum Fullero manibus pedibusque ire videtur, quando & hic post supra allegatam explicationem Nominis Morija monti illi impositi fere eadem subjungit, & insigne monumentum & testimonium id esse dicit, non templi ibi exstruendi, ut nonnulli velint, sed Domini nostri Jesu Christi, qui templo major sit in carne illic potissimum patefaciendi. Recensuisse isthæc ergo, nobis hac vice sufficiet, qui dum periculum primum hactenus Philologicorum Meletematum fecimus, ne in ipsis primitiis judicium minus exercitatum adhuc præcipitasse videremur, sententias prolixe examinare, aut magnis Nominibus insultare juvenili ausu, temere noluimus.



GE-



GERHARDI (a) OUTHOVII

In Pſalmi II. Comma 6.

OBSERVATIONES DE MONTIBUS SIONIS ET MORIJAH.

ARGUMENTUM.

Quomodo ו *vau hic adverſative ſumitur. Perſona Loquens eſt Pater, vis verbi* נסך, fundere, libare σπένδειν, *etiam* ordinare, conſtituere. *Principes uncti*, נסיכים conſtituti, ordinati, καθεςάμενοι, χρηςοὶ רבה *pro* creſcere, augere, ad dignitatem evehere *etiam* inungere, *ſic Deus Pater inunxit, ordinavit ſuum filium. Diſcrepantia verſionir* τῶν ὁ, *cum vertunt* κατεςάθην *&c. non quidem re ipſa, ſed proſopopoeia. Origo hujus diſcrepantiæ: non ſemper ex variatione punctorum, ſed etiam circa literas, uti in Locis Pſ. 22. 2. ubi Bythneri error notatur. Puncta coæva literis, nota tempore græcorum Interpretum. Argumentum ſtabilitatis regni Meſſiæ in hoc loco. Sion, nominis ſcriptio, Triplex Sion. Unde* ציון, *mons templi derivatur. Quomodo* Herma, ſpecula, pharus, locus ſiccus, invius, *&c. Situs erat mons Sion non ad ſeptentrionem; ſed ad Auſtrum; Ligtfooti, Hilleri, ac Othonis error notatus. Fl. Joſephus defenſus. Sion* mons ſanctus, *quare. Templum quomodo in monte Sion, uti & in Moria. Chaldæi paraphraſis ad 2. Chron. 3. 1. Lut. gloſſæ ad Gen. 22. 2. Moria mons templi, pars Sionis. Error J. Altingii,* מוריה *Moria, unde derivatur, ex* יה *&* מורא, *a* ירא, *timuit, quod probatur. Sententia Onkeloſi male allegata a Munſtero. Sion non erat collis Moriæ, error Dieterici, ut & C. a Lapide, qui Auguſtinum male allegat, uti & Hieronymum, cujus vera ſententia oſtenditur de Golgotha. An Adam ibi ſepultus, ubi Chriſtus crucifixus, ut multi credidere Patres. Golgotha unde ſic dictus, non fuit collis Moriæ. An Iſaac in monte Moria erat immolandus, non poteſt probari. Spinoſæ veſana oppugnatio contra Moſen. Nulla mentio Montis Moriæ in toto cap. Gen. 22. Demonſtratur porro templum in monte Moria conditum, etiam in monte Sion: ubi Deus habitabat. Sion pro monte, pro civitate, pro Eccleſia. Vis phraſeos, unxi regem meum in montem Sion. Apollinarii paraphraſis, Arabica verſio.*

SE-

(a) Voluit Clariſſimus auctor has Obſerv. tanquam novum ſpecimen illius operis, de quo T. I. faſc. 3. Bibliothecæ Brem. p. 205. ſeqq. dictum eſt, heic apparere. Haud invitus Lector Catalogum ſcriptorum a Viro doctiſſimo ediorum hactenus heic loci leget.

SERIES SCRIPTORUM EDITORUM A GHERARDO OUTTHOVIO.

1. Exercitium philolugico-theologicum de *Manna*, Israelitarum, edit. Groningæ 1694. in 4to.
2. De profecy van *Obadias* verklaardt in haare vervullinge aangetoondt en ter betragtinge toegepast. Groning. 1700. in 8vo.

Hic liber, cujus exemplaria nulla amplius in bibliopoliis exstant, mox recudetur, & commentario Auctoris in *Jonam* adjicietur.

3. De Brief van Paulus aan *Titss* verklaardt ut de gevvonten der eerste Kristenen, Kretensers en andere aloude volkeren opg eehelderdt, en tot opvvekkinge van godzalighejt toegepast. Amsteld. 1704. in 4to.
4. De *Poecy*, bestaande in stigtelyke gezangen, herderszangen, Lierzangen, Losdigten, 2. deelen het eerste deel gedrukt, t' Amst. 1708. het tvveede deel t' Embden 1711. in 8vo.
5. Keizerlyke Rykszinspreuken, of de Symbola van alle de Keizers, van Julius Cæsar af tot op Josephus in digtmaat uitgebreydt, met veelerley zedelessen opgeheldert, en kort berigt van t' leeven der Keizers, te Gouda. 1711. in 8vo.
6. Verklaaringe over t' boek *Ruths*, vvaerin de geschiedenisse in haare spreekvvyzen vvordt geoopendt, door de oudheit en gevvontens van de Hebreen, Grieken en Romeinen opgeheldert, en in de geestelyke verborgendheden op de Kerke van Kristus den vvaaren Goel of Losser toepasselyk betoogt, te Emben, Amst. 1711. in 4to.
7. Epistola ad Amicum, seu dissertatio de veritate resurrectionis Jesu Christi, propriis viribus, ex vocibus ἀναςῆναι & ἐγείρεσθαι, demonstrata Embdæ, 1710. Hanc dissertationem auctam auctor denuo Bibliothecæ huic post unum aut alterum mensem inferet.
8. Johannis *Gerhardi* Meditationes Sacræ, sive Heyllige overdenkingen door T. Gerardus in t' Latyn, dog vertaaldt door G. Outhof, en vermeerderdt met een geestelyk gezang agter elke overdenkinge, ook vorrykt met veele aanmerkingen, uitlegginge van schristuurtexten, zedespreuken &c. t' Embd. 1715. in 8vo.
9. Zedelessen der Oudvaders verzamelt vit des schristen van G. Outhof en anderen door C.v.H. met een voorreeden, en brief door G. Outhof aangaande de Zaake van P. Quesnel. t' Amst. 1715. in 8vo.
10. Verhaai van alle Watervloeden van Noachs tydt tot deezen tegenvvoordigen, byzondere beschryvinge van de laasce Kersvloet, met eene predikatie over Jon. 2. 3. 4. en verhandelinge van de Komeeten &c. t' Embd. 1718. in 8vo. Hic liber ipso hoc, quo editus est anno divenditus, secundum sub prelo sudat.
11. Dissertatio ad locum Marc. IX. 29.
12. Specimen Observationum in V. T. in quibus textus Hebraicus cum versione τῶν LXX. confertur.

ואני נסכתי מלכי על- ציון הר- קדשי :

ET *ego unxi regem meum in Syonem montem sanctitatis meæ*. Quia Deus loquens hic introducitur, plerumque hic subintelligitur לאמור *dicendo*. Sed optime Coccejus hic observat, quod præfixum ו, *vau* in ואני, vulgo conjunctio copulativa, & quæ in initio sæpe ornatui inserviat, hic jam in sensu adversativo accipi debeat, ut Glassius variis exemplis in aliis Locis probat *phil. s. L.* 4. *tr.* 1. *obs.* 7. Sensus ergo est, quanquam reges terræ se efferant, licetque consultent de rejiciendo Jesu rege, *ego tamen unxi regem meum* &c. Vel sic potest accipi, licet reges terræ conentur destruere regnum Messiæ, frustra hæc moliuntur, *quoniam ego Jehova Pater unxi regem meum &c.* LXX. dicunt ἐγὼ δὲ *ego vero*: quasi sensus esset, illi volunt quidem destruere Messiæ regnum, ego vero unxi illum regem meum in Syone monte sanctitatis meæ.

Loquitur igitur hic Deus Pater, de Filio suo Unigenito, ut Glassius recte ait, tum ratione æternæ generationis, tum ratione missionis ad officium sacrosanctum. *Phil. s. lib.* 3. *tr.* 1. *Can.* 30. Et quid Pater de filio suo dicit? Primo נסכתי, i. e. *unxi*, vel *constitui*, vel *ungendo ordinavi*. Nam verbum נסך notat in genere *fudit*, *perfudit*, vel *perfudit liquore aliquo*: hinc speciatim *fudit ex metallo*, Jes. 40. 19. ubi Belgice *gieten* etiam *libavit*, vel *libandum fudit*, quando liquida Deo offerebantur, & sic profundebantur, ut aqua, vinum, & oleum. Ut 1. *Paral.* 11. 18. ubi Belgæ quoque reddunt *vitgieten*. Alibi tamen vertunt *een drankoffer offeren*, *een drankoffer doen*. Ut *Hos.* 9. 4. *Ps.* 16. 4. in quo ultimo loco οἱ ὁ אסיך vertunt συναγάγω, alias specialem hanc significationem hujus verbi נסך reddunt per σπένδειν, *libare*, uti & נסך per σπονδὴν, *libamen*, ut *Exod.* 30. 9. ונסך לא תסכו עליו καὶ σπονδὴν οὐ σπείσεις, vel σπείσετε, ἐπ' αὐτοῦ: *Et libamen non fundetis super illud*, scil. altare. Hinc jam porro sumitur hoc verbum נסך pro *unxit*, *ordinavit*, *constituit*, vel *ungendo ordinavit*, quia reges & sacerdotes sic olim ungebantur, vel oleo fuso ordinabantur, initiabantur, &, si sic loqui liceret, inauctorabantur. Unde principes dicebantur נסיכים id est *constituti*, *ordinati*, *uncti Dan. XI.* 8. *Ps. LXXXIII.* 12. *Jos. XIII.* 21. *Ezech. XXXII.* 30. Belgæ *Gevveldigen*, etiam *Vorsten*, ut & *Mich. V.* 4. In quo ultimo Loco LXX. habent δήγματα, i. e. *morsus*, de qua versione statim adhuc aliquid dicemus. Aquila melius ibi dicit, Καθεσταμένους

μένους ἀνθρώπους, & Symmachus quoque non male *χριστοὺς ἀνθρώπων*, quaſi *unctos hominum*, reſpiciens ad unctionem, qua principes ſeu reges olim initiabantur, ac in munere ſuo conſtituebantur, quare ſic נסיכים, *καθεστάμενοι*, *χριστοί*, *conſtituti*, *ordinati*, *uncti*, dicuntur. Hinc Symmachus hoc Loco quoque vertit ואני נסכתי מלכי hiſce verbis, *κἀγὼ ἔχρισα τὸν βασιλέα μου*, *& ego*, vel *ego tamen*, *unxi regem meum*. Uti & Rabbi Salomon Jarchi ſic quoque accepit, cum hic dicit, למה רגשתם ואנכי מניתי לי את זה לנסוך על ציון, *quare concurſaſtis tumultuoſe? at ego conſtitui mihi illum, ut ungam ſuper Sion*. Aben Eſra habet המלכתי i. e. *præfeci*, vel *regnare feci*. Non male, nam qui aliquem *ordinat* vel *ungendo regem conſtituit*, facit illum regnare, Chaldæus habet ואנא רביית מלכי quæ verba Buxtorfius quoque vertit, *& ego inunxi regem meum*. Exponi quidem poſſet per tranſitivum pihel *auxi*, *multiplicavi*, & ſic per conſequens *magnificavi*, *ad honores evexi*, quia radix רבה, ut רבה, primo loco notat *creſcere*, *majorem fieri*, in pihel *augere*, *multiplicare*, *creſcere facere*, *magnificare*, *ad dignitatem evehere*, adeo ut unctio illa evectionem ad honorem, ſeu dignitatis multiplicationem & incrementum notet. Sed ſecundo loco notat רבי vel רבה quoque *ungere*, *inungere*, & reſpondet Hebræo משח *unxit*. Ut Buxtorfius probat in Lexico Taimudico *col.* 2188. Aquila, ut & V. & VI. editiones Græcæ reſpexerunt forte ad ordinationem, ita enim Aquila & V. Editio habent, *καὶ ἐγὼ ἐδιασάμην βασιλέα μου*. & VI. Editio ſic habet, *κἀγὼ διέσωσα τὸν βασιλέα μου*. Ubi Druſius notat, quod διάζεται in Lexico veteri vertitur, *orditur*. Porro quid ſit διάζομαι τὸν στήμονα, vide apud Suidam *in Lexico part.* 1. *pag.*690. *Edit.* Æm. Porti, ubi & διαζεττᾳ ex Ariſtophane adducitur, quodque verbum ex διὰ & ἕζω, *colloco*, *ſedere facio* deducitur.

Hi omnes ergo in activo ſenſu vertunt, quorumque omnium interpretatio facile referri poteſt ad Deum patrem dicentem, *ego conſtitui*, vel *unxi*, vel *ordinavi*, vel *regnare feci*, uti & Hieronymus quoque vertit, *ego autem ordinavi regem meum*, *ſuper Sion montem ſanctum meum*. Et verſio Syriaca quoque habet, *ego conſtitui regem meum &c.* Et merito introducitur pater ut perſona ungens, aut ordinans, quia Pater eſt auctor omnium conſiliorum divinorum, neque Chriſtus ſibi ſumpſit honorem ut eſſet vel pontifex vel Rex, ſed eum accepit a Domino. Uti Jac. Altingius recte obſervat ac fuſius exponit *in comment. Theoretico practico in hunc Pſalmum oper. tom.* 2. *part.* 3. *fol.* 2.

At hic jam videntur LXX. Interpretes diſcrepare a textu ſacro, ut & ab omnibus aliis interpretibus, quando dicunt, *ἐγὼ δὲ κατεστάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ ἐπὶ Σιὼν ὄρος τὸ ἅγιον αὐτοῦ*, id eſt, ut Latina vetus verſio habet, *ego conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem Sanctum ejus*. Ubi ergo Meſſias ipſe introducitur loquens in ſua perſona in paſſivo ſenſu, *conſtitutus ſum*, ſeu *ordinatus ſum*. Qui ſenſus quoque re ipſa non quidem differt a prima expoſitione, quoniam ille, qui fatetur ſe conſtitutum eſſe, declarat patrem eſſe, qui illum conſtituit, uti & Meſſias ſeu ſumma Sapientia ſic loquitur *Prov. VIII.* 23. ubi in Niphal ſeu paſſivo dicit, מעולם נסכתי *a ſeculo inuncta fui*, vel *conſtituta*, aut *ordinata fui*. Ubi Theodotion vertit *πρὸ αἰῶνος προκεχείρισμαι*, quod exponi poteſt, *ab æterno edita ſum*, vel etiam *deſignata ſum*. At ibi LXX. dicunt, *ἐθεμελίωσέ με*, *fundavit me*, de qua verſione tunc plura dabimus.

Cum hoc loco οἱ ὁ vertunt *κατεστάθην*, poſſet quidem hoc verbum, vel aoriſtus, active exponi, quoniam & præterita & aoriſta paſſiva tam in Novo Teſt. quam apud Demoſthenem ac alios ſcriptores Græcos non raro active uſurpantur, ut Vigerus de *idiotiſmis ling. gr. cap.* 5. *ſect.* 1. §. 13. *& ſect.* 3. §. 14. & Paſor in *Grammatica ſua pag.* 147. 148. 149. variis exemplis probarunt, non tantum in verbis, quæ vocem activam non habent, ſed etiam in iis verbis, quorum activum in uſu eſt, ut *ἐνδέδειγμαι*, *oſtendi*, pro *ἐνδέδειχα*, apud Demoſthenem pro Corona, & alibi. Sed obſtat huic expoſitioni tota locutio *κατεστάθην βασιλεὺς*, ut & *ὑπ' αὐτοῦ*, *ab eo*, & tandem *ἐπ' ὄρος αὐτοῦ* *ſuper montem ejus*; quæ omnia clare indicant perſonam loquentem hic in paſſivo ſenſu loqui, quare fatendum eſt, LXX. interpretes hic, etſi non in re ipſa, in conſtructione ac proſopopœja tamen differre. Quæque diſcrepantia proculdubio orta eſt, quod נסכתי legerint Græci ac ſi cum punctis præteriti Niphal, id eſt, in paſſivo eſſet, uti ſic Meſſias loquitur Prov. VIII. 23. נסכתי *ordinatus* vel *unctus ſum*. Literæ ſeu conſonantes quidem hic non differunt; ſed tantum puncta vocalia: idcirco legit interpres Græcus Pſalmorum fortean volumen ſeu exemplar hebræum non punctatum, unde ſic ex non punctato verbo נסכתי facile legere potuit נסכתי in præt. paſſivo, *unctus* vel *conſtitutus ſum*, pro נסכתי in præt. activo *unxi* vel *conſtitui*.

Unde

Unde, uti & ex aliis variantibus lectionibus circa punctationes, quidam viri docti concludunt, puncta vocalia non semper adfuisse literis seu consonantibus, sed postea excogitata, inventa, ac addita esse. Sed hæc conclusio non procedit, quia tales variantes lectiones non tantum circa puncta vocalia; verum etiam circa ipsas literas seu consonantes occurrunt. Ex gr. Mich. V. 4. in Hebræo textu legitur נסיכי אדם *constituti* vel *ordinati*, vel ut Symmachus ibi habet, χειϛοὶ ἀνθρώπων, *uncti hominum*. At ibi legunt LXX. interpretes δήγματα ἀνθρώπων, *morsus hominum*, ubi procul dubio non respexerunt ad verbum נסך *unxit*; sed ad נשך *momordit*. Sic Pſ. XXII. 2. in hebræo textu legitur, רחוק מישועתי דברי שאגתי *procul a salute mea* (sunt) *verba rugitus mei*; at LXX. ibi legunt μακρὰν ἀπὸ τῆς σωτηρίας μου οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου, i. e. *longe a salute mea verba delictorum meorum*: ubi pro שאגתי a rad. שאג *rugiit*, *clamavit fortiter*, forte legerunt שגאתי *erroris mei*, a rad. שגה *erravit*, ut St. Morinus judicat *exercit.* 3. *de ling. prim. cap.* 8. *pag. m.* 389. & non a rad. שגא, ut Bythnerus perperam scribit in *Lyra prophetica pag.* 237. *edit. Tiguri* 1660. nam שגא non notat *errare*, sed *crescere*. Vel potius legerunt οἱ ὁ שגגתי *errores mei*, nam שגגה est *error*, a rad. שגג *erravit*. Unde & שגגתי *error suus*. Quicquid sit, hæc Lectio seu versio τῶν παραπτωμάτων μου, non potuit provenire ex sola variatione punctorum, seu Lectione punctorum diversa. Et sic in ipso hoc loco LXX. pro קדשי *sanctitatis meæ*, legerunt קדשו *sanctitatis suæ*, vel *ejus*, cum vertunt ἐπὶ Σιὼν ὄρος τὸ ἅγιον αὐτοῦ; *super montem sanctitatis ejus*. Imo cum adhuc dicant ἐγὼ δὲ κατεϛάθην βασιλεὺς ὑπ' αὐτοῦ, *ego constitutus sum rex ab eo*, illud ὑπ' αὐτοῦ, ex variatione punctorum plane non potuit provenire. Et sic plura exempla suis locis annotabimus. Quod jam ad puncta vocalia attinet, an illa sint coæva literis seu consonantibus, de ea re alibi dicam. Certum est, nullam linguam posse legi, aut nullas consonantes posse pronunciari absque vocalibus, unde ex omnium Rabbinorum antiquissimo libro בהיר, *bahir*, cujus auctor dicitur רבי נחוניא בן הקנה i. e. *Rabbi Nechonia ben Hakkana*, quique σύγχρονος fuit Jonathani Paraphrastæ, annis triginta aut quadraginta ante Christum, cujusque frequens fit mentio in Talmud, ut Buxtorf. annotat *de abbreviat. p. m.* 278. hæc verba producuntur: נמשלו האותיות לגוף והנקודה לנשמה כי הקודנות מניעות האותיות כמו שהנשמה מניעה את הגוף i. e. *assimilantur Literæ corpori*, & *puncta animæ: puncta enim movent literas, sicut anima movet corpus*. Uti & רשבי i. e. R. Schimeon ben Jochai, qui circa annum Christi 120. vixit, in libro *Zohar* dicebat, *non est literis potestas inclinandi in hanc vel illam partem absque punctis. Literæ omnes sunt ut corpus sine anima: cum adveniant puncta, tunc constituitur corpus in sua statione*. Vide Josephum Cooper *de fundamento punctationis cap.* 5. Ergo puncta vocalia multis annis ante inchoatum Talmud fuerunt nota. Et licet credibile imo satis certum sit, puncta vocalia nota fuisse tempore Græcorum Vet. Test. interpretum, tamen legere potuerunt hi interpretes, ut periti linguæ Hebrææ, aliquando volumina non punctata, unde fortean quoque variæ lectiones ac versiones ortæ sunt. Verum an punctatio hodierna eadem sit, quæ olim obtinuit, non defendo. Sed pergo jam.

Quando igitur Deus Pater dicit, *Ego inunxi*, vel *constitui*, vel *ungendo inauguravi*, *regem meum*, satis clare indicat, auctoritatem, ac stabilem regni uncti sui, nullis hostium minis ac viribus frangendum. Quare Melanchthon recte dicebat, *in hoc versu affirmat Deus, certe se missurum Messiam*, & *diserte inquit, ego inungo: ut sciamus non humanis viribus, sed mirabili modo divinitus, constituendum esse hoc regnum. Melanchth. in h. l. seu oper. tom.* 2. *pag. m.* 550.

Aliud argumentum stabilitatis regni Messiæ sumitur a loco hostibus Domini ac uncti ejus inaccesso, cum Pater dicit, *unxi regem* על-ציון הר-קדשי *super Tzion montem sanctitatis meæ*. Quoniam sæpius & jam in psalmis, & deinde in Prophetarum libris percurrendis, mentio fiet de Zione, lubet hic quædam præfari de nomine, ac situ montis Zionis, & quomodo habitaculum Domini erat in Zione, cum Templum in Moria conditum erat. Hebræum nomen ציון, quidam Latinis literis scribunt *Sion*, alii *Zion*, Coccejus aliquando *Sion*, aliquando etiam *Sjon*. Hillerus in onomastico pag. 953. scribit *Tzijon*, Forte optima scriptio esset, *Tzion*, quia צ valet ut *Tz*, secundum Buxtorfium, J. Altingium, ac alios: vel *Tsion*, quia צ secundum Schindlerum, Sixt. Amama, Martinium ac alios valet, ut *Ts*. Et quia *Ts* apud Latinos est Z, scribi posset *Zion*. Sed nolo hisce minutiis inhærere. Si modo distinguatur inter triplicem *Son*; ut 1.) ציון *Tzion*, Græcis Σιὼν, *mons urbis Hierusalem*, ut Hieronymus ait, *de Locis Hebraicis*. 2. שיאן *Sion*. Græcis Σηών, alias dictus mons *Sion*, *Hermon. Deut. IV.* 48. 3.) שיאון *Schion*, apud LXX. Σιωνα

Josuæ XIX. 19. apud Eusebium Σηών, Hieronymo *Seon*, seu *Soen* in tribu Issaschar juxta montem Tabor. Vide *Onomastic. Urb. & Locor. Eusebii cum not. Bonfrerii edit. Amstel.* 1707.

In significatione ac derivatione differunt quoque Viri Docti. Nam Schindlerus sub radice צין vel צאן *ovis* ponit צין *speculatus est*, & deinde ציון, de quo dicit, quod sit mons seu locus excelsus, qui procul videbatur, unde allegat. *Jer. IV. 7. elevate signum in Zion*, vel in turri Zion, ut videant illud procul, & in urbem fugiant. Hinc Hieronymus in locis Hebraicis sæpius dicit, quod *Sion* sit *specula*, & in Comment. ad hunc locum ait, quod *Sion* interpretetur *specula vitæ*. Hinc alii per צין vel ציון *Siun* explicant, i. e. *signum*, seu monumentum sepulchrorum & viarum, qualia monumenta antiquis dicebantur *Hermæ*, Mercurii statuæ, Lapideæ quadratæ figura cubica, sine manibus pedibusque, unde Juvenalis dixit *truncum Hermam*, *sat.* 8. *v.* 53. Athenis tales Hermas in vicis ad januas ædium ponebant, uti & iu gymnasio ac Xystis, unde Hermes Ciceroni dicitur *commune omnium gymnasiorum insigne lib.* 1. *ep.* 4. *ad Attic.* Alludit ad hanc derivationem seu significationem Adrichomius, quando Sionem describit ut montem cæteris montibus excelsiorem ac veluti speculam in eminenti, solida ac prærupta undique rupe divinitus fundatum, *in Theatro terræ Sanct. pag. m.* 149. Et sic Zion seu vera Ecclesia, quæ urbs in monte dicitur, tum consideratur ut specula vitæ, seu signum & Divina Herma viatoribus spiritualibus ad cœlum tendentibus, quibus tum verbum Dei in Ecclesia ἑρμηνευόμενον est quasi ἑρμῆς Mercurius interpres, seu pharus, ac Lampas & Lucerna prælucens, *Ps. CXIX.* 105. Et quia in verbo Dei extant mandata Domini, hinc *Sion* Hieronymus quoque interpretatur *mandatum*, quod tum est a verbo צוה *mandavit*, *præcepit jussit*. Imo addit Hierooymus, quod *Sion* quoque sit *Invium*, *de nominibus hebraicis oper. tom.* 4. Hinc Buxtorfius & alii dicunt, quod ציון *Tzion* sit quasi *Locus aridus*, Jes. XXV. 5. nomen habens a siccitate loci, a rad. ציה *siccus* vel *aridus locus* Ps. CV. 41. Unde צי *navis*, pl. ציים, *naves & loca arida*,, ac *feri*, *barbari*, desertorum locorum incolæ, *feraque animalia* sic dicuntur, *Ps. LXXII. 9. Jes. XIII.* 21. Verum hæc significatio non bene applicatur Ecclesiæ Dei, nisi quod sit locus invius & inaccessus impiis seu hostibus ecclesiæ Christi.

De situ hujus montis differunt quoque χωρογράφοι, nam Ligtfoot *in descript. templi oper. tom.* 1. *pag.* 553. dicit, quod Sion mons situs est *ad septentrionem*. Hunc sequitur Hillerus, Professor in academia Tubingensi, *in onomastico suo pag.* 938. & 953. ubi *Tzion* ad partem urbis Hierosolymorum aquilonarem collocat. Confirmant porro hanc sententiam Henricus Otho *in Lexico Rabbin pag.* 606. uti & Christ. Cellarius *in notit. orbis antiq. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 13. Ex Josepho, Aben-Esra, ac ex Psalmo XLVIII. 2. sed neque Josephus hoc dixit, neque hoc patet ex allegato loco, uti in observationibus nostris ad Psalm. XLVIII. 3. dicemus, videatur interim Relandus *in antiq. Hebr. part.* 1. *cap.* 2. §. 5. Schindlerus rectius in *Lexico Pentaglotto col.* 1533. dicit, quod *Zion* erat Mons Jerosolymæ proximus versus *Meridiem*. Hoc defendit Reland. in suis *antiq. Hebr. part.* 1. *cap.* 2. §. 5. ubi Zionem ad Austrum, & Acram ad Boream locat, ex descriptione murorum apud Josephum *lib.* 6. *cap.* 6. *de bell. Jud.* uti & ex historia obsidionis ultimæ, apud Josephum *lib.* 6. *cap.* 8. *de bell. Jud.* ubi Romani urbem invadentes, ac perrupto muro, redactaque in potestatem suam urbis regione septentrionali, necdum tamen Zione potiti fuisse dicuntur. Et sic Adrichomius in *Theatro terræ sanctæ*, *pag.* 149. montem Sionem describit cæteris montibus altiorem, in prolixitate directiorem, in modum theatri forma semicirculi urbem toto australi tractu ambientem, habentem planitiem instar oppidi. Sic Bonfrerius in notis ad *Onomasticum Eusebii pag.* 145. quoque dicit, *fuit hic mons Zion in Australi plaga urbis Jerusalem*, *sic fere ut ad septentrionem & orientem perpetuus esset descensus*.

Hic mons *sanctus* dicitur, nam הר קדשי *mons sanctitatis meæ*, est *mons*, *meus sanctus*, quia posterius substantivum apud Hebræos sæpe est loco adjectivi, & pronomen affixum tum pertinet ad prius nomen, ut Glassius exemplis probat *in philolog. sacra. lib.* 3. *tr.* 1. *can.* 8. *pag. m.* 568. *edit. Lips.* 1705. Et *sanctus* dicebatur hic mons non tantum quia ibi in vertice istius montis erat illa antiqua & munita arx Sion, quæ pulsis Jebusæis, in potestatem Davidis devenit; verum quia templum quoque in hoc monte ex parte structum erat: proprie quidem templum structum erat in monte Moria, ubi 2. *Chron.* 3. 1. expresse dicitur, *Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem*, *in monte Moria*, *qui demonstratus fuerat Davidi patri ejus*, *in loco quem paraverat David in area Ornanis Jebusæi*. Quem locum Chaldæus Paraphrastes editus cum notis Beckii, Chald. & Lat. An. 1683.

ita

ita paraphrastice reddit, *cœpit itaque Salomo ædificare* מקדשא דיי *Sanctuarium Domini in Hierosolymis* בהר מוריה *in monte Moria, in loco, ubi coluit & adoravit Abraham nomen Domini, iste locus est terra cultus, ubi coluerunt Jehovam omnes generationes, ibi quoque oblaturus erat Abraham Isaacum, filium suum, in holocaustum, liberavit vero eum verbum Domini, & constitutus est aries loco ejus: ibi oravit Jacob cum aufugeret ab Esau, fratre suo ibi denique apparuit* מלאכא דיי לדויד *Angelus Domini Davidi, tempore quo disposuit sacrificium in loco, quem emit ab Ornane, in horreo Ornanis, Jebusæi.*

Hinc Lut. in Glossa marginali ad *Gen. XXII.* 2. ita scripsit: *Morya heth Gades fruchte, reverentia Dei, cultus Dei: went de Oltveder, Adam, Noha, Sem, habben up dem sulven berge Godt geeret, gefruchtet unde em gedenet.* Wy *Dudeschen heten ydt velichte den billigen berch, edder dar men Godt denet, mit lavende, bedende, unde danckende.* Licet ergo verum sit, quod templum proprie ædificatum fuerit in monte Moria, orientali civitatis muro prope adjacente, ut Adrichomius scribit *lib. cit. pag. m.* 155. quare etiam *mons templi* vocatur, tamen idem templum quoque in monte Zione structum fuisse dicitur, quia Moria erat pars Zionis, cui ponte & xysto juncta fuit, & murus ipse Zionis usque ad porticum templi occidentalem protendebatur; uti & apud Adrichomium quoque in delineata figura Urbis ac Templi clare ante oculos demonstratur *in Theatro ante pag.* 145. unde etiam Schindlerus ait, quod templum ædificatum erat in latere montis Zionis Aquilonari: quia Moria seu ea pars montis Zionis, in qua templum erat structum, respectu Zionis ad septentrionem erat.

Errat igitur Celeberrimus J. Altingius, quando in *Comment. theor. pract. ad h. oper. tom.* 2. *part.* 3. *pag.* 3. Zionem *partem montis Moriæ* appellat, cum Moria erat pars montis Zionis: unde & Adrichomius montes Acram, & Moriam inter partes Sionis describit, in *Theatro terræ sanctæ pag.* 152. & 155.

Vide porro de significatione montis מריה *Moriæ*, Nicol. Fulleri Miscellanea sacra *lib. cap.* 14. Ubi nomen מוריה derivat ex nomine divino יה, quod contractum putat ex יהוה, [licet nos cum Cel. Andala derivemus ut nomen integrum a יאה, *decet Jer. X.* 7. ad indicandum Dei decentiam, *Andala Theolog. supernat. part.* 2. *cap.* 2.] & ex participio Hophal seu passivo, מראה *conspicuus*, seu *videndus*, a ראה *vidit*: quasi esset φανερωθεὶς Θεὸς, vel Κύριος, *Deus aut Dominus conspicuus factus*, quia Deus in carne manifestandus ibi in illo monte conspicuus fieret, & in tractu montano regionis Moriæ, imo in ipso monte Moria, in cruce offerendus esset. Alii tamen amant nomen montis Moriæ deducere a יה *Jah*, & מורא seu מורה, *reverentia*, a rad. ירא *timuit*, *reveritus est*. Vertuntque etiam ארץ המריה, *terram Doctoris Domini*, vel *terram Domini Doctoris mei, in qua nempe degebat, Sem, seu Melchisedek, magnus Doctor viarum Domini, & terram quam Dominus ejus Doctor designaverat ipsi in prædictione patris Noachi*. Uti sic Ligtfoot judicat *in descript. Templi, cap.* 1. *oper. tom.* 1. *pag.* 553. Sed tum derivari debet a rad. ירה *jecit*, in Hiph. הורה *Docuit*, *instituit*. Unde Paulus Fagius annotat. *in notis ad Targum Onkelosi, Genes. XXII.* 2. quod quidam Hebræi qnoque derivarunt, dicentes, *quod inde egressura esset doctrina pro Israel, juxta illud Propheticum, de Zione exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem*. Uti & R. Chaninah dicebat, *quod inde prodiret timor nationibus mundi*, notante Othone in *Lexico Rabbinico pag.* 381. LXX. interpretes forte respexerunt ad verbum ראה *videre*, quando vertunt εἰς τὴν γῆν ὑψηλὴν, *in terram excelsam*, quasi is locus denominatus sit ab eminentia, qua procul cerni potuit. Aquila transtulit τὴν καταφανῆ *Lucidam*, & Symmachus τῆς ὀπτασίας, *visionis*. Hieronymus interpretatur, *illuminans & Lucens*, quia ibi est *Dabir*, i. e. *oraculum Dei, in quæst. Hebr. in gen. oper. tom.* 3. *pag.* 216. Verum nos eorum potius amplectimur sententiam, quia a ירא *timuit*, derivant, & sic מוריה, *Moria* compositum dicunt ex integro nomine Dei proprio יה *Jah*, & מורא vel מורה, [nam per א & ה scribitur] *Morah*, *reverentia*, adeo ut מוריה sit *reverentia Domini*, quomodo Lut. quoque interpretatus est in allegata Glossa marginali ad *Gen. XXII.* 2. Eodem fere modo uti nomen הודיה *Hodijah*, *Neh. IX.* 5. proculdubio derivatur ex יה *Jah*, & הודה *hodah*. Et licet in composita voce מוריה non sit ה *mappikatum*, uti in nomine יה nil tamen difficultatis infert, quia in compositis illud punctum *Mappik* non raro omittitur, ut in יחזיה *Esra X.* 15. ידיה 1. *Chron. IV.* 37. יכניה 1. *Chron. III.* 16. יכליה 2. *Chron. XXVI.* 3. יקמיה 1. *Chron. II.* 41. זכריה 2. *Chron. XIV.* 29. & in multis aliis videre est. Alii scrupuli, quos Hillerus ac Goussetius contra hanc derivationem moverunt, nullius sunt ponderis, idcirco iis supersedeo. Ad hanc derivationem respexit quoque Chaldæus Paraphrastes Onkelos, cum vertit,

tit, *& vade in terram* פולחנא *cultus Diviui*, a פלח *servire*, *colere*. *Gen. XXII*. 2. Ubi Paulus Fagius annotat, omnes Hebræos in eo convenire, quod locus iste sit is, in quo Cain, Habel, Noach & reliqui Domino sacrificia obtulerint, & in quo postea templum exstructum fuit a Salomone. *Fagii not. ad Targum Onkelosi. edit.* 1546. Male ergo nobis refert Seb. Munsterus, quando *in comment. ad Gen.* XXII. 2. dicit, *Onkelosum putasse*, *montem illum sic dictum*, a מרר i. e. *Myrrha*, quasi ארץ מריה esset *terra myrrhea*, & de hoc monte *Cantic.* 4. diceretur, *ibo ad montem myrrhæ*, *ad collem thuris*. Cum Onkelos e contrario vertit, *vade in terram* פולחנא *cultus*, seu *ministerii*, uti dictum est. Vide quoque varias derivationes hujus montis Moriæ apud Dietericum *iu antiq. Biblic. ad* 1. *Reg. VIII.* 13. *pag.*362. Ubi doctus iste Vir etiam perperam montem Zionem inter Colles montis Moriæ locat, ac allegat, quomodo Hieronymus Presbyter scribit, *se a Senioribus Judæorum certissime cognovisse*, *quod ibi immolatus sit Isaac*, *ubi postea cruci affixus sit Christus*. Et quia pro rato habetur, Isaacum in monte Moria esse immolatum, vel vinctum, liberatum, ac arietem ejus loco oblatum, & in monte Moria templum esse structum, quæritur, quomodo hæc concilianda sunt, quoniam mons Moria, in quo Isaac erat immolandus & in quo Christus postea cruci affixus est, erat extra urbem Hierusalem, & mons Moria, in quo templum stetit, erat intra urbis moenia: ad hunc nodum solvendum, Dietericus dicit, *Montem Moriam fuisse in plures colles & monticulos divisum*, *inque ejus parte orientali Sion*, *in qua arx David erat extructa*, *juxta quam Salomon templum ædificare cœpit*, *fuisse*, *aliam autem ipsius partem extra urbem mansisse*, *eamque postea Calvariæ seu Golgatha audivisse*. Fortean Dietericus hæc hausit ex Corn. a Lapide, qui ita quoque scribebat, *alia pars Moria extra urbem Jerusalem mansit*, *posteaque dicta est mons Calvariæ*, *in quo tam Isaac quam Christum per Isaac significatum*, *immolatum esse docet S. Hieronimus*: *& S. Augustinus lib.* 16. *civit. cap.* 31. *ubi sic ait*, *Hieronymus presbyter scripsit*, *se certissime a senioribus Judæorum cognovisse*, *quod ibi immolatus sit Isaac*, *& Adam sepultus*, *ubi postea Christus est crucifixus*. Proh Deum! quam multa hic dicuntur, quæ probari non possunt. Nam quæ a Lapide hic ex Augustino allegat, non reperiuntur ibi. Loquitur quidem Augustinus *de civit. Dei lib.* 16. *cap.* 32. de Isaaci immolatione, quem cum Christo confert; at ibi ne γρύ quidem legitur de iis, quæ Jesuita hic de Hieronymo allegat. Invenio tamen verba allegata Augustini, sed paulo aliter in *Commentariis* Augustini ex omnibus ejus lucubrationibus in ordinem collectis per Joannem Gastium, Brisacensem, ac in lucem editis *Basil.* 1542. nempe ad *Genes. XXII. pag. m.* hæc leguntur verba, allegata ex Augustini *lib. serm. de temp. serm.* 71. *tom.* 10. *Audite aliud sacramentum fratres charissimi*, *Hieronymus Presbyter scripsit ab antiquis & senioribus Judæis se certissime cognovisse*, *quod ibi immolatus sit Isaac*, *ubi postea Christus crucifixus est*. *Denique ab eo Loco unde beatus Abraham jussus est proficisci*, *tertio die ad Locum ubi Christus crucifixus est pervenitur*. *Etiam hoc antiquorum relatione refertur*, *quod & Adam primus homo in ipso loco ubi crux fixa est*, *fuerit aliquando sepultus*, *& ideo Calvariæ locum dictum esse*, *quia Caput generis humani ibi dicitur esse sepultum*. *Et vere Fratres non incongrue creditur*, *quia ibi erectus sit medicus*, *ubi jacebat ægrotus*. *Et dignum eum ut ubi occiderat humana superbia*, *ibi se inclinaret divina misericordia*. Ecce hic Augustini verba a Jesuita a Lapide non bona fide nec recte allegata, nam non dicit Augustinus hic, Hieronymum scripsisse, *Adamum ibi esse sepultum ubi postea Christus est crucifixus*; sed expresse dicit Augustinus, quod hoc *ex relatione antiquorum refertur*. Credat ergo hoc Augustinus, uti multi Patres hoc credidere, Hieronymus tamen hoc non credidit, neque Augustinus hic dicit, Hieronymum hoc credidisse, ut Jesuita a Lapide false retulit: Hoc tantum Augustinus de Hieronymo narrat, ipsum intellexisse, locum Isaaci immolationis & Christi crucifixionis esse eundem; at Adamum ibi sepultum esse, ex antiquorum relatione refert. Deinde Hieronymum putasse, Adamum ibi sepultum esse, ubi Christus crucifixus quoque falsum est, quia Hieronymus e contrario ita *in Comment. ad Matth. XXVII. oper. tom.* 9. *fol.* 52. *Edit. Basil.* 1526. scribit, *sin quispiam contendere voluerit*, *ideo ibi Dominum crucifixum*, *ut sanguis ipsius super Adæ tumulum distilleret*, *interrogemus eum*, *quare & alii latrones in eodem loco crucifixi sunt? Ex quo apparet Calvariam non sepulchrum primi hominis*, *sed locum significare decollatorum*: *Ut ubi abundavit peccatum*, *superabundaret gratia*. *Adam vero sepultum juxta Hebron & Arbee*, *in Jesu filii Nave volumine legimus*. Et statim eodem folio iterum dicit, *si Golgotha tumulus est Adam*, *& non damnatorum Locus*; *& ideo Dominus ibi crucifigitur*, *ut suscitet Adam: Duo Latrones quare iu loco isto eodem crucifiguntur*? Cum Hieronymus di

cit,

cit, quod *Adam ſepultus ſit juxta Hebron & Arbee*, prout *in volumine Jeſu filii Nave legimus*, reſpexit forte ad *Joſ. III.* 16. ubi mentio fit *urbis* אדם *Adam*, *quæ erat a latere Zarthan*, quamvis non dicatur Adamum ibi ſepultum eſſe. Licet Suicerus dicat, Hieronymum impulſum fuiſſe loco *Joſ. XIV.* 5. *in Theſauro eccleſ. tom.* 1. *col.* 80. Quicquid ſit, licet multi Patres narraverint ac crediderint, Adami ſepulchrum ibi fuiſſe, ubi Chriſtus poſtea crucifixus eſt; ut Cheitomæus annotat *in græc. barbar. N. Teſt. ad vocem Golgotha*, & uti ipſe apud Athanaſium lego *de paſſione Salvatoris*, *pag. m.* 580. apud Origenem *tract.* 35. *in Matthæum*, *oper. tom.* 2. *pag. m.* 228. apud Theophylactum *enarrat. in Lucam*, *cap.* 23. *pag. m.* 140. apud Cyprianum *ſerm. de reſurrect. Chriſti pag. m.* 469. apud Chryſoſtomum *homil.* 73. *in Johan.* & tandem apud Epiphanium *hæreſ.* 46. *contr. Tatian. pag. m.* 177. qui omnes fere in eadem ſunt ſententia, collem, ſeu montem Golgotha dictum eſſe *Calvariam*, quia Adamus, caput generis humani, ibi ſepultus, vel ipſius Κρανίον ibi inventum eſſet. At Hieronymus judicabat illum dictum *Golgotha*, quia locus *decollatorum* aut *damnatorum* erat, ubi multa erant גלגלות *gulgeloth*, ſeu *crania* decollatorum hominum.

Verum enim vero collem ſeu monticulum *Golgotha* fuiſſe unum ex collibus Montis Moriæ, ut Dietericus in allegato loco judicat, vel ipſum montem Moriam, ut alii putant, vel unum ex Montibus terræ Moriæ, in quo Iſaacus immolandus erat, & in quo Chriſtus poſtea cruci affixus eſt, ut varii viri Theologi ſentiunt, adhuc non video: quia collis Golgotha ad occaſum fuit, uti Cel. Reland annotat, *in antiq. Hebr. part.* 1. *cap.* 2. §. 12. vel inter occidentem & ſeptentrionem, ut Adrichomius refert, *in Theatro terræ Sanct. pag. m.* 175. & Moria, in qua templum extructum fuit, ſita erat ad orientem urbis, ut diximus.

Adde, quod textus ſacer non dicit, Iſaacum immolandum eſſe *in monte Moria*; ſed *in uno montium regionis Moriæ*, ita enim Deus expreſſe dicebat Abrahamo, *tolle nunc filium tuum*, *unicum tuum*, *quem diligis*, *nempe Iſaacum*, *& vade* אל-ארץ המריה *ad terram Moria*, *offereſque eum ibi in holocauſtum*, על-אחד ההרים *ſuper unum illorum montium*, *quem dixero tibi*. *Gen. XXII.* 2. Fortean *unus* montium *regionis Moriæ* dictus eſt quoque *Moria*, quia *montis Moriæ* mentio fit 2. *Chron. III.* 1. ubi dicitur, quod *Templum in monte Moria extructum ſit*; at quis nobis certo dicet, montem, in quo Iſaacus immolandus erat, fuiſſe Montem Moriam, in quo templum poſtea extructum ſit, cum Sacer textus hoc tacet, qui tantum *unum montium regionis Moriæ* appellat. Quis porro nobis etiam invictiſſimo argumento demonſtrabit, montem, in quo Iſaacus immolandus erat, eſſe collem vel montem Golgotha, in quo Chriſtus eſt crucifixus? Concluditur hoc quidem veroſimiliter ex *Geneſ.* XXII. 5. ubi dicit Abraham filio ſuo, אלהים יראה-לו השה לעלה בני *Deus providebit ſibi pecus in holocauſtum mi fili*. Et ex *verſ.* 14. בהר יהוה יראה *in monte Domini providebitur*, vel *proſpicietur*, quaſi ſenſus eſſet, in monte Domini ſuo tempore proſpicietur vel procurabitur victima piacularis, ſcil. Chriſtus, qui ut aries loco Iſaaci oblatus eſt, ſic noſtro loco in monte Golgotha ut vera victima piacularis cruci affixus eſt, quali piæ cogitationi animum obvertere nolo, quia Deus Pater *Chriſto corpus aptavit*, ipſumque electorum loco in monte Golgotha *propoſuit*, *ut eſſet* ἱλαστήριον, i. e. *victima propitiatoria*, ſeu *placamentum*, ac ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, *Hebr.* X. 5. *Rom. III.* 25. 1. *Joh. II.* 2. Tamen inde concludi non poteſt Montem Golgotha fuiſſe montem Moriæ, aut Zionem fuiſſe partem montis Moriæ, multo minus inde concludi poteſt Montem Moriam tempore Abrahami fuiſſe dictum *montem Domini*, quia textus ſacer non dicit, cui monti regionis Moriæ aries iſte loco Iſaaci ſit immolatus; ergo plane ὡς ἄερα δέρων, καὶ ὡς ἀδήλως πυκτεύει B. de Spinoſa, quando *in tract. theol. polit. cap.* 8. *pag. m.* 131. armis ſuis impiis ac veſanis, quæ ab AbenEzra mutua ſumſit, ita contra Moſen, verum Auctorem Pentateuchi, inſurgit, *Quinto notat* [*AbenEzra*] *quod Geneſ. XXII.* 14. *vocetur mons Moriæ*, *mons Dei*, *quod quidem nomen non habuit*, *niſi poſtquam ædificationi Templi dicatus fuit*; *at hæc montis electio nondum erat tempore Moſis facta*; *Moſes enim nullum locum a Deo electum indicat*, *ſed contra prædicit Deum Locum aliquem olim electurum*, *cui nomen Dei imponetur*. Inſana argumentatio: unde Atheus certo ſcit, montem Moriam *Gen.* XXII. 14. vocatum eſſe *montem Dei*! cum in illo allegato loco ne γρῦ quidem de monte Moria legitur, nec in toto capite *Gen.* XXII. ulla ſit mentio *montis Moriæ*. Et quid? ſi Moſes montem Moriam vocaſſet *montem Dei*, an inde ſequeretur, Moſen non potuiſſe auctorem Pentateuchi eſſe? certe debilis ac manca ſequela, cujus ſtoliditas unicuique ſatis apparet.

Cum igitur mons Zion non erat pars montis Moriæ, ſed Moria pars aut collis Zio-


Zionis, & templum, a Salomone in monte Moria extructum, per consequens quoque in Zione, cujus pars Moria erat, extructum erat, rationem hinc videmus, quare mons Zion hoc loco & alibi sæpius in sacris voluminibus dicitur *mons Sanctus Domini*, quia Deus *Zionem* montem *elegerat ac appetiverat in habitationem sibi*, Psal. CXXXII. 13. idcirco *mons* Zion erat משוח כל הארץ *gaudium totius terræ*, Ps. XLVIII. 3. ubi Deus dicebatur *habitare* Ps. IX. 12. *canite Jehovæ, qui habitat Zione*, sic Ps. LXXIV. 2. *memento cœtus tui, montis Zionis, in quo habitasti*, sic *Joel. III.* 17. *& cognoscetis, quod ego Jehova Deus vester habitem in Zione monte sancto meo*. Hinc canit sacer Psaltes, *cognoscitur in Juda Deus, in Israele est magnum nomen ejus & extitit in Salem tugurium ejus*, ומעונתו בציון *& habitaculum ejus in Zione Ps. LXXVI.* 3. Ibi in Zione *regebat* Deus. *Jes. XXIV.* 23. ibi adorabant Israelitæ Dominum, ibi *in sancto monte in urbe Jerusalem adorabant Jehovam. Jes.* XXVII. 13. Ibi enim erat Locus sacrarii ac cultus divini, quare Deus ipse dicebat, *Ezech. XX.* 40. *in monte sancto meo, in monte celsitatis Israel, ibi colent me omnis Domus Israel universa in terra, ibi acceptos illos habebo, & ibi requiram oblationes vestras, & primitias ferculorum vestrorum, cum omnibus sacris vestris*. Ibi in Zione *sedebat Jehova effulgens inter Cherubinos, excitatque potentiam ejus coram Ephraim & Benjamin & Manasse*, quibus semper auxilio erat. *Ps. LXXX.* 2. 3. Ibi porro *in Zione germinare faciebat Davidi cornu, unctoque suo parabat Lucernam*, Ps. CXXXII. 17. In Zione stabiliverat Davidis thronum, & ex loco illo sancto terribilis apparebat omnibus suis hostibus. Hæc omnia de proprio monte Zione verissima erant, & quando Dominus hic jam dicit, *unxi regem meum super Zionem montem meum sanctum* typice quoque hoc verum erat, quatenus Unctus ille Jehovæ, i. e. Messias solus erat constitutus Dux exercitus Dei, qui legem dederat suo populo Israeli, qui populum duxerat in omnibus viis suis, & qui in nube super arcam fœderis præsentiam suam, licet obvelatam velamentis ceremonialibus, ostendebat.

At vero uti Sion aliquando notat ipsum montem, aliquando arcem in montem, aliquando totam civitatem, & Ecclesiam ibi ad colendum DEUM congregari solitam: sic hoc loco jam Sion significat spiritualem Sionem, seu Ecclesiam, quam elegit Deus Pater ab æterno, quam dilexit, in qua cupit habitare, ac requiem suam habere in æternum. Hæc Ecclesia est *Sancta*, seu spiritualis mons *sanctitatis suæ*, quia expiavit peccata ipsius piaculari victima filii sui, qui redemit eam λύτρῳ sui sanguinis, ac lustravit λύτρῳ salutari spiritus sui Sancti, eamque sibi ipsi purgavit λαὸν περιούσιον ζηλωτὴν καλῶν ἔργων, *populum peculiarem studiosum bonorum operum. Tit.* II. 14.

Super hunc spiritualem montem Zionem unxit Deus Pater filium suum, id est, constituit eum Regem, ut in Ecclesia sua regnet, eamque defendat, ac protegat sceptro roboris sui. Perhorrescite, ac trepidate ergo omnes hostes feri ac truces, abstinete sacrilegas manus ab æde sacra Domini, nam sacer est hic locus ac ἄσυλος, qui violari non debet, quoniam Unctus Jehovæ hic habitat, ac regnat, quique vos omnes virga sua ferrea confringet tanquam vas fictile: Nam *Dominus est in Zione, ejusque Rex semper in ea*, Jer. VIII. 19. pro Zione zelabit Dominus Zelum magnum, ac fervore magno effervescet in omnes gentes, quæ perdere conantur Zionem, ex quo sacro monte emittet sui roboris sceptrum, quo suum populum tuebitur, vosque omnes profligabit: ne intretis ergo portas populi Messiæ, cum copiis violentis, ne stetis ad compita ad exscindendum effugientes; nam in monte Zione erit evasio, ibique ascendere faciet Jehova Salvantes ad judicandum montem Esavi, & fiet Jehovæ Regnum. Tandem addo Apollinarium, qui hunc v. 6. sic expressit.

Αὐτός μ' ἡγεμονῆα κατέστησεν τ' ἐπιβήσας,
Εὐάγει ἐν ὄρει Σιῶνος ἑῷ μεγαλίζων.
Ipse me ducem constituit accedens,
Sancto in monte Sionis ejus magnificans.

Ubi Apollinarius unctum Domini introducit loquentem, quomodo Deus Pater ipsum ἡγεμονῆα κατέστησεν *Ducem constituit*, ἐν εὐάγει ὄρει ἑῷ Σιῶνος *in suo sancto monte Zionis*, addens adhuc μεγαλίζων *magnificans*, vel magnifice ipsum efferens in terrorem hostium suorum. Cum Apollinario concordat fere Arabica hujus versus versio, *constituit me Dominus regem pro se super Sion. &c.*



ISEBRANDI EILHARDI HARCKENROTH,

Ecclesiastæ *Hindelopensis* in Frisia

DISSERTATIO DE RACHELE.

Ad loca, *Jeremiæ* XXXI. 15. & *Matthæi* II. 18. qua differitur & per conjecturam probabilem evinci videtur, *Rachelem*, non *matrem* Josephi & Benjaminis, sed *Urbem* vel *vicum* Judæi, indicare .

§. I.

FIdissimus cum sit ipse sanctus Dei Spiritus verborum suorum Interpres, neutiquam ille, qui debito in hunc affectu ducitur, sibi in animum inducere audebit, aliquem vel levissimum scrupulum de ἀλληλεχίᾳ *Jeremiæ* Vatis vere Divini & *Matthæi* Evangelistæ Θεοπνεύστου, uterque enim, eodem actus Spiritu, scripta sua consignavit, ille Vaticinia quidem, hic implementum : adeoque de allegatione recta horum verborum prophetæ vindicanda non instituam anxius disquirere, paucula quædam tantum moniturus, conjectura [ut mihi videtur] probabili, de רחל Ῥαχήλ *Rachele*, evincere conabor, non conjugem illam *Jacobo* Patriarchæ sociatam toro, intelligi, sed *Urbem* vel *Vicum* in tribu Juda sitam.

§. 2. Ita se habet sacer Textus penes *Jeremiam* XXXI. 15. קול ברמה נשמע נהי בכי תמרורים רחל מבכה על-בניה כי איננו & *Matthæum* in *Evangelii* cap. II. v. 18. Φωνὴ ἐν Ῥαμᾶ ἠκούσθη, θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολὺς, Ῥαχὴλ κλαίουσα τὰ τέκνα αὐτῆς καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι, ὅτι οὐκ εἰσί. *Vox* in Rhamah (*Vulgat.* in excelso) *audita est*, *lamentatio & fletus & ejulatus multus*, Rachel *plorans filios suos : & noluit consolationem admittere, quia non sunt*. Quædam inseruit hisce *Paraphrastes* Chaldæus, non autem inhærebo illis, sunt etiam Codd. *MSS.* in quibus *Matthæi* textus hiulcus videtur fuisse ex defectu θρῆνος καὶ, quos præter aliorum *Versiones* secutus est *Justinus Martyr* in *Dial.* cum *Tryphone* & *Hieronymus*, ni fallor, sed constans lectio *Codd.* Jeremiæ omnino suadet verba Evangelistæ debere legi, prout in Editis habentur.

§. 3. Pro ratione instituti, missis cæteris, quæ huc congeri possent, recta Rachelem

lem pergo, quam maxima Interpretum pars, imo tota eorum fere turba, dixit uxorem *Jacobi* Iſaeidæ Patriarchæ, Labanis Syrii filiam juniorem. *Geneſ.* XXIX. verſ. 10. 16. 18. matrem Joſephi. XXX. 24. & Benjaminis XXXV. 24. quem mox enixam, puerperam, extinctam, ad viam Ephrathæ ſepultam tradidit ſacrorum Annalium intemerata fides verſ. 19. XLVIII. 7. Sunt qui totum contiguum Ephrathæ tractum ſeu Bethlemiticum, eo quod ſervet oſſa hujuſce *Rachelis*, ab illa nomen ſibi proprium vindicaſſe autumant, quæ autem leviori tibicine ſuffulta ſententia hactenus viſa mihi eſt, etiamſi ex profanis, non autem idoneis argumentis, adſtructa dicatur, licet *Juſtinus Martyr* in *Dial.* cum *Tryphone* hanc ſententiam amplexus fuiſſe memoretur Eruditiſſimo Viro *Cornelio ADAMI Exercitat. Exeget.* I. §. 27. Ingenue fateor me hactenus non eſſe aſſecutum, qui *Rachel* poſſit introduci plangens dura & cruenta fata bimulorum puerulorum contribulium Judæ, nepotum Leæ, cum ipſa mater Joſephi fuerit & Benjaminis: novi equidem, notata *Gomari* aliorumque, etiam illa Celeber. *Frid. SPANHEMII* Dub. Evangel. *part.* II. Dub. LXXXII. LXXXIII. LXXXIV. quæ jam non moror, quiſque ſuo abundet ſenſu, ubi commodior & facilior comparebit via, illam ingrediar.

§. 4. Inter Urbes tribui Judæ quondam aſſignatas offendi nuper רכל *Rachal* memoratam 1. *Sam.* XXX. 29. τοῖς ὁ juxta *Edit.* Complut: Ῥαχὰλ *MStum* Alexandr. Ῥαχὴλ dictam, illico ſubiit animum meum conjectura hæc, fuiſſe eandem illam, quam ex *Jeremiæ* pericopa Prophetica indigitaret *Matthæus*, ſed videbatur obſtare aliqua difficultas, cum רכל in Libri *Samuelis* loco citato, רחל in Codice *Jeremiæ* ſcriptum legeretur nomen, mox autem ſuggerebat memoria, כ *chaph* & ח *cheth* eſſe literas ejuſdem fere ſoni & pronunciationis, utraque enim reſpondet Græcæ χ *chi*, porro attendebam dudum ab aliis monitum paſſim offendi, unius alteriuſve literulæ mutatæ, in aliam ejuſdem organi, exempla, præſertim in nominibus propriis Urbium, locorum aut hominum, & quam facile id accidere potuerit, ex eo judicare proclive eſt, ſi attendamus, amanuenſes ex ore dictantis conſignaſſe partem aliquam Hiſtoriæ etiam Sacræ, vel illuſtris alicujus pericopæ Propheticæ, hinc literas ejuſdem ſoni & pronunciationis non ita diſtinguere poterant, nec inde quicquam integritati Textus Sacri decedit, quippe idem ſonant; accedit ipſa quotidiana experientia teſtis, quam parum quandoque conveniant, in pingendis nominibus locorum propriis, quoad ſingulas literas, etiam populares, ubi tamen pronunciatio eadem concipitur: adeoque hanc difficultatem, utpote exiguam, quiſque mecum fortean ſuperabit.

§. 5. Situm hujuſce Urbis vel Vici accurate definire, quamquam paulo obſcurius videatur, exiſtimem tamen poſſe inveſtigari, quatenus Hiſtoria Sacra nobis facem præbet, quam preſſe ſequar, prout 1. *Sam.* XXX. 26. 29. habetur.

§. 6. Ita referunt Sacri Annales: *Venit David in* Tziklag [quondam Simeonitarum Urbem *Joſ.* XIX. 5. ab Amalecitis expugnatam 1. *Sam.* XXX. 1. ſitam in *Daroma* fide *Euſebii* in Σικελάγ, quam Achis Philiſtæorum Rex ceſſit Davidi XXVII. 6. ergo abhinc Judæ accenſendam,) *& miſit de præda Senioribus Jehudah*, *amicis ſuis*, *dicendo*: En vobis benedictio de ſpoliis inimicorum Jehovah, ſc. *Amalecitarum*. Adeoque colligo Urbes mox recenſendas, in regione tribus Judæ, *Tziklago* proximiores, ſitas fuiſſe, quod ut evincam, de ſingulis ſeorſim ſum acturus.

§. 7. David, de recuperata ab Amalecitis præda, in partes diſtributa, miſit iis אשר בבית-אל *qui* in Domo Dei, *Alex.* & *Compult.* Βαιθήλ, aliis Βεθσούρ ſcribitur, quæ lectio etiam inceſſit Codicem LXX. Viralis [vulgo dictæ] Verſionis Exemplar *Vaticanum*: Librarii non videntur aſſecuti verum hujus locutionis ſenſum, exiſtimarunt intelligi *Bethlem* ſitam in limine auſtrali regionis Ephraimiticæ, in confiniis tribus Benjamin, utpote remotiorem ab iis, quæ ſequuntur, hinc ſubſtituere voluerunt *Bethſur* in tribu Juda. Joſ. XV. 58. omnino בית א mihi eſt *Domus Dei*, θεῖος οἶκος *Suidæ*, *Heſychio* οἶκος Θεοῦ, in genere notat locum, in quo Deus ſe homini, ſub gratioſiſſimo ſigno glorioſæ ſuæ Præſentiæ, manifeſtat. Conf. *Gen.* XXVIII. 17. & cœtus congregatur ad commorandum Nomen Dei. *Eccleſ.* IV. 17. eo enim venit Deus. *Exod.* XX. 23. hoc ſenſu *Tabernaculum* vocabatur בית האלהים *Jud.* XVIII. 31. בית יהוה 1. Sam. I. 24. III. 15. & *Templum*, contradiſtinctum *Tabernaculo* portatili. 2. *Sam.* VII. 5. 1. *Reg.* III. 2. Juvabit contuliſſe illa *Sozomeni*, ubi de Βηθελία Vico Gazæorum, in qua præter alia Templa antiquioris ſtructuræ etiam Πάνθεον erat. *Hiſt. Eccleſ.* V. 15. *Conjicio* inquit τὸ χωρίον ἔνθεν λαχεῖν τὴν προσηγορίαν καὶ ἐκ τῆς Σύρων φωνῆς εἰς τὴν Ἑλλήνων ἑρμηνευόμενον θεῶν οἰκητήριον ὀνομάζεσθαι διὰ τὸν τοῦ Πανθέου ναόν. *Locum hunc inde nomen accepiſſe*, *& ex Syrorum lin-*

gua

gua in Græcam verſum, Deorum Domicilium *appellari*, *propter illud Omnium Deorum Templum*. Ingenue fateor mihi hunc locum indicaſſe Clar. *Relandum*. Palæſt. Illuſtr. III. *pag. m.* 638. Illi, אשר בבירת-אל οἱ ἐν οἴκῳ τοῦ Θεοῦ, quibus Rex *decimas* ἀκροθίνια prædæ recuperatæ fertur miſiſſe, ſunt Sacerdotes & Levitæ, qui pro ratione muneris commiſſi, Tabernaculo inſerviebant, offerendis victimis totique ſacro miniſterio obeundo, κατὰ τάξιν excubias agebant circa Tabernaculi portam, & ita in *Domo Dei* erant & in illa quaſi habitare cenſebantur ac Domeſtici Dei. Jam *decimas* etiam ſpoliorum a Victore, in ſignum gratitudinis Deo præſtandæ & gratiarum actionis, ipſi a quo victoria eſt, *Prov.* XXI. 31. vel miniſtris ejus Sacerdotibus eſſe oblatas, conſtat etiam exemplo Abrahami. *Gen.* XIV. 20. &c. confer. *Joh. Conr. Hottingeri* de *Decimis Judæorum* Exercit. II. §. 8. Abjatharem Pontificem, ſumto Sacerdotali *Ephod* Deum conſuluiſſe, juſſu Davidis, priuſquam in Amalecitas caſtra moveret, teſtatur Hiſtoriographus Sacer 1. *Sam.* XXX. 7. 8. confortaverat ſe Rex in Jehovah Deo ſuo, v. 6. victoriam & ſpolia ſibi a Deo data, fatetur, verſ. 23. juſtum ergo erat Deo decimas præ omnibus aliis, etiamſi ab Amalecitis, deprædatis, offerre, imo aliud ſentire Davidis pietas in Deum & ſincerus in miniſtros ejus affectus vetat. Quanquam *Arcam Dei* tunc temporis in tribu Juda non fuiſſe probe ſciam, erant tamem אשר בבירת-אל qui Miniſterio Tabernaculi præerant & inſeviebant, teſtis ſit ſummus Pontifex *Ephod* Sacerdotali indutus, qui ipſe Deum conſuluit.

§. 8. Miſit & iis prædæ reportatæ partem, qui ברומות-נגב *Alex.* ἐν Ῥαμὰθ Νότου. *Ald.* & *Complut* : ἐν Ῥαμᾷ Νότου, juxta *Vaticanum* τοῖς Ῥαμᾶ Νότου, *in* Ramoth *ad Meridiem* paſſim vertunt Interpretes, ſita erat hæc Urbs in Auſtrali parte tribus Juda. Meminit hujus *Euſebius* in Ῥεμὼθ Hieronymo *Remath* ſcribe *Remoth* ἔνθα ἀπέστειλεν ὁ Δαβὶδ [inſere ἀπὸ] τῶν σκύλων. Additur נגב *Negeb* ad ſignificandam differentiam aliarum Urbium ejuſdem nominis. Ναγὲβ niſi malis Νεγὲβ *Negeb* non *Neceb*, ut legitur in Edito *Hieronymi* ὁ νότος, παρ' Ἑβραίοις, Σύμμαχος, μεσημβρίαν, juxta *Euſebium*. Videtur intelligi ipſa illa Urbs, quæ *Joſ.* xix. 8. tribui Simeonis accenſetur, dicta בעלת באר רמת נגב Baalath beer ramath negeb *Domina putei excelſi auſtralis* vel *in excelſo auſtrali*, tantum monebo Lectorem, non ita probe diſtingui a me exiſtimantem, cum cæteras Urbes vel Vicos omnes in regione tribus Judæ quærerem, hanc Simeoniticis accenſendo; velim attendat *dimidiam Simeonis* poſſediſſe Urbes ex portione tribus Juda. *Joſ.* xix. 1. hinc *Tziklag* xv. 31. Judæ, xix. 5. Simeoni legitur ceſſiſſe. Adeoque nulla in eo eſt difficultas.

§. 9. Perrexit ad eos, qui habitant ביתיר in *Jatthir*, Vaticanus *Codex* Græcæ Verſionis legit vitioſe ſatis Γεθὸρ rectius aliis Ἰατθὲρ vertitur, ſita Urbs hæc in montanis Judæ. Joſ. xv. 48. obiter ſuppleas textum *Euſebii* in Ἴεθερ, ἔνθα ἀπέστειλε Δαβὶδ [ἀπὸ τῶν σκύλων.] Κώμη νῦν ἐστι Ἰεθορὰ ἐν τῷ Δαρωμᾷ. *Hieronymi* Jether, *ad quam miſit David* (prædæ partem) *nunc eſt Villa in Daroma nomine Jethira*. Et paulo ante legitur in Editione *Euſebii* Ἰεθὲρ, πόλις Ἰούδα, φυλῆς Ἱερατικῆς, καὶ πόλις Ἱερατική, ἔστι νῦν κώμη μεγίστη Ἰεθειρὰ ὡς ἀπὸ σημείων κ Ἐλευθεροπόλεως ὅλη χειτιώνων ἐν τῷ ἔσω Δαρωμᾷ πλησίον Μαλάθων, recte *Hieronymus* ſcripſit *JETHER in tribu Juda*, *civitas Sacerdotalis* : *& nunc eſt villa prægrandis* Jethira *nomine in viceſimo milliario Eleutheropoleos* : *habitatores quoque ejus omnes Chriſtiani ſunt*. *Sita eſt autem in interiore Daroma juxta Malathan*. Ita in *Notis* Clar. *Clericus* monuit. " Πόλις Ἴουδα, φυλῆς ἱερατικῆς, καὶ πόλις ἱερατική.] *Hæc eſt mera* βαττολογία *dormitantis Librarii*, *aut parum attenti*; *ſcribendum*, *ut habet* Hieronymus, φυλῆς Ἴουδα, „ πόλις ἱερατική. *Sic paſſim loquitur* Euſebius. Ἀσύμβολος ne videar, meo periculo inſeras *copulam* καὶ, ita ἔστι καὶ νῦν *Hieronymo* accedens, qui legit, *& nunc eſt*, ut paſſim in *Onomaſtico*. Quæ & עתר dicta Simeonis. *Joſ.* xix. 7. cujus meminiſſe videtur *Euſebius*, in Ἐθὲρ, quam autem Librarius aliam voluit inſerendo ἑτέρα delendum, vel potius corrigendum ex *Hieronymo*.

§. 10. Ablegavit Victor etiam partem recuperatæ prædæ, ad eos, qui degebant בערער ἐν Ἀροὴρ, vix me temperare poſſum, quin conjiciam Urbem עדעדה *Joſ.* xv. 22. inter illas Judæ memoratam eſſe ipſam hanc ערער *Aroer* levi utriuſque ר curvatione emaculandam. Videtur eſſe *Euſebii* Ἀδαρὰ, φυλῆς Ἰούδα πρὸς τῇ ἐρήμῳ *Hieronymi* Addara, *in tribu Juda juxta deſertum*. In *Codd.* Græcis Ἀρουὴλ dicitur. Quæ an eadem ac ארורים Judæ 2. *Chron.* IX. 9. *Adora* Idumææ, in parte auſtraliore tribus Judæ, in mediterraneo tractu, memorata *Joſepho* Antiq. Jud. XIII. 17. 23. ſit, judicent me peritiores.

§. 11. Etiam ſpoliorum partem miſit *iis* qui בשפמות *Alex.* ἐν Σαφαμώς. *Complut.*

plut. Editio Σιφαμὼθ in *Schiphmoth*. At *Eusebio* & *Hieronymo* Σαφαμὼθ, ἔνθα ἀπέστειλε Δαβὶδ supple ἀπὸ τῶν σκύλων *ad quem locum misit David* adde *prædæ partem*. Hæc forte eadem ac שפמה *Num*. XXXIV. 10. in *Aldina* & *Complut*. Σεπφαμὰ *Hieronymo* Sephama. *Eusebio* Σεφεμὰ, ὅριον τῆς Ἰδουμαίας πρὸς ἀνατολάς. Monenti *Clerico*, & *Hieronymi* Versionem & locum Scripturæ, etiam *Bonfrerio* laudatum, nobis suadere hic legendum Ἰουδαίας, voluissem observatum, stante Templo Secundo, Idumæam quoque per partem Judææ Australem patuisse.

§. 12. Deinde *& iis*, *qui* incolunt אשתמע *Complut*. Ἐσθημόα *Esthemoa* in montanis Judæ. *Jos*. XV. 50. אשתמוה scribitur, & משתמע XXI. 14. de qua *Eusebius* in Ἐσθαμὰ & paulo post in Ἐσθεμὰ, πόλις ἱερατικὴ ἣ νῦν ἐστι κώμη μεγίστη Ἰουδαίων ἐν τῷ Δαρωμᾷ, ὅρια (ὅριον legas) Ἐλευθεροπόλεως. *Hieronymus* Esthemo *civitas Sacerdotalis : nunc autem ostenditur prægrandis vicus Judæorum in Daroma*, *qui locus ad Eleutheropolim pertinet regionem*.

§. 13. Missa *Rachele* רכל *Eusebio* Ῥαχὴλ, ἔνθα ἀπέστειλε Δαβὶδ (ἀπὸ) τῶν σκύλων. *Rachel* dicta *Hieronymo*, una Urbium Judæ, quo David Rex ablegavit partem prædæ recuperatæ ab Amalecitis nuper Judææ incolas deprædantibus. (De *situ* hujusce Urbis mox pluribus differam.)

§. 14. *Et iis qui* incolunt civitates הירחמאלי (τοῦ Ἰερεμεὴλ juxta *Vaticanum* MS) *Jerachmeelitarum* & Urbes (*Alex*. τοῦ Κεναίου) הקיני *Kenitarum*. *Jerachmeelitas* & *Kenitas* vel *Kenæos* jungit etiam autor Sacer. 1. *Sam*. *XXVII*. 10.

§. 15. *Jerachmeelitæ*, quorum rarior occurrit memoria, fuere posteri Judæ, ex Hesronis Perezidæ primogenito. 1. *Chron*. II. *9*. 25. *26*. 33. filii hujus recensentur. Nomen, patris hujusce gentis proprium, vocabatur ירחמאל *Jerachmeel* Ἰεραμεὴλ Græcis Intt. juxta Cod. *Vaticanum*. Non est dubium, quin *Jerachmeelitis*, hujusce *Jerachmeelis* posteris, aliquis Urbium tractus cesserit, quod vel solo ex hoc loco 1. *Sam*. XXX. constare potest. Quid incesserit *Hieronymum* in *Onomastico*, ubi *Jerameli*, ipsi est, *regio Allophylorum*, alii judicium ferant, interim consulas *Bonfrerium* in *Notis*. pag. m. *95*. in *fol*. Erant enim *allophyli* antiqui Philistæi, qui Ascalonem, Gazam, Azotum, Gath & Accaronem inhabitabant: vel posset *Hieronymus* e sensu intelligi, quo significaret *Jerameli* seu *Jerachmeelitarum* tractum fuisse situm in extrema ora Australi tribus Judæ, versus alienigenarum terras, Gazam usque; nec adeo ineptum quis arbitretur, ubi attente consideraverit verba *Josephi* Antiq. Jud. V. 1. *pag*. *m*. 141. *Cumque ad sortes ventum esset*, tribui Judæ *obtigit* tota superior Judæa, *se extendens* usque ad Hierosolymam. *Latitudo ejus* pertingebat usque ad Mare Sodomiticum, *in sorte hac* erant Urbes *Ascalon* & *Gaza*. Si itaque *Hieronymo* sua constet fides, discimus inde *Jerachmeelitas* tenuisse tractum quendam in australi termino Judæ versus Gazam, forte priscam sedem τῶν *Avvim* עוים *Deut*. *II*. 23. *Jos*. *XIII*. 3.

§. 16. *Kenæi* seu *Kenitæ* הקיני Κιναῖοι memorantur. *Gen*. XV. 19. dicti a quopiam Kain קין patre Num. XXIV. 22. *Eusebio* Κινὶ, χώρα ἀλλοφύλων. *Hieronymo* Ceni, *regio Philisthiim*. Erant quidem *Kenæi* alienigenæ, sed pacifici Israelitarum accolæ & inquilini, hinc forte *Chaldæo* שלמאי *Schalmæi*, quasi *pacifici* audiunt. Fuere amici, benevolo animo erga Israelitas affecti, *fecerunt* חסד עם כל בני ישראל *misericordiam* omnibus filiis Israel, cum *adscenderent ex Ægypto*, 1. *Sam*. XV. *6*. eosque, tanquam amicos tractarunt, ut liquet. Fixerunt sedes suas, *in solitudine Judæ* בנגב ערד *quæ est* in meridie Arad. *Jud*. 1. *16*. in australi parte Terræ promissæ. *Num*. XXXIII. 40. si *Hieronymo* & *Eusebio* fides habenda est, *Arad*, terminus Judæ fuit, distans *ab oppido Malatis* in quarto, *a Chebrone* vicesimo lapide *ad meridiem*.

§. 17. Jam ex præmissis conjicio, רכל *Rachelem* רחל *Jeremiæ* Ῥαχὴλ *Matthæi* (1) esse nomen Urbis vel Vici in australi parte tribus Judæ, contradistinguitur enim τῇ רמה *Rhamah* Ῥάμα (de qua mox dicam, quid sentiam) ita vel *Urbem*, vel *tractum montanum* appellari omnes consentiunt. (2) Sitam fuisse hanc *Rachel* inter *Esthemoam* & *Jerachmeelitarum & Kenæorum Urbes*, (3) adeoque circa fines & terminum regionis tribus Judæ versus austrum: hæc potuissent sufficere firmandæ conjecturæ, verum illa magis illustrabitur, si quis attenderit, *Ramah* רמה indigitare terminum vel locum, huic רחל *Racheli* oppositum, tum omnino probabit, lamentationem & ejulatum Matrum, contribulium Judæ, plangentium horrendam illam & cruentam bimulorum stragem, personuisse per totam tribus regionem, ab uno termino usque ad alium, qualem tropum orationis etiam alibi observare licet.

§. 18.

§. 18. Huic *Racheli* oppono *Ramam*, ex plurimorum Interpretum ſententia, illam Benjaminis, a Baeſa Rege Iſraelis munitam. (Vide *Joſ.* XVIII. 25. *Jud.* XIX. 10. 1. *Reg.* XV. 17. 2. *Chron.* XVI. 1. &c.) Gebam inter & Gibeam. *Jeſ.* X. 33. ad ſeptentrionem Hieroſolymæ ſitam, ex veriſſima *Bonfrerii* ſententia, quam nuper vindicavit, ſummus in Belgio h. t. [1] Theologus *Camp.* VITRINGA *Pater*, in abſolutiſſimo (multijugæ lectionis, ſtupendæ eruditionis & rariorum Sacrarum Obſervationum Gazophylacio) *Comment.* ad *Jeſ.* x. 33. pag. m. 292. *a.* Interpres *Chaldæus* ברמה παραφράζει ברם עלמא *in* excelſo *mundi*, ita e Veteribus *Hieronymus* τὸ רמה appellative ſumſit pro *excelſo*, etiam *Syrus* vertit רמתא *collem*, ſeu locum *excelſum* : omnino poſſet quis cogitare de *montano* Judæ ſeu הר המלך *monte Regio*; הר יהודה *Joſ.* XXI. 11. nuncupatur ὀρεινὴ Ἰȣδα *Luc.* I. 39. τῆς Ἰȣδαίας v. 65. Tractus Judææ montanus, Clar. *Ligtfootho* (Cent. *Chorogr.* præmiſſæ Evangel. *Matthæi* cap. 11.) autore, ab ultima ora Auſtrali terræ Judæ ad Hebronem, imo ipſam fere Hieroſolymam uſque excurrebat; in dorſo hujuſce tractus montani Urbes ſitæ erant, quas enumerat Hiſtoriographus Sacer *Joſ*, XV. 48. 60. triginta octo. Quid ſi concederem *Vocem* ברמה *auditam* perſonuiſſe omnes in montano Judæ Urbes, ab Auſtro ad Septentrionem tribus Judæ: mihi enim perinde eſt, nec quicquam decedet hypotheſi, quam tueor, omnes enim ἐν τοῖς ὁρίοις Bethlehemi offendes. *Matth.* II. 16. Niſi quis malit cogitare, de *Bamath-Negeb* Auſtri. *Joſ.* XIX. 8. in montano Judæ verſus Auſtrum prima Urbe, ut videtur, coll. §. 8.

§. 19. *Vox* קול (de reſonantium nubium voce vel ſono *Exod.* IX. 28. *Pſ.* XXIX. 3.) φωνὴ (etiam *Matt.* III. 17. XVI. 5. XXIV. 31.) indigeſta matrum & bimulorum plangentium, atroce ejulatu, perſonante totum athmoſphærium contribulium Judæ, late *audita eſt* vel a *Rachele Ramam* uſque vel in *montano* Judæ, ab Auſtro ad Septentrionalem Regionis limitem, quaquaverſum. נהי בכי תנורורים, θρῆνος (*Etymologis* Græcis ἀπὸ τȣ̃ θραύειν τὸν νοῦν, quod *mentem* ſeu *animam frangat*, dicitur, niſi malis παρὰ τὸ θρέειν tumultuando *clamorem edere*. Θρέειν *Heſychio* θρηνεῖν, Θρεομένη, θρηνȣ̃σα. Reſpondet τῷ נהי ut & *Jer.* IX. 10. *Mich.* II. 4. a נהה *lamentari*, *ejulare*. Etiam adhibetur pro קינה *lamentum*, *leſſus* ſuper defunctum. 2. *Chron.* XXXV. 25. Lamentatio *Ciceroni* Tuſcul. Quæſt. IV. 8. *eſt ægritudo cum ejulatu.*) καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολὺς [in *Hebræo* Textu תמרורים *amaritudines* a מרר *amarum eſſe*, de flentibus & lamentantibus emphatice ſatis dicitur, qui præ ſumma animi ægritudine plangunt ut *Jeſ.* XXII. 4. *Jer.* XIII. 17. *Zach.* XII. 10. in luctu graviſſimo Petrus pœnitentia ductus ἔκλαυσε πικρῶς *Matth.* XXVI. 75.] *lamentatio & fletus & AMARUS ejulatus multus* aerem quatiebat & reſonabat ab uno limite agri Bethlehemitici eique contigui, imo totius regionis Judæ, ad terminum oppoſitum, (a tractu ſeptentrionali montano, ad Auſtralem in planitie,) tanquam præ aliis inhabitato. Conf. *Zach.* VII. 7.

§. 20. Ubi *Rachel* κλαίȣσα τὰ τέκνα αὐτῆς introducitur, ſchemate mulieris, Matris, dura & cruenta innocuorum filiorum ſuorum *bimulorum & infra*, fata plangentis atroce ejulatu, tanto major & concitatior planctus, quam propenſior matrum in parvulos animus & affectus, graphice ſatis indicatur; tropo ſermonis emphatico, cui non inhærebo; luget *Rachel* τὰ τέκνα αὐτῆς puerulos *maſculos*, ςύλȣς οἴκων, Herodes enim legitur πάντας τȣ̀ς παῖδας, *Matth.* II. 16. interfeciſſe manu carnificum, habito diſcrimine ſexus, noverat quippe Rex, Meſſiam, Virum, fore ex luculentis Prophetarum Vaticiniis & Scribarum, quos de eo conſuluerat v. 4. teſtimoniis, conf. v. 8. ita Chriſtus antitypus Moſi typo, Herodes Rex, Pharaoni Regi Ægyptio, *Exod.* I. 16. accuratius reſpondebit.

§. 21. Proh horrendum, ingens ſcelus! quod ſtupet Orbis totus, reticet profana Hiſtoria, (excepta tamen, ut videtur *Macrobii* Saturnal. II. 4.) diligentia, quæ *Voſſio* ficta audit: abſque dubio conſtitit *Joſephus* ſibi, prout dudum Clariſſimi Viri monuere, qua ratione inductus, tam alto, hujuſce infanticidii Bethlehemitici & confinis tractus relationem ſilentio preſſerit.

§. 22. Equidem tamen ingenue fateor, me vel neſcire vel non intelligere, quid *Joſephus* paſſus ſit, cum in textu ejus nuper legerem. [*Antiq. Jud.* XIV. 17. *pag. m.* 484. Edit. *Colon.*] προσεξῆψαν δὲ αὐτȣ̃ τὴν ὀργὴν καὶ αἱ μητέρες τῶν ὑπὸ Ἡρώδȣ πεφονευμένων. αὗται γὰρ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐν τῷ ἱερῷ παρακαλȣ̃σαι τὸν Βασιλέα καὶ τὸν δῆ-

μον

[1] Immo elapſi temporis. Neque enim ſine ſummo animi dolore ſignificare tibi poſſum, Virum hunc præclariſſimum, ſacri, uno literati hac tempeſtate Ordinis Principem pridie Kal. Apriles hujus anni anno ætatis LXIII. poſt obitum ſumma cum laude per XLII. annos Theologiæ & hiſtoriæ ſacræ in inclita Friſiorum Academia Profeſſionem, rebus humanis eheu ! ereptum eſſe. Sed plura de eo propediem. T. d. H.

μον ἵνα δίκην Ἡρώδης ἐν τῷ Συνεδρείῳ τῶν πεπραγμένων ὑπόσχῃ διετέλει. Vel hæc a manu *Josephi* sunt, vel ab imperito Librario, contra omnem Historiæ fidem, textui intrusa; si a manu Autoris *Josephi*, prodit infanticidium, si non, deleantur. qui volet, animadvertat & corrigat, si poterit, quum vero quis hæc non delenda, vindicaverit *Josepho*, sentiet illum hujus sceleris meminisse, utique mihi non videntur alias cohærere verba hæc, nec posse sensu satis commodo, cum antecedentibus & sequentibus componi.



ISE-



ISEBRANDI EILARDI HARKENROHT, DISSERTATIO CHORO-TOPO-GRAPHICA DE ÆNON PROPE SALIM.

Qua modeste de hujus vero situ anquiritur, eumque circa fines regionis JISSASCHARITICÆ, non ita procul Jardene & Nephthalitidos quondam termino quærendum esse ostenditur, ad illustrationem loci Joh. III. 23.

§. I.

SItum τῦ Αἰνὼν ἐγγὺς τῦ Σαλείμ, ubi Johannes Baptista sacro fonte tinxisse legitur, per probabilem conjecturam, hac dissertatiuncula liceat investigare. Forsan occasionem præbuero Lectori, me in Choro-& Topo-graphia Sacra versatiori, ut ea excitatus pro sua eruditione & peritia nobis quid certius subministret, quotquot Geographiæ Sacræ accuratius definiendæ desiderio tenemur.

§. 2. Nomen loci Αἰνὼν *Syrus*, עין יון, *Arabs* עין נון, Latini *Interpretes* passim *Ænon* pingunt, cum quibus facit *Hieronymus* ex *Eusebio* in Αἰνών, cujus etymon mihi perinde est, unde quis derivet, sonum si quis attenderit, fortean mecum existimabit, esse compositum ex עין *fonte*, (cujus orificium ad instar oculi quondam paratum novimus, sic עין המים *Gen.* XVI. 7. cum ה locali. XXIV. 16. 45.) & עין, צאן *grex* ovium, ita significaret *fontem gregis*, vel si quis adeo mordaciter lectionem *Syri* Interpretis, satis antiqui, tenere velit, ipsi suggeret memoria יון *cænum* seu *lutum fluidum* indigitare, quod aqua rapidiore acta flumine secum fert: omnino locum *fonte* irriguum, uno vel pluribus, intendit.

§. 3. Ubi de ejus situ anquiram, magis sollicitus observandum duxi, quod *Johanni* Evangelistæ [1] memoretur, ratione regionis Judææ, v. 22. contradistincta, adeoque extra Judææ fines, in Galilæa forte, ita enim licet anticipare. (2) prope *Salim*, cujus notitia etiam incerta videtur primo obtutu. (3) ubi magna aquarum colluvies, (ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ) erat. Ex hisce præmissis abunde liquet, si de

si de situ τ8 Αἰνὼν quid velim definire, de illo τ8 Σαλεὶμ prius esse differendum mihi, de quo instituam.

§. 4. Σαλεὶμ *Syro* שלים *Salim*, etiam *Nonno* in παραφρ: v. 122. cujus in Edit. *Aldina* Σαλὴμ, & in impressis *Theophylacti* nomen scribitur, fide Eruditissimi *Fr. Nansii*, quod perinde est: hujus etymologiam si spectes, apprime conveniret Hebr. שלחים *emissarii*, ut indigitarit *villam*, in cujus tractu, vel *tractum*, in quem torrentes, seu aquæ fontanæ diversis ductibus emissæ, coeunt, vel ex quo elabuntur, ita enim licet instituere in hoc etymon inquirenti, שלח Σιλωάμ. *Job.* IX. 7. שלחים *Schilchim* memoratur inter urbes regionis tribus Judæ. *Jos.* XV. 32. in Edit. *Græcæ* Versionis *Complutensi* Σαλεὶμ. *Eusebio* Σαλεεὶ, *Hieronymo* Salei, φυλῆς Ἰȣ̃δα: sita inter *Lebaoth* & *Ajin* australi tractu hujusce regionis quærenda. Obiter monere debui, *terram* שעלים *Schaolim*, (quam transiisse Saul filius Cis, quærens asinas patris sui, fertur 1. *Sam.* IX. 4. in MS. *Alex.* Σααλεὶμ *Eusebio* κώμη ἔστιν ἐν Ἐλευθεροπόλεως πρὸς δυσμὰς, ὡς ἀπὸ σημείων ζ'. Hieronymo *vicus est*, *in finibus Eleutheropoleos contra occidentem*, septem *ab ea* milliaribus *distans*;) nimis abhinc remotam censeo; etiamsi in *Thargum*, terra *Schaalim* reddatur מתברא *mathbera*, vel *mathbara*, quasi sit planities Thaborica juxta *Lichtfootum* in *Disquis.* Chorograph. *præm.* Evang. *Johannis* cap. III. *p. m.* 581. a. potius ita dicta videtur, quasi *fracta* vulpium foveis, vulpes enim lustra parantes sibi, terram eruendo frangunt, ut ex Oppiano & *Phædro* constat, & ipsa τῶν שעלים notio abunde confirmat, adeoque non potest terra hæc in censum venire, ubi quis in describendo situ τ8 Αἰνὼν ἐγγὺς τ8 Σαλεὶμ occupatus est.

§. 5. Terminus regionis Jissascharitarum legitur. *Jos.* XIX. 22. pervenisse in *Thabor*, ושחצומה (quamvis per ו *Vau* scribitur, pronuncietur per י *Jod* juxta notam Masorethicam) *&* Schachatzimah, *&* Bethschemesch. *Eruntque exitus termini eorum ad Jardenem*. In Versione Græca שחצימה *Schachatzimah* redditur juxta exemplar *Vaticanum* MS. Σαλεὶμ κατὰ θάλασσαν. Quædam de *Bethschemesch* præmonebo, fuit Urbs hoc nomine insignis in sorte tribus Judæ, quæ & Sacerdotalis. *Jos.* XXI. 16. etiam in portione tribus Nephthali. *Jos.* XIX. 38. *Jud.* I. 33. illa Judæ in australi regionis tractu. [Conf. 2. Chron. XXVIII. 18.) & quidem longe dissita fuisse videtur. Adeoque *Bethschemesch* Nephthalitidos supponatur *Schachatzimah* Jissascharitidos contigua, nec absque idoneo argumento, pertingebat terra Nephthalitarum *ad* vel *versus* Jardenem. *Jos.* XIX. 33. coll. 38. & terminus Jissascharitarum se extendebat ad tractum montis *Thabor*, Schachatzimah, Bethschemesch, והיו תצאות גבולם הירדן *& fuerunt fines egressiones termini illorum* ipse fluvius *Jarden.* Jos. XIX. 22. nihil est in Topographia Sacra clarius fere; quod cum ita sit, prout demonstravi, & montanum Thabor adeo late extensum, claudat terminos regionum *Jissascharis*, Zebulonis & Nephthali confinium, dicerem *Schachatzimah* esse ponendam in declivi alicujus tractus montani Thabor latere seu valle, adeoque inter *Thabor* & *Bethschemesch* Nephthalitarum ad *Jardenem*. Vide *Jos.* XIX. 22. coll. v. 33. 38. Jam *Schachatzimah* Σαλιμὰ *Eusebio*, (prout etiam legitur in Editt. Græcæ Versionis τῶν ό *Aldina* & *Complutensi*,) ὅριον Ἰσσάχαρ. שחצימה quoad etymon, est *villa* vel *urbs* sita, ubi שחץ ימה *ferocia maris*, non intelligas velim mare adeo magnum, sed aquæductum satis latum, quippe quævis aquarum colluvies quondam *mare* dicebatur, quod שחץ *Kimchio* גאוה de *ferocia maris* sumserim, ne quis mihi vitio vertat, verba *superbiæ*, *ferociæ* & ejusmodi, eleganter satis olim, etiam orientalium stylo, fluctibus maris applicabantur. Vide Celebr. *Alb. Scultens* (Lingg. Orient. Professoris in Academia Franequerana bene merentis) *Animad. Philol.* in *Job.* XXXVIII. 11. &c. sic *unda ferocior* legitur penes *Ovidium* Epist. XXI. v. 189. *mare ferum* dixit *Catullus*, sed non indigemus exemplis. At quare שחץ in Σαλιμ traduxerint, non facile est augurari, inquit *Lichtfootus* in *Disquis:* Chorogr. *Johanni* præmiss. *cap.* III. §. 2. p. m. 580. b. ego Davus sum non Oedipus, quid si שחץ proxime accedat τῷ שחל, cujus elegans est usus de extractione aquæ penes Chaldæum Interpretem, *Exod.* II. 10. *Onkeloso* idem ac שלח, omnino de *emissario* aquæ ductu cogitarem.

§. 6. Ne hinc inde vaga videatur errare Dissertatio nostra, figam pedem prope *Schachatzimah* veniat Αἰνὼν locus seu tractus fontibus irriguus, quia ὕδατα πολλὰ ἐκεῖ *Johanni* memorantur. De villis & Urbibus Jissascharitarum non altius repetam, quam.

a קישון *Kischjon*, quæ fluvio ὁμώνυμος, (*Eusebius* Κισών, κλήρȣ Ἰσσάχαρ, πόλις Λευίταις ἀφωρισμένη. *Jos.* XIX. 20. XXI. 28.) & vicina, forte dicta ab *objiciendo lutum*, quod flumen secum ferens circa hanc villam vel urbem ejiciebat.

אבין

אבץ *Abetz*, cœnoſa, ſita in loco uvido & lutoſo, ſi בצץ vel בצה attenderis.

רמת *Remeth*, in colliculo, alias *Jarmuth*.

עין-גנים *En-gannim*, fons hortorum *Euſebio* Ἡγανὶ (lege Ἡγγάνιμ) κλήρυ Ἰσσάχαρ (forte rectius Ἰσσάχαρ) πόλις Λέυϊ ταῖς ἀφωρισμένη. *Joſ.* XIX. 21. XXI. 29.

עין חדה *En chaddah*, cujus meminit *Euſebius* in Ἡνάδα. Et forte *Heſychius* in Ἅδα, ἡδονή (confer. Hebr. חדוה) πηγή, abſque dubio fons hic ipſi dictus a חדה) καὶ ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥρα, (*Juno* חדה) παρὰ Τυρίοις δὲ ἡ Ἰτέα. Non exiſtimem cum *Bocharto* Geogr. Sacr. *part.* II. *lib.* II. 21. ἰτέαν pro *ſalice* hic eſſe ſumendam, quamvis probe meminerim, quid ſcribat *Heſychius* in Σάλιξ. Sed *Junonem* Babyloniis חדה Ἅδα, Tyriis Ἰτέαν dictam putem, & ſi quid intelligo, non facerem injuriam, ſi *Junonem* חדה *Lunam* dixerim. conf. *Macrobium* Saturn. I. 15. *Meurſius* in *Gloſſ.* Græco-*Barbaro* in Ἀπά. Ἥρα, ἡ Θέα, Ἰτέα *Lunam* a Tyriis olim cultam Ἰτέαν dictam non leviter probarem etiam ex ἐτύμῳ nominis proprii Regis cujuſdam Tyriorum quondam celebris Ἐιθώβαλυ (איתובעל) qui *Menandro* penes *Joſephum*, ὁ τῆς Ἀστάρτης ἱερεύς. Eſſet adeoque עין חדה *fons* Chaddah *Lunæ*, in quo etymonihil eſt vitii ac in בית שמש *domus ſolis*, עיר שמש *Urbs Solis*, & ejuſmodi, deinde nomina fontium pagis vel villis nomen dediſſe olim, non indiget me monitore. Vide *Servium* ad *Virgil.* Georg. II. v. 382. *Feſtum* in *Pagi*. Pergo ad

בית פצץ *Beth Patzetz*, Vide Joſ. XIX. 21. Obiter *Euſebio* priſtinam lectionem reſtituam, legitur in *Edito* Βηθφάσις, φυλῆς Ἰύδα, *Hieron.* Bethphaſes, *in tribu Iſſachar*. Quamvis ſit compendium præſto; liceat mihi ire per ambages, ſic ſentio de corrupto hoc *Euſebii* loco, olim talem extitiſſe in MSto lituram.

Βηθφάσις - - -

- - Φυλῆς Ἰύδα.

ſupplendam hoc modo.

Βηθφάσις, κλήρυ Ἰσσάχαρ (cum Hieronymi textu.)

Βηθφελέθ, φυλῆς Ἰύδα, vel ſi Βηθφαλέθ quis legere malit, invertat ordinem. בית פצץ non inepte *domum effluvii* verteres, quippe פוץ eleganter de aquis effluentibus adhibetur, ut *Prov.* V. 16. יפצו effluant *fontes tui*, alveo exundante. Videatur *A. Schultens*, (ille Lingg. Orientalium fere unicus noſtro tempore Stator, jam Academiæ Friſiæ decus,] in *Animadv. Philol.* ad *Job.* XI. 6. *Prov.* V. 16. *Zach.* I. 17. Vel ſi a פצץ in *Pihel* derivares, ſignificaret, *domum*, ubi aqua exundans, ex *Sriſchjone* verſus *Abetz* & *Remeth*, illapſa torrentem *fontis hortorum* & *Chadhah*, (prope loca cognomina) profluit, magno alveo erumpens per μεσαγκέιαν montani Thabor, verſus *Schachatzimah* ferociore flumine exit *in* vel *ad* Jardenem.

§. 7. Ita *Euſebius* Ἀινών, ἐγγὺς τῦ Ἀλέιμ, (lege Σαλέιμ) ἔνθα ἐβάπτιζεν Ἰωάννης, ὡς ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην ἐυαγγελίῳ καὶ δείκνυται ἐις ἔτι νῦν ὁ τόπος ἀπὸ ἡ σημείων Σκυθοπόλεως πρὸς νότον πλησίον Σαλέιμ καὶ τῦ Ἰορδάνυ. Cui *Hieronymus* reſpondet. In Textu Græco Cod. LXX. Viralis Verſionis *Jud.* I. 27. Βαιθσὰν ἥ ἐστι Σκυθῶν πόλις MS. *Vaticanum* בית שאן in portione regionis Jiſſaſcharitarum. *Joſ.* XVII. 11. etiam Menaſſeh tribui accenſetur. Jud. I. 27. 1. Chron. VII. 29. hinc in contiguo termino utriuſque tribus ſita fuiſſe credatur, octavo milliario ad meridiem verſus boream flexo diſtabat hinc *Ænon*, in tractu Cis-Jardenenſi, (quod obſervari velim, contra magni nominis Virum *Iſaacum Caſaubonum* Exercit. XIII. *ad* Annales *Baronii* num. 25. p. m. 249. 250.) & quidem in Galilæa inferiore. Quæ hucuſque ſufficiant.



PETRI ZORNII DISSERTATIO DE ÆNONE PROPE SALIM

Ad illuſtrationem Joannis III. 23.

ORdiamur ſtatim a Σαλέμ, atque inde quæramus Ænonem propter vicinitatem. Parum autem ad inveſtigationem faciunt verba Moſis Gen. XXXIII. 18. ויבוא יעקב שלם עיר שכם. Nimirum Jacob dicitur veniſſe *Salem oppidum Sichem*, LXX. εἰς Σαλὴμ πόλιν Σικίμων: & *ad faciem urbis*, ſeu extra illam & e regione *metatus eſſe*. Et HIERONYMUS de locis: *Salem civitas Sicimorum, quæ eſt Sichem*. Quod ſi omnino fuit civitatis nomen *Salem* iſto loco, non tamen alia fuit ab Sichem, quia poſſeſſio Jacobi πλησίον *prope* Sichar ſive Sichem Joannis IV. 5. nec alibi quam ante Sichem tum tabernaculum fixerat. At nec certum, imo maxime dubium eſt, ibi *Salem* urbis nomen eſſe, cum & uterque Chaldæus, & Judæi interpretes omnes illud שלם non pro proprio nomine, ſed appellativo habeant, ut ſententia ſit: *Jacob venit ſalvus & incolumis ad urbem Sichem*, quod utique eſt probabilius, quia & textus Samaritanus habet שלום pro illa altera voce שלם *& venit in pace*. Neque vero erant inter mortales, qui melius judicare poſſent, שלם iſto in loco fuerit urbis nomen nec ne, quam Samaritæ. Vide ſis JO. LIGHTFOOTUM in diſquiſitione Chorographica Joanni præmiſſa cap. III. §. 1. & in Harmonia IV. Evangeliſtarum P. III. p. 446. Tomo I. Oper. CHRISTOPH. CELLARIUM Notitiæ Orbs Antiqui ſive Geographiæ plenioris Tom. II. lib. III. c. 13. p. 516. PAULUM FAGIUM in translationum præcipuarum Vet. Teſtamenti inter ſe variantium collatione, HERM. WITSIUM Tom. II. Miſcellan. Sacror. exercit. X. quæ hiſtoriam Hieroſolymæ ab urbe condita uſque ad excidium Babylonicum complectitur, §. 2. p. 240. interim diſſentire videmus JACOBUM GUSSETIUM in Commentariis Linguæ Hebrææ p. 862. *Non abſurdum*, inquit, *videtur reſpectu rei Geneſ.* XXXIII. 18. *exponere*, venitque Jacob incolumis ὁλόκληρος, *illæſus corpore*, *aliiſque rebus ſuis*, *quod fuit admodum notabile propter immane periculum ſupra narratum*, *ex quo Dei gratia prudenti ejus manſuetudini benedicente*, *evaſit*. *Interim reſpectu verborum inuſitata videtur locutio*, *quæ inde remanebit:* & venit urbem Sichem. *Non ignoro ellipſin* ל, *& ipſe in hoc opere notavi*, *ſed* עיר *ſic non occurrit*, *& dubitare moveret*, *an ſi ipſa Sichem*, *an alia urbs ei annexa*. *Quare* שלם *puto eſſe* nomen urbis, Salem *ſcilicet*,

quæ

quæ dicitur urbs Sichem, quia pertineret ad Sichem filium Hemor ut Dominum, distincta interim ab urbe Sichem, sed annexa in eadem dirione. Utra harum sententia, GUSSETII, an aliorum doctorum quos laudavimus, sententia sit potior, nostra parum refert scire: Esto, in verbis Mosis שלם *proprium urbis nomen* esse, alia tamen fuit Salem nempe prope Jordanem ubi baptizabat Joannes. Nam discrimen patet, quia Salem, in quam venit Jacob, erat prope Sichem, Sichem autem in Samaria secundum Joannem IV. 5. procul a Jordane. Rursus in Sichem Jacobi, aliisque locis, qui ei adjacent, nulla erant aquarum fluenta, quæ baptismo (nam his tradit Evangelista Ænonem abundasse) inservire potuissent: puteis enim utebantur homines regionis illius: eratque & ibi puteus, qui & fons Jacobi dictus est, ubi Christus sedens sermonem habuit cum muliere Samaritana. Vide BARONIUM Tom. I. ad A. C. 31. n. 42.

§. II. Cum vero JUNIUS in notis ad versionem TREMELLII observat *Schalim*, (quæ est Σαλεὶμ hic loci apud *Joannem*,) per Syncopen a Syris dici pro *Schaalim*, additque, eum locum fuisse in finibus tribus Benjaminis secundum 1. Sam. IX. 4. in eo JUNIUM non semel παρεωρακέναι docet LUDOVICUS de DIEU in animadversionibus sive in Commentario in IV. Evangelia p. 414. *Etenim*, inquit, *ex mappa terræ sanctæ ab ipsis Judæis Amstelodami nuper edita constat, Hebraico scribi* שלם *quod recte Syre Schalim non autem* שעלים 1. Sam. IX. 4. *ac fuisse in tribu Manasses non Benjaminis.* Confer JO. DRUSIUM Comment. priore in N. T. p. 151. & JO. ERNEST. BUTHNERUM in inquisitione in historiam Johannis filii Zachariæ cap. II. §. 8. Et profecto, si quid judico, locus ille Schaalim, cujus memoria exstat apud Samuelem, huc perperam refertur & cum Joannis Salem confunditur * quid multa? Ænon dicitur ἐγγὺς τῷ Σαλεὶμ *prope oppidum Salem esse*, quod cis Jordanem fuit, sed flumini propinquum. HIERONYMUS de locis Hebraicis in SALEM: *in octavo quoque lapide a Scythopoli in campo vicus Salumias appellatur.* Hunc oportet illud Salem esse, quod cetera hujus nominis ab Jordane sunt remotiora. Consentit prorsus Mappa Judaica, ubi cis Jordanem est ביתשאן quæ Scythopolis dicta est urbs ad tribum Manassis pertinens, sed tribui Issachar inclusa habens ad meridiem שלם. Vide HIERONYMUM in locis Hebraicis in ÆNON, LUDOV. de DIEU l. c. CHRISTOPH. CELLARIUM in dissertatione de Joannis Baptistæ carcere & supplicio §. 7. & Tom. II. notitiæ Orbis Antiqui, sive Geographiæ plenioris lib. III. cap. 13. p. 519. JO. HENRIC. HOTTINGERUM in dissertatione de Geographia terræ Canaan §. 36.

§. III. Cum itaque Joannis *Salem oppidum* fuerit *cis Jordanem*, eidem flumini propinquum, cum *hanc urbis positionem*, quia certior nusquam apparet, optimi quique S. literarum interpretes sequantur, paulo tamen accuratius ISEBRANDUS EILARDUS HARKENROTHIUS in dissertatione de Aenon prope Salem, disquirere voluit, ubi *Salem oppidum* sit positum. Nimirum §. 5. ex Josue XIX. 22. coll. v. 33. 38. colligit, Salem circa fines regionis Jissascharitica non ita procul Jardene & Nephthalitidos quondam termino quærendum esse. Addit autem I. montanum Thabor late extensum claudere terminos regionum *Jissascharis*, Zebulonis & & Nephthali confinium. Il שחצימה *Schachatzimah* in versione Græca reddi juxta exemplar Vaticanum MS. Σαλὶμ κατὰ θάλασσαν. Et quamvis LIGHTFOOTUS in in disquisit. Chorogr. Joanni præmissa cap. III. §. 2. ignorat, quare שחץ in Σαλὶμ traduxerint, HARKENROTHIUS tamen ejus versionis rationem reddit, *quid si*, inquit, שחץ *proxime accedat* τῷ שחל *cujus elegans est usus de extractione aquæ penes Chaldæum interpretem* Exodi II. 10. ONKELOSO *idem ac* שלח *omnino* de emissario

* Fuerit operæ pretium audire ISEBRANDUM EILARDUM HARKENROTHIUM in dissertatione choro-topographica de Ænon prope Salim §. 4. Σαλεὶμ, Syro שלים Salim, etiam NONNO in παραφρ. v. 122. cujus in edit. Aldina Σαλὴμ & in impressis THEOPYLACTI nomen scribitur, fide eruditissimi FR. NANSII quod perinde est: hujus etymologiam si spectes, apprime conveniret Hebr. שלחים *emissarii*, ut indigitarit *villam*, in cujus tractu, vel *tractum* in quem torrentes, seu aquæ fontanæ diversis ductibus emissæ, coeunt, vel ex quo elabuntur, ita enim licet instituere in hoc etymon inquirenti, שלח Σιλωάμ Joan. IX. 7. שלחים *Schilchim* memoratur inter urbes regionis tribus Judæ Jos. XV. 32. in edit. vers. Græcæ Complutensi Σαλεὶμ. EUSEBIO Σαλεὶ, HIERONYMO Salei, φυλῆς Ἰούδα sita inter Lebaoth & Aj in australi tractu hujus regionis quærenda. Obiter monere debui terram שעלים *Schaalim* (quam transiisse Saul filius Cis, quærens asinas Patris sui, fertur 1. Sam. IX. 4. in MS. Alex. Σααλεὶμ EUSEBIO κώμη ἐστιν ἐν ὁρίοις Ἐλευθεροπόλεως πρὸς δυσμὰς, ὡς ἀπὸ σημείων ζ. HIERONYMO vicus est in finibus Eleutheropoleos contra occidentem septem ab ea milliaribus distans) nimis ab hinc remotam censeo, etiamsi in Targum terra *Schaalim* reddatur מתברא *mathbera* vel *mathbara* quasi sit planities Taborica juxta LIGHTFOOTUM in disquisit. Chorograph. prem. Evang. Joannis cap. 3. potius ita dicta videtur, quasi *fracta* vulpium foveis, vulpes enim lustra parantes sibi, terram eruendo frangunt, ut ex OPPIANO & PHÆDRO constat, & ipsa τῶν שעלים notio abunde confirmat, adeoque non potest terra hæc in censum venire, ubi quis in describendo situ τῷ Αἰνὼν ἐγγὺς τῷ Σαλεὶμ occupatus est.

ſario aquæ ductu cogitarem . III. *Schachatzimah* ponendam eſſe in declivi alicujus tractus montani Thabor latere ſeu valle , adeoque inter *Thabor* & *Bethſchemeſch Nephthalitarum ad Jardenem* . Hactenus HARKENROTHIUS; ab hanc tamen ſententia , cum *Salem oppidum* fuiſſe diximus *cis Jordanem* , aliquanto longius diſcedit JO: LIGHTFOOTUS in diſquiſitione Chrorographica Joanni præmiſſa cap. 3. §. 2. ſeq. ibidemque operoſe probat , non tam vicum aut oppidum , quam *Kenæos* aut *Eſſenos*, inter quos Joannes Baptiſta vixerit , per vocem *Salem* innui & denotari. Argumenta autem, quibus perſuaſus eſt, fere hæc ſunt : primum , quia videndum, an voci Σαλέμ congruenter præfigi poſſit articulus τȣ̃ , cum nomina urbium & oppidorum ut plurimum ſint generis fœminini? an ſuſpicio oriri poſſit , non de urbe aliqua, ſed de re aliqua divino ſcriptori ſermonem eſſe ? Urget itaque illud tanquam præcipuum , quod apud Paraphraſtas Chaldaicos ONKELOSIUM & JONATHANEM שלמאה *Salmæus* vel *Salamæus* pro קיני *Kenæo* dicatur, non ſemel quidem, ſed ſæpe & multum . Sed quid inde conficitur? JOSEPHUS quidem SCALIGER in Elencho Trihæreſii c. 23. p. 449. edit . *Triglandii* Paraphraſten Chaldæum hac ipſa in re vel multas dare preſtigias, vel graviter errare affirmat : ſed audiamus ipſum LIGTFHOOTUM : *unde ſic dicti* [Kenæi] *non quærimus : ſat eſt , quod vulgari hoc nomine dignoſcerentur* שלמאה*: cui quam cognatum ſit* ὁ Σαλέμ *arbiter eſto æquus lector. Quod ſi igitur illud, quod Evangeliſta hic vult , hoc ſiet* , Joannes erat baptizans in Aenon prope Salamæum , *vel* Kenæum : *loquente eo cum vulgo, & nomen iſtius gentis adhibente , quo vulgo jam audiit . At ſi daretur id , quod proponimus, uter* Kenæus *eſt intelligendus? an is, qui in eremo Judæ , an ille, qui trans mare ſalſum?* Pergit ſtatim LIGTFOOTUS in eo totus , ut *Kenæum* & *Eſſenum* unum eundemque fuiſſe perſuadeat, nobiſque *Aenonem* in tribu Juda ad medium fere lacus Aſpaltitæ ponendam oſtendat: verba LIGTHFOOTI hæc ſunt: *ſi* Eſſenus שלמאה Salmæus *dici poſſit, æque ac* Kenæus [*& certe meretur , ſi vox* perfectionem *vel auſteritatem vitæ denotet*] *fidentius ergo* Σαλέμ *Evangeliſtæ diſpoſuerim in eremo Judæ, quippe quod illic loci comperiam*, Aenonem *apud Græc. Interpretes in Joſuæ* XV. 62. *ubi Hebræa in hunc ſenſum* : in eremo Betharabah , Middin & Secacah & Nibshan, & civitas Salis & Engedi , civitates ſex, *Græca autem:* ϰ̀ Βαδδαργὶς ϰ̀ Θαραβαάμ ϰ̀ Αἰνὼν *&c. ubi plane vides* Αἰνὼν *pro* Middin : *at qua ratione , obſcurius . Hoc tantum obſervare licet , quod* Middin *occurrit Judic.* V. 10. יושבי על מרין *quod ſi interpreter*: qui habitatis juxta Middin, KIMCHIUM *habeo ſuffragantem , qui ſic in locum*: Middin eſt nomen urbis, cujus mentio occurrit in Joſua, Middin & Secacah. *Jam ergo cum* Αἰνὼν *ſignificet locum* fontium *vel* aquarum , *adverte , quid ſequatur* מקול מחצצים בין משאבים a voce ſagittariorum inter loca , ubi hauriuntur aquæ, *Græce* ἀνὰ μέσον ὑδρευομένων . *Ut ſi quæras ab interprete Græco : quare quæſo reddidiſti* Middin *per* Αἰνὼν locum fontanum? *reſpondere habet, quia* Middin *erat locus* ὑδρευομένων. *Succeſſerunt Kenæis Eſſeni in ſedibus ſuis in eremo Judæ ut* PLINIUS *lib.* V. c. 17. *&* SOLINUS cap. 38. *& ſucceſſerunt etiam iis in auſteritate vitæ, ut de iis teſtatur* JOSEPHUS *aliique* : *Et ſi* Eſſenum שלמאה Salamæum *dici permiſeris, ut dicti ſunt* Kenæi , *reddere potes verba Evangeliſtæ in hunc ſenſum*: Joannes erat baptizans in Aenon prope Eſſenum. *Et ſupponi poſſet Baptiſtam , ſicut fuerat inter duas ſectas Judæorum Phariſæos & Sadducæos , & nonnullos eorum baptizaverat, ſic jam ſe applicare ad tertiam ſectam, Eſſenos, ut & nonnullos eorum baptizet , ſed non determinamus* . Hæ quidem LIGHTFOOTI divinationes ſunt ſine fundamento certiore . Etenim *Kenitæ* [הקינים uti 1. Chronic. II. 55. in libris accuratis ſe inveniſſe Judæi teſtantur, non הקינים) in S. literis non ordinem peculiarem, non ſectam , ſed tantum diſtinctam familiam, hominum genus quoddam & gentem denotant . Vide hanc in rem plura apud JOSEPHUM SCALIGERUM loco antea laudato , HERMANN. VVITSIUM in ſingulari diſſertatione de Rechabitis §. 3. ſeq. JO. ANDREAM SCHMIDIUM in diſſertatione de Jethrone. Perperam igitur LIGHTFOOTUS Kenitas cum Eſſæis confundit , vel hos illi ſucceſſiſſe affirmat : nam cum illi ſint antiquiores multo , Eſſenorum origo arceſſenda eſt a temporibus Antiochi Epiphanis, cum plurimi ad loca deſerta fugerent, licet demum Hyrcano expreſſa eorum mentio fiat . De *Eſſenis* ſive *Eſſæis* conſulendi GUIL. CAVEUS in Prolegomenis ad vitas Apoſtolorum p. 119. JO. HENR. HOTTINGERUS in notis ad GOODVVINI Moſen & Aaronem p. 237. NICOLAUS FULLERUS in Miſcellan. Sacris lib. I. c. 3. lib. II. cap. 3. lib. IV. cap. 3. CAMPEGIUS VITRINGA in Hypotypoſi Hiſtoriæ & Chronologiæ Sacræ p. 142. SAMUEL PETITUS Var. Lect. cap. 21. & 28. JO. CHRISTOPH. HARENBERGIUS in uberiorib. cogitatis de Magis Judæis , qui ad Jeſulum ex Oriente acceſſerunt

runt

runt §. *6*. p. *6*. 71. P. IV. Volum. I. Musei Historico-philologico-Theologici Brem. JO. JOACH. LANGIUS in differt. de Essæis, HUMFREDUS PRIDEAUX & JAC. BASNAGIUS uterque in Historia Judæorum, PHILIP. JAC. HARTMANNUS in Cummentario de rebus gestis Christianorum sub Apostolis, ADRIANUS RELANDUS in Antiquitatibus Sacris Veterum Hebræorum delineatis P. II. cap. IX. §. 16. JO. SAUBERTUS P. I. de sacerdotio Hebræor. cap. 25. JOSEPHUS SCALIGER de emendat. temp. lib. VI. p. 539. ad EUSEBII. Chronicon p. 14. & in trihæresio cap. 29. aliique, qui data opera de Therapeutis PHILONIS disseruerunt, a me in utramque partem adducti in Commentario Philologico & Historico in JULIANI epistolam ad Arsacium p. 105. seq. Quod si autem nulla sit Essæorum in Novo Testamento mentio, nisi forte Paulum excipere velis, qui in Epistola * ad Coloss. II. 16. Essæos notare videtur, uti præter CAVEUM & HOTTINGERUM jam laudatos, ex nostris observat MARTINUS CHEMNITIUS P. IV. exam. Conc. Trident. p. 776. si inquam ante Paulum de Essæis altum est silentium, quis credet, Joannem Evangelistam per illud ἐγγὺς τοῦ Σαλεὶμ jam suo tempore Essenos, inter quos Joannes Baptista vixerit, intento quasi digito designasse? Vix certi aliquid in re obscura & parum prodita definietur, ut LIGHTFOOTUS ob rei difficultatem sibi non constare videatur, dum Ænonis situm ad lacum Asphaliten sive mare mortuum, LXX. Interpretes ad Josuæ XV. 62. secutus, in præsenti quærit, mox autem l. c. §. 5. mutata sententia, subdit hæc verba: *si Ænon fuerit locus, ubi Joannes ultimo baptizabat ante suam incarcerationem, tum quærenda est vel in* Galilæa *vel in* Peræa, *nam vel hic vel illic familiaritatem iniit ille cum Herode. Quamvis enim S. Lucas, de Herode loquens, memorat tantum* Galilæam *sub ejus Tetrarchia Lucæ III. 1. docet tamen* JOSEPHUS *quod ἐγένετο ὑπὸ τούτῳ* (Ἀντίπᾳ) ἥτε Περαία καὶ Γαλιλαία, sub eo erant & Peræa & Galilæa, *de bello lib. II. cap. 9. Atque in utra initiabis familiaritatem ejus cum Baptista? erat cum opinarer in Galilæa: at dum pensatius cogito de* Herodio (regia Herodis) *in Peræa, atque ejus vicinitate ad* Machærunta *carcerem Joannis, videri potest illud probabilius*. Confer eundem in Harmonia IV. Evangelistarum P. III. p. 446. Tom. I. Oper.

§. IV. Et tantum de LIGHTFOOTO, nunc mihi ad superiora redeundum est, ut, quia docui, LIGHTFOOTUM a veritate nimium quantum abesse, ea proferam de *Ænone*, quæ huc usque magno consensu doctorum hominum approbantur. Dum autem vocem Αἰνὼν cum cura excutimus, non possumus non observare, eam Syro & Arabe in binas esse dissectam; nam ille legit בעין יון *in fonte Jon*, hic ביעין נון *in fonte Nun*, uterque tamen dividit vocabulum contra consensionem Græcorum codicum. Vide CELLARIUM Tom. II. notitiæ orbis antiqui lib. III. cap. 13. pag. 520. Quid? quod res adhuc magnam habet dubitationem, veriorne sit Arabis an Syri lectio? Cum Arabe facit JO: HENRICUS MADERUS in Oratione de Lingua Arabica, ubi de *Aenone* hunc in modum disserit: *quæro abs te: ubi baptizavit Joannes juxta Salim?* in Aenon *respondebis: sed quid monstri hoc* Aenon? *ex Arabico textu* in fonte *qui vocatur* Nun. Multo adhuc confidentius loquitur ISAACUS CASAUBONUS Exercitat. XVI. adv. Baronium num. 25. p. 250. cujus hæc verba sunt: *Aenon apud Syrum & Arabem Interpretes scribitur* עין נון Hinnon: *perperam enim apud Syrum Paraphrasten jod scriptum est* per

* Operæ pretium fuerit subjungere verba JOSEPHI SCALIGERI in Elencho Trihæresii c. 27. p. 465. quia verba Pauli egregie illustrant. *Josephus*, inquit, *de formula jurisjurandi* (apud Essenos) *quod ἀπὸ τῶν ἐγχειρουμένων exigebatur: καὶ συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα & conservaturos se similiter sectæ suæ libros & Angelorum nomina. Ad quod allusit Apostolus ad Coloss. II.* 17. 18. *Omnia, quæ interdicit Apostolus, sunt Essenorum, θρησκεία ἀγγέλων, βρῶσις nimirum ἅλας μόνον καὶ ἄρτον, nimirum salem & panem tantum, πόσις nempe ὕδωρ aquam. Quod sequitur apud Apostolum ἐν μέρει ἑορτῆς, ubi τὸ μέρος significat tractatum, quod Perek aut Helek, id est, μέρος Talmudistis dicitur. Sequitur μήτις καταβραβευέτω ὑμᾶς id est, præripiat vobis jam partum palmarium.* Καταβραβεύειν *est προλαβεῖν τὸ βραβεῖον, προλαβεῖν τὸν κότινον præripere palmarium, præaccipere coronam.* Pausanias *Arcadicis de Arrichione: ὡς γὰρ δὴ πρὸς τὸν καταλειπόμενον ἔτι τῶν ἀνταγωνιστῶν ἐμάχετο ὑπὲρ τοῦ κοτίνου, ὁ μὲν προέλαβεν, ὅστις δὴ ὁ ἀνταγωνιζόμενος* &c. *cum autem cum uno adversariorum adhuc relicto pugnaret de oleastro, hic quidem præripuit, is autem, qui adversus pugnabat* &c. *Ideo recte a* Chrysostomo *omnium interpretum optimo exponitur: καταβραβευθῆναι γάρ ἐστιν, ὅταν παρ' ἑτέρων μὲν ἡ νίκη ᾖ, παρ' ἑτέρων δὲ τὸ βραβεῖον,* Katabrabeuthænai *enim est cum penes alium quidem est victoria, penes alium vero brabium sive palmarium. Rursus apud Apostolum, θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ id est, ἐθελοταπεινόφρων καὶ ἐθελόθρησκος voluntarie seu spontanee religiosus. Nam ἐθελοταπεινοφροσύνην καὶ ἐθελοθρησκείαν vocat ἀφειδίαν σώματος (Apheidia ad verbum sonat imparsimonia,* Erasm. *vertit* Coloss. II. 23. *læsio,* Ambr. *vexatio,* Arias *subductio,* Beza *in eo, quod non parcant corpori) ut ipse postea vocat, hoc est, μηδὲ γεύσῃ, μηδὲ θίγῃς neque gustaveris, neque tetigeris. Hoc est quod Hebræis dicitur* החמיר בעצמו *sibi sponte indixit austeritatem victus, quando quis studet* ברבית התורה *auctario legis, quod vocant supererogationem.* Θέλων *igitur apud Apostolum absolute ponitur tanquam nomen ἐθελοντὴς, ἑκουσιαζόμενος, ὁ ἑκουσιαζόμενος ἐν τῷ ἐπιμέτρῳ τοῦ νόμου* המתנדב ברבית התורה *voluntarius, sponte operam dans auctario legis. Quæ omnia plane sunt Essenica ut & ἀγγέλων ὀνόματα.*

per nun : Hin-ion *pro* Hin-non *quod apparet ex Arabica paraphrasi*: *neque assentiendum doctissimo interpreti* , *qui* , *non animadversa librarii menda* , *exponit Syriacam scripturam* , oculus columbæ : *at Hin-non* est oculus piscis. Idem dicit exsertis verbis ABRAHAMUS SCULTETUS lib. I. exercitation. Evangelicar. sed Syri partes suscipiunt LUDOV. de DIEV in animadversionib. in IV. Evangelia p. 413. & JO. ABRAH. KROMAYERUS in libellis duobus de usu linguæ Arabicæ in addiscenda Hebræa & explicanda Scriptura Sacra p. 65. *Neque enim veram modo* (ait de DIEV) *sed & rectissimam Syri lectionem esse arbitror* ; *si modo fides habenda mappæ terræ sanctæ* , *quæ ab ipsis Judæis Amstelodami nuper edita est* , *ubi prope Jordanem in finibus tribus Manasse* , *ubi ea tribui Issaschar est contermina*, *datur* שלם *&* *juxta eam* עין יון *quod Clar.* JUNIUS , in *notis ad versionem* TREMELLII , *recte meo judicio vertit* , fons columbi. De ipsa lectione Syri nihil attinet subjungi plura , vide LIGHTFOOTUM in disquisitione Chorographica Joanni præmissa cap. III. §. 4. quod vero ex doctorum hominum interpretatione Syri interpretis עין יון *fons columbi* dicitur , id vel ex Cantici V. 12. (ubi videre licet de hoc Salomonis loco BOCHARTUM P. II. Hierozoici lib. I. cap. II. p. 11. & Tomum nostrum II. der dunckelsten Schriftstellen des Alten Test. p. 129.) vel ex ipsius Joannis verbis constabit, cum dicit : *ὅτι ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ* , *quod ibi multa erat aqua.* Sed mitto de DIEV , ad KROMAYERUM quoque veniamus , necesse est : is enim , posteaquam MADERI verba illa paulo ante a nobis repetita in medium protulerat , addit : *probabiliter sane* . *Nam* I. *favet etymologia vocis* , *cum etiam Hebræis* עין fontem *notet* , *& in compositione* , *duobus* נ *concurrentibus* , *alterutrum excidat* . II *respondet historia Joannis Baptistæ* , *qui solitudines amans* , *vix unquam in urbe aut oppido aliquo baptizavit* . III *confirmat circumscriptio ista*: prope Salim, *quam rectius fonti convenire puto* , *quam urbi* , *cum situs urbis ab alia vix describatur* , *nisi illustriore aut nobiliore*. *Reticendum tamen non est*, *Syrum vertere* בעין יון in fonte Jon. *Nec pugnabimus* , *si quis Syriacam versionem* , *utpote antiquiorem sequi malit* : *Syrorum enim Jud & Arabum Nun facile permutari potuerunt* . Quod vero de voce Αἰνὼν cœptum est proludere; non incongruens erit, tum *de etymo vocis Aenon*, tum *de ipsius Aenonis situ* aliquid adnotare. Quod ad ipsam vocem *Aenon* attinet, AUG. CALMETUS judicat, si scribas *Ain-nom* (עיז--נעם Ain-Naum) *optimam quandam scaturiginem* indicari , JOANNES autem LIGHTFOOTUS in Harmonia IV. Evangelistarum P. III. p. 447. Tomo I. Operum , citius credit , *Aenon* esse nomen amplissimi, atque spatiosissimi campi vivarum aquarum, scaturiginibus abundantis, quam ullam particularem civitatem , oppidum , aut amnem. Uti *Sharon* latissimus fuit campus a שרה *demittere* , quia pecora ad pastum eo demittebantur , & *Libanon* montana regio ingentis spatii , erat לבן *albescere* , quia nives eam plerumque tegebant : ita videtur *Aenon* esse *campum fontium* a עין *fonte*. Atque idcirco verba illa, *ibi multæ aquæ fuerunt*, intelligi possunt etymologiam verbi *Aenon* dare. Joannes baptizabat *in Aenon*, *loco ita vocitato* , quia *ibi fuerunt multæ aquæ*. Invenimus mentionem loci *Abel Majim* sive *planitiei aquarum* partis *Galilææ* 2. Paral. XVI. 4. cui simile est illud 2. Paralip. XX. 26. *congregaverunt se in valle benedictionis*, *nam ibi benedixerunt Jehovæ*. Vallis hoc nomen sortita est ob benedictionem in ea peractam . Hactenus LIGHTFOOTUS , cui calculum addit HERM. WITSIUS Tom. II. Miscellaneor. exercit. XV. de vita Joannis Baptistæ observationibus historicis & criticis illustrata §. 86. p. 542. Aliam viam ingreditur ISEBRANDUS EILARDUS HARKENROTHIUS in dissertatione Choro-topographica de Aenon prope Salim §. 2. p. 349. Biblioth. Brem. classis 7. fascic. II. *nomen loci* , inquit , Αἰνὼν *Syrus* , עין יון , *Arabs* , עין נון , *Latini interpretes passim* Aenon *pingunt* , *cum quibus facit* HIERONYMUS *ex* EUSEBIO in Αἰνὼν , *cujus etymon mihi perinde est*, *unde quis derivet*, *sonum si quis attenderit*, *forte an mecum existimabit* , *esse compositum ex* עין fonte (*cujus orificium ad instar oculi quondam paratum novimus*, *sic* עין המים *Genes.* XVI. 7. *cum* ה *locali* XXIV. 16. 45.) *&* עאן עז, grex *ovium* , *ita significaret* fontem gregis , *vel si quis adeo mordaciter lectionem* Syri *interpretis*, *satis antiqui tenere velit*, *ipsi suggeret memoria* יון cænum , *seu* lutum fluidum *indigitare* , *quod aqua rapidiore acta flumine secum fert* : *omnino locum* fonte *irriguum*, *uno vel pluribus intendit*. Veniamus nunc ad *situm Aenonis* investigandum . *Aenon* autem *trans Jordanem* fuit in *Peræa* e regione τῦ Σαλεὶμ , quia Joannes & ante in Transjordaniana fuit Bethabara , ut ex evangelica historia notum est, & postea ibidem fuit, cum in vincula ab Herode conjiceretur , quia cis Jordanem præter Galilæam, nulla Antipæ fuit jurisdictio . HIERONYMUS in Lo-

cis

cis Hebraicis in Aenon: *Aenon juxta Salem, ubi baptizabat Joannes, ſicut in Evangelio* κατὰ Ἰωάννην *ſcriptum eſt, & oſtenditur uſque nunc locus in octavo lapide Scythopoleos ad meridiem juxta Salim & Jordanem*. Ut apparet, cis Jordanem HIERONYMUS Aenonem ponit, quod etiam JACOBUS BONFRERIUS ad illum adnotationibus obſervavit: nec ab HIERONYMO diſſentiunt Judæi in Mappa terræ ſanctæ Amſtelodami edita. Mitto NICOLAI SANSONII Abbavillæi tabulam Geographicam, quæ terram promiſſam ſive Judæam in ſuas tribus diviſam exhibet, AUGUSTINUM LUBINUM in tabulis & Obſervationibus Geographicis in annales Uſſerianos, HERM. WITSIUM Tom. II. Miſcellan. Sacror. exercit. XV. de vita Jo. Baptiſtæ obſervationib. hiſtor. & Crit. illuſtrata §. 68. p. 542. JO. LIGHTFOOTUM in diſquiſitione Chorographica Joanni præmiſſa cap. III. §. 5. & in Harmonia IV. Evangeliſtar. P. III. p. 446. Tomo I. Oper. inprimis autem HARKENROTHIUS, cum in diſſertatione illa Choro-topo-graphica de Aenon prope Salim, modeſte de hujus vero ſitu anquireret, eumque circa fines regionis Jiſſaſcharaticæ non ita procul Jardene & Nepthalitidos, quondam termino quærendum eſſe oſtenderet, tandem §. 7. *Aenon* non ſolum in tractu Cis-Jardenenſi & quidem in Galilæa inferiore ponit, ſed & ISAACUM CASAUBONUM, qui Exercit. XIII. adv. *Baronium* n. 25. pag. 249. *Aenon trans Jordanem* quæſierat, refellit. Verum, ſalva HIERONYMI aliorumque auctoritate, rationibus ante adlatis inducti cenſemus, Aenonem trans Jordanem fuiſſe e regione vero τῦ Σαλὲμ vici vel oppidi & proxime Jordanem, quia ὕδατα πολλὰ ἐκεῖ, *aquarum ibi copia* fuit. Nec alius locus baptizationis poſt illum memoratur, ut pronum plane ſit ad fidem, ibidem Joannem prehenſum ab Herode fuiſſe & in vincula conjectum. Si enim cis Jordanem fuiſſet Aenon, fuiſſet in Pilati provincia, quæ ad Galilæam uſque cis amnem protendebatur, ex qua captivum abducere, tetrarchæ Herodi non licuit. Id quod ex diviſione paterni regni inter filios regis Herodis manifeſtum apud JOSEPHUM eſt lib. XVII. Antiquit. Jud. cap. 13. Antipæ enim ἡ Περαία καὶ τὸ Γαλιλαῖον ὑπετέλει *trans amnem regio & Galilæa attributæ erant*: Archelao autem Ἰδουμαία τε καὶ Ἰουδαία τότε Σαμαρειτικὸν *Idumæa, Judæa, & Samaritana regio*. Jam vero quidquid Archelai fuerat, eodem in Galliam relegato, in formam provinciæ Romanæ, quæ contributa Syriæ eſſet, a procuratore autem Cæſaris adminiſtranda, redactum fuit. Vide CHRISTOPH. CELLARII diſſertationem de Joannis Baptiſtæ carcere & ſupplicio §. 7. Atque hæc cum ita ſe habeant, AUG. CALMETI verba apprime notatu digna ſunt: *il y aſſez d' apparence que ce lieu etoit de la Galilee & du Royaume d'Herode puiſqu' il y arretra Jean Baptiſte & qu' il le mit en priſon; ce qu' il n' auroit oſe faire dans la Judee dont Pilate etoit Gouverneur pour les Romains*.

§. V. Reliquum eſt, ut notemus BARONIUM & BEZAM in obſcuro & impedito hoc argumento ab recto & antiquo tramite aberrantes. Etenim BARONIUS Tom. I. ad A. C 31. n. 40. vult idem *Aenon* & *Aenan* eſſe, quia utramque vocem ſignificare fontem dicit HIERONYMUS, ſed HIERONYMUS, qui ex EUSEBII libro de locorum nominibus in ſacra ſcriptura ſua deſumit, duo loca ſitu ſeparata commemorat, quorum alteri nomen Aenan, alteri Aenon. Quid multa? vides, quantum erret BARONIUS, qui Aenan & Aenon putat ejuſdem loci eſſe nomina, cum Aenan fuerit prope Dioſpolin ſive Lyddam ab ea parte Jordanis, quæ reſpicit mare, Aenon vero vicina Scythopoli ad Jordanis alteram ripam ſita, non longe ab ipſo flumine fuerit remota. Confer ISAACUM CASAUBONUM exercit. XIII. adverſ. Baronium §. 25. Hanc vero litem, quæ inter BARONIUM & CASAUBONUM fuit, ita diſceptat JO: ERNEST. BUTHNERUS in inquiſitione in hiſtoriam Joannis filii Zachariæ cap. II. §. 8. ut largiatur Aenon & Aenan unum & idem eſſe: *ſi quis conſulerit*, inquit, DRUSIUM, *docebitur hæc*: Aenon ſive Αἰνὼν & o in a verſa ex dialecto Chaldaica αἰνὰν, locus erat prope Jordanem. *Nec male forſan hæc* DRUSIUS, *quem maxime juvat, quod Ezechiel nunc XLVIII. 1. vocat* עינן *quod antea XLVII. 17. dixit* עינון *ipſique LXX. verterunt* αἰνὰν, *quæ loca eſſe eadem, ne Carneadem quidem, qui tamen de omnibus dubitare ſolitus ſit, negare poſſe, recte autumat*. Sed cum quæritur, cur in Aenone dicantur fuiſſe ὕδατα πολλά; reſpondet BEZA hunc in modum: *non quod Jordanis ibi inundaret, ſed quod multi ibi rivi eſſent, quorum etiam in eo tractu circa Aroer fit mentio in libris Moſis*. Enimvero neſcio, quid viderit BEZA, cur hunc tractum collocarit circa Aroer, (Hebraice eſt ערער) quæ civitas erat procul ſatis ultra Jordanem ſita ad ipſum fluvium Arnon, ubi neque τῦ Σαλὲμ neque τῦ Αἰνὼν ulla

mentio

mentio. Loca fuerunt trans Jordanem juxta fluvium, rivis ex Jordane derivatis irrigua: imo fons in Aenon fuiſſe videtur unde nomen loco עין יון *fons columbi*. Confer de errore BEZÆ obſervationes LUDOVICI de DIEV iu animadverſionib. in IV. Evangelia p. 414. & JO: LIGHTFOOTI in diſquiſitione Chorographica Joanni præmiſſa cap. III. §. 6. Quamvis autem veteres Judæi crederent, aquam fontium puriorem, acrioris ad purgandum virtutis eſſe, adeoque luſtrationibus magis aptam, uti ex Zachariæ XIII. 1. & antiquis Judæorum monumentis colligere licet apud JO. ANDR. DANZIUM, in diſſertatione de baptiſmo initiationis Proſelytorum inter Hebræos ad illuſtrandum baptiſmum Joanneum p. 53. & THEODORUM DASSOUIUM in diſſertatione ad titulum Celim §. 34. ex illa tamen Judæorum indole nihil hauſit Joannes, cum vel pura aqua fontium, vel vivo flumine pœnitentiam agentes ablueret, & per baptiſmatis ritum initiaret. Ita quidem videtur JOANNI SPENCERO de legibus Hebræor. ritualibus lib. 3. diſſert. 3. cap. 1. p. 994. cum ait: *Poſt* aquam fontanam *Judæi munditiæ ſtudioſi ſecundas aquæ fluviali deferebant. Hinc Joannes Baptiſta* Jordanis fluenta *ad baptiſmum ſuum elegiſſe dicitur, quod ſcilicet illa purgationi magis accommedata cenſerentur*: enim vero SPENCERUS ea comminiſcitur, quorum vel meminiſſe pigeat. Jam olim JOSEPHUS ad eundem impegit ſcopulum: neque enim intellexit Judæus homo vim baptiſmatis Joannei, utcunque de Joannis virtute & pietate non inepte ſenſerit. Videtur enim lib. XVIII. antiquit. Judaic. cap. 7. *ad corporis puritatem* ἁγνείαν τȣ͂ σώματος baptiſmum Joannis referre, quo ipſo vix aliud, quam quod pagani etiam ſenſerunt, ex tanto myſterio percepiſſe putandus eſt. Vide CHRISTOPHOR. CELLARIUM in diſſertatione de Joanne Baptiſta §. 5. & mecum SPENCERO oppone verba illa LACTANTII inſtitut. divinar. lib. V. c. 19. Paganos alloquentis: *illi infelices nec ex ſceleribus ſuis intelligunt, quam malum ſit, quod colunt, quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi autem laverint, tanquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Quanto ſatius eſt, mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus ſordatur, & uno virtutis ac fidei lavacro univerſa vitia depellere? quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac ſordidum corpus gerat, ſatis purus eſt.* An vero myſteria ſint quærenda in eo, quod Joannes quoque Aenone baptizavit, altera illa ſede, quæ Bethabara fuerat, mutata, alii videant, quibus majus eſt otium, quibusve placet pergere atque inſiſtere J. C. KIRCHMEIERI veſtigiis, qui in ſelectarum diſputat. Theologicar. manipulo, diſſertat. 5. miniſterium Jo: Baptiſtæ ejuſque in ſuis circumſtantiis myſteria expoſuit. Certe in eo quod *Joannes vel cis vel trans Jordanem baptizaverit*, magna quærit myſteria BERNARDUS LAMYUS in apparatu Geographico cap. 7. §. 3. p. 296. cujus verba excerpſimus Tomo noſtro II. der Erorterung der dunckelſten Schriftſtellen des N. T. p. 64. ſeq.

§. VI. Sed quoniam hic textus plerumque affertur ad probandam *immerſionis in baptiſmo neceſſitatem*, quaſi Joannes baptizare non potuerit ſine magna aquæ copia quædam utique adhuc ſubjungenda erunt. Baptiſmus Judæorum per immerſionem fieri ſolebat, vide inter alios JO. LIGHTFOOTUM in Harmonia IV. Evangeliſtarum P. III. p. 448. Tom. I. Operum, & JO. ANDR. DANZIUM in diſſertatione de baptiſmo initiationis Proſelytorum inter Hebræos ad illuſtrandum baptiſmum Joanneum. Ceterum quæſtio eſt, quo uſque mos baptizandi in N. T. Judæorum praxi conformis fuerit. Sunt in eo quidam loci, in quibus magna videtur fuiſſe inter hunc & illum congruentia Matth. III. 6. 16. Actor. VIII. 38. & verba, quæ in manibus habemus: *Joannes baptizabat in Aenon, quoniam ibi fuerunt multæ aquæ*. Sed & ſunt loci nonnulli, circumſtantiæque, ex quibus colligi poteſt, hunc morem baptizandi Eccleſiam per omnes retro ſucceſſiones neutiquam obligare, nec multum referre, utrum adſpergendo an immergendo fiat; ac proinde non requiri abſolutam utrobique Judæorum & Chriſtianorum in baptiſmatis ceremonia conformitatem. Exempli cauſa I. ſi Paulus intra domum baptizaretur, uti videtur ex Actor. IX. 17. 18. aut ſi ulli alii ſub tecto aut in Synagogis baptizarentur, in quem finem videatur Actor. X. 47. 48. ſecundum Judæorum morem baptizari non potuerunt, quia diſertis & expreſſis verbis illis prohibitum eſt, in vaſe quenquam immergere. II. Immerſio fuit apud Judæos antiqua conſuetudo, quam ſi in baptizando tenebant Apoſtoli & Diſcipuli, id judicio LIGHTFOOTI l. c. p. 449. inde fuit, quod inter Judæos facti ſunt Judæi [quod Paulus de ſeipſo dicit] ut Judæos lucrifacerent. Quamvis igitur in tanta literarum luce, præter viros eruditos, quos nomi-

navi Tomo I. Opuſculor. noſtror. ſacror. p. 722. CL. SALMASIUS in apparatu ad libros de primatu Papæ p. 192. & CAROLUS MARIA du VEIL in Commentario in Acta Apoſtolorum, immerſionis neceſſitatem in baptiſmo defendant, urgeantque; SALMASIUM tamen DANZIUS in laudata antea diſſertatione, VEILIUM autem confutavit THOMAS ITTIGIUS in Oratione inaugurali Prof. Theol. Ordinariæ, præmiſſa de remediis RICHARDO SIMONIO ad tranquillandas eorum conſcientias adhibitis, qui in Gallia ad Romana ſacra amplectenda compulſi de privatione S. Calicis anguntur. Ceterum confer de hac tota controverſia G. G. ZELTNERUM in commentatione, cui titulus: Merſio in Baptiſmo Apoſtolica, ut ſit larga perfuſione inſtauranda, & JO. FRANC. BUDDEUM in inſtitutionib. Theologiæ Dogmaticis lib. V. cap. I. §. 5. p. 1052. ſeq. quemadmodum enim hi Duumviri mediam viam tenent, accurate expendentes, quid in utramque dicatur partem; ita in aquæ baptiſmo nonnunquam uterque & immerſionis & affuſionis ritus conjunctus fuit, ut teſtatur antiquum monumentum, quod itineri ſuo Italico JO. MABILLONIUS inſeruit, & JO. CIAMPINUS commentario ſuo illuſtravit. Nec prætermittendus hic erit JO. HENR. WEDDERKAMPII liber ſingularis de baptiſteriis veterum.





PETRI ZORNII

LIBER SINGULARIS

De Historia & antiquitatibus Urbis quondam in Ægypto superiori longe celeberrimæ נוא--אמון *seu* נוא--המון *sive* נא, *id est Thebarum sive* ΔΙΟΣΠΟΛΕΩΣ *majoris ad illustrationem Jerem. XLVI. 25. Ezech. XXX. 15. & Nahumi III. 8. 9. 10.*

Lectori Salutem.

HIc liber quisquis es B. L. se totum ad utilitates tuas porrigit, atque explicat. Quod si enim *Sulpicius* ille apud *Ciceronem* epist. L. IV. epist. 5. ab Ægina Megaram versus navigans, & circum circa oppida prostrata, & diruta prospiciens, affirmavit *tot oppidorum projecta cadavera* sibi fragilitatis humanæ documenta fuisse, dignior utique res fuerit spectaculo, urbis *No Amon* cineres, & fugitiva vetustatis videre vestigia. Hic quidem subsistunt gentes, quæ ut verbis *utar Lactantii* lib. V. Institut. p. 590. somniaverant Deum, non cognoverant. Sed vos, quos Deus vera sui cognitione afflavit, miserandas illas urbium, & regnorum conversiones, illos præcipites casus ad justam divini arbitrii lancem exigere oportet. Bene Illustris, & Generos. Baro Wenceslaus Budovvitz a Budovva in Smetzitz *Abrahami Bucholceri* præfixo dicti *Bucholceri* Indici Chronologico *adducit*, inquit, *& lapidea monumenta, & ruinas magnarum urbium, quæ ceu lapidei testes, ipsa etiam lapidea corda* (ne dum *Spiritu Sancto regenerata*) *commoveant necesse est: qualia monumenta nonnulla etiam ipsemet ego in Oriente, Dei beneficio conspexi. Cernuntur enim ad hodiernum diem Babylonis, Trojæ, & Carthaginis ruinæ, & terræ sanctæ, & in Ægypto rudera visuntur cavernarum Josephi, quas Turcæ Isuff Beg Hambari vocant. Has autem mutationes, & ruinas Ecclesiæ, & mundi non casu, sed ob peccata eorum, & arcanis Dei judiciis, præmissis primo longe antea per Prophetas certis prædictionibus accidisse, pulcherrime autor docet, & lectorem ad adhibendam fidem venturis Dei prædictionibus nondum impletis, sed certo implendis, & collatione jam impletarum mirifice hortatur.* Quamvis enim Deus futuri temporis exitum caliginosa nocte premat, divini tamen vates in supremi Numinis sacrario, omnium seculorum scrinia inspectantes, ventura respondent, futura intelligunt. Atque ego certum habeo vel inde *Petrum Petitum*, *Bened. Spinozam*, aliosque redargui posse cum affirmant, Prophetas, homines natura tristes, vita quoque, & moribus difficiles, aut incultos minas jactare, & ubicumque libitum fuerit, pericula intendere. Enim vero si melancholicos semper aliquid præsagiens, & divinum in animis habuisse censent; si vates atra bile percitos oracula illa cecinisse volunt, meminerint, quod in unam sententiam tot vatum congruens

gruens divinatio doceat, non fuisse furiosos. Sic est: impleta esse, implerique quotidie illorum vaticinia videmus. Ecquis autem mentis emotæ non modo futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit? Vide *Lactantium* lib. I. p. 27. Certe nemo non perspicit, Prophetarum res ita esse comparatas, ut earum implementum in historia quærendum sit, quia veritatis demonstratio sine historiæ subsidio non est perfecta, imo nulla prorsus, si fallat eventus. Quare si veteres recte dixerunt, *historiam esse lumen temporum*, recte ego quoque dixerim, eandem *lumen Prophetiæ* esse. Est vero quod Deo summo persolvamus gratias, quod studium historicum post renatas literas ab egregiis viris excultum sit insigni cum profectu, atque etiamnum ætate hac nostra excolatur, quo factum ut pericopis quibusdam Propheticis, in quibus de fatis *Ægyptiorum*, *Assyriorum*, *Tyriorum*, aliarumque gentium agitur, multo nunc major lux accesserit, quam majoribus nostris affulserit. Merentur hic præter ceteros *Scaliger*, *Usserius*, *Conringius*, *Pezronus*, *Marshamus*, *Vitringa*, *Vorstius*, *Calmetus* [2], *Isaacus Nevvtonus* [3], *Rollinus*, aliique quos per longam quasi seriem indicavimus in Prolegomenis nostris ad *Hecatæi Abderitæ* Eclogas, & fragmenta de historia, & antiquitatibus sacris veterum Hebræorum p. 10. cum singulari laude appellati. Et vel sic tamen post tantam eruditionis messem spicilegiis opus erit, quod vel præsens hæc te docebit dissertatio. At enim quæres, cur apud divinos viros fata Judæorum, & gentium eum in modum cohæreant, ut altera pendeant ab alteris, & quod rectius dicitur doctissimorum virorum judicio, Judæorum fata gentium quoque secum trahant? Non enim est virorum Doctorum de hac quæstione sententia, quamvis omnes consentiant istiusmodi vaticiniorum lectionem ad Ecclesiæ insignem fructum redundare. [4] Alii existimant gentes, quibus deerant veræ rerum futurarum præsensiones [5] inde colligere potuisse, quod Deus Israelis, cujus instinctu afflatuque Prophetæ futura prædixerant, verus sit Deus, unicusque. [6] Nonnulli judicant hæc vaticinia, quæ ad gentes spectant, cum signis prognosticis, quæ Christum aliquando venturum antecederent, conjungenda esse; [7] pars putant, veritatem & divinitatem literarum sacrarum quam optime sibi constare, si divinis prædictionibus ubivis cum historia profanarum gentium conveniat. Omnia hæc non invita veritate, *de Historiæ sacræ, & profanæ in interpretandis vaticiniis conjunctione* dicuntur; Etenim, ut cum Poeta nunc loquar, *alterius sic altera poscit opera, & conjurat amice*. Documento certe indicioque *hæc præsens nostra dissertatio* erit, in qua ut nunc certum quiddam & breve exempli causa ponamus, *Historia Regum Ægypti*, sive illi *advenæ inde ex Æthiopia*, sive *indigenæ* fuerint, *Historiam Regum Israel & Judæ*, partim illustrat, partim etiam *vaticiniis*, quæ ad tantorum imperiorum conversiones, & præcipites casus pertinent, clarissimum quoddam lumen præfert. Et de *Regibus* quidem *Ægypti peregrinis* illis advenisque, quos *Chuschæos* nominamus, audiamus *Paulum Pezronum* dans l'Antiquitè des Tems retabilie c. IX. p. 88. Posteaquam enim observarat, *Cuschæos ductu auspiciisque Regis sui Sabbaconis*, & irruptionem fecisse in *Ægyptum*, & idem regnum prospero eventu occupasse, brevissime deinde, & per summa tantummodo capita hac de re disserit. *Ce desordre ne nous a point derobe la connoissance des Tems; car cet Arabe s'empara de L' Egypte, & y etablit sa tyrannie vers les dernieres annees du Roy* Joatham [2. Reg. XVII. 4.] *qui commandoit en Jerusalem environ* 742. *ans devant Jesus Christ. Apres qu' il se fut retire en Arabie, son fils* Su'ee *ov* Suee, *qu' il est marque' dans l' Ecriture, mais que les interpretes n' ont gueres connù, regna en Egypte du tems* d'Achaz *Roy de Juda, & d'* Osee *Roy de Samarie, qui se lingua avec luy contre* Salmanassar. Taracha *succeda a* Suè, *& fut non seulament contemporain, mais meme confederè du S. Roy* Ezechias, *qui apprehendoit la puissance formidable de* Sennacherib. 2. Reg. XVIII. 21. XIX. 9. Tot res brevius non potuit dicere *Pezronus*. Quamquam autem multa sunt, quæ illo tempore præsentem Ægypti statum intellectu difficilem reddunt, nam Ægyptiorum Reges diversos diversi tradiderunt scriptores, inter eos tamen omnes Sabbacon Æthiops, ab omnibus agnoscitur, uti vel præsens comparatio nos docebit

Herodotus lib. 2. c. 135.	Diodorus Siculus l. 1. p. 41.	Dynastiæ Africani
Assychis		Dynast. Regum Annorum
Anysis cœcus		XXI. Tanitarum VII. 30.
qui fugit Sabbaconem	Bochoris	XXII. Bubastitar. IX. 120.
Sabacos Æthiops		XXIII. Tanitarum IV. 89.
Anysis iterum	Sabacon Æthiops	XXIV. Bochoris Saita. 6.
Sethon Vulcani sacerdos.		XXV. Æthiopum III.
		1. Sabbacon. 8.
XII. Reges	XII. Reges	2. Sevechus. 14.
Psammitichus	Psammitichus.	3. Tarchus. 18.
		XXVI. Saitarum. IX.
		1. Stephanites. 7.
		2. Necepsos. 6.
		3. Nechao. 8.
		4. Psammitichus. 6.

In hanc comparationem Scriptorum veterum observationes suas *Jo. Marshamus* edidit in Can. Chron. sec. XVI. p. 471. nobis satis erit, hanc comparationem exempli causa præmisisse, maxime cum uberior *Historiæ Ægyptiacæ deductio* in ipsa dissertatione subsequatur.

Sed manum nunc de tabula tollemus, ne te per longa exorsa diutius justo moremur. Tu vero B. L. vale, & si Deus vitam viresque concesserit, ejusdem notæ dissertationes a nobis expecta. Vale.

[1] Confer Tomum I. Opusculorum nostrorum sacrorum p. 121. & prolegomena nostra ad *Hecatæi Abderitæ* Eclogas, & fragmenta p. 13.

[2] In dissertatione cui titulus. *Precis de l' histoire prophane d'Orient, de puis Salomon, jusqu' apres la captivite de Babylone pour servir d' eclaircissement a l' histoire des Hebreux marquee dans les Prophetes.*

[3] *Chronology of autient Kingdoms* amendet; containing the History and Chronology of the several states of empires of the *Greeks*, *Egyptians*, *Assyrians*, *Babylonians*, *Medes*, *and Persians* deducte from sacred ande prophane history.

[4] Dans l' Histoire ancienne des Egyptiens, des Cartaginois, des Assyriens, des Babyloniens, des Medes, & des Perses, des Macedoniens, des Grecs.

[5] Pascalii verba repetuntur a J. A. *Fabricio* in Syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Christianæ asseruerunt p. 582.

[6] *Manetho* apud *Josephum* lib. I. contra Apionem tradit de Rege quodam Ægyptiorum, ὅτι πεϱιόπτυς εἰς θεοὺς ἐγένετο, quod Deorum consuetudine usus, ea ceteris essari potuerit, quæ divino beneficio solus vidisset. *Amenophi* quoque votorum summa fuit, τῶν θεῶν γένεσαι θεάτην, ut nunc taceam *Chæremonem*, qui apud *Porphyrium* lib. de abstinentia de prophetis Ægyptiorum satis & abundanter loquitur. Confer. *Jo. Georgii Schelbornii* animadversiones in quædam Novi Foederis loca paragr. 3. in Bibl. Brem. classis V. fascic. 5. pag. 861. Ceterum *Ægyptiorum sapientes* omnes fere vocantur *prophetæ* sine adjectione, uti eam in rem *Epiphanium* adversus hæres. *Hornium* in hist. Phil. & *Borrichium* contra *Conrnigium* ut testes laudat *Galeus* in notis ad *Jamblichum* p. 187. De *Epiphanii* quoque loco vide *Spencerum* lib. III. differt. 9. c. 6. sect. 2. p. 1397. Enim vero, quicquid id est, quod Ægyptii cum aliis gentibus vaticinia sua ostentant, venditantque, id pro nihilo habendum erit. Confer apud *Vitringam* p. II. p. 415. anacrisin, & pensitationem argumenti Esaiani, quo pugnat pro veritate Dei Israelis ex prophetiis & speciatim ex prædictione Cyri ut liberatoris populi Dei.

[7] Vide Esa. XLIII. 12. 9. XLVI. 10. 6.

[6] Confer *Vitringam* in Typo doctrinæ Propheticæ cap. 6. p. 139.

CAPUT PRIMUM.

De urbis Amon-No, vel No-Amon nomine, ejusque nominis significatione, & prima origine.

I. JAmpridem inter eruditos cœptum & quæri, cur *Ægyptus* potius dicatur *terra Chami*, quam Arabia, Phœnicia, Æthiopia, Lybia, aliæque terræ, quas progenies Chami occupaverat. Nihil occurrit, nisi quod ipse Chamus in Ægypto, quæ ubertate agrorum, & varietate fructuum omnibus terris antecellebat, sedem & domicilium fixerit. [1] Defunctum Chamum exinde divinis honoribus cumulandum censuere posteri adjecto, ne quid augendæ religioni deesset, *Jovis Ham*, seu *Hammonis* nomine. Vide *Nic. Fullerum* Miscellaneor. Sacror. lib. II. cap. 4. ut nunc alios ommittam. Nimirum Ægyptii, ut mollirent sonum literæ inflatum, & gravius anhelatum, eundem Ἀμμοῦν vel Ἀμοῦν dicere maluerunt. *Herodotus* in Euterpe Ἀμμοῦν γὰρ Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία; *Ammonem enim Ægyptii Jovem vocarunt*. Sic & *Plutarchus* in Iside; ὅτι δὲ τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι Ἀμοῦν, ὃ παράγοντες ἡμεῖς Ἄμμωνα λέγομεν. Insuper autem cum plerique sentiant proprium apud Ægyptios Jovis nomen esse Ammon, quod Hammonem dicimus, vocabulo inde deducto. Ab *Aristotele* scribitur Ἀμμοῦς teste *Hesychio*, ab He-

ab Hebræis אמון Amon, & המון Hamon, quod perinde eſt, dummodo ſuis quæque literæ enuncientur ſonis. Ceterum de *gentiliſmo Chami* conferatur *Giſbertus Voetius* diſp. ſelect. P. II. de gentil. & vocat. gent. p. 595. & *Hugo Robinſonus* in annal. Mundi lib. II. quos teſtes adducit C. S. *Schurzfleiſchius* in diſſert. de Aſſyrio-Caldæorum primordiis §. 27.

II. De illo *Amone* vel *Hamone* ſacræ literæ ſemel, iterum & tertio mentionem faciunt, quamvis interpretes vulgo recepti divina oracula ne per tranſennam quidem, quod dici ſolet, adſpiciant. Jerem. XLVI. Dixit Dominus exercituum, ecce ego animadvertam in אמון דנא Amon de No, & Pharaonem, & Ægyptum, & Deos ejus, & Reges ejus. Hic *Amon* de No eſt *Deus* Amon, cujus delubrum in urbe *No* ſanctiſſimis religionibus conſecratum, in cauſa fuit, cur urbs illa compoſito nomine *Hamon No* המון נא Ezech. XXX. 15., & apud Nahumum III. 8. נא אמון *No Amon* diceretur. Hæc mea eſt, & doctiſſimorum virorum ratio, ſunt tamen, qui in his locis המון vel המון modo tumultum, modo nutricium, modo nomen Regis Ægypti, deſignari volunt[2], ſed iidem ſecus nobis, quam res eſt, ſentire videntur. Quid multa? ipſum nomen Jovis ab Ægyptiis *Amon* dicti, vel *Hamon* aut hic, aut nuſquam in ſacris literis conſpicitur, ſiquidem LXX. Ezech. XXX. 17. 16. utroque verſu *No* verterunt Διόσπολιν *Jovis civitatem*.

III. Quamvis autem urbs illa inde a priſcis ſeculis conditorum ſuorum fama inclyta fuerit, *prima* tamen *origo* ejus propter ultimam vetuſtatem obſcura velut ex magno temporum intervallo vix cernitur. Equidem ego circumſpectis rationibus, quæ huc inprimis facere videntur, ita ſentio, atque ſic animum induco meum: Chamum ejuſque poſteros cum verum Dei cultum perdidiſſent, patriam ſedem reliquiſſe, & ſibi fertiliſſimam illam terram, quam Nilus alluit, vindicaſſe, tum præterea Ægyptum in varias Dynaſtias diviſam, reges habuiſſe, qui primi omnium, reliquos Orientis regulos opibus & potentia ſuperaverint. Videantur ea de re *Herodotus*, *Diodorus*, & qui antiquitates Ægyptiacas diligentiſſime inveſtigarunt, *Jo. Marſhamus* in Canone Chronico, *Paulus Pezronus* in antiquitate temporum reſtituta cap. 15. p. *169*. *Jacobus Perizonius* in originibus Ægyptiacis, *Campegius Vitringa* in notitia Ægypti, quæ inſerta legitur ejuſdem part. I. comment. in Eſaiam pag. 135. *Nicolaus Abramus* in Pharo Veteris Teſtamenti, *Herm. Conringius* apud *Grævium* in Syntagmate variar. diſſertationum rariorum, *Petrus Alixius* loco paulo ante laudato, *Iſaacus Voſſius* in diſſertatione de ætate Mundi, & *Chriſtoph. Cellarius* in hiſtoria antiqua p. 168. Hæc quidem generatim, & univerſe de prima urbis origine dixiſſe ſufficiat, erunt tamen forte, qui urbis antiquitatem, paulo altius arceſſendam cenſebunt, ad ipſum urbis nomen reſpicientes. Quamvis enim urbs hæc Nahumi III. 8. נוא-אמון vel Ezech. XXX. 15. המון-נוא *ſedes*, *manſio*, *urbs Ammonis*, vel *Hammonis* dicatur, frequentius tamen ſimpliciter *No* נוא Ezech. XXX. 14. *16*. appellatur, quod Hebraice eſt נוא *Nave*, *habitaculum* per excellentiam, quia *maxima Jovis & imperii ſedes*. Unde Græci ἄςυ, Romani *urbs* de primaria reipublicæ metropoli, per ἀντονομαςίαν imitando videntur uſurpaſſe. Hæc *Jac. Triglandius* in conjectaneis ad quædam obſcura fragmenta de Dodone loca cap. III. §. 2. Atque ita omnino ſe res habet נו eſt ex נוה habitaculum, & quamvis vox *Nave* in ſacris literis caulam plerumque ſignificet[3] eadem tamen generatim accepta, quamlibet commodam deſignat manſionem, ſive de hominibus, ſive de pecudibus ſermo inſtituatur. Eſaiæ XXVII. 10. Deus Babyloni excidium minatur hæc ſubjungens verba נוה משולח ונעזב, Vertit *Trenellius*; *Caula disjecta*, *& derelicta inſtar deſerti*. Recte quidem, & ad hunc locum accommodate, quia Propheta innuit horrida illa teſqua, quæ commodam adhuc ovium manſionem deformarent, & inquinarent, ut judice *Coccejo* in Lexico נוה, & מדבר adverſa quaſi fronte componantur: At ſubſcribere noluit *Vitringa*, quia clariſſime patet agi de urbe quadam munitiſſima, hoc eſt, Babylone, quæ compaſcuus tandem ager foret, arce, munimentis, & prætoriis, quæ omnium domos & laxitate & dignitate ſuperaverant, ad ſolum dirutis. Igitur vox נוה hic accipienda eſt de manſione commoda Regis, principum, & procerum Babyloniorum, aut ut rectius dicam, de prætoriis cœlo certantibus de fororum, baſilicarum, porticuum, circorum, & aquæductuum multitudine. Ut ut erit) liberum enim cuivis de interpretatione *Vitringæ* vel damnanda, vel tuenda judicium eſto (ejus tamen ſignificationis reliquias in voce נינוה *Ninive*, & *No Amon* habemus, נינוה dici putatur נין נוה *Nin-nave*, h. e. totidem verbis manſio commoda, & ampla Nini, domus ejus, aula, & ſi mavis, palatium; conſimili ratione No-Amon regia ſedes Chami dicitur, deſcriptione ædificiorum, & pulchritudine inprimis nobilis. Ut rem compendii faciam; ſatis cla-

rum

rum est urbem No-Amon antiquissimam fuisse, ut rudi illa ætate tantæ amplitudinis fuisse, quantum postea habuit, aut eisdem admirandis rebus ornatam, quibus postea inclaruit, nemo facile historiarum peritis persuaserit. Utrum vero Osiris an *rex alius longe recentior condiderit Thebas Ægyptias* centum portis inclytas, nec inter Ægyptios satis convenit; at in eo consentiunt, ædificasse eum *Templum patri suo Jovi Hammoni*. De utroque autor *Diodorus Siculus* apud *Gerb. Jo. Vossium* lib. 1. de origine, & progressu Idololat. c. 27. p. 199.

[1] Vide Psalm. LXXVIII. 11. CV. 23. 27. CVI. 21. 22. Inde etiam est, quod illi Arabes, quorum pascua invadunt Simonitæ I. Paral. IV. 40. dicuntur esse מן חם e Chami stirpe, inde est quod *Plutarcho* in Iside Ægyptus χημία appellatur, ut ne dicam de quorundam Nomorum Ægypti vocabulis Chemnis, Psochemmis, Psittachemmis, quæ haud dubie ad nomen Chami alludunt. Confer præter *Vossium*, *Bochartum*, etiam *Paulum Pezronum* dans l' antiquite des tems retabilie cap. 13. p. 176. *Ægidium Strauchium* in dissertatione historico-theologica de terminis infestis, seu titulis adversariorum fidei Ecclesiasticis, præsertim infidelium, & Paganorum paragr. 9. *Petrum Allixium* dans les reflexions sur le cinque livres de Moyse pour etablir la verite de la religion Chretienne c. 19. p. 84. *Renaudotum* dans le seconde memoire sur l' origine des lettres Grecques (legitur autem tomo II. des memoires de literature tirez des Registres de l' Academie Royale des inscriptions, & des belles lettres.) Io. *Marshamum* in Canone Chronico sec. 1. pag. 23. *H. Grotium* lib. 1. de veritate relig. Christ. paragr. 16. *Nicolaum Fullerum* Miscellan. Sacr. lib. 11. c. 4. *Edmundum Dickinsonium* in Delphis Phœnicizantibus c. 4. p. 41. & in diatriba de Noæ in Italiam adventu, ejusque nominibus ethnicis, *Theodorum Hasæum* in disserratione ad Esaiæ VIII. 20. parag. 10. (quæ exstat Tomo XIII. de l' Histoire Critique de la Republiche des lettres tant ancienne que moderne pag. 29. seq.) *Salom. Deylingium* P. 11. observat. Sacr. p. 59. *Augustinum Calmetum* Tomo I. Dictionaire Historique, Critique, Chronologique, Geographique, & Literal de la Bible p. 195. A. *Guil. Hillium* in commentario ad *Dionysium Periegeten*, p. 58. *Petrum Jurieu* dans l' Histoire Critique des Dogmes & des cultes bons & mauvais qui ont ete dans l'Eglise depuis Adam jusq'a Jesu Christ. P. 111. cap. 8. p. 533. *Ortelium* in thesauro ad vocem Ægyptus ad Chemnis, *Jo. van der Wayen* in differt. qua *Jo. Spenceri* differt. de hirco Azazel excutit paragr. 120. Tanto autem lubentius hunc *autorum consensum* colligere juvat, quanto certius inde liquet, *Ægyptios non solum magnam antiquitatis famam* apud quascunque gentes esse consecutos, sed & Phil. Coupletium falli, quando in memoriali declarat, ad Confucium, sive ad scientiam Sinensium paragr. 5. p. 74. Ægyptios a Semo Noachi filio Ortum & originem suam traxisse contendit. Vide *Justum Martinum Glasenerum* in diatriba de Dracone Isingni Regum Ægyptiorum paragr. 1. p. 975. Bibliothecæ Brem. Classis 7. fascic. 6. & *de Larrey* dans l'Histoire des Sept Sages p. 397.

[2] Luth. vertit den Regenten Zu No, die Stadt No der Regenten, die Menge Zu No: quam vero aliena omnia? Neque enim *Glassius* in Rhetorica S. Tractat. 1. c. 9. paragr. 5. p. 206. Versioni vulgo receptæ calculum suum addere sustinet, quamvis *Melchior Guilandinus* No-Amon a notione *multitudinis* denominari velit in commentario de papyro p. 157. *Jacobus Gussetius* autem in commentario L. H. p. 77. Jerem. XLVI. 24. *alumnum de No* intelligat.

[3] נוהים est Ezech. XXXIV. 14. & נוים Jerem. XXIII. 3. e fœmineum נוא Sophon. 11. 6. Vide plura apud *Bochartum* P. I. Hierozoici lib. 11. c. 44. p. 468. *Jac. Gussetium* in commentar. L. H. p. 20. & 500. Ceterum nemini mirum videatur, si *No-Amon* de *mansione Chami* interpretamur. Etenim urbs illa in *Thebaide*, quam *Diodorus Siculus* in Biblioth. Hist. lib. 1. ab incolis χέμμιν *Chemmin* appellatam esse observat, nihil aliud sonat quam *Chami mansionem*, sive *tabernaculum*; est enim uti observat *Edmundus Ditkinsonus* in Delphis Phoenicizantibus cap. 4. p. 41. *myn* apud Ægyptios *mansio*, sive tabernaculum.

[4] Vide *Gerb. Jo. Vossium* de origine & progressu Idololatriæ lib. 1. c. 32. p. 239. *Bochartum* in Phaleg. lib. IV. c. 20. pag. 28. *Vitringam* P. II. comment. in Esajam p. 29. *Jo. Drusium*, *Jurieu* dans l' Histoire des Dogmes, & des Cultes de l' Eglise P. III. c. 6. p. 654. & *Calmetum* Tomo I. lexici Biblici p. 64. *Jo. Clericum* in notis ad Genes. VI. 14. *Humfredum Prideaux* dans l'Histoire des Juifs, & des Peuples Voisins Tom. I. p. 40. *Paulum Pezronum* dans l'antiquite des tems retabilie c. 13. p. 19. *Jac. Triglandium* in conjectaneis ad quædam obscura fragmenti de Dodone loca; Ante alios autem fas fuerit audire *Vitringam* lib. I. observat. Sacr. diss. 1. c. 6. pag. 74. *Vestigium*, inquit, *evidentissimum* dialecti Hebrææ a Chami posteris in Ægyptum illatæ, & *in ea aliquandiu* conservatæ *habemus in nomine prisco*, *quo appellatæ sunt* Thebæ Ægyptiæ נא אמון No-Amon *apud Nahumum & Jeremiam*; *Est enim vera vocis interpretatio urbs Hammonis*. *Nempe* נא *debebat plene scribi* נוא & נוא *eadem vox est quæ* נוה *mutatis inter se gutturalibus* א & ה, *quod frequens est usus*. *Est autem* נוה *locus Hebræis habitationi aut commorationi commodus*, locus habitationis. אמון Amon *est* Ammon *sive* חם *litera* ה *lenius enunciata*. *Veteribus* Jupiter Hammon. *Ite plane ut* בינוה *est urbs* Nini, habitatio Nini; *Vox eadem & vetus*. Hactenus *Vitringa*, cui subjungere operæ pretium fuerit verba viri doctissimi *Pauli Ernesti Janbloskii* in dissertatione de Remphan Ægyptiorum Deo ab Israelitis in deserto culto, nunc ex lingua & antiquitate Ægyptiaca eruto, & illustrato. Posteaquam enim, p. 21. aliquot exemplis demonstraverat LXX. *Interpretes*, qui in *Ægypto* scribebant, quique rerum, & antiquitatum illius regni se non imperitos ostendunt, *in explicandis*, *& transferendis nominibus Ægyptiacis* solito fuisse diligentiores, hæc addit pag. 23. *Thebaidis sive* Ægypti superioris urbs *fuit* præcipua, *quam Sacri Scriptores* נא אמון No-Ammon *appellant* *Jerem.* XLVI. 25. *Ezech.* XXX. 15. *Nahum.* III. 18. *Mirari satis non possum* Hieronymum *quondam & post eum interpretes recentiores haud paucos*, *qui* No-Ammon Alexandriam *esse putant*, *in explicando hoc nomine adeo potuisse aberrare*, *cum* compositio vocis *ex* נא & אמון *ipsos ad perspiciendam veram interpretationem certo dirigeret*. אמון *enim* Ammon *vel* Hammon, *vel ut Scriptores Græci* Herodot. lib. 11. c. 42. Plutarchus de *Iside & Osiride* Origenes *contra Celsum lib.* V. p. 259. 261. 263. Hesychius *& alii efferre solent* Ἀμῶν *nomen esse divinitatis in Ægypto religiosissime quondam cultæ*, *quam Græci*, *& Romani* Jovem *interpretati solent*, *omnes illico facile intelligunt*. נא vero Noh *Ægyptiorum sermone* sortem & possessionem *designat*, *quod vel sola conjectura*, *& compositionis ratione*, *quivis paulo sagacior assequi potest*. *Ut enim pleræque Ægypti urbes celebriores tale quid sonant*, Ἑρμούπολις, Ἀφροδιτόπολις, Διόσπολις *minor*, Πανόπολις, Ἡλιόπολις, *ita de compositione* נא אמון *conjicere pronum est*. *Erit igitur* נא אמון Jovis possessio vel Jovis urbs Διόσπολις, *uti Græcos interpretatos esse hoc nomen deprehendimus*. *Namque Nahum. III.* 8. *vertunt* μερίδα Ἀμμών Etymologice, *id enim juxta literam* Noh Ammon *Ægyptiis significat*. *In loco autem Ezech. XXX.* 15. adhibent *nomen quo Græci communiter tum urbem illam solebant nuncupare* Διοσπόλεως. *Eadem nempe est urbs*, *quam scriptores frequentius* Thebas Ægyptias *vocare consueverunt*.

CAPUT SECUNDUM.

De Urbis hujus sede, situ, & natura.

I. URbem hanc validam natura, & situ ipso fuisse, declarat Nahumus. *Tune præstantior eris quam Diospolis, in fluminibus sita, aquis circumdata, cujus opes mare, cujus murus erat marinus?* Dixit itaque Propheta, quod res est. Etenim fluvii, amnes, stagna, & fossæ veterum urbium munimenta erant, id quod [si nunc silentio præterirem Euphratem Babylonis, Orontem Antiochiæ munimentum] vel tota Ægyptus nos docere poterit, quippe dico maria, rubrum, & mediterraneum, & Nili alvei veluti sinu quodam flexuque passim curvati totidem claustra erant, quæ hostes Ægypti finibus arcerent. [5] *Isocrates* in Busiride tradit Ægyptum esse ἀθανάτῳ τείχει τῷ Νείλῳ τετειχισμένην, *Nilo ut immortali muro munitam*, & *Heliodorus* lib. I. prædones circa Ægypti Bocolium describens ait: τῷ μὲν ὕδατι πάντες ὡς ἅτε τείχει χρώμενοι, *aqua omnes ut muro utentes*.

II. Enimvero tum nostra tum lectoris interest scire, in quo Ægypti tractu urbs illa tot munitionibus undique septa, & firmata, omnium oculos in semet haud immerito converterit. Non unus hic fateor nobis exsudandus erit labor; præterquam enim, quod monumenta urbis hujus annalibus Sacerdotum vulgata vetustas exedit, nihilque in parietinis, si quæ forte olim in cineribus visæ sunt, præter famam, duravit. Etiam doctissimi quique viri magna inter se concertatione dissident, quorum si argumenta & opiniones discrepantes audiveris, plane illud tibi eveniet, quod apud Terentium Demiphoni contigit, qui cum advocatos tres eodem tempore consuleret, *incertior sum multo*, inquit, *quam dudum*.

III. Quidam existimant, per *No-Amon urbem Ammonis*, quæ in Marmarica erat mediterranea, intelligi, maxime, cum famam ibidem *Jovis Ammonis* in summo fuerit honore. *Herodotus* lib. II. c. 32. 42. lib. IV. c. 181. de Ammoniis quasi de gente populosa scribit, qui regem habuerint, ac bella cum aliis gesserint; idem tradit urbem hanc tanquam Æthiopum atque Ægyptiorum coloniam celebrari, *Diodorus Siculus* [6] rem planius enarrat in medio esse ἀκρόπολιν τειπλοῖς ὠχυρωμένην τοῖς τείχεσι, *arcem triplici muro firmatam*, primam & intimam munitionem habere βασιλεῖα *regiam*, alteri inesse γυναικωνῖτιν αὐλὴν, *gyneceum*, & *liberorum agnatorumque domos*, etiam τὸν τοῦ θεοῦ σηκὸν καὶ τὴν ἱερὰν κρήνην, *Dei fanum*, & *sacrum fontem*, unde lustrationem quæ Deo offeruntur, accipiant; extremam munitionem Satellites & Ministros continere. Hanc arcem & munimenta putant πόλιν *urbem Ptolemæi* esse, quem *Ammonem* communi cum Deo nomine appellat. Hujus etiam *Nahumum* meminisse volunt, persuasi solam arcem servatam esse, cum vel Assyriæ vel Chaldææ reges, urbem ipsam ferro atque igni jamdudum delevissent. Hactenus illi, sed nec urbi, nec regioni Ammoniticæ, quæ fanum Ammonis continebat, descriptio urbis *No-Amon* convenit, quippe inter flumina sita erat, cum contra regio Ammoniaca undique vastis solitudinibus, nullis includeretur fluminibus, aut molis alicujus crepidinibus, quæ fluminum coercerent impetum. [7]

IV. Neque ad rem quicquam facit, quod Chaldæus Paraphrastes *Jonathan*, *Hieronymus*, *Drusius*, *Grotius*, *Gerab.*, *Jo: Vossius*, [8] *Nicolaus Fullerus*, [9] & *Augustinus* [10] *Lubin* *Alexandriam* substituant verbis Prophetæ non ita, ut ab eo sensum est, acceptis. Quis enim sibi persuaserit unquam Ezechielem, & Jeremiam imminentis excidii pœnam denunciasse urbi, quæ nondum erat eo, quo scripserunt, seculo, aut Nahumum Ninivem urbem ita compellasse, *Tune melior es*, id est, *munitior Alexandria M. tandem exstruenda?* Quod si omne magnum exemplum aliquid tristitiæ & severitatis habet; quod contra singulos utilitate rependitur, nihil æque orationis fidem atque autoritatem imminuit, quam illa ambitiosa minarum ostentatio. Illud igitur Ninivitis salubre & frugiferum fuisset, in urbem *No-Amon* quæ satis documenti in omnes casus fuerat, intueri: Inde cognoscere tantæ urbis excidium, cui ex sua magnitudine nulla fuisset securitas; inde fata, quæ a Nahumo imminere dicebantur, cum urbis No-Amon fatis conferre, & utraque, quæ vel præterierant, vel instabant, juxta metiri æstimatione. Fatemur ante Alexandrum vicum vel oppidum *Racotim* nomine in eo loco fuisse, in quo condita est Alexandria. *Strabo* pag. 544. κατοικίαν δ' αὐτοῖς ἔδοσαν τὴν προσαγορευμένην Ρακῶτιν, ἢ νῦν μὲν τῆς Ἀλεξανδρέων πόλεως ἐστὶ μέρος τὸ ὑπερκείμενον τῶν νεωρίων δὲ κώμη ὑπῆρχε, *habitandum eis dederant locum nomine Racotim, qui nunc est Alexandriæ pars navalibus*

immi-

imminens, tunc vero vicus erat. Pauſanias in Eliacis lib. I. ubi de Alexandria; λέγεται δὲ καὶ πρότερον ἔτι πόλισμα Αἰγυπτίων ἐνταῦθα οὐ μέγα εἶναι Ρακῶτιν, *dicitur & ante non magnum Ægyptiorum oppidum Racotim ibi fuiſſe*. Sed vel vicum vel obſcurum municipium a Propheta extolli verbis tam magnificis, & cum Ninive conferri nemo prudens judicaverit. [11] Etiam hoc ipſum quod hoc qualecunque oppidum *Racotis* vocatur, docet Alexandriæ priſcum nomen, non fuiſſe *No* vel *No-Amon*, uti volunt, qui ex Judæorum jecore ſapiunt.

V. Fuit tempus, cum *Vitringa* [12] *Memphim* hic indicari conjecit. Erat autem urbs Memphis in ſacris literis ſemel מף *Moph*, crebrius נף Noph dicta, [13] celeberrima, & poſt Thebas maxima ſuperioris Ægypti metropolis. Attingebat illa ripam Nili, quæ in occidentem vergit, tribus Schoenis [14] ſupra τὴν Δέλτα, ubi Nilus ſe dividit in alveos Ægyptum inferiorem circumſcribentes. Ab ortu erat Nilus inexpugnabile urbis munimentum, reliquas partes urbis, quæ auſtrum verſus, occaſum & ſeptentrionem ſpectabant, cingebant aggeres, paludes, & moles, tot regum, tot ſeculorum cura impenſaque munitæ. Habuit *Memphis* præter alia templa religioſum quoddam Apidi dicatum, & ipſe bos Apis ἐν σηκῷ τινι, *in ſepto quodam* apud Memphitas colebatur. Urbs magna erat etiam *Strabonis* ætate, ac πολυάνθρωπος, id eſt populoſa, ſecunda ab Alexandria. Nummos Memphitarum ſub Hadriano & Antonino cuſos habemus, in uno Oſiris cum Api bove expreſſus eſt. Hæc *Vitringa* cui facile largior, unum eundemque fere Memphis & No-Amon ſitum fuiſſe, ſed cum diſtincta ſint utriuſque urbis nomina, urbem quoque utramque disjunctam, & diſparem fuiſſe conſtabit. [15] Ne multa; ipſe *Vitringa* ſententiam hanc repudiavit, uti poſt paulo videbimus, ſecutus, qui meliora docebant.

VI. Omiſſis ergo auctoribus, qui nihil docent, niſi ut ſcias te nihil ſcire: Aggrediamur oportet viam rectam, & autores recenſeamus, quorum in ſede urbis *No-Amon* inveſtiganda potior erit ſententia. *Petro Alixio*, [16] *Jacobo de Bary* in Epiſtola quadam apud *Relandum* in Palæſtina p. 950. *Samueli Bocharto* in Phaleg lib. IV. c. 27. p. 313. *Chriſtoph. Cellario* Geographiæ antiquæ lib. IV. c. I. p. 58. *Jo. Clerico* in notis ad Geneſ. VI. 14. *Urbano Geureau* in Cheuræanis P. II. pag. 94. *Paulo Erneſto Jablonskio* in diſſ. de Remphan Ægyptiorum Deo ab Iſraelitis in deſerto culto, nunc ex lingua & ex Antiquitate Ægyptiaca eruto & illuſtrato p. 21. *Iſaaco Jaqueloto* dans les diſſertations ſur l' exiſtence de Dieu diſſert. I. c. 5. p. 63. *Jo. Marſhamo* in Canone Chronico ſec. XVIII. p. 585. 599. *Jac. Ovzelio* in animadverſionibus ad *Minuczium Felicem* p. 119. *Paulo Pezrono* [17], *Humfrido Prideaux* [18] *C. S. Schurzfleiſchio* in diſſertatione de Aſſyrio-Chaldæorum primordiis §. 27. & in diſſ. de Nino urbe, *Jac. Triglandio* in conjectaneis ad quædam obſcura fragmenti de Dodone loca cap. III. §. 2. *Campegio Vitringæ* P. I. commentar. in Eſaiam pag. 558. & lib. I. obſervat. ſacrarum diſſ. I. cap. 6. p. 74. perſuaſum eſt, Thebas Ægyptiacas illam ampliſſimam urbem deſignari, quippe quæ Dioſpoleos nomen *Strabone & Ptolemæo* teſtibus acceperit; & quidem quod alter addit μεγάλης. Antiquiſſima utique urbium habetur; etenim Thebais in Ægypto prima omnium habitata fuiſſe videtur, quod terra illic editior fuit, & planior, cum Ægyptus inferior non prius excepiſſet accolas, quam adverſum vim incurrentium aquarum tantis ſtructa molibus, tot foſſis conſciſſa eſſet. *Herodotus* lib. II. pap. 102. teſtatur ita ſe accepiſſe a Sacerdotibus, ſub rege *Mene* totam Ægyptum præter Thebaicum Nomum paluſtrem fuiſſe, quod etſi cautione indiget, veri tamen aliquid illi traditioni ſubeſſe nulli dubitamus. *Diodorus Siculus* lib. II. p. 32. οἱ δὲ Θηβαῖοι φασὶν ἑαυτοὺς ἀρχαιοτάτους εἶναι πάντων ἀνθρώπων; Thebæi ſe omnium mortalium antiquiſſimos eſſe referunt. Inde Thebæ Hebræis נא אמון *ſedes Ammonis* ſive *Chami* (litera ה & א affinis ſoni inter ſe permutatis) Græcis Διόσπολις. Quam vaſta fuerit urbs, patet ex portarum numero [19], quarum ſingulas belli tempore ducenos currus emiſiſſe apparet ex *Homeri* Iliadis jota v. 383. Cum earum veſtigia inviſit Germanicus, teſte *Tacito* Annal. lib. II. manebant adhuc in inſanis molibus Ægyptiæ literæ priorem opulentiam complexæ; tum unus ex Sacerdotum ſenioribus juſſus patrium ſermonem interpretari, referebat, habuiſſe quondam *ſeptingenta hominum millia ætate militari*. Apud *Stephanum Byzantium* in Διόσπολις Cato refert, priuſquam a Perſis deſtrueretur, ὅτι μυρίας τρισχιλίας κώμας ἔχε καὶ τριάκοντα, ἀνθρώπων δὲ μυριάδας ἑπτακοσίας, ἀρουρῶν δὲ τόπον μεμετρημένον, τρισχιλίων καὶ ἑπτακοσίων, ἑκατὸν δὲ πύλαι διακεκοσμέναι, τετρακόσια ςάδια τὸ μῆκος, *habuiſſe ter decies millia & triginta pagos, hominum ſeptuagies centena millia, agri dimenſi jugera tria millia, & ſeptingenta, centum portas egregie inſtructas, & quadringenta ſtadia longitudinis*; quæ omnia in majus aucta: Neque enim credibile eſt in una urbe

habi-

habitasse tot hominum myriades, quot vix habuit tota Ægyptus. In Josepho de B. I. lib. II. c. 16. saltem Ægyptus universa ab Æthiopibus & Indis usque Alexandriam solum habere legitur πεντίκοντα πρός ταῖς ἑπτακοσίαις μυριάδας ἀνθρώπων, *quinquaginta supra septingentas hominum myriadas*. Sed & hoc fidem plane superat quadringenta stadia fuisse longam, quamvis aliquanto plura scripserit *Eustathius* nempe ἐς σαδίες κ. καὶ τετρακοσίες ἐκτείνεσθαι, *ad stadia* CCCCXX. *extendi* quantum Babylon aut Ninive vix habuere in ambitu. Vide *Bochartum* l. c. et *Marshamum* sec. XV. p. 419. Itaque verius *Strabo* lib. XVII. qui locum coram inspexit καὶ νῦν δέικνυται δ'ίχνη τȣ̃ μεγέθȣς αὐτῆς ἐπὶ ὀγδοήκοντα σαδίȣς τὸ μῆκος, *ostenduntur hodieque magnitudinis illius vestigia ad LXXX. stadiorum longitudinem*. Confer *Conr. Sam. Schutzfleischium* in dissert. de Nino urbe, & *Franciscum Floridum Sabinum* lectionum subcisivarum lib. III. cap. I. quanquam hoc quoque sit nimium, si vera tradit *Diodorus*, regem Ægypti Busiridem ejus τὴν περίβολον ὑποςήσασθαι σαδίων ἑκατὸν καὶ τεσσαράκοντα *circuitum complexum esse stadiis centum & quadraginta*, quod de urbe nova recens condita, nec dum aucta dictum videtur *Marshamo*. Pars in Libya pars in Arabia fuit medium alluente Nilo. Mœnium structura ambitiosa, privatæ domus quatuor aut quinque contignationum. Centum illas *Homeri* portas alii voluisse totidem aulas principum, alii προπύλαια τῶν ἱερῶν, templorum porticus totidem, alii denique ἱππῶνας id est *equilia* centum juxta Nilum exstructa, quorum singula ceperint ducenos equites [20]. E templis quatuor potissimum eminebant, quorum maximum, idemque antiquissimum *Jovis Ammonis* [21]: Murus ambibat stadiorum XIII. altus XLV. cubitos, latus pedes XXXIV. Eadem urbs donariis & auro & argento & ebore, & colossis & obeliscis tot numero fuit insignis, ut constet μηδεμίαν τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον ȣ̆τω κεκοσμῆσθαι, nullam aliam sub sole tam fuisse exornatam. Confer *Jac. Benignum Bossuetum* dans le discours sur l' histoire universelle p. 370. qui ex Thevenoti itinerario observat, stupenda & admiranda rudera conspici, adde etiam *de Larrey* dans l' histoire des sept Sages p. 395. Ibidem fuere sepulcra Regum XLVII. mirabilis operis; In his Osimandyæ stadia decem patens, porticibus, peristyliis, ambulacris, palatiis, lectisterniis, bibliothecis, statuis, sculpturis, & inscriptionibus decorum. Uberior descriptio petenda est ex *Diodoro*; nobis nunc placet addere verba *de Larrey* dans l' histoire des sept Sages p. 391. 396. *L' Egipte se divise en Haute & en Basse*: Tanis *est la Capital de la derniere*: Thebes *&* Memphis *se font admirer dans l' autre*; Memphis *est depuis long tems la residence des Rois*; Thebes *a etè pendant plusieurs siecles plus grande, & plus superbe que l' autre mais moins bien situèe. Que ne vous* dirai-je *point de la grandeur de* Thebes, *dont un jour suffit a peine pour faire le circuit de ses cent portes, par chacune des quelles il sortoit dix mille Hommes armez, & de la multitude de ses Habitans, qu' on fasoit monter a sept millions, de tems de la prosperitè? Je n' y en ai pas tant vù, & je suis persuadè, qu' il y a de l' exaggeration; mais il est pourtant vrai qu' elle est extremament peuplèe, & je ne croi pas, que* Babylone *le soit d' avantage*. Utcunque se res habet, *tum veterum tum recentiorum scriptorum testimonia de Thebarum Ægyptiacarum magnitudine & splendore colligere debuimus*, ne deesse videremur officio nostro, neu quid prætermitteretur, quod curiosus & eruditus lector vellet observatum, & historiæ urbis hujus insectum. Nunc *ad sacras literas* redimus: Nahumus autem urbem convenienter naturæ ejus congruenterque descripsit, siquidem ad Nilum sita erat, & præter ejus septem alveos mare rubrum ac mediterraneum habuit, quæ velut munimenta invicta hostes ab Ægypto prohiberent. *Aquæ*, inquit Nahumus, *muri ejus*; ubi *Jo. Marshamus* sec. XVIII. p. 584. διώρυχας sive fossas ingentes, ut labore jam & utilitate insignes intelligit, quas fecit Sesostris, quasve luculenter descripsit idem *Marshamus* sec. XV. p. 395. Præterea quemadmodum multa alia oppida erant intra decursus Nili, ita *No-Amon* circumdedisse videntur *Nili ostia manu facta*, quæ *Plinio* falsa ora, *Ptolemæo* ψευδοςόματα, *Straboni* διώρυγες ἐπιδιώρυξι τμηθεῖσαι fossæ super alias fossa actæ dicuntur. Neque vero dicant *Jo. Drusius*, *& August. Calmetus*, Thebas Ægyptiacas cum a mari abessent longius disjunctæ, a Nahumo vix nominari potuisse. Mitto mare Rubrum [22] ac Mediterraneum, utrumque *Bocharto* judice hoc in loco designatum; ים Mare est ipse Nilus una cum paludibus æstuariisque, quibus undique urbs cincta fuit. Audiamus *Jac. Benignum Bossuetum* dans le discours sur le histoire universelle p. 368. Le Nil portoit par tout la feconditè avec ses eaux salutaires, unissoit les villes entre elles, & le grand mer avec le mer rouge, entretenoit le commerce an dedans, & au dehors du Royaume, & le fortifoit contre l'ennemi; de sorte qu'il etoit tout ensemble & le nourricier & le defenseur de l' Egipte [23]. On lui abandonnoit la campagne;

 mais

mais les villes rehausees avec les travaux immmenses, & s'elevant comme des Isles au milieu des eaux, reguardoient avec joye de cette hauteur toute la plaine inondèe, & tout eusemble le fertilisee par le Nil. Lor qu' il s' enfloit outre mesure, de grands lacs creusez par les Rois, tendoient leur sein aux eaux repandues. Il savoient leurs decharges preparees; de grandes ecluses les ouvroient ou les fermoient selon le besoin; & les eaux ayant leur retraite ne sejournojent sur les terres, qu' avant qu' il falloit pour les engrasser. Nimirum Hebræorum mos est majora omnia aquarum receptacula appellare ימים maria Gen. I. 10. quanto magis vastos fluvios Euphratem, & Nilum magnum aquarum ductum trahentes? De Euphrate id observare licet ex Jerem. LI. 36. & Zachar. X. 10. 11. De Nilo perspicua est Nahumi oratio. Sic patet Ezechiel XXXII. 23. de Pharaone. *Et tu sicut Draco in maribus*. Alluditur ad Crocodilum cubantem in Nilo, & paludibus Ægypti, eodem modo quo Esaias XXVII. I. Crocodilum vocat את התניך אשר בים *serpentem qui est in mari* sc. *in Nilo*; & apud Jobum XLI. 22. de Leviathane; *feruefacit ollæ ritu gurgites, utens mari pro mortario*. Plura nec vacat addere nec libet, cum otium nobis fecerint *Bochartus* P. II. Hieroz. lib. v. c. 17. pag. 787. *Theodorus Hasæus* in supplemento ad dissertationem de ארץ צלצל כנפים ad Esaiæ XVIII. (vid. Biblioth. Bremens. fascic. II. classis 6. p. 340.) & *Vitringa* P. I. commentar. in Esaiam p. 558. Cæterum quando Nahumus dicit אשר חילים sensus est, Nilum instar maximi exercitus esse, qui summa pericula propulsare possit; חיל de exercitu nonnunquam accipi, patet ex Esai. XXXVI. 2. LX. Ezech. XXXVII. 10. 2. Reg. VI. 14. Dan. XI. 13. Vide sis *Bochartum* in singulari epistola ad Tapinum ad Psalm. CX. 3. *Josephum Medum* in comment. in Apocal. p. 181. & *Vitringam* P. II. comment. in Esai. p. 309. quamvis etiam vox hebræa de munitione accipi queat, monente Jo. Drusio ad h.l. Nahumi, & Obadiæ v. 20. Porro autem flumina יארים ad quæ sita erant, sunt Nili alvei *manu facti*, uti dictum est non illi alvei soli vulgo septem [24] *qui Ægyptum inferiorem* secabant, & circunscribebant. Præter Nahumum & Esaiam XIX. 7. Ezechiel quoque יארים manifeste sumit pro alveis Nili, ubi Pharaonem vocat XXIX. 3. *Draconem magnum*, sive, *crocodilum recubantem* בתוך יאריו *in medio amnium suorum*: De illa notione vocis יארים quam diximus, inter eruditos constat, siquis tamen adhuc dubitet, is adeat velim *Arnoldum Bootium* animadvers. sacr. lib. IV. cap. 9. §. 6. pag. 192. & Nic. Fullerum Miscel. sacr. II. 8. Quod autem ad *Draconem* illum Ezechielis, sive *crocodilum* attinet; satis commode id dictum de Pharaone Hophra, qui aulam suam habebat Sai in Ægypto inferiori inter medios Nili amnes. Vide *Paulum Pezronum* dans l' antiquitè de Tems retablie cap. 13. pag. 247. & Tom. nostrum I. Biblioth. Antiquariæ & exegeticæ p. 407. & inferius paulo cap. 5. §. 2.

VII. Denique audienda est *August. Calmeti*, & *A. Mulleri Greiffenbagii* [25] sententia, qui existimant alteram Diospolim [26] intelligi prope Mendetem & Leontopolim & Busirim, quam præter Nili alveos Busiritem & Athribitem, varii lacus instar marium undique cingebant *Strabo* lib. XVII. πλησίον δὲ Μένδητος Διόσπολις, καὶ αἱ περὶ αὐτὴν λίμναι, καὶ Λεοντόπολις, εἶτ' ἀποτέρω ἡ Βούσιρις, πόλις ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νόμῳ, *prope Mendetem est Diospolis, & lacus qui est circum eam* (en ipsa Prophetæ verba) *& Leontopolis, deinde ulterius Busiris in Busirite Nomo*; Et *Suidas* ubi de Demetrio Phalereo, ἐτάφη ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νόμῳ πλησίον Διοσπόλεως τῆς ἐκ τοῖς ἕλεσι, *sepultus est in Busirite Nomo prope Diospolin, quæ est in paludibus*, quibus fere similia de eadem habet *Diogenes* Laertius lib. v. Obscura quidem fuit hæc Diospolis nec conferenda cum Ninive; Sed potuit esse celebrior multo, antequam exscinderetur, & situs ratione potius quam magnitudinis cum Ninive comparari. Audire juvat *Calmetum* in notis ad Ezech. XXX. 14. No *tout seul, peut signifier le meme ville* (No-Amon) *ou une autre nommee* Νεῦτ *dans Ptolomee, & Natho dans* Herodote lib. II. cap. 165. *situè dans la Delta, entre le bras du Nil surnommee Bubastique & le Busirique*. Speciosa quidem videntur, quæ *Mullerus* & *Calmetus* de No sive hac altera Diospoli dixit; Si vero penitus inspiciuntur, debiliora illius argumenta sunt, quam ut nos de jam proposita sententia dimoveant. Urbs enim Ninevitis ob oculos ponenda erat, quæ non magis natura & mirificis molibus, quam propter imperii amplitudinem, & diuturnitatem florentissima esset, ut Ninevitæ illud ex fatis tantæ urbis cognoscerent, quod ipso usu etiam mortales docentur. Nulla magna civitas diu quiescere potest: Si domi non invenit, foris hostem habet: Ut prævalida corpora suis ipsis viribus onerantur, & ab externis causis parum tuta videntur.

VIII. Antequam vero pergamus, nec incommodum nec alienum fuerit quædam de Regibus Thebæis subjungere. Nimirum in historia Ægyptiaca Thebanorum Regum

gum dynastiæ primum locum non immerito tribuimus, tum ob splendorem, tum ob diuturnitatem. Ex quo Sesostris Asiam suæ fecerit ditionis, totius fuit orientis caput, urbs adeo illustris, ut toti Ægypto gloriam etiam & nomen præripuerit. *Herodotus* lib. II. c. 5. πάλαι Θῆβαι Αἴγυπτος ἐκαλέετο, *olim Thebæ Ægyptus vocabatur*, Reges ipsi Thebani, sive Diospolitani, omnis Ægypti populus, & universa potentia Thebanorum esse dicuntur. Antiquitatem Thebarum satis testatur longissima Regum series a Mene ad Thuorim, quam nulla uspiam gentium successio adæquare potest. *Eratosthenes Cyrenæus* Ægyptiorum illorum, qui Thebæi dicuntur, regnum descripsit, Regum XXXVIII. annorum autem MLXXII. quorum notitiam ex Ægyptiacis commentariis, & nominum significatione mandato Regis, intelligi velim Evergetem Ptolemæi Philadelphi filium, Græco sermone exposuit. *Est autem*, inquit *Jo. Marshamus* in Προκατασκευῇ Can. Chron. §. 3. p. 3. *hoc* Eratosthenis *laterculum venerandissimum antiquitatis monumentum, & ad stabilienda Ægyptiorum tempora inprimis necessarium. Ex hoc*, itidem *Marshamus* pergit sec. I. pag. 26. Chronologiæ Eratosthianæ *fragmento longe nobilissimo fit* Æra Ægyptiaca, *ad quam Dynastiæ reliquæ, omnisque vetustissimi populi historia accommodari debet*. Reges istos *Apollodorus* in suis Chronicis recitaverat, & quamvis LIII. aliorum deinceps Thebanorum Regum nomina ab Apollodoro tradi dicantur, tamen *Eratosthenis* Eclogam non ultra illos XXXVIII. extensam fuisse arbitratur *Marshamus*. Quicquid autem ejus rei erit, operæ pretium fuerit audire *Paulum Pezronum* dans l' antiquitè des Tems retabliè c. 13. p. 257. ubi XVII. priores Dynastias Ægyptiorum in tabula secundum seriem temporum disposuerat, & ad annum Mundi 2964. pervenerat. *Athotis fils de Menès est fait Roi de Thebes deux ans devant la mort de son Pere, & regne 59. ans. C' est lui, de qui sont descendus les Rois* Thebeens, *qui ont etè jusqu' au nombre de* XCI. *selon* Eratosthene, & Apollodore, *& qui ont regnè pendant l' espace de plus de* 2225. *ans jusqu' a la prise de* Thebes *par* Sabbacon *Roi des Ethiopiens*.

NOTÆ IN CAPUT SECUNDUM.

[1] Ægyptum inferiorem, quæ vulgo Delta appellatur, malim intelligi. Vide sis *Jo. Braunii* somnium de Delta insertum Sacr. Select. lib. V. & Delta Niloticum, sive Syntagma I. Tom. I. Oedip. Ægypt. *Athanasii Kircheri*.

[2] Lib. XVII c. 50. collato *Curtii* lib. IV.

[3] Vide *Aug. Calmetum*, *Gerh. Jo. Vossium* l. c. & *Cellarium* Tom. II. notitiæ orbis antiqui lib. IV. c. I. p. 59.

[4] Loc. cit.

[5] Miscel. Sacr. lib. IV. c. 16. ita differit. *Ab austro imminebat* (Alexandriæ) *Lacus geminus, mediocris quidem Mareotis, latissimus autem Moeris, ab ortu semper Nili fluenta Ægyptum universum intersecabant, a septentrione Mare quod vocant, mediterraneum omni ex parte prætentum, firmissimum obicem opponebat*.

[6] In tabulis geographicis & observationibus ad annales Usserianos.

[7] Confer *Cellarium* l. c. *Calmetum*, *Jo. Marshamum* in Can. Chron. Sec. XVIII. p. 583. *Jaquelotum* dans les dissertations sur l' existence de Dieu differt. I. c. 5. p. 63. *Pezronium* dans l' Antiquite retablie c. 13. p. 194. & *Bochartum* in Phaleg. lib. I. c. I. p. 7.

[8] Id sibi aliquando in mentem venisse testatur P. II. comment. in Es. p. 260. neque mirum id videri debet, cum LXX. Ezech. XXX. 15. pro *Diospoli* tandem *Memphin* reponant.

[9] Semel מֹף legitur Hos. IX. 6. sæpius נֹף Es. XIX. 13. Jer. II. 16. XLVI. 14. Ezech. XXX. 13. Ceterum *Vitringa* P. I. comment. in Es. p. 565. conjicit antiquissimum nomen Mempheos fuisse מאנף *Menoph*, quasi dicas *regio* sive *tractus Menis*; esse enim conditam a *Mene* rege urbem prodit *Herodotus* lib. II. p. 141. Nomen autem נף *Noph* est bonæ notæ antiquissimi usus apud Orientales, & usurpatur de urbium commodo situ, ut de Hierosolymis Psalm. XLVIII. 3. יפה נוף *pulcher situ*, *gaudium totius terræ est mons Tsion &c.* Inde נפה vel נפת *regio*, *tractus*. Est igitur מנף *clima Menis* eodem modo constructum, quo נינוה *habitatio Nini*. Inde itaque contracta voce urbs appellata est *Moph*, Græcis Μέμφις, vel *Noph* abjecta syllaba priore. Hæc *Vitringa*. Sed *Bochartus* P. II. Hieroz. lib. V. c. 18. p. 796. cum ex *Pseudo-Dorothei* synopsi observasset crocodilos ab Ægyptiis Menephoth appellari mox subdit; sic enim a Memphi dici videntur, quæ Arabibus est *Menph*, vel *Meneph*; itaque Menephoth, i. e. Memphitæ, & Memphitæ i. e. Ægyptii, quia Ægypto metropolis erat Memphis. Confer *A. Mullerum Greiffenhagium* in Glossario S. p. 23.

[10] Schoeni erant apud Ægyptios mensuræ Geographicæ, ut distantiæ locorum notarentur, non eadem vero Schoenorum fuit æqualitas. Vid. *Cellarium* T. I. notitiæ Orbis antiqui lib. I. c. 12. p. 55. & tom. II. lib. 4. c. I. p. 61.

[11] *Hillerus* quidem in Onomastico sacro p. 571. *No a Moph* sive *Memphis*, de qua Hos. IX. 6. non distinguendam statuit, ejusque sententiæ argumenta idonea affert, judice J. C. Wolfio in notis ad Mardochæum Karæum recentiorem p. 106. Sed mihi illa sententia nunquam arridere potuit, quippe infirmo tibicine suffulta.

[12] Dans les reflexions sur les cinq livres de Moyse pour etablir la veritè de la religion Chretienne P. I. c. 19. p. 84. hæc habet verba. Thebes d' Egypte a portè le nom d'Hammon No, Ezech 30. qui est le nom de Jupiter d' Egypte, comme les Anteurs Payens Herodote & Plutarque l'attestant.

[13] Dans l' antiquitè des Tems retabliè, & defendùe contre les Juifs, & les Noweaux Chronologistes c. 13. p. 194. Posteaquam de Mene primo Ægyptiorum rege differuerat, hæc addit: *la Ville de Thebes, ov il fit sa residence, etoit considerable, & fut toujours depuis la capitale de la Thebaide, ou de la haute Egypte. Les Grecs dans la suite des tems l' appellerent* Diospolis Διόσπολις, *comme si vous disiez* ville de Jupiter, *parceque le Jupiter des Egyptiens nomme par eux* Ammon, *etoit en singulier veneration chez les Thebeens, qui lui avoient dressè des Temples magnifiques. Et c' est de là que cette ville est appellèe* No-Ammon *dans la langage des Prophetes, c' est a dire*, demeure *ou* habitation d' Ammon.

[14] Dans l'histoire des Juifs & des peuples Voisins Tom. II. p. 40. ita scribit. *No-Ammon ville d' Egy-*

pte n' etoit autre que Thebes, *fameuse par ses cent portes, & par le nombre immense des habitans. Les Grecs l'appellent* Diospolis, *ou* ville de Jupiter *a cause du magnifique temple qui y avoit etè bàti en l'honneur de cette Divinitè Payenne. C' est pour la meme raison, que chez les Egyptiens elle etoit nominèe* No-Amon. *Car* Amon *chez ce peuple etoit le nom de Jupiter*.

[15] Si cui forte portarum numerus in dubium veniat, is meminerit apud Orientis populos in extremitatibus platearum & vicorum portas esse contra hostes satis clausas septasque. Vide *Jac. Golium* apud *Lud. de Dieu* append. ad Matth. VI. 5. Hinc videmus שער היסוד *portam benefundatam* 2. Chron. XXIII. 5. quæ 2. Reg. XI. 6. שער סור *porta receptus* appellatur, hinc in portis præsidium nullo non tempore stativum erat, cum hostes portis imminerent, 2. Sam. X. 8. Jes. XXII. 7. & effractis portis facile ipsas urbes expugnarent, Genes. XXII. 17. Deut. XXVIII. 57. Judic. V. 8. Confer *Jo. Henr. Hottingerum* in notis ad *Goodwinum* p. 398. *Jo. Gothofr. Lackemacherum* P. VI. Observat. Philologic. observat. 3. §. 7. p. 347. Dilherrum Tom. I. Disput. Acad. p. 93. Ceterum de *Thebarum portis* ita *Pomponius Mela* de situ orbis lib. 1. c. 9. scribit. *Thebas* (*ut Homero dictum est*) *centum portas habere, solitasque singulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere*. Verum uti judicat *Marshamus* sec. XV. p. 420. non temere credendum est, tot militum millia in una Thebarum urbe comprehendi. Docuit *Herodotus*, milites fere omnes (quibus assignabantur fundi) inferioris Ægypti nomos incoluisse, eorum autem numerus fuit 410000. Verisimile est ingentibus istis numeris contineri non tantum Ægyptios, sed etiam alias quascunque imperii gentes, quæ sub rege Thebano meruere.

[16] Ægyptus enim militia equestri inter alias Orientis regiones insignis fuit. Certe Pharao Israelitas cum curribus & equitibus persequitur Exod. XIV. 6. Sesakus tempore Rehabeami cum magno exercitu, eoque equestri Judæam invadit. 2. Paral. XII. 3. Pharao Necho obviam iturus Nebuchadnezari multum spei in equitibus ponit, Jerem. XLVI. 9. Præter alia Scripturæ loca 2. Reg. XVIII. 24. Cant. I. 9. Esa. XXXI. 1. Hos. XIV. 4. conferre juvat *Nic. Fullerum* Miscell. Sacr. lib. IV. c. 16. *Bochartum* P. I. Hieroz. lib. II. c. 9. & *Vitringam* p. 11. comment. in Esai. p. 177. Artem equitandi nonnulli ab Ægyptiis inventam propterea scripserunt, qua de re plurima congessit ex veteribus *Jo. Marshamus* ad sec. XIV. & XV. rerum Ægyptiacarum.

[17] A. *Mullerus Greiffenbachius* in Glossario S. p. 9. de voce אמון ita differit, ut nobiscum faciat. *Amon*, inquit, & Hebraica & Ægyptiaca vox est, Hebraice artificem significat, Ægyptiace Jovem. In sensu Ægyptiaco Jer. XLVI. 25. legitur: Amonis vero nomine Joves Ægyptii procul dubio indigitantur, uti Pharaones Reges. Cumque No Ægypti urbs Ammonis templo celebratissima esset, נא המון Hammonis No dicitur Ezech. XXX. 15. & נא אמון No Amonis Nah. III. 8. tantummodo hebraica peregrinæ vocis scriptura אמון & המון vocibus Hebraicis accommodata est. Quæ cum ita sint, miror equidem, cur tantus vir non Diospolim magnam, sed illam alteram designari malit.

[18] De quo vide *Guil. Hillium* in comment. in *Dionysium Periegetam* p. 34. *Hadr. Relandum* in singular. diss. *Jo. Clericum* in diss. de Maris Idumæi trajectione, *Nic. Fullerum* Miscell. Sacr. lib. IV. c. 20. & *Prideauxium* dans l'histoire des Juifs T. 1. p. 18. seq.

[19] De Nilo, ejusque etymo inepta multa dicit *Leo Allatius* in diatriba de Nilis, eorumque scriptis. Cum enim *Nilus* latinis *Melo* dicatur, vide *Stephanum le* Moyne in Epist. de Melanophoris, & *Gilbertum Gaulominum* in notis ad vitam Mosis p. 247. inquirere debebat, unde acceperit nomen. Quod si doctissimis quibusdam ætatis nostræ viris id velis concedere loca Jos. XIII. 3. & XV. 4. non ad Ægyptiorum Nilum, sed ad fluvium Rhinocoruræ proximum transferenda esse, alibi tamen שיחור esse Nilum indubium est. Illud autem nominis a *nigredine* contraxisse exinde clarum est, quod aliis quoque nominibus insignitus fuit. Sic olim vocabatur Μέλας, item Melo, ut vidimus. Porro Nilus non accepit nomen a Rege Nilo, uti videtur l. c. *Allatio*, sed a voce Hebræa נחל *nahhal*, unde a quibusdam *Nuchal* dictus, uti patet ex Æthici Cosmograph. p. 37. & Pom. Mela lib. III. c. 9. Vide Theodorum Hasæum in dissert. Critica ad Es. VIII. 20. §. 6 p. 38. Tom. XIII. de l' Histoire Critique de la Republique des lettres tant Ancienne que Moderne, *Guil. Hillium* in comment. in *Dionysium Periegetam* p. 65. plurесque alios scriptores, quos laudavimus Tom. I. Biblioth. nostræ antiquariæ, & exegeticæ p. 646. *Nili usum præstantiamque* celebrarunt Ægyptii satis superque. Apud *Laurent. Pignorium* in expositione Mensæ Isiacæ exstat nummus cum inscriptione; DEO SANCTO NILO, ut apposite cecinisse videatur *Parmeno Byzantius* apud *Athenæum* lib. V. Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε. Vide plura huc spectantia Tom. nostro I. Bibl. antiq. & exeget. p. 647.

[20] *De numero alveorum ostiorumque Nili* jampridem est orsa quæstio. Esaias XI. 15. *Septem alveos totidemque ostia* facere videtur, ut de ipso numero dubitare haud liceat, de antiquitate autem & origine ostiorum sunt, qui controversiam moverunt. Vulgi enim sententiam de septem Nili ostiis ad examen vocant *Vitringa* P. I. comment. in Esaiam p. 359. *Jo. Marshamus* in Can. Chron. Sec. XV. p. 393. & *Cellarius* T. II. notitiæ orbis antiqui lib. IV. c. 1. p. 10. Hodie duo tantum supersunt ostia, Pelusiacum, & Canopicum, reliquorum ne vestigia quidem exstant, uti post alios docet Huntingionius Epist. XXXIX. p. 67.

[21] Is in Glossario S. p. 30. ideo conjicit Diospolin prope Mendetem designari, quia secundum Ezech. XXX. 13. seq. octo Ægypti urbes commemorantem, vicinitatis ratio inprimis habenda est. Atque ut vicinitatem istam tanto rectius capiant, qui Geographiæ S. operam dant, Ptolemaicam & Arabicam ex *Nassirodino* & *Ulugbego* longitudinum latitudinumque descriptionem oculis subjiciant. Largimur hæc omnia *Andreæ Mullero*, dummodo nobis idem concedat, totius Ægypti quaquaversum patet, clades describi. Recenset quidem Propheta celeberrimus inferioris Ægypti urbes, easque propinquas & finitimas, sed ad Thebaidos sive superioris Ægypti caput *No* sive *No-Amon* pergit, ostenditque eandem cum reliquis urbibus, quas jam nominaverat, ejusdem belli calamitate perculsum, & prostratum iri.

[22] Cujus nominis plures in Thebaide fuerunt, quod non insolens in Ægypti urbibus, in quibus plures Hermopoles, Cynopoles, Lycopoles, Latopoles, Apollonopoles, Aphroditopoles, Arsinoæ, Heracleæ.

CAPUT TERTIUM.

De firmissimis urbis hujus opibus & sociorum fidelissimorum auxiliis.

I. PUlchrum fuit vidisse urbem mundi miraculum, terrarum dominam, Gentium arcem, in quo natura velut in compendio quodam repræsentavit, quicquid ubique esset magnum, & invidendum: Nunc addimus eandem omnium rerum, quæ belli usus poscunt, receptaculum fuisse. Quid dicam de tormentis, armis [1], armamentis, & omni apparatu belli? quid de populis illis sociis, illis fœderatis, qui milites

lites bello invictos, labore induratos, & toties Asiæ opulentæ domitores mitterent in auxilium? Sic prorsus, & omnino est, universorum auxilium eo plurimum prodest, quo firmioribus opibus est nixum. Ordines quasi ducunt *Cuschæi* primo statim loco nominandi, quorum notitiam debemus *Matthæo Beroaldo* in Chronico lib. II. p. 84. & lib. IV. p. 233. *Jo. Clerico* in notis ad Genes. x. 6. *Gerb. Jo. Vossio* de origine, & progressu Idololatriæ lib. II. c. 75. p. 695. *Jobo Ludolfo* in comment. ad histor. Abessin. lib. II. c. 3. *Jac. Gussetio* in comment. linguæ Hebrææ p. 369. *Jac. Schmalzio* in dissert. ad Num. XII. 1. de uxore Mosis Æthiopissa §. 2. *Salomoni van Til* in tractatu de Paradisi terrestris situ c. v. p. 38. *Samueli Bocharto* in Phaleg lib. IV. c. 2. *Jo. Andr. Schmidio* in diss. de Jethrone §. 3. *Huetio* in comment. ad Origen. p. 49. & de situ Paradisi c. 13. *Frid. Adolfo Lampio* in diss. de Jesaia nudo, & discalceato sect. II. §. 9. *Joanni Coccejo* in Lexico ad vocem כוש, *Jo. Henr. Heideggero* in histor. Patriarchar. P. I. exercit. XXIII. sect. II. §. 19. *Justo Henr. Jungmanno* in Danielem lib. I. sect. 2. c. 9. *Vitringæ* P. I. commentar. in Esaiam p. 350. & p. 586. *Jo. Harduino* in Chronolog. Vet. Test. p. 57. 121. & *Cellario* Tom. II. not. orb. antiqui lib. IV. c. 8. p. 230. Nimirum Cuschæa secundum suam genuinam significationem est Arabia, quæ ad Ægyptum usque excurrit, quæque se extendit per totam Arabiam desertam, & loca illius desertæ Arabiæ, quæ magis in austrum vergunt, proxima montibus Arabiæ felicis. Sic vero sumitur Gen. II. 13. nec tantum complexa est loca proxima sinui Arabico, quæ Arabes illi tenuerunt, qui postea Scenitæ dicti sunt, & Saraceni. Verum etsi id ita se habent, non ausim tamen affirmare, Scriptores sacros maxime posterioris ævi vocem non accepisse latiore significatione de Æthiopia, quæ supra Ægyptum est. Certe sic sumi videtur Dan. XI. 43. Esth. I. 1. VIII. 9. & hic apud Nahumum. [2] Utcunque tamen se res habet, gens Cuschæorum nunquam vulgus sine nomine fuit, nunquam natio imbellis, nunquam victorum præda, sed suos pariter principes vel duces habuit, quos Scriptores sacri, & exteri reges vocant, ob potestatis, & virium amplitudinem. In sacris luculentum est exemplum Zerhæ הכושי Cuschæi, qui adversus Asiam expeditionem fecit cum militum decies centenis millibus, & trecentis quadrigis 2. Paral. XIV. 9. Vide *Casp. Abelii* diss. historicam de clade Serachi Cuschæi, qua simul Cuschæorum, Æthiopum, & Ægyptiorum Antiquitates excutiuntur. Etiam occurrit exemplum Tirhakæ מלך כוש Regis Cuschæi, qui ausus est tempore Kiskiæ Ægyptiis laborantibus suppetias ferre 2. Reg. XIX. 9. & Jes. XXXVII. 9. ut ne dicam de profanis Scriptoribus, qui tradunt Cuschæos ab aliis lacessitos maximis gentibus non pares solum, verum & victores fuisse [4]. Inde certe Nahumo כוש עצמה *Cusch valida* dicitur, gens indolis asperæ, quæ per terrarum orbem arma late circumtulerit, & summa dexteritate arcum tractarit, Jerem. XLVI. 9. Etenim Æthiopes utebantur πετραπήχεσι ξυλίνοις πεπυρακτωμένοις *arcubus quadricubilitalibus ex* [5] *ligno quod igni duraverant*. Ita *Strabo* ex *Herodoto*, qui insuper addit arcus eos fuisse ἐκ φοίνικος σπάθης *e palmarum spathis*, & alia eorum arma enumerat, prælongas ex arundine sagittas, non ferro sed lapide quodam singulari præfixas [6] denique hastas orygum (quod caprarum genus est, vide *Paulum Leopardum* emendat. lib. VIII. cap. 19.) cornibus, & clavas ferro munitas. Recte *Bochartus* in præfat. ad Phaleg. loquitur, Æthiopes arcuum mole, crebra jaculatione, & sagittandi peritia mortales omnes longo intervallo superasse: Proinde Rex Macrobiorum Æthiopum arcum suum ad Cambysen mittens illum monuit, ut tum demum moveret bellum in suos, cum Persæ tam facile traherent arcus tantæ magnitudinis. *Herodoti* verba sunt Musa tertia. Merito igitur Ludæos, i. e. Æthiopes describit Jeremias XLVI. 9. tractantes & tendentes arcum; & Esaias XLVI. 19. trahentes arcum.

II. Superest de ætate disquirendum vel tempore, quo Cuschæi cum hac urbe societatem omnium rerum fecerint. Nimirum *Jo. Marshamus*, & *Paulus Pezronus* ex vera temporum ratione colligunt circa extrema Regni Ephraimitici tempora [7], & ut videtur Achazo vel patre ejus Jothamo regnante *Sabaconem*, quem historia veterum Æthiopem vocat [8] potentissimum, ut ea tempora ferebant regem, Ægyptum suæ ditionis fecisse. Operæ autem pretium fuerit, statum Ægypti eo præsertim tempore perspicere, & recognoscere. Nimirum πολυκοιρανίη tam ante *Sabaconis* adventum in Ægypto obtinuit, quam post ejus reditum; non unus fuit horum temporum status, non longus multiplicatorum Dominorum principatus. Ægyptus disjunctis viribus externos *Sabaconis* impetus avertere non valuit, sed ab illo oppressa, servitutis jugum aliquandiu pertulit. Cum igitur *Sabacon* Æthiops Ægyptum occupans Anysim regem in palustria pepulerit, manifestum est sub ejus adventum reges di-

ges di-

ges diversos in diversis Ægypti partibus, simul regnasse. Hæc de statu Ægypti illo præsertim tempore, hæc etiam declarabunt luculenter, quomodo deinde sub uno rege inter Cuschæos & urbe No-Amon societas omnium rerum esse potuerit. Quis porro *Sabacon* ille fuerit, & an idem dicendus sit, qui in sacris literis Soo 2. Reg. XVII. 4. nomen accepit, in præsens disquirere nolim. *Jac. Usserio* ad P. I. 39. 89. *Jo. Marshamo* in Can. Chron. sec. XVI. pag. 484. *Jo. Goth. Lakemachero* observat. Philolog. P. VI. observat. III. p. 339. *Jo. Christoph. Harembergio* in expositione fatalis Josiæ prælii ad Meggiddo (quæ extat in fasc. II. classis VI. Biblioth. Brem. pag. 282.) & *Cellario* in histor. antiqua p. 172. Sabacon & Soo unus idemque rex fuisse videtur, *Pezrono* antiq. temp. c. 13. *A. Mullero Greiffenlagio* in Glossario S. p. 59. & *Vitringa* reclamantibus [9], qui Sevechum itidem Ægypti regem *Soo* malunt appellari: Sed uti diximus, nostrum non est de magnorum hominum conjecturis sententiam ferre; perspicuum tamen est, Sabaconem hunc Ægyptum clientelæ nexu sibi conjunctam tanta moderatione rexisse, ut sanguini humano religiosius pepercerit, quam alii reges & principes solent. Εὐσεβείᾳ τε καὶ χρηστότητι, inquit *Diodorus* lib. I. pag. 41. πολὺ διαφέρων τῶν πρὸ αὐτοῦ *pietate & benignitate antecessoribus multo superior*. Confer I. B. Bossuetum dans le discours sur l' histoire universelle p. 378. *Marshamum* sec. XVI. p. 484. & *de Larrey* dans l' histoire des sept Sages pag. 424.

III. Cuschæis additur propemodum innumerabilis Ægyptiorum turba majorem quam pro numero speciem gerens, siquidem *Bocharti* judicio septingentæ myriades Ægyptiorum intelliguntur. Neque vero tanti exercitus apparatum aut ut verius dicam, tantam totius Ægypti excitam suis sedibus molem in dubium vocare licebit, maxime cum Ægyptus ultra fidem copiosa fuerit, uti tradunt *Bochartus* Hieroz P. II. lib. IV. c. 9. *Jo. Clericus* in notis ad Exod. I. 7. XII. 37. *Cornelius Adami* in Exercitat. Exeget. p. 18. & *Marshamus* sec. XV. pag. 420. Quid quæris? Esaiæ VII. 18. Ægyptus cum innumerabili Muscarum exercitu comparatur. Quod ad arma Ægyptiorum attinet, nolumus jam repetere, quæ paulo ante de ipsorum militia equestri, & curribus falcatis diximus: eorundem fuit θώραξ, qua voce designatur non solida ex ferro armatura, sed lorica, quod exinde patet, quia Persæ utebantur in bello thorace Ægyptio teste Herodoto lib. I. ubi ait. φορέουσι καὶ ἐς τοὺς πολέμους τοὺς Αἰγυπτίους θώρακας; at vero Persarum, atque inde Parthorum equitum propria fuit lorica, quod ex historicis notissimum est [10]. Ad arma autem vocabantur, nisi quid extraordinarium eveniret, non omnes Ægyptii, sed *Calasiries*, & *Hermotybii*, quæ nomina sunt duorum generum τῶν μαχίμων Ægyptiorum, qui numero quadraginta myriades superabant, ut autor est *Herodotus* lib. II. cap. 165. seq. quem legent, quibus hæc accuratius nosse cordi erit.

IV. Inter voluntaria auxilia denique sunt פוט *Put*, vel *Phut*, & לובים *Lubbæi*. Quod ad *Puthæos* attinet, non omnes trans Tritonidem usque ad Oceanum Atlanticum sunt ablegandi, sed eorum nonnullos in Ægypti vicinia sedes habuisse non solum ex *Nahumo*, sed ex eo patet, quod Jerem. XLVI. 9. Ezech. XXX. 5. Ægyptiacis bellis implicantur cum Arabibus, Cuschæis & Ludæis. In Ægypto est Nomos, quem, *Ptolemæus* φθεμβοῦθι vocat, *Plinius* autem *Phthemphu*, ejusque metropolis a *Ptolemæo* statuitur ταῦα *Stephano* Τάουα, in itinerario *Antonini* Tafa. Etiam alius Nomo est *Phthenotes* cujus metropolis βοῦτος: In hoc vel illo Nomo-Phutæi a *Calmeto* quæruntur. Ceterum huc facit inprimis, quod *Phutæos* Jerem. XLV. 9. describit tanquam *clypeo* potissimum insignes; *Phutæi*, inquit, תפשי מגן *apprehendentes clypeum*, nempe inusitatæ magnitudinis [11]. Atque hæc ipsa fuit Ægyptiorum armatura, quos describit *Xenephon* Cyropæd. lib. VI. σὺν ἀσπίσι ποδήρεσι *cum clypeis ad pedes usque porrectis*. Cujusmodi clypeum ex *Homero* appellaveris ἀσπίδα ἀμφιβρότην i. e. τὴν πανταχόθεν τὸν βροτὸν ὅ ἐστι τὸν ἄνθρωπον περιέχουσαν καὶ σκέπουσαν, *clypeum, qui hominem ab omni parte ambit, & circumtegit*. Erat vero ejusmodi clypeorum usus insignis admodum, siquidem *Xenophon* lib. 7. observat, αἱ τε ἀσπίδες πολὺ μᾶλλον τῶν θωράκων, καὶ τῶν γέῤῥων, καὶ στέγουσι τὰ σώματα, καὶ πρὸς τὸ ὠθεῖσθαι συνεργάζονται πρὸς τοῖς ὤμοις οὖσαι, συγκλείσαντες τὰς ἀσπίδας ἐχώρουν, καὶ ὤθουν, *& clypei multo magis corpora tegunt, quam Persarum thoraces, & gerrha* [cetræ vimineæ] *& ad urgendum juvant, cum ad humeros sint; Consertis igitur clypeis Ægyptii procedebant, & urgebant*. Et *Heliodorus* lib. IX. χρόνον μὲν οὖν τινα συνεστήκεισαν οἱ Αἰγύπτιοι, καὶ τῷ συνασπισμῷ πρὸς τὴν τοξείαν ἀντεῖχον; *Ægyptii igitur aliquandiu servarunt ordines, & facta testudine, jaculationi obstiterunt*. Id enim est proprie, συνασπισμὸς, cum in conferto agmine testitudinis in modum clypei conseruntur. Homerus

Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ
Ἀσπὶς δ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ

Hasta-m

Hastamque hasta premit, parmam quoque parma, & clypeus clypeum, & galeam galea, & virum vir. [12] En aciem torvam sane & incultam clypeis hastisque immobilem, quæ cuneos & conserta robora virorum texit. Ad eundem pugnæ modum ab Ægyptiis acceptum se confirmasse Libyes ad Tritonidem usque paludem suspicatur *Herodotus* in Melpomene, quin & τὴν ἀσπίδα καὶ τὸ κράνος inde ad Græcos devenisse eodem in loco affirmat, quemadmodum Ezech. XXXVIII. 5. Puthæos armis instruit, quæ vocat מגן וכובע clypeum & galeam. [13] Ceterum & hic & in aliis Scripturæ locis Puthæis adjungimus Libyes לובים Lubæi, i. e. Libyægyptii, qui ad occasum Thebaidis in solo arenoso immodicisque caloribus exusto sedes habebant 2. Paral. XII. 3. *Venerunt cum eo ex Ægypto* לובים *Lubæi, Suchæi, & Cuschæi*, i. e. Libyes, Trogloditæ, & Scenitæ, & ibid. XVI. 8. לובים *& Lubæi fuerunt in exercitu numeroso in curru, & equitibus.* [14] Denique Dan. XI. 43. de Antiocho ולובים *Lubæi & Cuschæi in gressibus ejus*, i. e. Libyes & Scenitæ erunt pedissequi illius, sive illi subjecti. Ceterum quando Nahumus hoc in loco a tertia persona ad secundam κατ' ἀποστροφὴν inde iterum ad tertiam se convertit, elegantiam styli prophethici nemo non mirabitur. Confer *Glassium* in Philologia lib. IV. tract. 4. sect. 1. can. 6. & in Grammat. S. lib. IV. tract. 2. observat. 16. 17.

Hugo Grotius negat hic sociales exercitus intelligi, persuasus multo rectius urbem designari, ad quam, cum undique maritimos exitus habuerit, Æthiopes, aliique qui magnas, & copiosas mercaturas faciebant, cum mercibus & oneribus undique commearint. Esto vocem חיל de divitiis accipi, vide Zachar. XIV. 14. coll. Esaiæ LX. 5. neque tamen eam notionem vocis Hebraicæ, quam c. II. §. 6. indicavimus, negare ausit Grotius, quippe quæ ad hunc locum multo rectius accommodari potest. Concedatur eidem *Grotio* cives urbis hujus permagna negotia habuisse, & merces a sole surgente ad eum, quo vespertina tepet regio, mutasse (vide V. C. *Theodorum Hasæum* in supplemento dissertationis a me paulo ante laudatæ §. 9. & *Huetium* dans l'Histoire du Commerce & de la navigation des Anciens cap. 48.) nec repugnabimus urbem hanc, si mercaturas spectes, ex Esaiæ XXXIII. 21. vocari posse מקום נהרים יארים *locum fluviorum & fossarum*, etenim נהרים fluvii hoc in loco sunt fluvii majores, veluti Nilus ejusque brachia, יארים amnes sive flumina ab iis distincta, sunt amnes minores, majores fossæ, stagna ex majoribus hisce fluviis, sive naturæ ductu, sive industria humana derivata vel collecta ad merces apportandas, & exportandas, dummodo nihil sententiæ nostræ derogetur, vel ut alii forte judicabunt, neutra sententia a veritate abhorreat, & utraque defendi possit: At quæret aliquis, *unde urbs hæc No-Amon apud alios Scriptores, si a sacris literis discesseris, Thebarum nomen acceperit?* Respondet *Relandus* in Palæstina ex monumentis veteribus illustrata p. 1033. urbem Ægyptiacam ab Ægyptiis hoc quoque Thebarum nomen accepisse, maxime cum apud Coptos vox Thebarum denotet urbem κατ' ἐξοχὴν appellandam, hoc est tantam, quantam qui oculis non subjecere animis concipere non possunt. Neque longius abit *Jo. Clericus* in notis ad Gen. VII. 14. Videtur, inquit, תיבה vox fuisse Ægyptia, quæ idem significaret ac נוא *no* aut *nave* (utroque enim modo legi potest, significatione eadem servata) h. e. *habitaculum*, nam quæ *No-Amon habitatio Amonis* in Scriptura, ea & *Diospolis & Thebæ* Græcis dicitur. Opus fuit *Osiridis*, quem multis indiciis Chamum Noachi filium esse credibile est, qui enim תיבה h. e. *habitationem* appellavit, quod in eo loco sedem a fratribus digressus fixisset. Jam vero utrumne in significatione vocis Thebæ investiganda, ultra progrediendum sit, an hic cum *Relando*, & *Clerico* subsistere liceat celeberrimi Duumviri *David Wilckinsius*, *& Maturinus Veyssiere la Croze*, qui in eximia linguæ Copticæ cognitione principatum tenent, disquirant. Ille promisit *Palæologiam Ægyptiam* continentem λείψανα veteris linguæ Ægyptiæ in autoribus Ecclesiasticis & prophanis, Græcis & Latinis obvia, ex Coptica, Arabica, & Hebræa lingua illustrata. Hic *Lexicon Ægyptiaco latinum* ex veteribus illius linguæ monumentis summo studio collegit, & elaboravit, adhuc tamen ἀνέκδοτον. Quod vero *Relandus* urbem hanc propter magnitudinem quam propter portarum numerum ἑκατόμπυλος dici mavult, a veritate rei longius recedit. Quamvis enim Roma ἑκατόμπυλος in antiqua inscriptione, quæ in *Sponii* miscell. erudit. Antiqu. p. 322. extat, habita solius magnitudinis ratione appelletur, diversa tameu est nominis ratio, si Thebarum urbem spectes. Vide quæ paulo ante diximus c. II. §. 3. in notis n. 13.

NOTÆ

NOTÆ IN CAPUT TERTIUM.

[1] Jamdiu est cum *Georg.* Hornius in præfat. *Claudii Salmasii* de re militari Romanorum libro præmissa, optavit ut aliquis veterem universæ Asiæ armaturam paulo distinctius describeret. *De hac Asiaticorum & Afrorum armatura*, inquit, *insigniter* Herodotus *in Polymnia agit, ex quo vel solo justus commentarius antiquissimæ illarum gentium militiæ adornari posset, siqui ingenio abundant, iis tantum otii superesset*. Nec fefellit *Hornium* judicium. Etenim hac in re viam jam nobis præivit *Bochartus* cum P. II. Hieroz. lib. V. c. 17. p. 785. tria armorum nomina, quæ si ab Hiobo XLI. 20. discesseris, alibi frustra quæres (sunt autem hæc תותח ישריה מסע) e lingua Arabica nova luce collustret. Hæc vero ideo moneo lectorem, ut intelligat uberrimam dicendi messem fore, si eandem nunc viam insistere liberet.

[2] Scilicet Cuschæi non contenti antiquis sedibus occiduam quoque sinus Arabici partem occuparunt, fines imperii magis magisque proferentes. Vide *Vitringam* in notitia Arabum Cuschæorum §. 6.

[3] Errat autem *Abelius*, quando existimat terram, quæ hodie *Chusistam* audit, & apud antiquos *Susiana* dicitur, eandem fuisse, quæ Cuschæorum, vide *Salomonem van Til* l. c. p. 42. seq.

[4] *Herodoti & Diodori* testimonia hanc in rem videre licet apud *Vitringam* l. c. §. 13. Adde omnino *Jac. Benignum Bossuetum* dans le discours sur l'histoire universelle p. 359. & autorem des Reflexions historiques & Politiques sur le Mahometisme, & le Socinianisme apud *Dn. de Larrey* dans l' histoire des sept Sages p. 447.

[5] Sacræ literæ arcus nomine omnia belli instrumenta complectuntur, eumque Babyloniis, Medis, Syris, Æthiopibus, Lydisque tribuunt, Jes. XIII. 8. Jerem. VI. 23. Hos. I. 5. Vide plura apud *Joseph. Scaligerum* ad *Eusebium*, *Valesium* ad *Ammianum Marcell.* p. 315. *Perizonium* in notis ad Ælian. lib. XII. c. 43. p. 735. *Vitringam* in ἀνακρίσει Apoc. p. 323. *Huetium* in notis ad *Manilium* p. 57. & *Jac. Lydium* in Syntag. Sacro de re militari lib. III. c. 9. p. 116.

[6] De hoc lapide, qui pro ferro præfigebatur, plura habet *Bochartus* P. II. Hieroz. lib. VI. c. 11. p. 842. qui insuper observat ex *Agatharchide*, *Theophrasto*, & *Heliodoro* Æthiopum sagittas mortifero veneno tinctas fuisse.

[7] Id vel colligas ex Hos. XI. 5. 6. 7. Principio statim non sine causa miretur Lector, cur Israelitas hoc loco in Ægyptum redire neget propheta, cum antea id disertis verbis c. VIII. 13. affirmasset; *illi in Ægyptum revertentur*. Mutavit ne ergo vates sacer sententiam, aut an mentem mutarunt Israelitæ? accidit neutrum. Enimvero si ad affectum scriptoris attendamus, una eademque erit utriusque loci sententia. Neque enim minus ille, qui negare videtur, quam alter ista, affirmationis vim habebit, si cum interrogatione verba efferas hoc modo, *nonne in Ægyptum revertitur?* quod idem est ac si dixisset; utique revertitur. Debebat quidem, ut interrogationis affectus agnosci posset, ex vulgata loquendi ratione interrogationis addi particula ה *an*, at hujus quam sit frequens Hebræis ellipsis, etiam ante negandi voculam, nisi ex usu linguæ familiariori cognitum quis ipse habeat, *Noldius* in concord. Particul. Hebr. Chald. p. 242. & 480. eum docere facile poterit. Incisum igitur hujus vaticinii prius uti dictum est, efferendum: *non ne revertitur in terram Ægypti?* Reverti autem dicuntur Israelitæ in Ægyptum, quod legatum tunc in Ægyptum mitterent ad Regem *So*, sive *Sabaconem Æthiopem*, auxilii impetrandi & fœderis ineundi causa, adversus *Assyrios*, quorum impetum, quem eo tempore metuebant, solos se reprimere posse desperabant. Vide sis plura hanc in rem *Jo. Gothofr. Lakemacherum* observat. Philolog. P. VI. observat. III. pag. 339. seq.

[8] Vide fragmenta *Manethonis*

[9] Qui *Manethoni* dicitur *Sevechus*, est *Herodoto* Sethon, etiam Hebræis סוא, si punctetur סוה idem plane est, quod Σεύηχος, & *Sethon* nihil differt vis terminatione nominis familiaris usus; aufer terminationem a nomine *Sethonis* manet *Soo*, *See*, *Seve*, *Sivech*, *Sebich*. Et conveniunt tempora, cum inter conspirationem Hoseæ; quo tempore vixit Rex *Soo* 2. Reg. XVII. 4. & expeditionem Senacherib, quæ in XIV. Hiskiæ incidit, quo tempore Sethon Ægypto præerat, XII. plus minus anni interfuerint. *Sethonem* autem *Herodoti*, etsi Ægypti rex dicatur in historia Sacra, omnino fuisse alienigenam, nec Ægyptium ortu, ex ipso liquet *Herodoto* lib. II. p. 166. quippe dicit Ægyptios post mortem *Sethonis* libertati restitutos fuisse. Ergo *Sabacon* Æthiops vel Arabs Ægyptum excedens quacunque demum de causa Ægyptiis imposuit *Sethonem* sive *Sevechum* Arabum potentia suffultum. Vide *Vitringam* P. I. comment. in Esaiam p. 552. & P. II. p. 318.

[10] De loricis veterum plura vide apud *Francisc. Patricium* par. VI. de re militari Romana sect. X. p. 881. Tom. XII. Thesauri *Grævii*, *Lipsium* de militia Rom. lib. 3. Dial. 6. *Augustinum Calmetum* in singular. dissert. de militia veterum Hebræorum, *Stewechium* ad *Vegetium* p. 229. *Sigism. Jac. Apinum* in observat. de loricis linteis veterum §. 12. Tom. VI. Miscellan. Lipsiens. p. 275. *Claudium Salmasium* in notis ad *Tertulliani* pallium p. 230. *Octavium Ferrarium* P. II. de re vestiaria lib. IV. c. 11. p. 163. & *Ant. Grellotum* in prodromo Apocal. p. 112.

[11] Ex scuto Romanorum de his scutis conjecturam facere licebit. Vide *Francis. Patricium* P. V. de re militari Romana Sect. III. *Jac. Lydium* in dicto Syntagmat. lib. 3. c. V. p. 66. *Joh. Conr. Dietericum* in antiquitatibus biblicis Vet. Test. p. 666. *Calmetum* l. c. *Theod. Dassovium* in dissert. ad tit. Celim. *Jo. Christoph. Ortlob* in dissert. de scutis & clypeis Hebræorum, *Jo. Christoph. Wichmanshausen* in dissert. de armatura Goliathi, *Jo. Arrowsmith* in Tacticis sacris, *Stewechium* ad *Vegetium*, *Aldum Manutium* de quæsitis per Epistolam p. 306. Tom. IV. Lampadis *Jani Gruteri*, & quæ observavimus Tom. I. der Erörterung der dunckelsten Schrifftstellen A. T. p. 608.

[12] Confer *Brissonium* de regno Persarum p. 200. *Fortunat. Scacchum* Myrothec. lib. III. p. 869. & *Hadrianum Relandum* in diss. de reliquiis veteris linguæ Persicæ §. 80.

[13] A scutis illis largis, quæ habebant superficiem gibbam diversa fuerunt scuta plana, quibus condensatis testudinem faciebant milites. Cum enim tam apte jungi, & conseri possent, ut equis, jumentis, & vehiculis commodum supra se transitum præberent, nihil frequentius fuit istiusmodi testudine in oppugnandis urbibus. Vide præter *Patricium* l. c. etiam *Stewechium* in notis ad *Vegetium*, *Janum Paschasium* Epist. XX. p. 749. Tom. I. Lampadis *Jani Gruteri*, *Calmetum* in dissert. singulari de militia veterum Hebræorum, & *Jac. Christ. Iselium* in dissert. de Tyro & Prophetarum de ea vaticiniis p. 45. qui inde Ezech. XXVI. 8. 9. 10. egregie illustrat

[14] Etiam ab Ægyptiis hoc fluxit, quod veteres galeas animalium imaginibus insculptas ferebant in prælio, præsertim duces, quod erat imperii signum, teste *Eusebio* lib. 1. præp. Evangel. Hæc *Hornius* l. c. cui addere placet *Stevvechium* ad *Vegetium* p. 70. Quod, si igitur quæres, *Cur Ammon fictus sit cornutus?* cur *item filius ejus Osiris?* *Diodorus* de utroque hanc causam refert, quia in bello gestarunt galeam hac figura; quod interpretatur *Vossius* de origine & progressu Idololatriæ lib. I. c. 27. p. 201. hoc pacto pellem capitis bubuli cum cornibus pro galea fuisse. Ceterum varias galearum formas depictas vide in *Guil. de Choul* libro, quem de Romanorum castrametatione inscripsit.

[15] Multa quidem habet de curribus falcatis Lubæorum *Bochartus* in Phaleg. IV. 33. p. 338. & *Jo. Clericus* ad Exod. XIV. 7. Sed aliquanto distinctius de curribus falcatis disserunt *Anton. Grellotus* l. c. *Menochius* de Rep. Hebræorum lib. VI. c. 11. §. 8. *Calmetus* l. c. *Jo. Schefferus* de re vehiculari Veterum, *Jac. Lydius* in Synt. S. de re militari p. 132. *Dilherrus* T. I. disput. Acad. p. 129. *Pope* in singulari dissert. de modo sive ratione prælium committendi apud veteres, quam P. II. Iliados *Homeri* carmine Anglico redditæ inservit, & *Stewechius ad Vegetium*.

CAPUT QUARTUM.

De urbis No-Amon excidio ejusque fatali tempore.

I. JAM vero horret animus tantæ cladis imagine, horret tanta rerum sursum & deorsum euntium vicissitudine, siquidem urbs hæc nec statuendo tandem felicitati modum, nec cohibendo se efferentem fortunam, quanto altius elata erat, tanto fœdius corruit. *Ea quoque*, inquit Propheta, *captiva abiit in exilium, ejus quoque & impuberes passim per compita collisi sunt, & de illustribus jacta sors est, & optimates omnes compedibus constricti sunt.* En tristissimum captivitatis nomen cum per mangones alienigenis venderentur sub corona quod ajunt [1]. En deportationem longe gravissimam, qua patria funditus deleta, cives in ultimas maris terræque oras a victore devehuntur. Quid ita vero? Ægyptii in solo patriæ post tantas clades per damna per cædes, animos viresque ab ipso ferro ducebant, & quæ indoles gentis levissimæ erat, ex ancipiti mutatione temporum semper pendebant, servitutis jugum rigida cervice subeuntes [vide hac de re multa veterum scriptorum testimonia collecta a *Cornelio Adami* in Exercit. Exeg. pag. *64.*) contra extorres urbe, domo, penatibus, inter gentes nec sacris, nec moribus, nec commercio linguæ cohærentes, mitioribus ingeniis induebantur. Fuit ab antiquis regibus mos [2] gentes pro libidine, huc illuc transferre pecudum in morem, quas pastores nunc in hibernos nunc in æstivos saltus trajiciunt; ita etiam ingenia populorum emolliuntur, mutanturque, & qui in suo solo quodlibet audent, placidi & quieti sunt in alieno. Sic Romani Ligures montium fiducia sæpe rebellantes in plana & complexa vallium, Cilices piratas a conspectu maris remotos, in mediterranea loca ablegarunt: eodem consilio Babylonii Judæos, & Assyrii Israelitas, e patria exules transvexerunt, ut pro Jordane Euphratem Tigrimque biberent. Ecquis autem funera impuberum fando explicet, aut possit lacrymis æquare dolorem? Cum enim ad omnem ætatem tanti mali sensus penetrasset; etiam usque ad infantium cædem ira crudelis pervenit inaudito adhuc apud gentes humaniores exemplo. [3] Quid de nobilissimis dicam, qui tanquam vilissima capita post factam sortitionem [4] in servitutem abstrahebantur, ut quicquid postea vel inter mediastinos, vel inter ergastulorum detrimenta viverent, id omne ignominiæ destinatum esset? Quid de optimatibus sive proceribus [5], qui in vincula compingebantur, manibus distortis, & divaricatis pedibus? Hoc modo *Calmetus* verba Hebraica interpretatur, verbum pro verbo reddens: *ont etè enfoncez dans les entraves. C'etoit des ais percez a plusieurs trous des differentes distances, dans les quels on faisoit passer les pieds, & les mains des prisonniers; ce qui les tenoit dans une posture tres-incommode & tres violente.* Quod si *Calmeti* sententia aliorum conjecturis præferenda esset, propheta hic respiceret ad istiusdmodi instrumentum, quod in carcere Romani nervum, cippum, columbar, & numellam, Græci ξύλον vocant, in his quoque Lucas Actor. XVI. 24. [7] Fuit etiam apud Græcos observante *Samuele Petitò* ad Leges Atticas lib. x. Tit. 9. πεντεσύριγγον ξύλον, *lignum quod quinque habebat foramina*, per quæ pedes manusque & collum immittebant. Ceterum si nostræ conjecturæ quoque locus sit, existimamus antiquo apud populos Orientis more in servitutem redactis aut ad supplicia servatis impositum fuisse lignum, quod instar jugi incurvum esset, cui collum immitteretur. Id ipsum est, quod Græci indicant: κύφωνες ξύλα ἐστὶν ἐπιτιθέμενα εἰς τοὺς τένοντας τῶν καταδίκων ἵνα μὴ ἔχωσιν ἀνακύψαι. *Ligna sunt, quæ cervicibus damnatorum imponuntur, ne possint erigere cervicem.* Est ex κύπτω *pronus sum*, deorsum flector. [8] Sic idem Grammaticus κύφων εἴρηται παρὰ τὸ ἀναγκάζειν τοὺς δεσμίους κύφειν, *dicitur* κύφων, *quod vinctos cogat, incurvato capite, terram intueri.* Intelligimus ex his locis κύφωνα esse instrumentum, cui inserebatur collum damnatorum, quodque imminebat cervicibus, grave, caput deorsum inflectens: nullumque dubium est, quin apud Orientales populos captivi hoc insigne servitutis circumtulerint, quod Hebræis dicitur מוטה *jugum* a מוט quod idem valet quod Græcis κύπτειν. Huc nos ducunt verba Esa. LVIII. 6. 7. ubi *Theodotio* docte vocem מוטה per κλοιὸς vertit monente *Hieronymo* apud Jerem. XXVIII. 10. 13. torquem ferream significare. Dicere debuisset *collare* sive torquem vel ferream vel ligneam, qualis est servorum, qui sub jugo sunt, ut ex illo loco patet. Huc Esaias alludit IX. 3. X. 4. Confer Levit. XXVI. 13. Ezech. XXXIV. 27. Ps. II. 3. *Jac. Gussetium* in commentt. L. H. p. 459. *Nic. Fullerum* Miscell. Sacr. lib. v. cap. 8. *Henr. Jonath. VVerembergium* de jugo Jeremiæ §. 12. seq.

II. De tempore hujus excidii difficilior quæſtio eſt, quam ut priſci & recentes interpretes convenire in illo potuerint. *Hugo Grotius* Sabaconem illum Æthiopum Regem nominat, qui Ægyptiis ſervitutem injunxerit, & in hanc gentem omnium cruciatuum exempla ediderit. Porro autem *Africanus*, & *Euſebius* apud *Syncellum* Chronogr. p. 74. & 184. tradunt, Sabaconem Bocchorim Saitem Ægypti regem vivum adhuc combuſſiſſe; quod arripiens *Pezronus* antiq. temp. reſtit. c. XIII. declamat in Sabaconis ſævitiam, atque inde colligit, Ægyptios, cum ultima paterentur, jugum quoque ſervitutis accepiſſe. Haud pigeat ipſum audire *Pezronum* l. c. p. 237. *ſur la fin de l'Empire de* Bocchoris, *lorſqu'* Anyſis *commencoit de regner a* Memphis, *ou en quelqu' autre lieu vers la bas du Nil*, Sabbacon *Roy des Ethiopiens d' Arabie*, *ſe jetta ſur l' Egypte avec des troupes innombrables*. *La conſternation fut ſi grande a ſon arrivèe*, *qu'* Anyſis *ſe retira dans les marais en* Delta, *où il demeura cachè pluſieurs annèes*; *& pour* Bocchoris *il s' enferma dans* Thebes, *la plus grande*, *& la plus puiſſante ville de tout l'Egypte*. Sabbacon *la prit apres un long ſiège*, *& y exerca toutes les cruautez*, *qu' on devoit attendre d' un Roy barbare*, *& victorieux*. Le Prophete Nahum *a fait en peu de mots une peinture aſſez vive de la deſolation de cette ville*, *ſous le nom de* No-Ammon, *que lui donne l' Hebreux ſans que pas un Interprete ait pu deviner*, *qu' il parloit de la priſe de* Thebes, *& de l' irruption des* Ethiopiens . . . . . *Mais pour revenir a* Sabbacon, *ſi ce Prince Arabe eut aſſez de bonheur pour voir entre ſes mains le Roy* Bocchoris, *qu' il prit dans* Thebes, *il fut aſſez inhumain pour le faire bruler tout vif ſe contentant de charger de fers les Princes de ſa Cour*, *& de les trainer en captivitè*. *Voicy comme parlent les Hiſtoriens* [*Africanus*, *& Euſebius apud* Syncellum p. 74. 75. 184.] *de ce Roy barbare*. ὅτος τὸν Βόκχωριν αἰχμάλωτον ἑλὼν ἔκαυσε ζῶντα, *hic* Bocchorin *captivum factum*, *combuſſit vivum*. *Cet eveniment ſi funeſte a l' Egypte*, *& a ſon Souverain*, *avint la neuveme* Olympiade, *la 6. annèe de* Nabonaſſar, *& la 16. de* Jonathan *Roy de Juda 742. ans avant* Jeſus-Chriſt. Hactenus *Pezronus*: At enim non patet, qua fide id tradiderint *Africanus* & *Euſebius*; & ſi *Manethonis* fide, ut probabile eſt, an major ſit *Manethonis*, quam *Herodoti*, & *Diodori*, qui in *Sabacone* juſtitiam, æquitatem, humanitatem, & religionis ſtudium collaudant. Vide *Herodotum* lib. II. p. 60. *Diodorum Siculum* lib. I. p. 141. & quæ paulo ante obſervavimus cap. III. §. 2. Præterea quod caput rei eſt, Nahumus cum aliis prophetis Cuſchæos Ægyptiorum ſocios fuiſſe affirmat: Ecquis autem pro ſociis, & fœderatis Ægyptiorum, ſalva literarum ſacrarum autoritate, hoſtes Cuſchæos ſupponere, & ſubſtituere poterit? Juvat hanc in rem apponere verba *Prideauxii* T. I. p. 40. *Le Prophete Nahum marque que tous ces malheurs tomberent ſur elle* [intelligit urbem No-Amon] *lorſque l' Egypte*, *& l' Ethiopie etoient ſa force*; *circonſtance qui nous conduit directement a ce tems*, *où un Prince Ethiopien occupoit le Trone d' Egypte*. *Car* Sabacon *ou ſo pere de* Sevechus *etoit un Prince Ethiopien*, *qui s' etoit emparè de la couronne d' Egypte par conquete*, *& ainſi tout que lui & ſon fils regnerent*, *l' Egypte & l' Ethiopie ne formerent proprement*, *qu' un meme Pais*, *& ſe preterent un mutuel ſecours*, *de quoi on trouve plus d'un exemple durant le cours de cette guerre*. Nimirum *Prideauxius* digito intento deſignat *Tharakam*, quem filium *Sevechi* fuiſſe addit, expeditionem ſuſcipientem in Senacheribum, qui Peluſium oppugnabat. Confer quæ de *Tharaka Sabaconis* nepote, & inferioris Ægypti rege obſervat *Pezronus* dans l' antiquitè des tems retablie c. 13. p. 236. Quæ cum ita ſint: *Bochartus*, *Coccejus*, *Diodatus*, *Jo. Druſius*, *Jo. Clericus* in notis ad Geneſ. X. 4. *Jo. Marſhamus* ſec. XVIII. p. 583. & *Lampius* in diſſert. de Jeſaia nudo, & diſcalceato ſect. II. §. 3. juxta cum aliis exiſtimant, Nebucadnezarem, deleta urbe *No-Amon*, cives ejus, omni cruciatuum genere non ſolum afflixiſſe, ſed & eos, qui ſuperſtites erant, in ſervitutem abripuiſſe. Nec repugnamus, nec inficiamur apud Jerem. XLIII. 10. XLII. 29. 30. XLVI. 13. & Ezech. XXXI. & XXXII. luculenta vaticinia exſtare de Aegypto a Nabucadnezare occupanda, itemque de regibus Aegypti Hophra & Necho ab eodem ſubigendis Jerem. XLII. 30. & XLVI. 2. Largimur etiam vaticinia illa impleta eſſe per Nabucadnezarem, contra quam Joſepho Scaligero videtur[9]. Sed non poſſumus induci, ut credamus Nahumum ad tempora Nabucadnezaris reſpexiſſe. Etenim Nahumi ætas proxime poſt Jeſaiam & Micham uſque adeo ſub Jehiskia non tantum poſt deportationem X. tribuum ſed & poſt cladem Senacheribi cap. I. II. 12. eſt figenda: unde argumentum Prophetiæ deſumtum eſt, & captata occaſio prædicendi ultimum interitum Nini, & regni Aſſyriaci. [10] Adi omnino *Vitringam* in typo doctrinæ Prophet. p. 36. *Witſium* lib. I. Miſcell. c. 18. p. 257. & V. C. *Wolffium*

P. II. Biblioth. Hebr. p. 180. Accedit quod Nahumi ætate Judææ status adhuc fuit florentissimus, cum nullum ab Assyrio immineret periculum c. I. 15. Denique Ægyptus cum Cuschæis pœnas dedit Nebucadnezari cum Hierosolymam, & Judæam igni ferroque delevisset. Non possumus non subjungere verba Prideauxii T. I. p. 40. *Il faut remarquer, que la destruction de cette ville* No-Amon, *dont* Nahum *fait mention, a du preceder de quelque tems celle de Ninive. Car le Prophete parle de la primiere en Historien comme d'une chose passée, au lieu qu'il annonce la seconde en Prophete comme un evenement futur. D'ou' il resulte, que Ninive ajant etè detruite l'an vingt-neuvieme de Josias comme nous le montrerons en son lieu, la ruine de* No-Amon, *a du etre arrivèe long-tems auparavant, & ne peut plus vraisemblablement etre rapportèe qu'au tems que* Sennacherib *fit cette incursion en Ægypte, & la ravagea d'un bout a l'autre trois ans de suite. Ceux qui rapportent la* destruction de No-Amon *mentionèe par* Nahum *a l'invasion de* Nabucadonosor, *la placent apres la ruine de Ninive, & des-la mettent une parte du Text en opposition avec l'autre.* Transimus ad *Jacobum Usserium* in annalibus V. T. *Prideauxium*, & *Torniellum*, qui a Senacheribo Ægyptum ad excidium, & vastitatem vocatam esse malunt. Audire juvat *Usserium* l. c. hæc autem ejus verba sunt de *Sennacheribo* loquentis. *Ad partes Ægypti interioris perrexisse Assyrios, & captivam inde multitudinem secum abduxisse, firmior sermo Propheticus nos edocet. In hac expeditione peractum fuisse existimamus, quod de* No *potentissima, & munitissima Ægypti civitate* Nahumi *III.* 10. *legimus. In reliqua quoque Ægypto similiter completum, quod signo ante triennium Esaiæ XX.* 4. *denunciatum fuerat. Neque videmus, quare ad Judæos non sit referendum, quod in duobus sequentibus versibus subjicitur. Neque enim omnino sine causa cadere ita commonefaciendos fuisse putavit legatus Assyrius* 2. *Reg. XVIII.* 21. *Nam & eandem similitudinem de Ægyptiis, & domo Israelis ab ipso Deo usurpatam in Ezech. XXXIX.* 6. 7. *& multa adversus vanam Judæorum in Ægyptiacis auxiliis confidentiam in Esaiæ XXX. XXXI.* prolata legimus, atque inter alia illud quoque Esaiæ XXX. *3. 7. Usserii* autem vestigia suo more premit *Humfredus Prideauxius* dans l'histoire des Juifs T. I. p. 39. cum enim commemorasset, *Sargonem* Asyriæ regem, sive *Sennacheribum*, (nam secundum *Usserium* & *Prideauxium*, Sennacherib etiam *Sargonis* nomen habuit) per Thartanem *vi Asotum expugnasse* addit; *c'est de la prise de cette place, qu'Esaie date le commencement de la guerre, quæ* Sennacherib *fit aus Egyptiens, & dans la quelle, comme l'avoit predit ce Prophete* xx. 3. 4. *il fit beaucoup de mal a ce Peuple* trois ans de suite, *detruisant leurs villes, & en emmenant un grand nombre d'habitans en captivitè*, Et quo magis credas *Sennacheribum* arma victricia in Ægypto circumferentem, *Thebis* quoque, sive *Diospoli* summam attulisse cladem, ex *Herodoti* lib. II. c. 141. refert, *Sethonem* illa ætate Ægypti regem (hunc autem cum *Pezrono*, *Usserio*, aliisque, *Sabbaconis* illius *Æthiopis filium* fuisse existimat) superstitioni anili obnoxium, quia Uulcani sacerdos erat, curam imperii neglexisse, ita quidem, ut cum in odium militum veteranorum, quibus prædia ex antiquorum regum legibus hæreditaria eripuerat, incurrisset, robustissimis *Sennacheribi* copiis tironem & collectitium exercitum præpostero consilio opposuerit. Tandem vero *Prideaux*, hisce ita præmissis, *Nahumi* verba de *clade Thebarum* refert ad annum 703. ante æram Christi, & Ezechiæ 15. persuasus, *Sennacheribum* crebras in Ægyptum incursiones fecisse, & populationes, *Thebas* ipsas nudasse, & exhausisse, primoribus virisque principibus in servitutem abstractis. Atque hos autores, qui Thebarum cladem ad *Sennacheribum* Ægypti direptorem, & vexatorem referunt, paulo verbosius excercere placuit, qui præter autores adductos ita sentiunt 2. Reg. XIX. 9. ubi dicitur *Theraka* Cuschæorum rex contra *Sennacheribum* expeditionem fecisse. En quanta fiducia hæc verba interpretetur *Pezronus* Antiquit. Temp. instaur. Cap. XIII. p. 239. *Ezechiam* dicit sibi ab Assyrio metuentem, cum Tharaka societatem iniisse (id quidem colligere vult *Pezronus* ex Esajæ XXX. 4. XXXVII. 25.) qui proinde secundum fœderis lege *Ezechiæ* in auxilium venerit, & cum *Sennacheribo* in prælium descendens succubuerit: Ita quidem ut *Sennacheribus* plures Ægyptios & Cuschæos abduxerit captivos. Sed quid si hic occurrat *pergula pictorum*, *verum nihil*, *omnia falsa*? Videamus enim perspicua & luculenta verba Esaiæ 2. Reg. XIX. 6. *Ego eum ita afflabo*, *ut accepto nuntio terram suam repetat*. Quis hic nuntius nisi ille de adventu *Tarakæ* principis illo tempore clarissimi & potentissimi [11]? Confer vers. 9. Ita quidem res est; sed *Prideauxius* T. I. p. 43. verba illa Esaiæ de clade illa horrenda, quam Angelus *Sennacheribi* exercitui inflixit 2. Reg. XIX. 35. Esaiæ XXXVII. 36. mavult accipere, persuasus, *Sennacheribi copias ex pestifero Euri*

afflatu periisse. Cum enim de Euri pestifero afflatu *Thevenotum* P. II. lib. 1. c. 20. & P. II. lib. 2. cap. 16. & P. I. lib. 2. cap. 20. testem, adduxisset, inquit: *si nous en croions le Talmud Babylonien, cette armèe Assyrienne fut detruite par la tonnere. On cite meme des Targumim qui avancent la meme chose. Mais il est plus vrai semblable, qu' elle perit par un vent chaud, que Dieu fit suffler contre elle, vent qui est fort commun dans ces regions-là, & qui y fait de grands ravages etouffant dans un moment des milliers de personnes, comme il arrive souvent a ces grandes Caravanes des Mahometans, qui vont tous les ans en pelerinage a la Mecque. Jeremie*, chap. LI. v. 1. *appelle ce vent un vent, de destruction, ce que la version Arabe a rendu par un vent chaud pestilentiel. La menace, qu' Esaiæ* (XXXVII. 7. 2. Reg. XIX. 7.) *fait a Sennacherib* d' un certain bruit *ou souffle de vent, que Dieu lui feroit entendre, semblee encore insinuer la meme chose*. Esto autem verba Esaiæ de ecnephiis, typhonibus, & presteribus austrinis intelligi posse, nobis autem largietur *Prideauxius*, nostram explanationem a vero non abludere, cum verba prophetæ non arctis adeo limitibus circumscribenda, sed generatim accipienda nuntium de adventu *Tharakæ* suo quasi ambitu complectantur. [12] *Sennacheribus* itaque in Judæam cum grandi exercitu veniens, & per ea loca, quæ indicat Esaias x. 27. copias ducens, tum quidem recta transiit in Aegyptum, cum majore exercitus sui parte, reliqua sed minore relicta in urbibus quibusdam, quas in Cananæa occupaverat: At idem hærens apud Pelusium nuntium accepit de motu *Tharakæ*, sive *Tharaconis* Cuschæorum regis, ac proinde cum illa exercitus parte, quam in Aegyptum duxerat, infectis rebus in Judæam retro cessit. Vide omnino V. C. C. *Frid. Adolfum Lampium* in diss. de Jesaia nudo & discalceato sect. II. §. 2. *Augustinum Calmetum* in singulari dissert. de Sennacheribi clade. Largitur quidem *Prideassius* l. c. Sennacheribum audito Therakæ adventu, Pelussi obsidionem, in qua diu multumque hæserat, solvisse, & cum in Judæam revertisset, apud Lachim stativa habuisse, 2. Reg. XVIII. 17. 18. 2. Paral. XXXII. 9. 10. Esaiæ XXXVI. 2. mox tamen ex eo quod Esaiæ XXXVII. 8. *Rabsaces Hierosolymis reversus Assyriæ regem* (Sennacheribum) *quem a Lachi discessisse acceperat, Lebnam oppugnantem invenit, quodve Sennacheribus, cum audiret Tharakum Æthiopiæ regem in se expeditionem facere, legatos iterum ad Ezechiam misit*, colligit, *Prideauxius*, Sennacheribum non solum Tharacæ cum magnis copiis adventantis impetum sustinuisse, sed & ubi descensum est in aciem, signisque collatis justo prælio pugnatum, superiorem discessisse, fusis fugatisque Tharacæ copiis. At nequis dicat *Prideauxium*, hæc nullis rationibus subnixum colligere, addit Esaiæ de Ægyptiorum, atque Æthiopum captivitate c. XVIII. XX. vaticiniis hoc pacto respondisse eventum, addit, Sennacheribum insigni illa victoria ovantem tantos sibi sumsisse spiritus, ut præter literas minarum plenas, de Hierosolymis expugnandis consilium ceperit. Sed ipsa *Prideauxii* verba apponere libitum est: *a leur retour* (intelligit Rabsacis comitumque ejus ad Sennacheribum reditum) *ils trouverent Sennacherib decampè de Lakis, & attachè au siege de Libna, ou sur la nouvelle, qui lui vint, que Tirbaka s'avancoit de Peluse vers lui, il prit le parti d' aller a sa rencontre; & lui ajant livre la bataille, il le defit entierement. En quoi ce Prince ne fut que l' executeur des volentex de Dieu qui selon la prediction d' Esaie l' avoit destinè a etre comme un pesant fardeau tant sur l' Egypte, que sur l' Ethiopie en punition de leurs pechex. Sennacherib avant que de marcher contre Tirbaka avoit envoiè sommer da noveaux Ezechias, avec une lettre pleine de blasphemе, dans la quelle il defioit le Roy de Juda ausi-bien que son Dieu d' une maniere tout a fait impie; audace qui excita si fort contre lui la juste colere de Dieu, qu' il l' en punit, tres-severement, en faisant perir la plus grande partie de son Armèe. Car lorsque* ce Prince enfle de sa Victoire, *s' avancoit vers Jerusalem a' dessein de detruire cete vilie, & tout ce qui y etoit renferme, un Ange du Seigneur survint, & dans une nuit extermina cent quatre vingt-cinque mille hommes de l' armee des Assyriens, de sorte que le lendemain Sennacherib trouva son camp couvert des cadavres*. At vero incertum adhuc est, ausus sit nec ne Sennacheribus cum Tharaka congredi, & fortunam belli experiri, quod vero ad illa Esaiæ vaticinia de captivitate Æthiopum atque Ægyptiorum attinet, ad alia sunt referenda tempora, uti paulo inferius videbimus. Aliam adhuc viam ingreditur *Usserius*, & ad consensum Scriptoris profani provocat, *Berosi* puta. *Berosus in Chaldaica sua historia apud* Josephum lib. x. c. 1. *Et apud Assyrios regnavisse Sennacheribum scripsit, & totam Asiam atque Ægyptum bello infestavisse*. Tum vero triennio *gestum ab eo fuisse bellum Ægyptiacum, & cum eo conjunctum Palæstinum* ex Esaiæ cap. x. *colligimus: in quo Propheta, deposito cilicio, i. e. vestimento suo* prophe-

prophetico villoso, *ut Zachar.* XIII. 4. *a lumbis suis*, *& calceamento de pede suo ita nudatus & discalceatus* triennio *incedere jussus est in signum & ostentum contra Ægyptios & Æthiopes*, *quod eo temporis spatio confecto*, *similem in modum superiore vestimento nudati & discalceati*, *in captivitatem abducerentur a rege Assyriæ*. Hæc Usserius, sed forte *Berosi* fides vacillat, quemadmodum *Herodotus* historiam cladis Sennacheribi multis tenebris dicam an mendaciis involvit. Vide *Scaligerum* in notis ad veter. fragmenta p. 45. *Prideauxium* l. c. p. 44. *Matshamum* sec. XVII. p. 539. *Calmetum* in diss. supra laudata, & *Jo. Balthas. Elendium* in progr. de cladis Assyriacæ monumento ab *Herodoto* observato. Nunc aliquis cum *Usserio* objiciat Sennacheribum utrosque Aegyptios & Cuschæos perdomuisse, quia 2. Reg. XVIII. 21. legatus Sennacheribi de Aegyptiorum rebus afflictis loquitur: At vero hæc ipsa verba sententiæ Usserii aliorumque reclamant. Si enim Agyptii cum Cuschæis a Sennacheribo victi essent, quæ caussa esse posset, cur populus Judæus illo adhuc tempore Aegyptiis fideret? Quod autem Assyrius Aegyptum vocat arundinem fractam, referri debet vel ad Aegyptum hoc tempore subjectam potestati regum Arabum, quos Aethiopes vocant vel ad clades, quas ab Assyriis ante hæc tempora acceperant. Majori veritatis specie *Usserius* pro sententia sua stabilienda verba Sennacheribi apud Esaiam XXXVII. 25. afferre poterat [13]. Sed præterquam quod hæc magnificentius jactantur, quam verius [14], etiam interpretes dubitant, utrum de eventu præterito an de futuro & sperato loquatur Sennacheribus. Præterea integra oratio non convenit Sennacheribo, sed Assyriorum regi *Salmanassari*, quem nunc intento a Prophetis digito designari declarabimus.

III. Quid igitur restat quam ut statuamus Salmanassarem Sennacheribi patrem vel avum Cuschæorum & Aegyptiorum victorem extitisse? Cum enim rex hic Assyrius capta Samaria, Ephraimitas in exilium abduxisset, & Aegyptiis atque Cuschæis, qui hoc tempore societatem inierant, merito esset infensus, quippe Hoseam a fœdere & obsequio ejus deduxerant, arma sumsit adversus Aegyptios & Cuschæos, & per triennium prospero eventu cum illis bellum gessit, pluribus Aegyptiorum, atque Cuschæorum in servitutem abductis. Spectant huc verba Esaiæ XLIII. 3. Cum enim Salmanassar, post occupatam Samariam, omnino copias ducturus esset in Judæam, ut Phœniciam totam sibi haberet obnoxiam, Deus eundem suo consilio & numine ad Aegyptios & Cuschæos deduxit, quos loco Judæorum affligeret. Ceterum sententia nostra tanto majorem veritatis speciem habebit, quanto verosimilius est, Regem, qui Esaiæ XX. 2. *Sargon* dicitur, aliud quoque nomen *Salmanassaris* habuisse, recepto apud Orientis gentes more, ut reges vel hoc vel illo honoris causa nomine salutarent [16].

NOTÆ IN CAPUT QUARTUM.

[1] Vide Joelis III. 3. 6. 8. & quæ ad illum locum observavit *Seephanus le Moyne* in Epist. ad *Jac. Gronovium* de Dodone inserta Tom. VII. Thesauri *Gronovii*.

[2] Repetimus Verba Herm. Witsii in lib. sing. de X. tribubus Israelis c. IV. §. 1.

[3] Vox רמש est peculiaris ac elegantioris usus in describenda inhumana sævitia militis in teneliam ætatem sævientis, ut patet 2. Reg. VIII. 12. Es. XIII. 17. Hos. XIV. 1. Etsi de propria ejus vi non una sit interpretum sententia; id tamen certum est eam optime exponi ex Ps. CXXXVII. 9. *Beatus qui prehenderit*, & *diruperit* (ונפץ) *parvulos tuos ad rupem*, h. e. ad petram alliserit, & allidendo diruperit, & contriverit.

[4] Antiquus mos fuit, quod vel *Euripides* nos docebit, πολλοῖς δὲ κωκυτοῖσιν αἰχμαλωτίδων βοᾷ Σκάμανδρος δεσπότας κληρουμένων, *sonat scamander fœminarum planctibus*, *queis marte captis sors heros adjudicat*.

[5] *Pomp. Mela* lib. 1. c. 9. centum portas de centum aulis vel totidem principum domibus exponit, ex quo *Melæ* loco hunc illustrat *Bochartus*, persuasus, procerum summos hic denotari, qui veluti principes viri in aulis suis vixerint, sed confer de *Melæ* loco *Jo. Brodæum* Miscell. lib. VI. c. 16.

[6] Judice *Drusio* in verbo רתקו est significatio catenæ ferreæ, quæ רתוק dicitur. Vulgo bojas vocant, quæ vox reperitur etiam apud *Plautum* uti observat *Jo. Brodæus* lib. II. Miscell. c. 10. זקים hic loci vertendum per manicas quæ note vocis patet ex Jeriom. XL. 1. coll. cum v. 4. ex Esajæ XLV. 14. Job. XXXVI. 8. Ps. CXLIX. 8. Vide *Augustini* **Calmeti** dissert. singularem de suppliciis, quorum Scriptura S. meminit, & *Jac. Gussetium* in comment. L. H. p. 227.

[7] De voce ξύλον vide *HornebecKium* lib. I. Miscell. Sacr. c. XV. p. 392. *Valesium* ad *Eusebium* p. 75. *Cl. Salmasium* in lib. de modo usurarum p. 8. 2. & in notis ad *Tertulliani* pallium p. 406. *Dionysium Petavium* in notis ad *Themistium*. De nervo ejusdem fere generis vinculo *Pancirolum* ad notitiam dignitatum Imp. Orient. Tom. VII. *Grævii* p. 374. *Sagittarium* de cruciatibus Martyrum c. 11. §. XI. p. 34. *Petrum Nannium* Miscell. lib. II. c. 19. *Nic. Fullerum* Miscell. Sacr. V. 14. qui inde Judic. XVI. 17. illustrat, *Salmasium* l. c. & *Car. de Fresne* in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis.

[8] Vide plura apud *Vitringam* P. I. Comment. in Esajam p. 262. *Bochartum* P. I. Hieroz. lib. II. c. 56. p. 694. *Jo. Lud. de la Cerda* in Scholiis ad interpretat. latin. Salomonici Psalterii, *Jac. Bolducium* in Jobo elucidato, *Calmetum* in laudata de suppliciis dissert. & quæ observavimus T. I. Biblioth. Antiq. & Exeget. p. 463.

[9] Can. Isagog. lib. III. p. 319. existimat fata illa, quæ Deus minatus erat, eventu carvisse, cum pœnitentia Ægyptios subiisset. At enim *Scaligero* recte opponimus verba Jeremiæ XLVI. 13. Inde enim apparet, Jeremiam & Ezechielem vaticinia sua edidisse, cum Nebucadnezar jam jam expeditionem in Ægyptum pararet. Plura argumenta *Scaligero* opponit *Vitringa* com. in Esai. P. I. p. 332.

[10] Exinde refelli possunt *Jo. Marshamus* ad Sec. XVII. p. 514. *Calmetus*, & *Jac. Perizonius* in Originibus Ægyptiacis c. XIII. p. 217. qui existimant, *Assarhaddonem* sive *Assaradinum* filium & successorem Sennacheribi Ægyptum & Cuschæam imperio suo adjecisse: Falso. Imperio enim Assyriaco post tantam cladem in exercitu Sennacheribi acceptam, & parricidium in ipso Sennacheribo a filiis ejus commissum, quo tempore Medi, Babylonii, & aliæ gentes ab Imperio Assyriaco defecisse videntur secundum *Nicolaum Abramum* in Pharo lib. VI. c. 17. *Jo. Vorstium* in diss. de temp. defect. Medor. & Babyl. ab Assyriis, G. *Outhovium* in brevi delineatione Monarchiæ primæ, seu Assyriacæ ad rectam intelligentiam variorum locorum S. codicis, aliorumque profanorum historicorum §. 22. & *Vitringam* in notitia Babylonis & Imperii Babylonici §. 14. haud exiguo tempore opus fuit ad vires Imperii vel instaurandas, vel confirmandas.

[11] *Megasthenes* apud *Strabonem* Geograph. lib. XV. p. 472. hunc Taraconem, quem appellat *Tearconem* Æthiopem, cum Nebucadnezare & Sesostri potentissimis regibus comparat. Et famam Æthiopis nostri Taraconis forte a veteribus ut fit in majus auctam, sed sufficit tamen fuisse regem, ut Sennacheribo metum incuteret vel solius nominis fama. Ceterum hic rex Cuschæorum LXX. *Θαρακά Africano Τάρκος*, *Eusebio Ταρακὸς* dicitur. Confer J. B. *Bossuetum* dans le discours sur l' histoire universelle pour expliquer la suite de la religion, & les changemens des Empires p. 359. Nihil addimus præter verba illa *Marshami* sec. XVII. pag. 514. *qua fortuna cum Tirhaka congressus sit Sennacheribus, non liquet*. Laudamus in *Marshamo* modestiam. Nam *Jo. Lightfootus* in Chronicis temporum & ordine Textuum V. T. p. 107. Tom. I. Oper. in partem contrariam scribit. Tirhaka rex Cuschi obviam it Sanheribo 2. Reg. XIX. 9. ab eoque est profligatus. Es. XLIII. 3.

[12] A *Prideauxii* nostraque sententia alienus est *Ge. Lud. Oederus* in Πιθανῶν sive Verisimilium Quinquagena n. 26. Sic enim disserit. *Esaiæ prophetæ verba* XXXVII. 7. *coll.* 2. Reg. XIX. 7. *indigent explanatione*. Indam ei spiritum, ut audeat שמיעה sermonem. *Sennacheribus adhuc fidem non habuerat vaticiniis Esaiæ, quorum sane conscius erat* 2. Reg. XIX. 10. *Ergo promittit Deus se effecturum ut credat. Significat* שמיעה *præter* rumorem 2. Sam. XIII. 30. *vaticinia prophetarum* Esaiæ LIII. 1. Humphredus Prideaux per רוח ventum pestiferum *intelligendum conjicit, quo necati sint* 185000. *milites Sennacheribi. Sed fallitur, nam autor tantæ cladis est Angelus* מלאך *Domini Esaiæ* XXXVII. 36. *confer.* 2. *Chron.* XXXII. 21. *de ejusmodi* vento *nihil est in textu, contra facile colligitur, autorem cladis consilio usum esse: nam præstantissimum & robustissimum quenque in exercitu Assyriaco necavit, quod de ventis pestiferis dici nequit. Sed nec fama, de Tirhaka hic per* שמיעה *intelligitur de qua* 2. Reg. XIX. 9. *Nam Tirhakam Sennacheribus vicit, ut Esaias XX. vaticinatus fuerat, eaque victoria insolentior factus Assyrius, majori vi Hierosolyma aggressus est*. Hec *Oederus*, qui idoneis mihi destitutus videtur argumentis. Quod enim ad *Prideauxium* attinet, ejus sententia magis magisque confirmari poterit, modo conferatur diss. nostra *de Ecnephiis, Typhonibus, & Presteribus Austrinis Arabiam desertam irruentibus & infestantibus* §. 5. Quæ autem de Tirhakæ clade adduntur, incerta sunt.

[13] Verbum de verbo reddes: *Et exsiccabo*. Est autem hic מצור pro מצרים Ægypto, etsi vere vox munitionem denotet, & Nilus sano sensu dicatur fuisse Ægypti munimentum. Vide de voce מצור pro Ægypto accepta 2. Reg. XIX. 24. Es. XIX. 6. Michæ VII. 12. & *Bochartum* Geograph. S. lib. IV. c. 24.

[14] Confer *Bochartum* P. II. Hieroz. lib. V. c. 15. p. 766.

[15] Nomen autem *Sargon* diversum ab eo Salmanassaris (שלמן-אסר) nos hic non moratur. Videtur enim *Salman* Hos. X. 14. vel *Salmanassar* (unus enim idemque rex est, vide omnino *Abrahamum Calovium* in dissert. ad Hos. X. 14. de crudelissima Arbelæ destructione P. II. c. 2. §. 4. seq.) nomen esse honoris causa huic regi datum, similis potestatis, cujus est rex *Salomo*. Est enim שלמן-אסר *æquus* vel *pacificus princeps*; Sed סרגון forte communis nomen hujus regis, in cujus significatione inquirenda opera forte luderetur: Posset tamen valere *princeps protector*, vel *defensor*: compositum est ex סר pro אסר Assar, vel Eser, ex Hebræo שר *princeps* (est enim אשר vel אסר *Asar* vel *Esar* in nominibus Assyriorum regum, ut in *Phul-Asar*, *Salman-Asar*, *Asar-Haddon*, *Nabon-Asar*, *Nabopol-Asar*, monente *G. Ouohovio* in brevi delineatione Monarchiæ primæ, seu Assyriacæ §. 7. in Bibl. Brem. class. V. fascic. 1. p. 9.) & נגן *protegere, defendere*, unde מגן *clypeus*. Vide post *Usserium* etiam *Vitringam* P. I. Comment. in Esaiam p. 525. ubi per *Sargonem* non Sennacheribum, uti visum est *Usserio*, sed Salmanassarem intelligit.

[16] Consule *Cellarium* in dissert. Academ. p. 195. & in Histor. antiqua p. 5.

CAPUT QUINTUM.

De Urbis No-Amon *post excidium melioribus per varias temporum vicissitudines fatis*.

I. Quandoquidem in tota hac dissertatione vaticinia divinorum Scriptorum tanquam filum aliquod Ariadneum, quod dici solet, secuti sumus suo loco, & ordine non alienum fuerit ab instituto nostro, si quæramus, *annon urbs illa mitiores tandem fatorum vices expectare debuerit, Deo summo Imperiorum arbitro incommoda quæque ad bonos vertente eventus*? Et vero occurrit nobis in ejus rei fidem vaticinium *Ezechielis*. Prædicit is XXX. 14. 16. *Deum terra Pathros evastaturum, & in* No *exempla editurum, urbem prorsus effringendam*; at meliora fata jubet expectare Deus apud eundem Prophetam XXIX. 12. *reddam*, inquit, *Ægyptum terram vastam, & unam de vastis terris, ejusque urbes inter desolatas urbes erunt vastæ annos quadraginta, atque ipsos Ægyptios per gentes, & terras ultro citroque dissipabo. Peractis annis quadraginta, colligam Ægyptios ex populis, quo fuerint dissipati, revocatosque Ægyptios captivos reducam in terram Pathros, quod eorum natale solum est, ubi erunt humile regnum: quod regnorum infimum non se amplius supra gentes efferet eis a me diminutis, ne gentibus imperent*. Conferenda utique erunt cum *Ezechielis* verbis illa *Jeremiæ XLVI.* 25. 26. *Ego in Amon de* No, *in Pharaonem, & Ægyptum, inque Ægypti & deos & reges, & tum in Pharaonem, tum in confidentes ei, animadvertam, eosque eorum necem cupientibus, & Nabuchodonosori Babyloniæ regi, ejusque ministris in potestatem tradam: deinde habitabitur ut olim, inquit Jehova*. Quo vero hæc omnia intelligantur rectius, dicemus primo *de terra Pathros*,

secundo

ſecundo *de clade Ægyptiaca*, *ejus cauſis*, *&* *occaſione*, poſtremo *demelioribus poſt quadraginta annos fatis*.

II. Terra *Pathros* eſt *Thebais*, vide *Sam. Bochartum* in Phaleg lib. IV. c. 27. p. 313. & *Jo. Marshamum* in Can. Chron. Sec. I. p. 24. Quando igitur Deus promittit ſe Ægyptios *in terra Pathros*, quæ ipſis natale ſolum fuerit, reducturum, fas utique erit *Thebaidem* intelligere, quam præcipue afflixerat *Nebucadnazar* in captivitatem abducens pleroſque *Thebarum* incolas. Quod ad *cladem* attinet, quam Nebucadnezar Ægypto intulit, ea non una fuit, cum Deus in duos illa ætate Ægypti reges ſeverius aliquantum, rege Babylonis adminiſtro iræ divinæ animadvertere conſtituiſſet. *Nechaos Pſammitichi filius* patri ſuceſſit in regno Ægypti, fuit autem rex elati, & magna ſpirantis animi, priſtinæ Ægyptiorum gloriæ æmulus, imperium Aſiæ, quod pater lente tentaverat, recuperare ſuſcepit. Ut eſt apud *Herodotum* lib. II. c. 159. Comparavit copias bellicas & conſtruxit triremes tum in mari ſeptentrionali, quam in ſinu Arabico ad mare rubrum: quarum navalia adhuc cernantur. Idem Judæorum oppreſſor, 2. Reg. XVIII. 33. urbem כרכמיש *Carchemis* expugnavit 2. Paralip. XXXV. 20. quippe *urbem Aſſyriacæ ditionis*; nec expugnavit ſolum, ſed & urbe capta & præſidiis munita, omnem Syriam ſub poteſtatem redegit. At vero Nabo-polaſſarus rex Babylonis, idemque bellicoſiſſimus, auſpiciis filii Nabuchodonoſoris ea quæ rex Ægypti in Syria obtinuerat, recuperare properavit, & ducto adverſus Ægyptiorum præſidia, exercitu, Nechonem fudit, fugavitque Jeremiæ XLVI. 2. Ad hunc igitur modum Nechos totam amiſit Syriam, quam non ita pridem nullo negotio acquiſiverat. Nec deinceps ſuis finibus egreſſus eſt ille Ægypti rex, quoniam Babyloniæ rex *a fluvio Ægypti ad fluvium Euphratem* quicquid Ægyptii regis erat, ceperat 2. Reg. XXIV. 7. [2] Operæ pretium fuerit audire *Humphredum Prideaux* dans l'hiſtoire des Juifs Tom. I. p. 118. *Nabucodonoſor emploia le reſte de l'annèe a faire la guerre aux Egiptiens, ce qu' il fit ſi heureſement, qu' avant l' hiver ſuivant il leur enleva tout ce, qu' ils poſſedoient depuis l'Euphrate juſqu' au fleuve d' Egypte ce qui comprenoit toute le Syrie, & toute la Paleſtine. Ce fleuve d'Egypte, dont il eſt ſi ſouvent parle dans l' Ecriture, n' etoit pas le Nil, comme pluſieurs le croient, mais une petite riviere, qui coulant au travers de deſert, qui eſt entre ce deux Pais, paſſoit anciennement pour leur borne commune. C' eſt juſque-la que s' etendoit le Pais, qui fuit promis a la poſteritè d' Abraham* Gen. XV. 18. *& qui lui fut enſuite diviſè par ſort*. Joſ. XV. 4. Atque hæc quidem prima Ægyptiorum clades fuit, quam ad Euphratem amiſſa Syria acceperunt, ſed multo gravior eſt illa, quam domi percepere, ipſa Ægypto a Nebucadnezare occupata, cum Pharao Hophra regno præeſſet, Jerem. XLIV. 30. *Joſephus Scaliger* in *Euſ.* p. 82. & in Can. Iſag. p. 288. 302. vocem hebræam non *Hophra* ut Maſorethæ, ſed *Haprea* pronunciandam cenſet, ut ſit Απρίης *Herodoti*. Quicquid autem ejus rei erit, rex hic Ægypti teſte *Herodoto* lib. II. c. 161. *proſpere regnavit annos 25. bellum Sidoni intulit, & navali pugna cum Tyro dimicavit, & poſt Pſammitichum avum ſuum* (qui patriam a Tyrannide liberaverat, Monarchiamque reſtituerat) *fuit* εὐδαιμονέστατος τῶν προτέρων βασιλήων, *regum ante eum fortunatiſſimus*. Certe idem cum inſtructiſſimis terra marique copiis in Cyprum, & Phœnicem impreſſione facta, Sidonem vi cepit, aliaſque Phœnices urbes terrore ſubegit, & ingenti pugna navali, Phœnicibus & Cypriis devictis, cum magna ſpoliorum vi in Ægyptum rediit. Vide quæ ex *Diodoro Siculo* obſervavit *Juſtus Martinus Glaſenerus* in diatriba de Dracone inſigni Regum Ægyptiorum ad illuſtrandum Ezech. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. §. 11. p. *996*. Bibl. Brem. claſ. 7. faſcic. *6*. Hinc eodem *Herodoto* teſte lib. II. c. *169*. tantos ſibi ſumſit ſpiritus, credens adeo ſe firmatum habere regnum, ut ne Deus quidem illud ſibi eripere poſſet. Fidem utique faciunt ejuſdem regis verba Ezech. XXIX. 3. *Mihi eſt flumen meum, nam ego feci mihi*. Vide omnino *Jac. Uſſerium* in annal. V. T. p. 72. *Humfredum Prideaux* dans l'hiſtoire des Juifs T. I. p. 167. *Paulum Pezronum* dans l'antiquitè des tems retablie c. 13. p. 247. & quæ obſervavimus T. II. der Erorterung der dunckelſten Schriffſtellen des Alten Teſtam. p. *1069*. ſeq. Sed ad *cladem* ejuſque *cauſas & occaſionem* veniamus neceſſe eſt. Nimirum Libyci cum rege Adriano agris a Cyrenæis exuti, Apriæ Ægyptiorum regi ſeſe dediderunt. Ille comparatum grandem Ægyptiorum exercitum adverſus Cyrenas miſit. Cyrenæi inſtructa apud Iraſa, & ad fontem Theſin acie, hoſtes ita profligarunt, ut pauci ex eis in Ægyptum redirent. Qua de re Ægyptii ſuccenſentes Apriæ ab eo deſciverunt opinati ſe ab illo in apertam perniciem fuiſſe dimiſſos, ut his internecione deletis, ipſe ceteris Ægyptiis imperitaret ſecurius. Amaſis (Saites ille a *Platone* in Timæo celebratis) ab Apria ad

pacan-

pacandos rebelles missus, rex ab illis creatur. Patarbeni viro spectabili ad Amasim revocandum misso, quod eum secum non adduxisset, Apriæ jussu aures & nares præciduntur. Cujus facti indignitate moti alii, ad Amasis partes transierunt. Nebucadenezar itaque Ægyptiacæ seditionis captata occasione, & ab Amasi etiam fortasse ad subigendum Apriam invitatus, in Ægyptum cum exercitu invasit, Ægyptoque potitus, a Syene usque in terminum tunc Ægyptiorum tum Judæorum inter illos habitantium alios gladio cecidit, alios abduxit captivos secundum vaticinia Jerem. XLIII. XLIV. XLVI. Ezech. XXIX. XXX. XXXI. Nimirum Deus promiserat Ezech. XXIX. 17. 20. se Nebucadnezari ob diuturnam in Tyriis debellandis navatam sibi operam, Ægyptum mercedis loco daturum. Quod vero Nebucadnezar prædam & captivos ex Ægypto egerit, perspicue etiam indicatur Jerem. XLVI. 26. quæ *Herodotus* ignoravit, quia Sacerdotes illi Ægyptii, qui ei sciscitanti de rebus Ægyptiacis respondebant, ea quæ ad laudem gentis faciebant, tantum docuerunt cetera quæ ad illorum ignaviam servitutem, & tributa, quæ Chaldæis pendebant, tacuerunt. Atqui ex *Beroso* & Jeremia constat, illos reges Ægyptios præcario regnasse, & Babyloniis vectigales fuisse. Hæc quidem verba sunt *Josephi Scaligeri* in notis ad veterum fragmenta p. II. summopere ab *Usserio* in annal. V. T. p. 76. *Marshamo* in Can. Chron. sec. XVIII. p. 582. aliisque laudata, jam vero operæ pretium fuerit subjungere verba *Humfredi Prideauxii* Tom. I. dans l' histoire des Juifs p. 165. *En effet, conformement a cette prediction* [Ezech. XXIX. 17. 20.] *la meme annee & immediatement apres la prise de Tyr, le Roy de Babylone profitant des divisions intestines, ou la revolte d' Amasis avoit jette ce Royaume, marcha de ce cotè-là a la tete de son Armee. Il subjugua l' Egypte* (Ezech. XXX. 6.) *depuis Migdol ou Magdole, qui est a l'entree de ce Royaume, jusques a Syene, qui est l' autre extremitè vers les frontieres d' Ethiopie; il y fit par tout d' horribiles ravages* (Ezech. XXIX. 30. 32.) *tua un grand nombre d' habitans, & reduisit le Pais dan une si grande desolation, qu' il ne put se retablir de quarante ans* (Ezech. XXIX. 13.) *Nabucodonosor aiant chargè son armee de depouilles, & soumis tout le Royaume, en vint a un accommodement avec Amasis; & l' ajant confirmè dans la possession du Royaume comme son Viceroi, il reprit le chemin de Babylone.* Nimirum in Thebaidem pulso Pharaone Hophra, sive Apria, reliquæ Ægypto Amasim Nebucadnezar proregem fecisse videtur, etiamsi *Herodotus* propter rationes paulo allatas ignoravit. Apries enim conductis Auxiliariorum ex Jonibus & Caribus triginta millibus ad urbem Memphim cum Amasi congressus est, sed prælio fugatus, & captus asservatusque in urbe Saitona, demum in laqueum collum inserere debuit, secundum vaticinium Jerem. XLIV. 30. Confer *Herodotum* lib. II. c. 163. 169. & *Diodorum Siculum* lib. I.

III. Pergimus ad XL. annorum tempus, eoque elapso ad meliora urbis fata. Rem totam ita exponit *Jo. Marshamus* sec. XVIII. pag. 184. *Principium calamitatis fuit gravissimum, rege sublato, populo abducto, libertate amissa, & concursu negotiatorum cessante. Postea vero turbatis Babyloniorum rebus, & inclinata eorum fortuna reflorescere cœpit, libertatem recuperavit & commercia, & instauratum est regnum.* Syriam *quidem nunquam recuperavit, sed* (vide *Herodotum* lib. II. in fine) Cyprum *obtinuit rex Amasis.* Quadraginta anni *posteriora Nabuchodonosori* II. *tempora spectant.* Quod si post Apriæ mortem 44. regnavit Amasis, ut in lib. III. c. 10. refert *Herodotus* (vide & *Cellarium* in Histor. antiq. p. 173.) nonnulli forte cum *Justo Martino Glasenero* in diatriba de Dracone Insigni Regum Ægyptiorum §. 13. p. 1006. sub Amasis præfectura XL. annos desolationis decurrisse judicabunt. Utcunque autem se res habet, vel ipso XL. annorum sub Amasi exacto, vel post istud XL. annorum tempus transactum, Ægyptus quidem mitiora fata habuit, captivis etiam redeuntibus, mansit tamen *humile regnum*, ut Propheta prædixerat, nec se amplius supra gentes alias efferre potuit. Præterquam enim quod Amasis Babylonio fuit vectigalis, ex stipendiariis vel regulus vel præfectus, uti recte affirmant *Scaliger*, *Usserius*, *Prideauxius*, *Glasenerus*, aliique [id quod tamen Sacerdotes Ægyptii *Herodotum* celarunt] etiam secula Amasim insequentia nos docebunt, divino illo vaticinio respondisse eventum. En verba *Prideauxii* Tom. I. dans l' histoire des Juifs p. 141. *Il leur predit encore* (*Ezech.* XXX. 13.) *qu' ils seroient reduits si bas, & dans un etat si meprisable, qu' ils n' auroient plus a l' avenir aucun Prince de leur nation; ce que l' evenement justifie. Car peu de tems apres l' expiration de ces quarante annees, ils devinrent une province des Perses, & depuis ce tems-là ils ont toujours etè goveurnez par des etrangers. Car apres l' extinction de Royaume des Perses, ils ont etè successivement assujetis aux Macedoniens, aux Romains, aut Sarazins, aut Mammelucs, & enfin aux Turcs, qui en sont aujourdhui le Maitres.*

Recte

Recte quidem affirmat *Prideauxius* ab Ezechiele l. c. secula etiam longius remota ab Amasis ætate respici, interim cave credas eandem urbi No-Amon cladem ultimam interminari. Etenim Jeremias Thebæos spe hac erigit, fore ut urbs illorum *iterum habitetur*, ut diebus pristinis, quod & postea contigit. [4] Tandem tamen eadem urbs varia clade obstricta est, & solo prorsus æquata. A Cambyse capta est, & male multata, post conditam Alexandriam primatum amisit, a Ptolemæo Lathuro ad paupertatem redacta, eandem contra quam *Scaligero* in animadvers. ad *Euseb.* Chronica videtur, ad solum diruit sub Augusto Cornelius Gallus. Vide plura hanc in rem apud *Bochartum* in Phaleg lib. IV. cap. 27. p. 315. & *Marshamum* in Can. Chron. sec. XV. p. 421. nos in præsenti addimus illud poetæ. *Ecce vetus Thebe centum jacet obruta portis.*

NOTÆ IN CAPUT QUINTUM.

[1] Quæ urbs hoc nomine in sacris literis insignitur (vide etiam Esaiæ X. 9. Jerem. XLVI. 2.) eadem apud profanos Scriptores *Cercusium*, sive *Circesium*, seu *Circessus* appellatur, sita in angulo, quam Aboras seu Chabora fluvius cum Euphrate facit. Vid. *Jo. Marshamum* in Can. Chron. Sec. XVIII. p. 569. *Bochartum* in *Phaleg.* lib. IV. cap. 21. *Cellarium* in Geograph. antiq. lib. III. c. 15. p. 716. *Nic. Fullerum* Miscell. Sacrar. lib. III. c. 2.

[2] *Fluvius Ægypti* fuit Israelitidis terminus Num. XXXIV. 5. idem qui dicitur Sihor super faciem Ægypti Jos. XIII. 3. *Nilus* hebraice *Sihor*, unde quidam *Nilum* intelligunt, LXX. vero *torrentem ad Rinochoruram*. Hactenus *Marshamus* Sec. XVIII. p. 573. sed de *torrente Ægypti* dicenda sunt paulo distinctius, quæ ex S. Scripturis sunt cognita. Longitudo terræ Sanctæ sic describitur *ab Hemath*, *usque ad torrentem Ægypti* 1. Reg. VIII. 65. 2. Paral. VII. 8. ubi *Nilus* nequaquam intelligi potest, quia quæ inter Pelusium & Rhincoluram continentur, Ægyptii juris erant, & extra sortem promissæ terræ. Et jam latitudinis descriptioni hic torrens adhibetur Jos. XV. 4. *a summitate salsissimi maris ad torrentem Ægypti*. Hæc latitudo australis per rectam lineam: nonunquam latitudo maxima quasi *διαγώνιος*, oblique ab hujus torrentis ostio ad fluvium ducta Euphratem designatur Gen. XV. 18. *Semini tuo dabo terram a fluvio Ægypti usque ad fluvium Magnum Euphratem*. Cui similis loquendi formula, in alio tamen argumento, est 2. Reg. XXIV. 7. Philistæorum etiam regionis linea australis torrens hic Ægypti fuit Jos. XV. 47. *Gaza cum villis & villulis suis, usque ad torrentem Ægypti*. Et antea Cap. XIII. 3. Longitudo Philisticæ regionis ita definitur; *a Sihor qui contra Ægyptum usque fines Accaronis*. Varie interpretes *Sihor* reddunt, ut tamen plerique flumen aliquod intelligant: Soli LXX. *ἀπὸ γῆς ἐρήμου a solitudine*. Nam *Kimchi & Raschi Nilus est*. Vulgatus, *a fluvio turbido*; & 1. Paral. XIII. 5. *congregavit David omnem Israel a Sihor Ægypti usque ad ingressum Hemath*: hic Targum, *a Nilo Ægypti*: at quando David ad Nilum usque imperium produxit, aut ullus Israelitarum? ut vero in *Hemath* erravit Targumista iste, Antiochiam vertendo, ita etiam in *Sihor* potuit. Græci *ἀπὸ ὁρίων Αἰγύπτου a finibus Ægypti*. At Nilus non in finibus, sed media Ægypto fluit. Sed esto appellativum *Sihor* esse, & turbidum fluvium significare, in limitis tamen Palæstinensis designatione, *congruentius ad torrentem Rhinocoruræ quam ad Nilum a limite longius remotum*, referetur, licet alibi Jerem. II. 18. ad *Nilum* videatur id nomen transductum esse, ubi Græcorum Codicum pars Γηῶν legunt, pars retenta Hebræa voce Σιώρ. Quodque ergo nomen proprium fuit *torrens* tamen *Ægypti ad Rinocholuram est*, & terminat terram Israelis. Vide *Christoph. Cellar.* Geograph. Antiq. lib. III. c. 13. p. 612. *Nic. Fullerum* Miscell. Sacr. lib. II. c. 8. *Jo. Lightfootum* in Centuria Chorographica Matthæo præmissa c. 8. & in Decade Chorograph. Marco præmissa c. 1. §. 4.

[3] *Ægypti* conditionem *Regibus Persidis imperantibus* satis luculenter exponunt *Pezronus* dans l'antiquitè des tems retablie c. 13. p. 248. seq. & *Cellarius* in Histor. antiq. p. 173.

[4] Fidem faciunt verba illa *Usserii* in Annal. ad A. M. 3923. pag. 403. *Thebæos tertio a defectione anno Ptolemæus Lathurus in potestatem suam redactos, graviter multavit, ut qui ante ditissimas quasque Græciæ civitates opibus superarant, nullum pristinæ fortunæ vestigium retinuerint*. Ita Pausanias *in Atticis sic ista referens, quasi ad Thebas Boeotias ita spectarent, non* ad Thebas Ægyptias. Eundem errorem in *Pausania* notat *Prideaux* dans l'Histoire des Juifs Tom. IV. p. 169. confessus, *Thebas Ægyptias* ex summo illo melioris fortunæ fastigio concidisse, suique memoriam posteris reliquisse.

CAPUT SEXTUM.

Complectitur varia λείψανα *ad urbem* No-Amon *ejusque antiquitates merito referenda* [1].

I. SAnchoniathon Berytius apud *Eusebium* præparat. Evangel. lib. 1. c. 19. *τὴν κοσμογονίαν* suam contulisse dicitur *τοῖς ἀπὸ τῶν ἀδύτων εὑρεθεῖσιν ἀποκρύφοις* ΑΜΜΟΥΝΕΩΝ ΓΡΑΜΜΑΣΙ *συγκειμένοις, ἃ δὴ οὐκ ἦν πᾶσι γνώριμα*, *cum iis quæ in adytis reperta sunt, & composita* Arcanis Ammoneorum literis, *quæ non sunt omnibus notæ*. Ubi igitur ad hæc verba ventum est, addit *Marshamus* sec. X. p. 244. *Ammonei sunt Thebani*, *Ammon-No*, Ezech. XXX. 15. *Thebæ*: *uterque Mercurius in Thebanorum regum censu* [2], quæ sententia *Marshami* si aliquo veritatis fundamento nititur, magna jam olim fama fuit sacræ eruditionis in Thebanis. Utut erit Zoroastri, & Hermeti adjungit, quinimo præponit *Amunem* quendam *Ægyptium Synesius* in Dione p. 51. *Petavius* quidem in notis demonstrat se existimasse, quod Synesio sermo sit de *Amune*, sive *Amunte* Monacho, de quo præter *Socratem*, *So-*

zomenum, ac *Svidam* meminit in hiſtoria Lanſo in ſcripta *Palladius* Epiſcopus Aſponenſis. At enim longe verior ſententia videtur *Cotelerii* T. III. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ p. 564. arbitrantis, a *Syneſio* intelligi *Amunem* quendam *Ægyptium* ſapientem vetuſtiſſimum *Hermetis trimegiſti* æqualem. Ab hoc fortaſſis *Amune* ſcripta Ἀμμωνέων memorata *Euſebio* lib. 1. Præparat. Evangel. c. 9. & Apocrypha Ἀμμωνέων γράμματα *Philoni Byblio* apud eundem lib. X. c. 15. quanquam ex *Reineſii* ſententia p. 97. Var. Lect. Ἀμμωνέες dicti ſunt *Sacerdotes Ægyptiorum*. Sed & hi fortaſſis ab antiquo illo *Amune* nomen habuerunt, qui in *Platonis* Phædro dicitur *Thamus*. Eundem ſane hunc eſſe, de quo apud *Syneſium* ſermo eſt, res ipſa declarat. Refert enim *Plato* Theutum tum alia præclara, tum inventum literarum tanquam memoriæ, & ſapientiæ eximium inſtrumentum *Thamuni* Ægypti Regi commendaſſe *Thamus* hic Ægyptius memoratur a *Philoſtrato*, & aliis. Ceterum a *Philippo Cluverio* in Germania antiqua p. 195. præter rem confunditur cum protoplaſto Adamo, uti ab *Huetio* p. 119. Demonſtrat. Evangel. cum Moſe: Rectius *Cœlius Rhodiginus* lib. 22. Antiq. lect. c. 15. eum cum *Ammone* eundem facit, illo puta, ad quem ſcripſiſſe fertur *Mercurius Triſmegiſtus*. Sane *Plutarchus* de Iſide & Oſiride p. 354. autor eſt nomen *Amun*, quod Jovi quidam proprium eſſe affirmarint, producto vocabulo *Ammonem* a Græcis appellari. De ſignificatione ejuſdem nominis conſulendus præter *Plutarchum Jamblichus* lib. de myſteriis Ægyptiorum ſect. 8. c. 3.

II. Ante hæc in præſenti de *literis arcanis* Ammonæorum ex *Joh. Alb. Fabricii* Biblioth. Græca lib. 1. c. 2. §. 2. retuliſſe ſufficiat, cum alio loco, & tempore *ſingularem* de חמנים *diſſertationem* cum erudito communicabimus lectore. Idem *Marſhamus* ſec. X. p. 245. *anni reformationes Thebanis adſcribit. Hactenus*, inquit: *Ægyptii anno uſi ſunt æquabili XII. menſium, quorum quilibet habuit dies tricenos, ita ut totus annus haberet dies tantum 360. Hujus anni tanta erat a curſu ſolis diſcrepantia, ut certo adhuc nulla eſſe potuerit ſcientia Aſtronomica. Emendatione itaque opus erat, quam Thebanus jam introduxit Mercurius*. Nec libet jam nec vacat ſententiam *Marſhamii* ad examen vocare, cum *Herm. VVitſius* in Ægyptiacis lib. II. c. 7. id jam pridem fecerit: Secundum enim *VVitſium* I. annorum menſiumque diſtinctio, cum ante diluvium obtinuerit, falſo Ægyptios autores habere ſtatuitur. II. Aſtrologiam Ægyptios ab Abrahamo didiciſſe multi affirmant. III. Feſta Ægyptiorum omnes anni partes peragrant; Hebræorum ſuis ſingula tempeſtatibus alligata ſunt. IV. Ægyptiorum civilis & ſacer annus cum utroque Hebræorum anno nihil commune habet. Ceterum confer infra §. 4.

III. Porro autem eidem *Marſhamo* aſſentire non poſſumus, quando ſec. IX. p. 121. *Cadmum* non *Phœnicem*, ſed *Ægyptium*, quippe *Thebis Ægyptiis* oriundum putat, ut τῇ ὑποθέσει ſerviat Phœnices literarum autores non fuiſſe, ſed literas apud Ægyptios a Mercurio eſſe repertas, & a Cadmo in Græciam illatas. Enimvero plura diximus hac de re contra *Marſhamum* in Prolegomenis noſtris ad *Hecatæi Abderitæ* Eclogas, & fragmenta p. 31. hic non repetenda. Adventus enim Danai celebris eſt Græcorum epocha. Danaus autem Cadmo patruelis tertiam Ægyptiorum coloniam deduxit in Græciam; & exuto Gelanore, Argivorum regnum obtinuit. *Herodotus* lib. II. c. 91. *Chemnis urbs magna eſt in Thebaide prope Neam urbem* 3. *Dicunt Ægyptii Danaum & Linceum fuiſſe Chemnitas, & in Græciam navigaſſe*. Vide *Marſhamum* ſec. IX. p. 129. Quid eſt Danaus Ægypto veniens, primuſque Argivorum rex niſi דנא *Dana* Græcorum flexioni aptatum? ſignificans *judicem*, quomodo *ſupremum* magiſtratum antiqui vocitabant. Noti ſunt Pœnorum *Suffetes* Iſraelitarum שפטים. Unus filiorum Jacobi dictus דן, qui populum ſuum judicabit Gen. XLIX. 16. Confer *Triglaudium* in conjectaneis de Dodone c. 1. §. 5.

IV. De *Mercurio Thebanorum rege ita diſſerit Joſephus Scaliger* ad *Manilii* librum I. v. 125. *Ægyptios Aſtronomiam didiciſſe docente Mercurio omnes libri loquuntur: cui propterea Ægyptii divinos honores habuerunt, & primum menſem Thot cognominem Mercurio fecerunt. Nam Thot, ſeu Tat eſt Mercurius*. Quid? quod *Dionyſius Periegeta* Sphæræ cœleſtis circulis ſuis diſtinctæ, quam πόλον vocat, vide v. 582. inventionem Ægyptiis tribuit. Aſtronomiæ etiam & Philoſophiæ ſtudio eoſdem deditos refert *Strabo* ſic de Thebis Ægyptiis loquens lib. XVII. λέγονται δὲ καὶ ἀστρόνομοι καὶ φιλόσοφοι μάλιστα οἱ ἐνταῦθα ἱερεῖς, & notum eſt *Pythagoram*, *Democritum*, *Platonem*, & *Eudoxum* in Ægyptum profectos eſſe, illos ut Philoſophia, hunc ut Aſtronomia præcipue ab Ægyptiis inſtituerentur. Refert etiam *Strabo* annum ſolarem illis in uſu fuiſſe menſibus XII. diebus 365. conſtantem, & poſt certos an-

nos

nos diem intercalarem addi solitam, sc. quarto quoque anno, ut ex *Horo Apolline* lib. I. c. 5. *Vossius* ostendit διὰ τετραετηρίδος περιττὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσαν. Ad quam formam Julium Cæsarem annum Romanum reformasse, & consilio Ægyptii Sacerdotis, de quo *Plinius* lib. XVIII. c. 25. Sed quod ad primam *Astronomiæ inventionem* attinet, utrum Ægyptiis an Chaldæis debeatur, sub judice lis est. Chaldæis favent plurimi, quippe orientalioribus, & primorum parentum sedi vicinis, unde artem hanc ad regiones occidentales paulatim processisse verisimile: *Herodotus* tamen lib. II. Ægyptiis ipsam artis inventionem tribuit: & certe ab Ægyptiis ad Græcos translata est, *Eudoxi* præcipue opera, qui per annos XIII. teste *Strabone*, inter Ægyptios versatus est, cum antea imperfecta quædam rudimenta tantummodo haberent. Sphæræ quidem inventionem (quam Ægyptios primum circulis distinxisse tradit *Dionysius*) *Plinius Anaximandro Milesio* tribuit, de quo etiam *Laertius*. Sed hæc fortasse eo sensu intelligenda, quod hic primus inter Græcos sphæram fabricarit, quamvis inter alias gentes ut Ægyptios aut Babylonios ejus usus antiquior esse posset. Vide *Guil. Hillium* in comment. in *Dionysium Periegetam* p. 67.

V. Inter *varia Ægyptiorum oracula*, quorum memoria tum in sacris literis tum apud scriptores profanos exstat, laudatos a *Jo. Marshamo* sec. IV. p. 64. eminet illud *Jovis Thebani* oraculum, a quo originem duxerunt illud Hammonis in Libya, atque illud Jovis Dodonæi in Thesprotia. Audiamus *Herodotum* lib. II. c. 58. *Oracula autem, & quod apud Thebas Ægyptias, & quod apud Rodonem inter se sunt similia;* ἐστὶ δὲ καὶ τῶν ἱρῶν ἡ μαντικὴ ἀπ᾽ Αἰγύπτου ἀπιγμένη, *Et divinandi in templis ratio adscita est ab Ægypto*. De hoc autem Herodot. loco vide plura apud *Jac. Trigladium* in conjectaneis de Dodone. *Oraculi hujus*, quod etiam apud alias gentes factum est, antistes sive sacerdos virgo fuit, perpetua virginitate sancta, recumbens in sacello Jovis, quasi quæ sola digna esset consortio & familiaritate Dei oracula fundentis. Insignem hanc in rem locum ex *Herodoto* excerpsit *Jo. Fronto* in differt. philologica de virginitate honorata, erudita, adorata, fœcunda §. 4. Scio & Thebis, quod Jovi εὐειδεστάτη, καὶ γένος λαμπροτάτου παρθένος ἱερᾶται *specie pulcherrima, & genere clarissima virgo sacratur*, inquit *Strabo* lib. XVII. sed addit tam indigna hac de Virgine, ut non mereatur in censum ἱεροπαρθένων, quanquam *Herodotus* l. c. non videatur *Straboni* consentire. Utri horum scriptorum fides sit habenda, non disquiram in præsenti, sed tantum addam *H. Grotium* non satis inspexisse *Herodoti* locum, cum inde verba Baruchi VI. 42. 43. exponit. Multo rectius locum *Herodoti* exposuit *Jo. Clericus*, cujus verba in primis notatu digna ante oculos posuimus lectori Tom. nostro I. Opusculor. Sacr. p. 254.

VI. Inter *Thebanorum numina* [5] principem locum obtinuit *Jupiter Ammon*, & umbelico tenus, si effigiem ejus spectes apud *Montfauconium* dans l' antiquitè expliqèe Tom. I. lib. II. c. 3. §. 4. p. 44. *Isaacum Vossium* in observat. ad lib. I. *Pomponii Melæ* c. 8. p. 46. & *Ezech. Spanhemium* in differt. VI. p. 297. diff. VII. p. 30. *arieti similis* fuit. Cum vero, uti observat *Marshamus* sec. I. p. 38. *occulta symbolologia* [6] orta sit insana Ægyptiorum theologia *in mostrosis Deorum simulacris*, id etiam causa est, *cur stet tortis cornibus Ammon*, ut cum poeta loquar. *Diodorus Siculus* lib. I. p. 22. ait *Ammonem* eundem haberi, qui sit *Osiris*, ex eo autem non solum colligi poterit, cur *Achilles Statius* in Uranologia a *Petavio* editus planetam Jovis lingua sua, dixerit *stellam Osiridis*, sed & colligendum erit, quemadmodum sub *involucris fabularum*, quas de *Osiride*, *Iside*, aliisque numinibus ex Ægyptiorum traditione, *Herodotus*, *Diodorus*, *Plutarchus*, & alii commemorant, ita & in *Jove Hammone* latere *arcana Astrologiæ*, & *Physiologiæ Ægyptiacæ*. Præterquam autem quod *Jupiter* Ammon, est ipse *Chamus* inter Deos relatus, etiam *sol* erit, primo quia ex nomine חם factum Ægyptium Ἀμοῦν, & Africanum Ammon, vel Hammon, deinde quia חם fervidum sonat a radice חמם fervere, incalescere, ut appareat, tum Chamo obtigisse Africam, cujus magna pars, cum sit inter Tropicos, solem habet, & reliquos planetas supra verticem, tum eundem solem, qui non minus in sacris literis, quam apud Scriptores profanos *rex cœli* dicitur & esse & perhiberi. Nescio an huc referre debeam verba illa *Eustathii* Iliad. Δ. ἐν Διοσπόλει μέγιστον ἐστι Διὸς ἱερὸν ἀφ᾽ οὗ λατῷ, κατά τινα καιρὸν τεταγμένον περινοστοῦσι τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, καὶ πανηγυρίζουσι πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας, ἐπεὶ καὶ τοσοῦτοι παρ᾽ αὐτοῖς θεοί. *Diospoli* (civitate hac Ægyptia) *grande est Jovis delubrum: unde id Æthiopes accipientes simulacrum Jovis, & aliorum pariter Deorum, statis ea temporibus per Libiam circumeunt, publicaque in ea celebritate magnifice duodecim diebus feriantur, quo-*

niam totidem habeant Deos. Inde judicio *Gerh. Jo. Vossii* lib. II. de origin. & progres. Idol. c. 10. p. 359. & *Jo. Seldeni* Syntagm. I. de Diis Syrorum c. 6. p. 191. lucem capit illud prophetæ Amos V. 26. & exinde in oratione Protomartyris Stephani apud Evangelistam Lucam Actor. VII. 43. καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ *& portastis, sive bajulastis tabernaculum Molochi*. Confer etiam *Jo. Gerh. Mejerum* in diss. de sacello & basi Idolorum §. I. in notis lit. K. & *Augustinum Calmetum* in diss. sur l'idolatrie des Israelites dans le desert, & en particulier sur le Dieu Rephan, ou Remphe, qui tandem addit: les Hebreux dans le desert portoient leurs Dieux a peu pres comme nous portons les chasses de nos Saints sous un dais, & sur des bases, sur leurs epaules, ou sur des chariots, ou dans des letieres, ainsi qu' on l'a expliquè auparavant.

VII. Ægyptii ob πολυθεΐαν *plurima victimarum genera habuerunt*, *diversa* tamen pro diversitate locorum *Herodoto* teste lib. 2. c. 42. *Qui Jovis Thebani templum incolunt, aut ex nomo sunt Thebani, ii omnes abstinentes ab ovibus, capras immolant*. Vel hæc ipsa verba nos deducunt ad Genes. XLVI. 31. ubi legimus *omnes Ægyptios a pastoribus abhorruisse*. Hic duo quærunt viri eruditi, an apud veteres Ethnicos, testimonium aliquod exstet, quo constet, Ægyptios consortium pastorum fugisse? deinde qua de causa Pastores aversati sint? Ad priorem quod attinet, hic de omnibus omnino pastoribus sermo non est, sed tantum de iis qui *oves*, *aut capras* pascebant, ideoque quæstio de omnibus pastoribus sine discrimine ex hoc quidem loco proponi nequit. Existimat *Jo. Clericus*, cum non una esset superstitionis facies, tempore Josephi in Tanitico regno esum ovium illicitum habitum fuisse, & cum pastores aut solerent, aut crederentur quandoque iis vesci, vitatum esse ab aliis Ægyptiis eorum consortium familiare: quemadmodum piaculum ducebant Græcos osculari, quod hi vaccas fœminas, quæ impense in Ægypto colebantur, comedere non dubitarent, qua de causa, ne cultro quidem aut lebete e Græcia allato, ne forte vaccæ carnes priori sectæ, aut in posteriori coctæ fuissent, uti sustinebant. Certe quamvis *Herodotus* a Mendesiis oves solitas immolari ac proinde comedi tradat, idem *Thebanos*, quorum longe major erat autoritas, ab iis abstinuisse autor est, nec διὰ τοῦτο quosdam etiam Ægyptios ovibus noluisse vesci dissimulat c. 42. *Strabo* lib. XVII. p. 552. apud solos Nitriotici nomi incolas, immolatas oves contendit. Quod potuit etiam in inferiori Ægypto, iisdem aut similibus de causis fieri. Hinc *Diodorus Siculus* lib. I. p. 77. inter animalia, a quibus Ægyptii omnes abstinebant, oves recenset, cujus abstinentiæ præter rationes arcanas, quas non efferebant Sacerdotes, has tradi solitas ait: τὰ πρόβατα δὶς τίκτειν, καὶ τοῖς ἐρίοις τὴν σκέπην ἅμα καὶ τὴν εὐσχημοσύνην περιποιεῖν, τῷ δὲ γάλακτι καὶ τῷ τυρῷ τροφὰς παρέχεσθαι προσηνεῖς ἅμα καὶ δαψιλεῖς: *oves bis fœtum edere, & lanis amictum & ornatum suppeditare; lacte vero & caseo edulia jucunda & larga præbere*. Cum ergo hisce aut aliis de rationibus, ovilla carne se abstinerent nonnulli Ægyptiorum, quid mirum, pro eorum moribus, si eos, quos vesci ea suspicabantur, aut sciebant, aversarentur? Atque hoc pacto satis fit etiam alteri quæstioni, cur nimium consortium fugerent Ægyptii pastorum ovium, & certam eis regionis suæ partem attribuerent. Alias aliorum interpretationes in verbis Geneseos explanandis hic repetere nolim, vide Tom. nostrum II. der Erorterung der dunckelsten Schrifftstellen des A.T.p.189. Ceterum quando *Maimonides* in More Nevochim P. III. c. 46. ex iisdem Geneseos verbis colligit Ægyptios tanto honore nullo non tempore ovillum pecus coluisse, ut arietem aut ovem occidisse nefas summumque scelus crederent, prolusit *Athanasio Kirchero* in Œdipo Ægyptiaco lib. IV. Hierogrammatismo II. p. 271. *Jo. Spencero* lib. II. c. 4. sect. I. utrique enim credunt, *Deum legem de agno Paschali* Exod. XII. 3. 5. *Ægypti moribus adversam posuisse*. *Si enim*, inquiunt, *Ægypti more comparatum erat ut inter* animalia sacrorum titulo donata, arietem *honore præcipuo colerent vel quod symbolum fœcunditatis esset vel quod* arieti *cœlesti affinitate quadam propiore conjungi crederetur. Ejusdem insaniæ exemplum tandem ad Afros, & Græcos transiit: quod enim illi* Jovem *sub* Ammonis *nomine &* Arietis forma *colerent* 7, *Ægyptiis imputandum est, qui dementiæ huic initium, & autoritatem quandam tribuerunt*. *Hoc itaque remedio usus est Deus, ne superstitionis ejusdem scabies Israelitas ureret*: agnum illum masculum, *quem* Ægyptii inter numina sua *præcipua coluerunt*, *solenniter mactari*, *& ædium postes sanguine adspergi jussit: nam inde facile cognoscerent Israelitæ*, arieti nihil inesse divinitatis, *& animal illud tam contumeliose tractando*, *se non minus ab Ægypti superstitione, quam servitute recessuros, judicarent*. Ita quidem illi differunt, sed falluntur & fallunt. Præterquam enim quod illius legis sanctior est origo, quippe

pe agnus ille paſchalis Chriſtum eminus adumbrare debuit, etiam ex Geneſ. XXII. 13. conſtat, hœdum ſacrificii loco oblatum fuiſſe, antequam Iſraelitæ Dei juſſu agnum paſchalem mactarent. Vide quæ contra *Spencerum* obſervant *Jo. Clericus* ad Exod. XII. 5. *Jo. Meyerus* in diatriba de origine & cauſis feſtorum Judaicorum cap. 7. p. 191. & *Jo. Outreinius* in ſingulari differt. de inſtitutione & ceremoniis agni paſchalis ejuſdem commentario in Epiſt. ad Hebræos ſubjecta. Tantum autem abeſt, ut *Spencerus* in verbis Moſis Exod. VIII. 26. præſidium ſententiæ ſuæ conſtituere poſſit, ut potius inde convinci, & redargui poſſit. Vide Tom. noſtrum I. der Erorterung der dunckelſten Schrifftſtellen A. T. p. 124.

VIII. Extra controverſiam poſitum eſt, *Menen fuiſſe primum Ægypti Regem*. Hoc *Herodotus*, & *Diodorus Siculus*, hoc *Erathoſthenes*, & ex *Manethone Africanus*, *Euſebius Syncellus* uno ore prædicant. Vixit autem *Menes* Noæ σύγχρονος temporibus diluvio proximis, & ab ipſis renovati orbis initiis. Cum vero initium Menis in tantam aſſurgat vetuſtatem [8], videndum utrum conſenſu Chronologiæ ſacræ ſe tueri poterit. Nota eſt Græcorum Hebraicique Codicis diſcrepantia. Si Græcos ſequamur, Epocha diluvii plurimis annis antevertit res Ægypti, neque verbis opus eſt. Sin Hebræos numeros amplecti neceſſe ſit, dicendum eſt, *Chamum* Noachi filium eſſe ipſorum Ægyptiorum *Menen*, illlumque proximis poſt diluvium temporibus, in Ægyptum migraſſe, illam inhabitaſſe, poſteriſque tradidiſſe. Sententiæ autores ſunt Hebræi ipſi aliquando Ægypti incolæ. Rex enim *David* ſcriptor vetuſtiſſimus appellat *Ægyptum regionem Chami*, & de eadem intelligit *tentoria Chami* [9]. Neque obſtat quod Phaleg nomen ſuum habuit Gen. x. 25. quoniam illius diebus terra diviſa fuit: id enim de peculiari aliqua diviſione intelligi poteſt, facta inter Semi poſteros v. 21. de quibus eſt ſermo, vel inter filios Eber, i. e. Hebræos. Cum enim Phaleg ſit Noachi trinepos, dubitari non poteſt, quin terrarum orbis pars magna, illius ætate dudum habitata fuerit. Vide *Marſhamum* ſec. 1. p. 23. *Menes* autem in Dynaſtiis omnibus primus eſt, & *Thebanus* dicitur, & *Thinites*, etiam *Memphites* dicendus, cum ſit illius urbis conditor. Nimirum ille Ægypto omni præfuit: ejus autem poſteri diverſis potiti dynaſtiis, illum communem omnium parentem venerantur Jovis Hammonis nomine. Vide iterum *Marſhamum* p. 30. Valde etiam veriſimile eſt, *ſacrum bovem*, qui Μνεῦις dicebatur, non *ſolis* modo, ſed & hujus *Menis* fuiſſe ſymbolum. Sane *Æliano* lib. XI. Hiſtor. Animal. cap. 10. bos iſte Μῆνις vocatur: præterea Μῆνις & Μνεῦις valde vicina ſunt. Puto enim paucos ignorare ut ευ & η ſæpe pro diverſa dialecto commutentur. Ut Ὀρφεὺς, Ἀχιλλεὺς, Ὀδυσσεὺς, Περσεὺς, Ὄρφης, Ἀχίλλης, Ὀδύσσης, Πέρσης, unde Latinorum Ulyſſes, Achilles, Perſes ad Aeolum morem, quos in illo, ut pene in univerſa lingua, æmulantur. Quare ſuperſit ſolum, ut trajiciatur liquida, cujuſmodi μεταθέσεις *tranſpoſitiones* in nominibus ſacris valde ſunt frequentes. Vide *Gerh. Jo. Voſſium* lib. 1. de origin. & progreſ. Idolol. c. 27. p. 197. Hunc autem *Menin* aut Μνεῦιν ab Eſaia intelligi LXV. 11. judicat *Stephanus le Moyne* in Variis Sacris p. 636. *Non video*, inquit, *quid poſſit impedire, quo minus hic* Μνεῦις *intelligamus, hoc ſuadet vocum affinitas. Nam* Μνεῦις & מני *fere idem ſunt, & in* Μνεῦις *tantum abundat* ς *vel* ις *quod eſt terminatio vocum Ægyptiacarum* Μνεῦ *ergo &* מני *ſunt eædem literæ; deinde* Μνεῦις *ab Ægyptiis Heliopolitanis etiam colebatur, & quod magis eſt, ſingulis annis menſæ epulis parabantur, & libatione fundebantur in honorem ſolis propter anni præteriti commodas tempeſtates, vel in ſpem futuræ fertilitatis*. Hactenus ille, a quo non recedit longius *Jo. Spencerus* lib. III. differt. II. cap. 2. ſect. 2. pag. 969. en ejus verba. *Voce Meni Heroem Ægyptium, Moſe priorem ætate, civitate & conſortio cœleſti donatum, intelligendum cenſeo primum ſc. Ægypti regem, ab* Herodoto Μὴν, Diodoro Μνεὺς, Manethone Μὴνης *aliis* Meni *nomine memoratum. Nam hiſtorici illi ex antiqua ſacerdotum traditione, Regem* Menin *Ægyptios ad humanum cultum vitæque rationem traduxiſſe, eoſque multis beneficiis affeciſſe, ideoque in Deos relatum fuiſſe referunt*. Nolumus jam argumenta *Spenceri* ad examen vocare, vide differt. noſtram de novi anni auſpiciis, quæ Judæi gentium ritu in honorem Gad & Meni h. e. Solis & Lunæ celebrarent §. 5. interim cum de *Mene Thebano* facta eſſet mentio, hæc ſuo loco præterire nolui.

IX. In Libyca parte urbis Thebarum fuit *Memnonium*; mirum autem quod narrant ibi de *Memnonis ſtatua* ſeu coloſſo truncato quidem ut ajunt terræmotu, vel ut alii Cambyſis crudelitate, cujus reſidua pars radiis ſolis orientis tacta ſonum edat ὡς πληγῆς ὁ μεγάλης *veluti ictus haud magni*. Cum Ælio Gallo *Strabo* adeſſet, audivit ſonum prima hora, ſcribit vero ſe neſcire unde fuerit, utrum a baſi an a co-

coloſſo, an ab aliquo circumſtantium hominum. *Plinius* etiam lib. XXXVI. c. 7. de lapide baſalte; *Non abſimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis*, *ut putant*, *Memnonis ſtatuæ dicatus*, *quem quotidiano ſolis ortu contactum radiis crepare dicunt*. *Tacito* inter præcipua Ægypti miracula Annal. lib. II. cenſetur *Memnonis ſaxea effigies*, *ubi radiis ſolis icta eſt*, *vocalem ſonum reddens*. Accedat Dionyſius Periegeta v. 250.

Θήβην Ὠγυγίην ἑκατόμπυλον, ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλουσαν ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ

Thebas priſcas, *centum portas habentes*; *ubi reſonans Memnon exorientem ſuam ſalutat auroram*. Plura de hac *Memnonis ſtatua* habet *Marshamus* Sec. XV. p. 426. ſeq. *Salmaſius* autem ſub ficto *Simplicii Verini* nomine in libro de tranſubſtant. ad Juſtum Pacium p. 426. illam ſtatuam refert inter *ſtatuas Teleſticas* ſive *Magicas*. Nec mirum: Cambyſes enim, ut eſt apud Syncellum p. 151. lapidem hunc concidit, νομίζων εἶναι γοητείαν ἐν αὐτῷ, ὡς Πολύαινος ὁ Ἀθηναῖος ἱστορεῖ, *credens magicas præſtigias in eo fuiſſe*, *ut refert Polienus Athenienſis*. Inde *Juvenalis* de Thebis Sat. XV. 5.

Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ

Prætetea noti ſunt *Ægyptiorum* Teleſtæ [10] ut nunc taceam de vitulo aureo [11] quem ut τέλεσμα Ægyptiorum more effictum eſſe perhibent.

X. Circa *Thebas ſerpentes Jovi* ſunt *ſacri*, ut legimus apud *Herodotum* lib. II. c. 74. Κνήφ etiam ſerpens divinus, accipitris caput habet apud *Euſebium* præpar. Evangel. lib. I. c. ult. [12], id vero cauſæ eſt ſatis, quamobrem judicio *Jo. Marſhami* Sec. IX. pag. 163. Deus Deut. IV. 17. 18. interdixit, cavitque, ne Iſraelitæ ullius alatæ volucris, quæ per aerem volet, neve ullius, quod in terra ſerpat, ſimulacrum faciant.

XI. Quod ad *Politica Thebarum* attinet, *regnandi jus muliebre* obſerves velim: fœminarum prima, quæ regno potita eſt in Ægypto, Nitocris, tam in Thebano laterculo occurrit, quam in Memphitico, utriuſque regni compos. Poſt eam in Dynaſtia Thebana Amenophi ſucceſſit Ameſſes ejus ſoror, & poſt Seſoſtrium ſoror Ammenemis, adeout non tam ex paterno teſtamento, quam ex Ægyptiorum jure civili dixerit Cæſari Cleopatra apud *Lucanum* lib. X. verſ. 90.

- - - - - non urbes prima tenebo
Fœmina Niliacas: nullo diſcrimine ſexus
Reginam ſcit ferre Pharos: lege ſumma peremti
Verba Patris, *qui jura mihi communia regni*
Et thalami cum fratre dedit.

Vide *de jure muliebri apud Ægyptios in ſucceſſione regni* plura apud *Marshamum* Sec. IV. p. 68. qui & addit ex *Strabone*, *Plinio*, *Dione*, fœminas in Æthiopia regnaſſe præter Candacem Actor. VIII. 27. Nec prætereundus eſt *de Larrey* qui dans l'Hiſtoire des ſept Sages p. 431. itidem nonnulla obſervavit huc referenda.

NOTÆ IN CAPUT SEXTUM.

[1] Λείψανα tantum exhibeo *hiſtoriæ Thebanæ*, quia tot *ſcriptores hiſtoriæ Ægyptiacæ*, qui olim fuere integri, quorum non exiguus fuit numerus, uti videre licet apud *Iſaacum Jaquelotum* dans les diſſertations ſur l'exiſtence de Dieu p. 239. partim temporum, partim hominum injuria interciderunt, ita quidem ut ex illo literario naufragio, quo nullum unquam gravius fuit, vix laceræ quædam ſupereſſe videantur tabulæ.

[2] Hac occaſione non incommodum fuerit repetere verba *de Larrey* dans l'hiſtoire des ſept Sages p. 405. *C'eſt au moins ce que les* Grecs *diſent de* Mercure, *qui fut Roy d'Egypte*, *dans les premieres annees de cette* Monarchie, *& qui eut pour ſucceſſeur*, *ſoit immediat*, *ſoit quelques ſiecles apres*, *un autre* Mercure, *a qui ſes grandes connoiſſances firent donner le ſurnom de* Triſmegiſte. *Tous deux regnerent dans la* Thebaide, *la principale Dynaſtie de cet Empire*: *& tous deux paſſent pour les* inventeurs *des* Arts, *& des* Sciences, *& de toutes les* inſtitutions *des* Egyptiens. *Les Peuples imitent volontiers leurs Rois*. *Ainſi il n'eſt pas ſuprenant*, *que les* Egyptiens *en aiant de* Spirituels, *& de* Savans, *s'appliquaſſent a la* Philoſophie, *aux* Mathematiques, & *aux* Belles - Lettres, *& qu' on vit fleurir les* Arts, & les Sciences *dans un Royaume*, *dont les Monarques en etoient*, *non ſeulement les* Protecteurs, *& les* Bienfaiteurs, *mais encore les* Maitres, *& les* Profeſſeurs.

[3] De urbe hac *Chemnis*, aut *Chennis* obſervationem *Edmundi Dickinſoni* paulo ante c. I. §. 3. in notis n. 3. attulimus.

[4] Quando enim Pharao Nerco 2. Chron. XXXV. 21. per legatos ſuos Joſiæ dicit; *Quid tibi mecum rei eſt*, *Judæ Rex? Jam non ego te*, *ſed perduellium meorum ſtirpem aggredior a Deo properare juſſus*. *Sine Deum*, *qui mihi adeſt*, *ne te perdat*, non intelligit

verum

verum Deum Israelis, sed *Deos Ægyptios*, quorum oraculo vaticinioque se mitti dicebat Pharao. Rem omnem satis luculenter exponit *Humfredus Prideaux* dans l'histoire des Juifs tom. 1. p. 97. his verbis usus: *en effet, par tout ou' le nom* Dieu, *se rencontre dans le Texte, il y a dans l' Hebreu non pas* Jehova, *qui est le nom propre du vrai Dieu, mais* Elohim, *qui etant an pluriel peut etre applique' aut fausses Divinitez des Paiens aussi bien qu' au Dieu d' Israel. Ce terme dans le Vieux Testement, est indifferement emploie danc ce double usage. Par tout ou' il s' agit des faux Dieux, c' est par le nom d'* Elohim, *qu' ils y sont designez. Dans le vers. 22. que nous avons traduit*, Josias n' ecouta point les paroles de Neco, qui procedoient de la bouche de Dieu, *d' ou' l' on conclut principalement, que cet ordre venoit de Dieu, il y a dans l' Hebreu* Mippi Elohim, *c' est a dire, de la bouche d' Elohim, ce que pout etre entendu des faux Dieux aussi-bien, que du dernier. Car dans touts les autres endroits du Vieux Testament voyez* Deut. VIII. 3. Jos. IX. 14. 1. Rois XII. 21. 2. Chron. XXXVI. 12. Es. 1. 20. XL. 50. Michee 14. 4.) *ou' il est parle de quelque parole procedee de la bouche de Dieu, il y a dans l' Hebreu* Jehova, *ce qui determine ce mot a signifier le vrai Dieu. Il n' y a que ce seul endroit dans toute la Bible Hebraique, ou' dans l' usage de cette phrase, Dieu soit exprime autrement, savoir par* Elohim, *& non par* Jehova. *Ce cangement dans la phrase en cet endroit, est a mon sens une preuve suffisante, qu' il y en a aussi dans la signification, & que la parole qui est dite proceder de la bouche d'Elohim, n' est pas la meme que celle que l' Ecriture dans l' usage qu' elle fait partout ailleurs de cette phrase, dit proceder de la bouche de* Jehova, *& par consequent qu'* Elohim *doit signifier ici, faux Dieux des Egyptiens, des pretendus Oracles des quels Neco tenoit cette commission, qu' il fit notifier au Roy de Juda. Car encore une fois quelcas puvoit-il faire des paroles du vrai Dieu, lui qui ne le connoissoit pas, & qui ne lui avoit jamais rendu hommage? Ou commnent une telle revelation seroit elle parvenue jusques a lui, puisqu' il ne connoissoit aucun des Prophetes, & qu' il ne les avoit jamais consultez? Par consequent ces* Elohim *de la bouche des quels cet ordre etoit emane, etoient ceux de Neco, les faux Dieux d' Ægypte dont ce Prince avoit consulte les Oracles, avant que d' entreprendre cette expedition, comme les Princes Paiens avoient acoutume de faire dans ces occasions*. Quæ cum ita sint, Josias recte Nechonis oracula ludibrio habuit, cum non ex ore Jehovæ, sed ex fallaci Ægyptiacorum Deorum vaticinio rex illi Ægypti pendere vellet.

[5] *Ægyptii* ipsa Deorum suorum *nomina gerere* admodum frequenter solebant. *Lucianus* hunc Ægyptiorum morem perstringit. Nam cum de Græcis quædam huc pertinentia commemorasset, ita pergit pro imag. fine ἐῶ γὰρ τοὺς Αἰγυπτίους καὶ δεισιδαιμονέστατοι εἰσι πάντων, ὅμως τοῖς θείοις ὀνόμασιν, εἰς κόρον ἐπιχρωμένους· σχεδὸν γοῦν τὰ πλεῖστα αὐτοῖς ἐξ οὐρανοῦ ἐστιν, *omitto Ægyptios, qui quamvis mortalium omnium sint superstiosissimi, divinis tamen nominibus ad satietatem utuntur: itaque pene omnia e coelo illis desumta sunt*. Et quis ignorat in *historia Ægyptiorum* continuo occurrere *Petosirim*, *Petisium*, *Serapionem*, *Athothem*, *Orionem* & similia. Quæ omnia nomina gens illa servavit, etiam postquam Christi sacra, pulso Idolorum cultu, ubique jam obtinebant. Nam & inter Monachos Ægyptios reperias *Piamum*, *Pior*, *Anub*, *Isidorum*, & quos non alios? Vide *Jambloskium* de Rempha Ægyptiorum Deo §. 16. p. 80. *Marshamum* Sec. VII. p. 91. *Henr. Valesium* ad *Ammiani* lib. XIX. c. 12. & J. A. *Fabricium* in Biblioth. Græca lib. I. c. 13. §. 4. & 5. Hinc *Nitocris* regina Thebana sive Ægypiace νιτῶσρωθ est Ἀθηνᾶ νικηφόρος *Minerva victrix*, quia apud Ægyptios Νηῒθ vel νηῒς est *Minerva* non confundenda cum *Anaitide* Persarum ut faciunt *Thomas Hyde* in lib. de relig. Persar. p. 52 & *Hadr. Relandus* in diss. de reliquiis vet. ling. Persicæ §. 12. merito notati a JablonsKio l. c. §. 15. p. 75. Vide de Νηῒθ *Minerva* Ægyptiorum *Jo. Frontonem* in diss. philolog. de virginitate erudita, adorata fœcunda §. 3. de more autem illo Deorum nomina sumendi, sibique imponendi etiam apud alias gentes usitato adde *Henr.* Dodwellum in Parænesi ad exteros de nupero Schismate Anglicano p. 132. *Jo. Braunium* lib. IV. Selector. Sacror. c. 6. §. 76. p. 421. Certe idem apud Judæos sine ulla superstitione obtinuit, ut apparet ex nominibus Adoniah, & Eliah, quorum illud est, ab Adon & Jah, hoc ab El & Jah. Plura hanc in rem observat Jo. Lightfootus in Harmonia IV. Evangelist. p. 275. Tom. I. Oper. Nescio an ad illum ritum alludatur in verbis קראבשם יהוה *denominari a Jehova*, sive *Domino* Esaiæ XLIV. 5. coll. LXIII. 19. hoc est agnosci, haberi, & nominari populum Dei, vide hanc in rem *Vitringam* de Synagog. Vet. lib. I. P. II. c. 1. p. 275.

[6] Libros *Ægyptios* triplici literarum differentia scriptos epistolicis, hieroglyphicis, & symbolicis disces ex *Porphyrio* in vita *Pythagoræ*, *Clemente Alexandrino* aliisque uti observavit *Gaulominus* in notis ad vitam Mosis p. 133. parum accurate autem loquitur. Nam charecterum συμβολικὴ ratio apud Ægyptios erat species quædam τῆς ἱερογλυφικῆς, sive sacræ sculpturæ, cum animalium mutarumque rerum figuræ ab Ægyptiis loco literarum in sacris usurparentur, ne a vulgo intelligerentur. De *Hieroglyphicis Ægyptiorum* vide *Joh. Marshamum* in Can. Chron. Sec. 1. p. 38. *Athanas. Kircherum* in Prodromo Copt. cap. ult. *Jo. Clericum* in notis ad Genes. XLI. 8. *Jo. Baptistam Portam* in furtivis litterarum notis lib. I. c. 9. p. 16. *Jo. Outreinium* in introduct. ad specimen Symb. Sacr. c. 6. p. 151. *Gerh. Jo. Vossium* de arte Grammatica lib. I. c. 41. p. 170. *Valesium* & *Lindenbrogium* in notis ad *Ammianum Marcellinum*, illum ad lib. XXII. 15. hunc ad lib. XVII. 4. *Cornelium Adami* in exercitat. Exegeticis p. 150. seq. aliosque quos laudat *Justus Martinus Glasenerus* in diatriba de Dracone Insigni Regum Ægyptiorum §. 1. ut nunc taceam & prætermittam duos libellos *Hori Apollinis* de Hieroglyphicis Ægyptiorum, *Jo. Pierii Valeriani*, sive *Petri Valeriani* Bellunensis, Pignorii, *Macarii*, *Chifletii* aliorumque libros huc referendos, de quibus differit *Jo. Albertus Fabricius* Bibl. Græcæ lib. I. c. 13. §. 7. p. 90. Quemadmodum autem *symbola*, quibus Spiritus Sanctus in S. Codice utitur, recte quidem *Hieroglyphica* a *signis* tamen *Ægyptiorum* Hieroglyphicis longissime differunt (vide *Outreinium* l. c. p. 157.) ita *Franc. Patricius*, *Jac. Bolducius*, *Jo. Spencerus* aliique *Hieroglyphica Mosis* itemque *gentis Hebrææ* ex Ægypto repetunt. Vide Tom. I. Bibliothecæ nostræ Antiquar. & Exegetic. p. 829. seq.

[7] *Jupiter Ammon*, qui ibidem sol est, *capite arietino*, & *corniger* fingebatur: nam *signum arietis* Ægyptii scientissimi olim harum rerum magistri totius curriculi solaris & carcerem etmetam, & principium & finem statuerunt. Hæc *Nic. Fullerus* Miscell. Sacror. lib. II. c. 4.

[8] *Thebæi* est apud *Diodorum Siculum* lib. I. hist. p. 46. vetustissimos omnium mortalium se esse prædicabant. Quid quod Esaiæ XIX. 11. gloriantur se priscis regibus prognatos esse, de quo loco Esaiæ vide *Pezronum*. dans l' antiquitè des tems retablie & defendue contre les Juifs & les Nouveaux Chronologistes c. XIII. p. 168. & Tomum nostrum I. der Erorterung der dunKelsten Schrifftstellen des A. Testam. p. 310. seq.

[9] Confer quæ supra cap. 1. §. 1. hanc in rem observavimus, adjectis, qui eodem spectabant, scriptoribus.

[10] חרטמים apud *Ægyptios* commemorantur Genes. XLI. 24. Jam vero *Nic. Fullero* Miscell. Sacr. lib. V. c. 11. חרט promtissimus & rationi congruentissimus placet vocem illam deducendi modus, ut ם sit heemanticum, ideoque חרטם a חרט formetur ad instar שלשם a שלש. Porro חרט a Græcis redditur γραφὶς, id autem denotat & instrumentum artificis nempe *Stilum*, aut etiam cælum (quemadmodum vocabulum Hebraicum a novissimis interpretibus vertitur) & artem ipsam, v. g. *picturam*, *cælaturam*, vel *sculpturam*, quæ stilo cælave exercetur. Quare חרטם is proprie censeatur esse, qui superstitiosos quosdam characteres, picturas, imagines, figuras, aliaque notissima ejusdem Magices subsidia adhibebat in nefariæ divinationis suæ operibus exsequendis. *OnKelos* Paraphrastes חרטם reddit חרשא, qualiter etiam Syriace Magus vulgo vocitatur Actor. XIII. 6. Atque eodem modo *Symmachus* חרטם exponit μάγον: non inepte. Magos enim plurimum semper operæ atque adeo fiduciæ in exsecrabilibus illis characteribus ac *imaginibus*

nibus cælatis sculptisve posuisse compertum habetur. Hactenus *Fullerus*, confer *Jo. Christof. Wichmanshausen* in diss. præliminari de קסמי הבבל sive divinationibus Babylonior. ad Ezech. c. XXI. 26. introductis §. 9. p. 28. unde excerpta dedimus Tom. I. Biblioth. nostræ Antiquar. & Exeget. p. 314. seq.

[11] Hunc tanquam τέλεσμα quoddam ex veterum Hebræorum mente paulo luculentius descripsit *Simeon de Muis* in Var. sacris p. 739. Tom. VII. Critic. Anglor. Confer etiam si lubet observationes nostras Tom. II. der Erorterung der dunckelsten Schrifftstellen des A. T. p. 118.

[12] Dicebatur hoc *symbolum Dei* Κνὴφ hoc est ἀγαθοῦ δαίμονος boni genii. *Lilio Gyraldo* in primo de Diis Syntagmate dicitur Crephagennetus, nempe apud *Plutarchum* de Iside & Osiride, κρηφαγέννητος legit, sed uti monet *Vossius* lib. 1. de orig. & progres. Idololo. c. 2. p. 15. ita rescribendum: μόνους δὲ μὴ διδόναι τοὺς Θηβαΐδα κατοικοῦντας ὡς θνητὸν οὐδένα νομίζοντας, ἀλλὰ ὃν καλοῦσι αὐτὸν Κνὴφ ἀγέννητον, *solos esse immunes Thebaidos incolas, quippe qui nullum censeant Deum mortalem, sed quem ipsi Deum Cneph appellant. qui nec habeat originem nec sit mortalis*. Testis quoque *Porphyrius* apud *Eusebium* in III. Preparat. Evang. c. 12. ubi similiter traditur Ægyptios unum statuisse Deum, puta τὸν δημιουργὸν, sive *opificem Mundi*, atque eum vocitasse Κνὴφ, ejusque simulacrum ex ore *ovum* effudisse, ut mundi esse opificem significetur. Nam *Ovum* mundi symbolum Ægyptiis fuit. De Deo Cneph, ejusque in origine mundi significatione mystica, vide *Huetium*, *Caussinum*, *Conringium*, aliosque laudatos a *Jo. Andrea Schmidio* in dissert. cui titulus: ovum mundanum eruditorum contemplationi, & placidæ disquisitioni expositum c. III. §. 2. p. 44. Videtur autem *Cneph* idem ac *Cnuphis:* etiam *Vossius* lib. IX. de orig. & progres. Idolol. c. II. p. 471. suspicatur vocem Κνὴφ esse κατὰ συγκοπὴν a כנף, uti Hebræi dicunt, sive Cenaph, ut Chaldæi: notat ea vox *alam* subinde etiam τὸ πτερωτὸν *alatum*. Quæ cum secum reputaret Stephanus le Moyne in Var. Sacris p. 3. 4. 5. persuasum habet in voce כנפים *chenaphaim* Esaiæ XIII. 2. ad idolum illud, quia de Ægypto sermo est alludi. Vide Tomum nostrum I. Opusculor. Sacror. p. 155. & Tom. I. Bibliothecæ nostræ Antiquar. & Exegetic. p. 687. seq.



THEO-



THEODORI HASÆI

De גוי קו קו *Gente Kav, Kav*, cujus mentio fit Es. XVIII. 2. 7.

DISSERTATIO.

ARGUMENTUM.

EX *gentilium ſcriptis multa lux ſ. ſcripturæ locis* §. 1. *Inter eos hic Eſaiæ eſt. Variæ illius interpretationes, cum eorum, qui a ſignificatione* lineæ *diſcedunt* §. 2. *Tum qui* hanc *retinent* §. 3. *Qualis hic aliis anteferenda ſit?* §. 4. *Quod ut pateat notandum eſt, hic agi de ÆGYPTO, quod de omnibus & ſingulis phraſibus, quæ uſ.* 1. *&* 2. *occurrunt, oſtenditur* §. 5, 6, 7, *&* 8. *Sigillatim, explicatur phraſis* גוי ממשך, *quod explicatur,* gens innaccesſa & inſuperabilis. *Id autem convenit Ægyptiis* §. 7. *Unde infertur* HANC *quoque phraſin de Ægyptiis eſſe explicandam* §. 8. *Quod porro oſtenditur ex genuina vi* τȣ̃ קו, *quæ vox notat* lineam *&* funiculum Geometricum. *Loca Pſ. XIX.* 5. *& Eſ. XXVIII.* 9, 10. *illuſtrantur. Gnoſticorum* Caulacau *vel* Καυλακαυχ. §. 9. *Illuſtrari ita hæc phraſis poteſt a ritibus Ægyptiorum, primum* [a] dimetiendi agros lineis ſuis, *qui inundationibus Nili turbati erant. Quod oſtenditur e Servio, Strabone,* Herodoto. §. 11. *Unde inventio* Geometriæ *tributa Ægyptiis* §. 12. *Qui eandem ſolerter deinde excoluerunt* §. 13. *Hinc probatur dictos eſſe* gentem lineæ, lineæ. §. 14. *Additur* (b) *mos alter,* lineis indicandi τὰς ἀναβάσεις *Nili, cujus Ægyptios maxime intererat.* Νειλοσκόπειον. Νειλομέτριον. §. 15. *Huc quoque* [c] *referendæ videntur* foſſæ lineatim *ordinatæ, quibus tota Ægyptus erat conciſa* §. 16. *Porro* גוי קו קו, [d] *verti poteſt, gens* lini, lini. *Ea enim notio quoque eſt* τȣ̃ קו. *Quid* קיואין, תקורה. Coa *inſula.* §. 17. *Ita dici autem potuere Ægyptii. His enim* lini *& texturæ* inventio *tribuitur, &* culturæ. Linyphiones. *Linum Peluſiacum.* §. 18. *Lini negotiatio ex Ægypto per omnem terram & Palæſtinam. Quid ſit* מקוה *in locis* 1. *Reg. X.* 28. *&* 2. *Chron. I.* 16. §. 19. *Unde infertur nulla hic opus eſſe emendatione contra ſententiam Viri Docti. Vulgata Herodoti lectio retinenda.* Κικι. §. 20.

§. I.

VEteris ævi ſcriptores, quamvis extra communionem Eccleſiæ Chriſtianæ collocatos, perſæpe in præſtantiſſimorum ſacrarum literarum Interpretum cenſum eſſe referendos, frequenti rerum uſu deprehendi. Identidem enim inſcii, atque prorſus aliud agentes ea conſignarunt literis, ex quibus, ſi in Viros inciderint, qui eas ſcite ac prudenter tractare norunt, ſacris pandectis plus luminis ac ſplendoris inferri poteſt, quam ex Rabbinorum, (quamquam & hi non uſibus

ufibus fuis deftituti funt ,) & parum abeft , quin addam , multorum Ecclefiæ prifcæ Doctorum , quibus ex inftituto fcripturam illuftrare conati funt , commentariis . Id autem cum noftris quoque diebus ab illis , quos id omnium decebat minime , non fine infigni detrimento , immo clade politiorum juxta , ac facrarum literarum in dubium vocetur , fua laude non fraudandos effe exiftimo , qui id fubinde monent , inculcant ftrenue , & exemplis omnem exceptionem refpuentibus confirmatum eunt . Tale autem nobis fuppeditare locum Efaiæ XVIII. 2. 7. ubi commemorari legis גוי קו קו , *gentem Kav Kav* , ex hac differtatione faxo , ut cognofcas luculenter.

§. 2. Illud autem cum non fatis adtenderent Interpretes , videas eum locum illos vexaffe , & viciffim hunc ab illis variis , iifque fatis contortis conjecturis vexatum fuiffe , quarum aliæ a fignificatione ipfa vocum prorfus abhorrent , aliæ propius quidem ad hanc accedunt , ita tamen ut circa illius denominationis rationem fluctuandum tibi valde fit, omnibufque lectis incertior difcedendum quam fueras dudum . Ad priorem claffem referri poffunt fequentes . Alexandrini Interpretes , quos Cyrillus & Procopius fequuntur habent , ἔθνος ἀνέλπιστον . Aquila , ἔθνος ὑπόμενον . Jonathan Chaldæus : עמא אניסא ובזיזא i. e. *gentem oppreffam & afflictam*. A quo non longe abludunt Syrus & Arabs , quorum ille *populum fœdum & conculcatum* , hic *gentem infperandam & contritam* transferunt . Vulgatus reddit , *gentem exfpectantem*, quam verfionem plurimi ex Romano-Catholicis , Sanchez, Sa, de Roa, Tirinus , Thaddæus Perufinus , Montanus & alii cum fecuti funt, tum defendunt; Hieronymus & Haymo geminant . *Expfectantem* , *Exfpectantem* . E noftris Leo Judas , qui habet gentem *avide exfpectantem* , Pintus autem & Ifidorus Clarius , qui Kimchii explicantis מעט מעט, (a quo etiam non abludit R. Salomon ben Melechin מכלל יופי vertens מעט אחר מעט) infiftunt veftigiis *jufte*, *paulatim* , Malvenda , *collectionis* , *collectionis* , R. Salomon Ifacides, interpretatur מדה במדה *menfura pro menfura* , ita tamen ut & addat aliam explicationem קו קו לשון קוא שחי ומאוס *Kav* , *Kav* , *ex notione* קוא , i. e. *vomitum* , *purgamentum* , *rem fœdam* דרך notat quofdam explicare *ædificium* poft *ædificium* . Calvinus vertit *undique* , Caftalio *gentem alios & alios limites habentem* , Pellicanus *gentem fucceffive & pedetentim docendam* , *difcendam* , *& ordinandam* . Tigurini ; ein verzweiffeltes und verfchatztes Volck. Dani , *til Folket*, *fom er her og der afmaalt*, C. Vitringa; *præcepti* & *præcepti*.

§. 3. Ad alteram claffem pertinent , qui in expofitionibus fuis ad veram τȣ̃ קו notionem , quæ *lineæ* eft & *menfuræ* , refpiciunt. v. gr. Aben Efra , qui habet , *gentem fimilem puero difcenti lineam poft lineam* . Judæi Germani ; die da feyn bezahlet werden mit dergleichen Schnur . Pagninus tranftulit *gentem lineatim operantem*, & in Thefauro in verbo בום , *perpendiculi* , *perpendiculi* , a quo etiam non abludit Marinus in voce קו , qui habet *funiculi* & *funiculi* , ut & Malvenda , qui cum varias fententias conjunxerat , addit , *regulæ* , *regulæ* , *normæ* , *normæ* , *fili* , & *fili* . Pifcator vertit ; *omnibus delineantem* & in Germanica verfione ; Ein Volck / das jederman Ziel und Maaß fetzet . Forfterus & Avenarius , *gentem perpendiculi* vel *funiculi*, Mercerus, *regulæ* & *regulæ* . Delrius ad *amuffim* feu ad *regulam*, Italice *ad filo*, *ad filo*. Oecolampadius , *gentem funiculi* , *funiculi* . M. Hillerus , *gentem lineis fignatam* , i. e. ftrigis rugifque deformem . Coccejus in commentario ad h. l. *gentem ad lineam* & *lineam conculcatam ;* & in Anecd. T. I. *gentem norma paulatim conculcatam* . Grotius gentem , quæ *paulatim protendit imperii fui terminos* . S. Schmidius , *gentem valde* , fc. *linea defcriptam* fc. ad deftruendum: & alibi *delineatam*. Junius & Tremellius ; *lineæ* uti alii magno numero , v. gr. Arias Montanus , Scultetus , Forerius , Vatablus , a Lapide , Schindlerus , Varenius, *gentem lineæ & lineæ*. Hos fecuti funt Belgæ ; *Een volck van Regel ende regel ;* Lut. , qui acu rem præ aliis tetigiffe videtur ; Ein gemeffen Volck / uti Angli ; *a Nation medet out* , & Horchius , ein Volck das abgemeffen ift.

§. 4. Operofius , quam mos meus fert , hæc colligere volui , cum , ut liquido pateat , in hoc loco , qui ufque adeo fummorum Virorum ingenia in diverfa diftrahere , & ad tam ut plurimum contortas interpretationes adigere potuit , nodum delitefcere vindice dignum , tum , ut, poftquam uno profpectu eas omnes intuitus es , meamque , quam addam , contuleris , eo melius arbitrari poffis , quænam fequenda , & reliquis præferenda fiet . Talis autem fine omni dubitatione illa erit , quæ & a genuina vocum fignificatione omnium minime difcedit , & cui cum toto argumento apprime convenit , illius denique generis eft , ut ad aliam quamcunque rem difficulter admodum transferri queat .

§. 5. Ad illum finem itaque notemus in hoc capite agi de ÆGYPTO , atque ad unum

ad unum OMNES, quæ his commatibus de ea uſurpantur, phraſes, eum in modum ſenſu ἐμφατικοτάτῳ cum illa congruere, ut aptari vix alii plagæ commode poſſint. De phraſi ארץ צלצל כנפים id peculiari diatribe, quæ locum in XXXII. Bibliothecæ Brem. faſciculo obtinuit oſtendi. Quando dicitur, אשר מעבר לנהרי כוש, *quæ eſt trans flumina* כוש, indicatur Ægyptus, quæ Iſraelitis ad alterum latus terræ כוש, id eſt, Arabiæ, adeoque trans ſignum Arabicum ſita erat. Cum additur quæ *mittit in mare* צירים, & in vaſis Junceis בכלי גמא, id de Ægypto, in cujus illuſtri fluvio, Nilo, quem *mare* dici demonſtravimus alibi, navibus levibus, ſcirpeis, junceis, papyraceis, quæ mox dicuntur מלאכים קלים, *nuncii leves*, vehebantur, &, in quo צירים id eſt, imagines [ſive id de capite Oſiridis, ſive de baride Iſidis, ſive Dynaſtis Ægyptiorum intelligas] ſolenni cærimonia circumferebantur, intelligendum omnino eſt.

§. 6. Nota pariter Ægypti characteriſtica eſt, quando dicitur מורט *detonſa, depilata*. Ecquis enim audit eam nationem id habuiſſe præ aliis in more poſitum, ut non ſolum ſacerdotum & voti damnatorum capita, ſed & tertio quoque die tota corpora raderentur, imo omnes Ægyptios inde ab ineunte ætate capita ſolitos fuiſſe tondere, qui non ſimul animadvertat ſtatim, ſingulari prorſus ac privo modo Ægyptiorum *gentem* dici potuiſſe מורט *detonſam?* Neque minus aptum eorum κειτήειον eſt, quando dicitur עם נורה מן הוא והלאה, i. e. *populus terribilis, a quo fuit & uſque, quod eorum*, ut loquitur Vitringa, *regnum poſt Babylonicum fuit antiquiſſimum, idemque vicinis populis ob copiam hominum & opum amplitudinem, & exercituum robur*, addo & crudelia, quæ aliis populis intulit, bella, *tremendum*.

§. 7. Unicum adtributum, quod illi datur hoc ſecundo & ſeptimo commatibus, quando Ægyptii appellantur גוי ממשך, videri poſſet generale nimis, & aliis quoque gentibus commune. Cum enim illud exponunt populum *protractum, diſtractum*, quia illius terra a mari Syenem uſque tota pateat in longitudinem, quis hoc peculiare Ægypti eſſe κειτήειον diceret, cum & aliæ regiones quam plurimæ in longitudinem diſtentæ ſunt? Sed notari velim משך etiam notionem habere rei validæ *inſuperabilis* atque *inacceſſæ*, id quod ex collatione linguæ Arabicæ nos docuit Albertus *Schultens*, in animadv. phil. in Jobum p. 108. qui doctiſſimus vir ex eodem fonte ſanctæ linguæ multum inferet luminis, ſi, quod facturum propediem ſperamus, fidem, quam publice dedit, liberaturus eſt. Nemo autem dubitabit eo ſenſu commodiſſime id nominis dari poſſe Ægypti incolis, niſi qui ignoraverit, quod vix quiſquam ignorare poteſt, tunc tempeſtatis, qua vivebat Eſaias, eos virium robore, hominum affluentia, armorum gloria omnes fere gentes longo intervallo poſt ſe reliquiſſe. Præterea illorum regio ita locorum ſitu erat munita, ut inſuperabilis atque inacceſſa fere haberi potuerit. A plaga ſeptentrionali mari pulſabatur mediterraneo, cujus littus & infeſtum erat navibus & importuoſum. Ab occaſu deſerto impervio & erythræo mari claudebatur. Ad meridiem Nili cataractæ & inacceſſa montium Æthiopiæ juga, ſicut a plaga Orientali Libyæ arenæ & barathra & Serbonidis paludes eam cingebant, muniebantque. Vide Diodorum Siculum, & Strabonem, illum L. I. p. 18. hunc L. XV. p. 819. hæc latius explicantes. Unde & ille de illa ſcribit, ὀχυρότητι δὲ φυσικῇ οὐκ ὀλίγῳ δόκειν προέχειν τῶν εἰς βασιλείαν ἀφορισμένων τόπων, *munimento naturali non parum videri antecellere loca* alia *in regnum diviſa*, vocatque L. XV. p. 478. δυσπρόσιτον παντέλως οὖσαν Αἴγυπτον, hic autem ei adſcribit L. XVI. αὐταρκες τῆς χώρας, καὶ τὸ δυσέμβολον τοῖς ἔξωθεν, quod *ſuis ſit contenta bonis regio, & in quam exteris difficilis ſit ingreſſus*. Adhæc erat ἀθανάτῳ τείχει τῷ Νείλῳ τετειχισμένη, & ἀνάλωτος μὲν ὢν καὶ δυσμάχητος τοῖς ἐπιβουλεύουσιν, *Nilo tanquam immortali muro circumdata, & inſuperabilis & inexpugnabilis inſidiatoribus*, ut loquitur Iſocrates in Or. de Buſiride p. 214. Eadem itaque ratione, qua מצור 2. Reg. XIX. 6. Eſa. XIX. 6. Mich. VII. 12. unde nomen illi שצרים datum exiſtimat Bochartus, dicta eſt Ægyptus, eam quoque quam tractavimus, nanciſci potuit denominationem.

§. 8. Pariter, quod ſequitur proxime, quando Ægyptus appellatur מבוסה, *conculcata*, quis ambigat id eam ob cauſam, quæ ſoli huic regioni priva eſt, fieri, quod, cum eluvione Nili macerata eſſet, & deinde exſiccata, ſuibus deinde, aliiſque pecudibus in agros immiſſis conculcanda tradi ſoleret, uti ex Herodoto & Diodoro perapte id obſervavit Vitringa. Denique, cum adjungitur, גוי אשר בזאו נהרים ארצו *Gens cujus terram divipiunt fluvii*, ecquis non animadvertit hæc Ægypto, eique SOLI convenienter, congruenterque dici, utpote, cujus ſolum & ager, cum quotannis Nili aquis obrueretur, ejus inundationibus non parum patiebatur detrimenti?

menti? Ex quorum omnium consideratione cum constet phrases in tota hac oratione adhiberi ad Ægyptum eamque SOLAM pertinentes, hanc quoque quæ reliquis veluti undiquaque cincta est, ejus speciei esse, nemo facile dubitaverit.

§. 9. Id vero patebit liquido, si veram & propriam τȣ̃ קו notionem adtenderimus, quæ est LINEÆ, *perpendiculi*, *normæ*, *regulæ*, *funiculi mensorii*, quo in primis GEOMETRÆ, agrorum mensores, fabri lignarii, cæmentarii, aliive opifices utuntur, ut ad amussim opus efferatur. Vide 1. Reg. VII. 23. 2. Reg. XXI. 13. 2. Chron. IV. 2. Job. XXXVIII. 5. Es. XXVIII. 17. XXXIV. 11. 17. XLIV. 13. Jer. XXXI. 39. Thren. II. 8. Ezech. XLVII. 3. Zach. I. 16. Interpretes Alexandrini vertunt στάθμη, μέτρον, διαμετρήσεως, σπαρτίον ΓΕΩΜΕΤΡΙΑΣ. Aquila, κάνων. Symmachus χοίνιον. Hinc lineam æquinoctialem Astronomi Hebræorum vocant קו השוה. Hinc vox תקוה eadem significatione venit Jos. II. 18. 21. & Job. VII. 6. Neque minus in decantato illo loco Es. XXVIII. 9. 10. ubi legitur קו לקו קו לקו *Kaule*, *Kau* (a) Geminatum, commode notio *lineæ*, *canonis*, *regulæ* retineri potest, uti retinuerunt in versionibus suis Hispani, Galli, Angli, præter quam plurimos tam Judæorum, quam Christianorum Interpretes. Quin & Ps. XIX. 5. Quamquam enim τὸ קום vertit Apostolus LXX. secutus φθόγγον αὐτῶν & illa versio ex Arabica lingua illustrari possit scite, in qua قوقا sive قوى *hawa* notat *clamare*, *vociferari*, quæ elegans observatio Eduardo Pocockio debetur, tamen & heic loci *lineæ* seu *funiculi* significantiam apprime retineri posse in Brem. Bibliotheca luculenter jam ostensum est Cl. II. fasc. V. pag. 836. sqq. Alias apud Arabos قوى vel قوه est quoque *funiculum*, & apud Giggejum חבל קו, teste Bocharto est *funis ex funiculis contextus* ab hac radice quoque descendit תקוה, unde Jos. II. 21. תקוה השני est *funiculus coccineus*.

§. 10. Ex quibus cum abunde pateat, quæ genuina τȣ̃ קו sit significatio, tantum abest, ut ea in hoc loco sit eliminanda, ut e contraria parte omnino retinenda videatur, quod apud auctores τὠ̃ς ἔξω aliquid inveniamus, quo edocemur Ægyptiis a LINEA & *funiculo mensorio* præ omnibus terræ nationibus & elegantissime & nervosissime nomen imponi potuisse.

§. 11. Audiamus primo loco, SERVIUM, ad Virg. Ecl. III. v. 41. *Radio*, scribit ille, *id est*, *virga philosophorum*, *qua Geometræ* LINEAS *indicant*. INVENTA AUTEM HÆC ARS EST TEMPORE, QUO NILUS PLUS ÆQUO CRESCENS, CONFUDIT TERMINOS POSSESSIONUM; *ad quos innovandos adbibiti sunt philosophi*, *qui LINEIS diviserunt agros*; *inde GEOMETRIA dicitur*: Addamus *STRABONEM* Geogr. L. XVII. p. m. 787. Ubi in triginta nomos Ægyptum divisam narraverat addit; πάλιν δὲ οἱ νόμοι τομὰς ἄλλας ἔχον, εἰς γὰρ τοπαρχίας οἱ πλεῖστοι διῄρηντο, καὶ αὗται δ' εἰς ἄλλας, τομὰς ἐλάχισται δ' αἱ ἄρουραι μερίδες. Ἐδέησε δὲ τῆς ἐπ' ἀκριβὲς καὶ κατὰ λεπτὸν διαιρέσεως διὰ τὰς συνεχεῖς τῶν ὅρων συγχύσεις, ἃς ὁ Νεῖλος ἀπεργάζεται κατὰ τὰς αὐξήσεις, ἀφαιρῶν καὶ προστιθεὶς, καὶ ἐναλλάττων τὰ σχήματα: καὶ τ' ἄλλα σημεῖα ἀποκρύπτων, οἷς διακρίνεται τό τε ἀλλότριον καὶ τὸ ἴδιον. ἈΝΑΓΚΗ ΔΗ ἈΝΑΜΕΤΡΕΙΣΘΑΙ ΠΑΛΙΝ ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ τὴν γεωμετρίαν συστῆναι φασιν. *Rursum hæ præfecturæ divisæ fuere aliter*, *majore enim in parte in toparchias dispescebantur*, *hæ rursus in portiones alias*, *quorum minimæ arva erant*. *Opus autem fuit tam diligenti ac subtili locorum divisione*, *propter continuas finium confusiones*, *quas Nilus auctus efficiebat*, *aliis addens*, *aliis adimens*, *&* *immutans figuras*, *&* *signa obruens*, *quibus proprium discernebatur ab alieno*. *Itaque identidem dimetiri oportebat*. *Atque hinc ab Ægyptiis Geometriam credunt inventam fuisse*. Hausere hæc haud dubie ex HERODOTO, cujus hæc verba sunt in Euterpe c. 109. Τούτων μὲν δὴ εἵνεκα κατετμήθη ἡ Αἴγυπτος κατανέμαι δὲ τὴν χώρην Αἰγυπτίοισι ἅπασι τοῦτον ἔλεγον τὸν βασιλέα, κλῆρον ἴσον ἑκάστῳ τετράγωνον διδόντα, καὶ ἀπὸ τούτου τὰς προσόδους ποιήσασθαι, ἐπιτάξαντα ἀποφορὴν ἐπιτελέειν κατ' ἐνιαυτόν. Εἰ δὲ τινος τοῦ κλήρου ὁ ποταμός τι παρέλοιτο, ἐλθὼν ἂν πρὸς αὐτὸν, ἐσήμαινε τὸ γεγενημένον, ὁ δὲ ἔπεμπε τοὺς ἐπισκεψομένους καὶ ἀναμετρήσοντας, ὅσῳ ἐλάσσων ὁ χῶρος γέγονε, ὅπως τοῦ λοιποῦ κατὰ λόγον τῆς τεταγμένης ἀποφορῆς τελέοι. δοκέει δέ μοι ἐντεῦθεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα,

(*a*) Ab hac voce mutuatum videtur monstrum illud vocabuli, *Caulacau*, ut Irenæus habet, vel καυλαυκαὺχ Epiphanii, vel καυλακαὺχ Jo. Damasceni, vel καυλακούα Theodoreti, quo Gnosticos veteres, Nicolai & Basilidis sectatores usos fuisse scribunt. Vide de eo *Petavii* Notas ad Epiph. Hær. XXV. *Bebelii* Antiq. Eccl. S. I. art. 6. S. *Danæi* (qui non ex hoc Esaiæ loco arcessit, sed putat corruptam vocem ex Ebraico גאל, quasi Servator ita dictus sit Caula & Caulana pro *Goala* & *Goalana*) Comm. ad August. de Hær. c. 4. *Wetstenium* ad Orig. exhort. ad Mart. p. 101. *Feuardentii* & *Grabii* notas ad Iren. L. I. c. 23. & integram diss. de hoc argumento Viri eruditissimi Jo. Christiani CLODII, quæ prodiit Witteb. 1706. T. d. H.

σα, εἰς τὴν Ἕλλατα ἐπανέλθειν. *Hac de causa Ægyptus intercisa est, & ab hoc rege,* (Sesostri) *ut dicebant, in omnes Ægyptios dispartita, soli quadrati æqua portione viritim per sortem data, atque hinc proventus instituti, imposita certa pensione, quam illi quotannis solverent. Quod si cujus portionem alluvione flumen decurtasset, is adiens regem, rei, quæ contigerat, certiorem faciebat, rexque ad prædium inspiciendum mittebat, qui metirentur, quanto deterius factum esset, ut ex residuo pro portione taxatum vectigal penderetur, atque hinc GEOMETRIA orta videtur in Græciam transcendisse.*

§. 12. Videmus heic inter alia ab his triumviris GEOMETRIÆ, quæ ars circa קו קו i. e. *lineamenta* & funiculos mensorios occupatur in primis, inventionem adtribui Ægyptiis. Id autem aliorum quoque testimoniis confirmari potest. Ægyptios dicere se inter alia quoque τὰ περὶ τὴν Γεωμετρίαν θεωρήματα εὑρεθῆναι Diodorus scribit Siculus L. I. p. m. *63*. Λέγουσι Αἰγύπτιοι ὡς αὐτοὶ ΓΕΩΜΕΤΡΙΑΝ, καὶ ἀστρολογίαν, καὶ ἀριθμητικὴν ἀνευρον. Verba sunt Diog. Laertii in proœmio c. 11. qui pariter L. VIII. c. 11. Moeridem Ægyptii Regem τὰς ἀρχὰς τῶν στοιχείων τῆς γεωμετρίας invenisse narrat. Idem quoque Thaletem ΠΑΡΑ ΤΕ ΑΙΓΥΠΤΙΩΝ ΓΕΩΜΕΤΡΕΙΝ ΜΑΘΟΝΤΑ πρῶτον καταγράψαι ἐπὶ ἡμικυκλίε τὸ τρίγωνον ὀρθογώνιον ex Pamphila refert L. I. c. 24. Ægyptiorum cuidam Deo, cui nomen Θευθ, qui tempore Thami Ægyptii Regis vixit, inventum illud vindicat Plato in Phœdro, sub finem. Eandem scientiam ἐκ τοῦ ἀπλέτου τῆς γῆς, καὶ τῆς διαιρέσεως τῶν χώρων edoctos reperisse Ægyptios Suidas auctor est. Pariter illam ἈΠΟ ΤΗΣ ΓΕΩΔΑΙΣΙΑΣ ἘΝ ἈΙΓΥΠΤΩ ab illa *partitione terrarum, quæ in Ægypto fiebat, initium duxisse, & ad tantam magnitudinem excrevisse*. Julianus scribit apud Cyrillum contra Jul. L. V. p. m. 178. uti Strabo rursus L. XVI. p. 757. τῶν Αἰγυπτίων εὕρημα γεωμετρίαν φάσι ἀπὸ τῆς χωρομετρίας, ἣν Νεῖλος ἀπεργάζεται, συγχέων τοὺς ὅρους καὶ τὰς ἀναβάσεις, *Ægyptiorum inventum Geometriam* dicit *propter terræ dimensionem, quam Nilus causatur, cum terminos & accessiones confundit*. Menander Rhetor, qui in συλλογῇ Rhetorum Græcorum ab Aldo edita Manutio Venetiis a. 1508. locum decimum occupat, ὡς, ait, περὶ Αἴγυπτον, ἀστρολογίαν καὶ ΓΕΩΜΕΤΡΙΑΝ ἀξίουσι παρ' αὐτῶν γεγένησθαι L. III. p. 608.

§. 13. Hæc porro ars, quæ initia sua debuit Ægyptiis, ab iis secuturis temporibus perpolita atque exculta fuit solerter. Ita inter scientias, in quas adolescentes Ægyptii omisso voluptatum studio incumbebant, recenset quoque γεωμετρίαν Isocrates in Or. de Busiride p. m. 226. Menander modo adductus l. c. Alexandrinos τῇ γραμματικῇ, ΓΕΩΜΕΤΡΙΑ, καὶ φιλοσοφίᾳ operam dare adhuc suo tempore testatur. Et de eadem urbe loquens Ammianus L. XXII. c. 16. *Ne nunc quidem*, inquit, *in eadem urbe doctrinæ variæ silent; NUDATUR IBI GEOMETRICO RADIO, quidquid reconditum latet*.

§. 14. Per hæc itaque edocemur, Ægyptiorum agros LINEIS dimetientibus publica regiaque auctoritate fuisse divisos, eosque unicuique fuisse ad mensuram æqualibus intervallis adsignatos, &, cum singulis annis agrorum limites turbasset Nilus, identidem illam agrorum dimensionem ad normam, regulamque, sive σπάρτιον τῆς γεωμετρίας institui ac repeti debuisse. Hinc Geometriam i. e. *artem, qua terra LINEIS & radiis distinguitur*, ab Ægyptiis primum inventam, deinde illorum opera ad alias gentes propagatam fuisse. Inde autem primariam rationem arcessendam, ob quam Ægyptii גוי קו קו, GENS LINEÆ, LINEÆ dicti sint; sive a *linea* & *funiculo mensorio* nomen traxerint, opinor. Neque dubito, quin alii id mecum opinaturi sint, qui secum reputaverint, veram ac genuinam τοῦ קו significationem ita retineri, & talem denominationis rationem dari, quæ Ægypto priva sit, neque ulli alii genti eo modo impertiri possit. Neque negligi debet phrasis, quæ statim annectitur, אשר בזהו נהרים ארצו, qua quasi tacite innuitur causa, ob quam lineis utendum fuit Ægyptiis, ne scilicet vel agrorum possessores, vel etiam regii redditus aliquid paterentur detrimenti, ob *affuso stagnantem flumine Nilum*, quando ille ἀπεργάζεται κατὰ τὰς αὐξήσεις ΑΦΑΙΡΩΝ καὶ προστιθεὶς, καὶ ἐναλλάττων τὰ σχήματα, vel εἴ τινος τοῦ κλήρου ὁ ποταμὸς τὸ παρέλοιτο, ut Strabonem & Herodotum loquentes audivimus, i. e. ex phrasi nostri divini vatis, quando *fluvius* i. e. Nilus *eorum terram diripiebat!*

§. 15. Illi autem causæ, quæ princeps & palmaria hujus phraseos est, adjungi fortasse possent aliæ, paulo minoris momenti. Talis est mensura incrementi Nili annui summa cum cura & attentione certis quibusdam lineis notari & signari solita, quæ quidem dimensionis ratio per totam Ægyptum, cujus felicitas ab illa pæne pendebat, magna cum cærimonia divulgabatur. Ita Diodorus Siculus refert L.

I. p.

I. p. m. 33. propter *metum ex inundatione ortum ſpeculam Nili* (Νειλοσκόπειον) *in Memphi a regibus exſtructam, in qua ejus adſcenſum* ἀκριβῶς ἐκμετροῦντες, *illius Curatores mittunt in urbes epiſtolas*, (b) *quibus ſignificant* πόσους πήχεις ἢ δακτύλους , *quot cubitos aut digitos adſcenderit fluvius, & quando decrementi faciat initium . Illius autem menſurationis obſervationem per multas ætates ab Ægyptiis accurate* [ἀκριβῶς] *in literas relatam eſſe addit*. Strabo L. XVII. pag. m. 817. in urbe Syene ſcribit eſſe Νειλομέτριον , id eſt, puteum quendam in Nili ripa ex integro lapide conſtructum, in quo & maxima & minima & mediocria Nili incrementa adnotantur , quia putei aqua cum Nilo creſcat & decreſcat , quia in putei pariete ſint deſcriptæ menſuræ , ſ. lineæ , ΜΕΤΡΑ τῶν τελείων καὶ ἄλλων ἀναβάσεων , ſic Plinius teſtatur Nili *auctus per puteos MENSURÆ NOTIS deprehendi* L. V. c. 10. Audiamus denique Heliodorum Æth. L. IX. c. 25. referentem Hydaſpi Syenem ingredienti oſtenſum φρεάτιον , τὸ ΝΕΙΛΟΜΕΤΡΙΟΝ , ᾧ κατὰ τὴν Μέμφιν παραπλήσιον , συννόμα μὲν καὶ ξέστῳ λίθῳ κατεσκευασμένον . ΓΡΑΜΜΑΙΣ δὲ ἐκ πηχυαίου διαστήματος κεχαραγμένον , εἰς ὃ τὸ ποτάμιον ὕδωρ ὑπὸ γῆς διηθούμενον, καὶ ταῖς ΓΡΑΜΜΑΙΣ ἐμπῖπτον, τὰς τε αὐξήσεις τοῦ Νείλου καὶ ὑπονοστήσεις τοῖς ἐγχωρίοις διασημαίνει; *puteum*, NILI MENSURAM , *ſimilem ei, qui eſt Memphi , ex ſecto & polito lapide exſtructum* . LINEAS *vero ulnæ interſtitio exſculptas continentem , in quem aqua fluvii ſubterraneo meatu impulſa & in* LINEAS *incidens incrementa & diminutiones indigenis monſtrat* . Vides itaque duobus in Ægypti illuſtrioribus locis , rem , quam ſcire omnium maxime ejus incolarum intererat, utpote, in qua eorum pæne ſalus verſabatur , LINEIS fuiſſe deſignatam, indicatam, earumque ope per omnem , qua patebat , regionem promulgatam. Neque ille ritus inſequenti ætate in uſu eſſe deſiit . Cum enim prior illa columna delapſa eſſet, aliam, ad quam incrementum Nili menſuraretur, e marmore exſtructam eſſe ab Aſama Ægypti quæſtore refert Elmacinus hiſt. Sarac. L. I. c. 14. Idque in inſula quæ *mare*, id eſt, Nilum, [nota enim Arabes Nilum quoque *Mare* vocare, quod alibi a nobis obſervatum eſt) *Fuſtaat* [ita dicebatur urbs, quæ & tum dicebatur מצרים, uti adhuc Turcæ vocant *Meſſer* , nunc dicitur Alcairo] *& Mare Gizoe interjacet* . Late illam deſcribit Geographus Nubienſis parte III. clim. 3. & *Benjamin* in itin. p. m. 116. 117. Et in hunc uſque diem illum morem magna cum ſolennitate vigere unanimi conſenſu omnes fere ὁδοιπορικῶν ſcriptores confirmant.

§. 16. *Porro* conſiderandum offero rerum gnaris, anne huc quoque referendæ ſint innumeræ illæ foſſæ , & lacunæ , quibus Ægyptus , ut nunc Belgica , tamquam ſulcis conciſa , ac diſtincta fuit . Idque eum in finem, ut eſſent receptacula aquarum, quibus decreſcente Nilo ad riganda paſcua, ſedandamque pecudum hominumque ſitim uterentur. Illæ *foſſæ obſtructæ erant aggeribus, ne antequam tempus poſtulet, effuſus fluvius terram inundaret, quos tamen cum irriganda planities erat , demoliebantur* , quæ verba ſunt Achillis Tatii L. IV. p. m. 254. Vide , cui hæc tanti ſunt, quæ ex eodem Tatio, Herodoto , Diodoro Siculo , Juſtino , Strabone , Svetonio in diſſ. de *Ægypto* ארץ צלצל כנפים tomo Brem. Bibl. VI. faſc. II. diſſ. 8. §. 13. adduxi. Neque enim lubet huic rei immorari diutius . Cum autem & aggeres illi & foſſæ LINEATIM atque *ad amuſſim* debuerint ordinari , tales autem foſſæ, & aquarum conceptacula a radice קוה dicta ſint מקואות (unde & Rabbini lacus in quibus Judæi mundandi cauſa ſe abluunt, ita vocant*:* integroque Talmudis libro , in quo de munditie & immunditie agitur, inde nomen dederunt) judica lector, anne inde Ægyptiis a קו linea adhærere nomen potuerit*?*

§. 17. Si tamen neque hæc tibi fecerint ſatis, en tibi aliud , cujus in mentem venit . Videlicet קו cum generatim notet *lineam*, ſpeciatim quoque ſignificat *fila* illa, ex quibus *linum* [Linnengaren) conficitur, ſicut apud Latinos quoque *linea* & *linum* , ut & apud Germanos eine Linie und Linnen ſono conveniunt , immo pro filis omne genus *linum* uſurpatur. Ita jam Chaldæus interpres apud Eſ. LIX. 5. *6.* fila *aranearum* vocat כקוין דעכוביתא. Talmudicis & Chaldaicis ſcriptoribus קיואין ſunt *textores*. Hinc Coam inſulam Aſiæ e regione Cariæ , Hippocratis patriam , notam ob *veſtes tenues* , *quæ femina Coa Texuit*, ut cum Tibullo loquar, nomen ſuum ſortitam eſſe putarunt, quod ut Iſidorus habet, Origg. L. XIV. c. *6. illa* , *teſte Varrone*, *arte lanificii prima in ornamenta fœminarum inclaruit*, aut , ut idem ſcribit , L. IXX. c. 22. *quod in ea conficitur bombycina a bombyce vermiculo* , *qui longiſſima ex ſe fila generat* , *quorum textura bombycinum dicitur :* תקוה quoque Job. VII. *6.* coll.

(*b*) Conſiderandum propono ; anne ex his Herodoti verbis lucem mutuari debeat phraſis , quæ eodem hoc commate legitur, qua Ægyptus dicitur: השלח בים צירים

coll. Ef. XXXVIII. 12. notat *radium* five filum textoris, קיואי, vel ut Aruch legit קוואי in tract. de Sabbatho, pro textoribus fumitur. Operæ pretium fecerit, quifquis heic contulerit *Bochartum* in Can. L. I. c. 7. & S. *Braunium* de Veft. Sacerd. L. I. §. 121.

§. 18. Porro *Lini* ufum, ejufque texturam, fi ullibi terrarum, maxime apud Ægyptios viguiffe conftat. Eos, præfertim eorum facerdotes *linigeros* inde dictos, lineis inceffiffe veftibus, & iis, qui nondum aere lavantur, notum eft. Id magis animadverti meretur iis horum inventionem tribui. *Minervam in Ægypto, quæ Nili regis fuerit filia, textrinæ artis magiftram* vocat Julius Firmicus de errore prof. relig. p. 49. *Ifidem in Ægypto lini ufum fementemque monftraffe* autor eft Martianus Capella L. II. TEXTILIA Ægyptios inveniffe fcribit Plinius L. VII. c. 56. Pathymiam Ægyptium artificio texendi veftes celebrem laudat Athenæus L. II. p. m. 48. Inter præcipuos Ægyptiorum operarios *Linyphiones* recenfet Flavius Vopifcus in vita Saturn. cap. 8. quos *Lini textores* explicat Salmafius. Trebellius in vita Gall. c. 6. de eo narrat, *cum ei nuntiatum effet, Ægyptum defciviffe, eum dixiffe ferri, Quid? SINE LINO ÆGYPTIO ESSE NON POSSUMUS*. Inter Alexandrinas merces Cedrenus, & inter Ægyptiacas, quarum vectigal Romæ Aurelianus conftituit, Flavius Vopifcus in hujus vita c. 45. *Linum* recenfet. Linum Ægyptiacum in pretio effe, & Colchico conferri Herodotus refert L. II. c. 105. Lini Canopici quoque meminit Gratius Cyneg. vf. 42. Pelufiaci Phoedrus L. II. f. V. vf. 12. Silius Ital. L. III.

Et Pelufiaco filum componere lino,

de quo loco confer. Adr. Junium Anim. L. IV. c. 29. cui ibi excitatur Jon, poeta Dithyrambicus, qui in Phœnice Ægyptum Λινόλινον appellavit. Idem (פלוסין) memoratur, præferturque Indico in Joma, c. III. §. 7. Plinius L. XIX. c. 1. quatuor enumerat Lini Ægyptiaci genera, iifque NULLA ait CANDORE MOLLITIAVE PRÆFERENDA; Et quantæ tenuitatis fila fuerint Ægyptiorum, ex eo colligas, quod in Ægyptii Regis Amafis thorace CCCLXV. filis fingula fila conftiterint, commemorante hoc eodem citato loco Plinio. Poftera quoque ætate eam negotiationem continuatam fuiffe in Ægypto me docet Benjamin in itin. p. m. 125. ubi de urbe Sonbato loquens fcribit והם זורעין פשתן ואורגים חור ומולכין לכל העולם. *Incolæ ejus linum ferunt*, & *candidas telas texunt*, *QUAS PER TOTUM MUNDUM TRANSMITTUNT*. Neque mirum tam uberem, pulcherrimi lini affluentiam in Ægypto fuiffe, cum ei rei aptiffima fit, χῶρα λεία καὶ ἄξυλος *regio plana & arboribus carens*, ita judicante Xenophonte, vel *pingue folum*, ut vult Plinius XVIII. 45. quæ omnia Ægypto conveniunt, quam quæ maxime.

§. 19. Inde in facris literis *lini* Ægyptiaci fit plus vice fimplici mentio. Vide Prov. VI. 16. Ef. XIX. 9. Ezech. XXVII. 7. Neque dubitem cum J. Braunio de Veft. Sac. L. II. §. 21. feqq. & J. *Clerico* in comm. ad h. l. quos nuper fecutus eft Blafius Caryophilus Neapolitanus, in differtationibus mifcell. quæ Romæ ante hoc quinquennium prodierunt, huc referre loca 1. Reg. X. 28. & 2. Chron. I. 16. Ubi præcipua merx, quam temporibus Salomonis ex Ægypto adtulerunt negotiatores, commemoratur מקוה. Illam enim vocem, recte Kimchius explicare videtur הפשתן כי הוא המשובח בארץ מצרים *filum five netum lini, quod in Ægypto erat pretiofiffimum*, vel, ut alibi fcribit: מלאכת הפשתן ועבודתו הוא במצרים יותר משאר הארצות *Opus ex lino textile, quod excellit in Ægypto plus, quam alibi terrarum. Et* רלבג interpretatur בגדי שש addita hac ratione, quia היו במצראים בגדי פשתן השובים מאד שנתפוסם *erant in Ægypto veftes linæ valde pretiofæ, ut notum eft*. Horum veftigiis inceffiffe videntur Vatablus, & Tremellius, quorum ille *telam byffinam*, hic *netum* reddidere. Sicut & commode verterunt Belgæ; *het linnen gaaren*; Quicquid illius eft, huic מקוה cum noftro קו קו bene convenit, illaque vox ab hac defcendit. Atque ita, cum Ægyptii crediti funt primi, qui & *linum* ferere, & ejus ufum docuerunt mortales, ejufque proventus apud eos fuit longe uberrimus pulcherrimufque; atque inde ad alias gentes, interque eas Judaicam, magna fuit negotiatio inftituta τῷ קו autem *lini* quoque & *filorum* obtinere poffit fignificantiam, illos גוי קו קו, *Gentem* inde LINI, LINI commode nominari potuiffe, quis amplius dubitet?

§. 20. Elige, nunc quamcunque harum rationum velis, vel omnes fimul junge, id faltim manifeftum erit, nulla heic opus effe textus facri immutatione, nullis ceris miniatulis. Percommode itaque carebimus conjectura, cujus in mentem venit eruditiffimo Viro, cujus de Arte Critica liber utiliffimus exftat, quando P. I. c. 4. §. 12. conjicit loco קו קו legendum effe קי קי, aut *potius varietatem effe Dialecti*,

qua,

qua , quod per ו *ſcribebant Hebræi , id per* י *efferebant Ægyptii* , idque illuſtrandum ſibi ſumit ex loco Herod. L. II. c. 94. in quo cujuſdam meminit *unguenti Ægyptiorum circa paludes habitantium ex fructu ſilliicypriorum , quod illi appellant* Κικι. At vero impetrare a me nequeo , ut credam ad tales literarum correctiones facile dilabendum eſſe. Egomet enim , cujus perquam mediocris linguæ ſanctæ peritia eſt , aſſeverare auſim confidenti animo , nullum mihi facile in ſacro codice objectum iri locum , quem non liquido oſtendam , eum ne leviſſimæ quidem indigere emendationis. Et, quod ad hunc locum adtinet ſingillatim, non urgebo multis, quod alius forſan urſerit pluribus , nondum eſſe extra controverſiam poſitum , an apud Herodotum illud verbum Κικι ſit retinendum, cum non deſint notæ optimæ codices, in quibus THKI legatur. Immo vulgatam lectionem prætulerim , quod apud Diodorum quoque Siculum eandem vocem inveniam . Refert enim ille L. I. p. m. 31. Ægyptios uti liquore ad lucernas accendendas, quem loco olei infundant, ἀποθλιβομένῳ ἐκ τίνος φύτȣ , προσαγορευομένῳ ϗ Κικι . Recte tamen mihi obſervaſſe videtur ἐξοχότατος Eſaiæ Interpres plane non videri veroſimile toti, tamque inluſtri genti a quadam unguenti ſpecie , qua circa paluſtria habitantes Ægyptii utebantur, nomen fuiſſe inditum. Certe in hoc loco aliqua vel apicis transmutatione prorſus non opus eſſe , id puto hca diſſertatiuncula plane evictum eſſe.



CHRI-



CHRISTOPHORI CELLARII
DISSERTATIO
DE
AMŒNITATIBUS HISTORICIS
ET
GEOGRAPHICIS
EX ITINERIBUS S. PAULI APOSTOLI COLLECTIS.

IN delicias & amœnitates Philologiæ aut adfinium litterarum excurremus, ex itineribus S. Pauli, quæ & usui & oblectationi sint, breviter excerpturi. *Tarsensem* hunc Apostolum fuisse, fatetur ipsemet Act. xxi. 39. & *Tarsum* ὐκ ἄσημον πόλιν *nobilissimam urbem* Ciliciæ appellat, quæ Josepho lib. I. Antiquit. Judaic. cap. VIII. ἀξιολογωτάτη, μητρόπολις ὖσα *maxime memorabilis & metropolis* est. Hanc multi credunt esse, quæ toties in sacris תרשיש *Tharsis* laudatur; quam pervulgarem opinionem fuisse Hieronymus in Daniel X. 6. docet, & una dissensum suum & Hebræorum ita declarat: NAVES THARSIS (Psalm. XLVIII. 7.) *id est maris: & Jonas fugere cupiebat non in Tharsum Ciliciæ* (quia Jon. I. 3. etiam est תרשישה) *& plerique existimant, sed absolute in pelagus*. Et in Jon. I. 3. *Josephus* (lib. I. Antiq. cap. VII.) *interpretatur de Tarso Ciliciæ: Hebræi* תרשיש *mare dici generaliter autumant;* quanquam horum alio ævo coryphæus R. Kimchi in Shoraschim שם מקום *nomen loci* esse itidem generaliter dicat, urbis an regionis, non exprimens. Ambrosius quidem Janvier, vir eruditissimus, Latina versione Commentariorum Davidis Kimchii in Psalmos, dicto Psal. XLVIII. 7. ita reddidit commentatoris verba: *Urbem Tharsis præ aliis locis nominat* [Psaltes] *quia ibi erat portus admittendis navibus valde commodus*. At *urbis* vocabulum de suo adiecit, quum Judæi verba Isnensi optima editione tantum hæc legantur אמר תרשיש כי הוא הותה מבוא לספינות *dixit* THARSIS, *quia illa erat portus navibus*. Tarsus autem Ciliciæ reductior quodammodo a mari est, atque ideo a Ptolemæo lib. v. cap. VIII. in mediterraneis numerata, quanquam in Cydni ostiis, qui urbem interfluebat, portum hanc primariam urbem habuisse non negari possit, præsertim quod Strabone mensore lib. XIV. p. 463. ὐ πλέιυς πέντε σαδίοι ἐπὶ τῇ ἐκβολῇ τῦ Κύδνυ, *non plura quam quinque stadia ad ostia Cydni erant*.

II. Sed sufficit nobis Hebræorum תרשיש non esse Tarsum Ciliciæ, sive dein *Tartessus* fuerit in Hispania, inter Bætis ostia, de qua Bochartus in Phaleg. lib. III. cap. VII. disputat; sive generatim *mare*, ut veteres Hebræi censuerunt, significaverit. Nos ad Tarsum Pauli patriam regredientes miranda ejus contemplabimur. Præter illa, quæ supra vidimus, nobilem urbem & metropolim fuisse, Strabo d. l. addit: εὐανδρεῖ καὶ πλεῖστον δύναται, *populosa est & præpotens*. Sed hoc cum aliis commune: magis propria laus in illis Asiæ partibus ex studio philosophiæ & optimarum artium accessit, quas ita excoluerunt Tarsenses eodem Strabone teste, ὥστ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξάνδρειαν, *ut Athenas & Alexandriam superaverint*. Ex quo conjicere licet, quam non ignarus Paulus doctrinæ & Philosophiæ fuerit, etiam Græcæ linguæ & dicendi artis peritus, antequam Gamalieli in theologia Judaica formandum se instruendum tradidisset.

III. Unde vero *jus civitatis Romanæ* Tarsensi Paulo fuerit pretium est excutere. Plinius lib. v. cap. xxvii. *liberam urbem* vocat, & fuerat, credo, antiquitus, ut Græcorum colonia; nam ab Argivis, ut Strabo tradit, condita fuit. An vero etiam colonia Romana? non credo Pauli temporibus fuisse, quod nummi ante Elagabalum nullam ejus rei mentionem faciunt. Unum autem sub Elagabalo percussum Patinus refert pag. 310. ΚΟΛ . . . . . ΙΟΝ. ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡΣ. quod Harduino judice pag. 485. supplendum ita est: ΚΟΛ. ΑΝΤΟΝ [vel ΑΝΤΩΝ] ΕΛΕΥΘ. ΤΑΡΣ. *Coloniæ Antoninianæ Tarsi*. At vero civitatis Romanæ jus Tarsensibus, licet non omnibus, pluribus tamen, iisque primariis antiquius fuit, saltem ab Julii Cæsaris temporibus, cui & Octaviano adeo studuerant, ut urbem suam *Juliopolim* vocari maluerint; quum res dubiæ essent ante Philippense bellum, Dolabellæ, Cæsaris partes tuenti, se ἑκουσίως, *sponte sua* dediderint, ob id a C. Cassio multati, a Triumviris vero in spem erecti, futurnm esse, ut omnia sua reciperent. Hæc Dio Cassius lib. XLVII. p. 342. seq. docet. A victoria ergo Triumvirorum non dubium est, quin Tarsenses, illorum partes sequuti, cum alia beneficia, tum jus civitatis impetraverint]. Usus hoc jure & privilegio apostolus Philippis & Hierosolymis fuit Act. XVI. 37. & XXII. 25. & quidem utrobique secundum legem Porciam, de qua Tullius pro Rabir. perduell. cap. IV. *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit: Porcia lex libertatem civium lictori eripuit*. Et Livius lib. X. cap. IX. *Porcia lex sola pro tergo civium lata videtur*. Sed satis de Tarso: ad *Damascum*, alteram quasi Pauli patriam, ubi renatus fuit, properamus.

IV. Situm *Damasci* Plinius lib. V. cap. xviii. designat ita, ut in Decapolitana regione locet, cujus pars in Cœle Syria est, pars in finibus terræ Israelis. Ex quo elucet, in australi Syria positam esse, eaque Cava, haud longe reductam a finibus superioris Galilææ. Olim sedes regni Syriæ erat, quod Hadad fundavit circa Davidis aut Salomonis tempora, & successores habuit ἐπὶ δέκα γενεάς, *ad decem generationes*, ut Nicolaus Damascenus apud Josephum lib. vii. Antiq. cap. VI. observavit, e quibus fuere, qui sacris litteris memorantur, *Benhadad*, *Hasael*, & ultimus *Rezin*, quem Ahasi, regis Jehudæ, rogatu Tiglatpileser rex Assyriorum ejecit, & Damascenam Assyriaci regni provinciam fecit, unde ad Persas, & ab his ad Græcos eodem statu devoluta fuit. Vid. Curt. lib. iii. cap. XII. Apostoli Pauli temporibus in Arabum potestate dicitur Damascus fuisse II. Corinth. XI. 32. quum ceteræ Syriarum partes Commagena excepta, in formulam provinciæ ab Romanis redactæ essent. Disquirendum itaque nobis erit, quo jure & quo tempore Damascus ditionis Arabicæ facta fuerit.

V. Sub ultimis Seleucidarum, quum Seleuco Grypo geniti imperarent, lacer status Syriarum erat: Damascus primum ab Eucæro Grypi filio tenebatur, quem Philippus frater ejectum in Parthicam captivitatem misit: Antiocho interea, alio Grypi filio, se regem Damascenorum constituente, cui Philippus eripuit, præfecti arcis proditione, sed brevi etiam amisit, præfecto illo in Antiochi partes rursus recedente. Non autem hæ solæ turbæ erant in Damascena regione, sed a tyrannis etiam, qui inter fraternas regum discordias orti fuerant, graviter Syriacæ partes adfligebantur. In his Straton Berœensis erat: omnium autem infestissimus Damascenis Ptolemæus Mennæus, tyrannus Chalcidenorum & Ituræorum, qui capitis supplicium postea mille talentis a Pompejo redemit. Pertæsi itaque Damasceni civilium bellorum & Mennæi injuriarum, Aretam, Arabiæ Petrææ regem, in regnum Cæles Syriæ evocant, sibique regem constituunt, ut, plane Josephus lib. xiii. cap. xxii. xxiii. & lib. I. de Bello c. iv. exposuit.

VI. Hic Aretas II. fuit, Obodæ filius, rex Nabatæorum, cui Malchus sub civile

vile Romanorum bellum ſucceſſit, & huic Obodas II. ſeu potius procurator ejus Syllæus, quo ab Auguſto damnato, Aretas III. Arabiæ & Damaſci regnum uſurpavit, indignante primum Auguſto, quod ſe inconſulto occupaſſet, poſtea tamen confirmante. Quæ geſta ſunt illo tempore aut paullo poſt, quum Syriæ Saturninus pro conſule præeſſet, hoc eſt quum mundi Servator Homo naſceretur, quod ex lib. XVI. Joſephi cap. XVI. & XVII. luculentum eſt, ut adeo Aretas hic per temporis rationes poſſit ille eſſe, aut non dubitetur eſſe, cujus præfectus Damaſcenus Apoſtolum capturus erat. Paulus enim intra quintum a Chriſti adſcenſione annum ex Judæo Chriſtianus factus fuit.

VII. Elapſus Paulus inſidiis Damaſcenorum in Arabiam aufugit, *Galat. I.* 17. ibique aliquamdiu latitavit. Lucam hanc fugam in Actibus præteriiſſe, *quia forſitan nihil dignum apoſtolatu in Arabia perpetrarat*, Hieronymus in d. l. Galat. I. cenſuit. Non quidem otioſum fuiſſe credamus, ſed minus illuſtrem, quam aliis locis & temporibus. Arabia hæc Damaſcenæ ex latere conjuncta erat & longe in auſtrum ad ſinum uſque Arabicum recedebat, Aretæ regnum, cujus Petra metropolis & regia ſedes fuit. Mirum, ethnarchæ manibus elapſum in regionem refugiſſe, cui dominus ethnarchæ illius ſeu rex Aretas imperabat. Sed non tam ethnarcham apoſtolus fugiebat, quam pervicaces Judæos ethnarcham concitantes, quorum quod pauciores in Arabia, ut videntur, exſtiterunt, quam in nobilioribus civitatibus Syriæ; tutius ibi latitare Paulus potuit.

VIII. Reſtat, ut quamdiu ibidem verſatus fuerit, circumſpiciamus. Ludovicus Cappellus Hiſtor. Apoſt. *triennium* integrum ponit, quia Galat. I. 18. μετὰ ἔτη τρία, *poſt tres annos* adſcendiſſe Hieroſolyma dicatur, quod triennium a converſione, non ab reditu ex Arabia in Damaſcenorum urbem metitur. Poſtquam enim Hieroſolyma venit, timebant ſibi ab illo Chriſtiani incertiores de ejus converſione, quam ignorare non potuiſſent, ſi longo tempore Damaſci, in illuſtri loco, verſatus Chriſtum publice prædicaſſet. Quæ enim Damaſci publice gerebantur, Hieroſolymis propter commercia utriuſque civitatis ignorari non poterant: Arabia autem obſcurior erat, nec nobilibus civitatibus, ut Syria, exculta. Contra vir illuſtris Jac. Uſſerius in Annal. pag. 629. ſcripſit, *primo apoſtolatus ſui triennio apud Damaſcenos exacto*, quod nolumus tueri, triennium illud ſi non totum, tamen majori ex parte in Arabia tranſactum fuiſſe perſuaſi, in quo etiam theologos clariſſimos Fr. Balduinum & Abr. Calovium conſentientes habemus.

IX. Poſt hæc *Antiochia* in primis Pauli palæſtris fuit, ubi ἐνιαυτὸν ὅλον, *integrum annum* verſatus tantam vim hominum ad Chriſti ſacra perduxit, ut, qui antea *diſcipuli* [תלמירים] vocati fuerant, tum *Chriſtiani* a capite ſuo & duce appellarentur. Hæc Antiochia ad Orontem eſt, Plinio lib. V. cap. XXI. *Epidaphnes* cognominata, hoc eſt famoſo illo & deliciis refertiſſimo luco, quem *Daphnen* dicebant, cognomen nacta, quæ non tantum Antiochenæ, ſed univerſæ Syriæ metropolis, *urbs celebris & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus liberaliſſimiſque ſtudiis adfluens* fuit, ut Cicero pro Arch. cap. III. laudavit. Quam dignitatem etiam ſervaſſe vel nummis Auguſti & Hadriani manifeſtum eſt, quibus ΜΗΤΡΌΠΟΛΕΩΣ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ legitur, ut de medio apoſtolorum tempore dubitare non liceat. Auctor Chronici Alexandrini in Julio Cæſare (p. 438. ed. Rad.) Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην, *Antiochiam magnam*, cui idem Cæſar ἐλευθερίαν, *libertatem* conceſſerit, quod alius nummus ab illuſtri Spanhemio pag. 789. laudatus confirmat hac epigraphe, ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, *Antiochenſium metropoleos liberæ*.

X. Ex Antiochia Syriæ in urbem *Seleuciam*, quæ ad mare eſt, profectus Paulus in *Cyprum* inſulam navigavit, ubi in pro conſulis *Sergii Pauli* notitiam venit, qui etiam fidem Pauli dictis & miraculis habuiſſe dicitur Actor. XIII, 7. & 11. Inſula hæc acceſſio regni Lagidarum Ægyptiorum fuerat, a fratre regis cum honore regalis dignitatis regnata, quorum ultimus fuit Ptolemæus, Ptolemæi Dionyſi ſive Auletæ frater, quem injuſta cupiditas Romanorum, Clodio tribuno plebis inſtigante, ad voluntariam mortem coegit, ut Romani inſulam & theſauros regios occuparent. Ab eo tempore Ciliciæ provinciæ conjuncta hæc inſula fuit, & ab eodem proconſule recta, quod Cicero ipſe, poſtea utriuſque provinciæ præſes ad Lentulum Spintherem lib. I. ep. VII. his verbis planiſſime tradit, *te perſpicere poſſe, qui Ciliciam Cyprumque teneas*. Erat autem Lentulus pro conſul Ciliciæ. Ita conjunctæ provinciæ etiam Appio Claudio & ipſi Ciceroni manſerunt; poſtea, uti tres diœceſes ab Cilicia abreptæ, quod Cicero lib. XIII. ep. LXVII. non obſcure indicat, & a Sigonio lib. I. de Provinc. R. cap. XI. pluribus probatur;

tur ; ita Cyprus quoque eidem cap. XIV. videtur Ciliciæ ablata , & peculiaris facta provincia , cujus rei etiam argumenta ſatis probabilia proferri poſſunt .

XI. Civili bello ſtatus inſulæ immutatus fuit , & Cæſar victor , Dione auctore lib. XLIII. pag. 202 , Arſinoæ & Ptolemæo puero in ſororis Cleopatræ gratiam ἐχαρίσατο , *donavit* : triumvir Antonius ipſi Cleopatræ cum Ciliciæ parte conceſſit , ut Strabo extremo XIV. refert. Ut antea autem *prætoria* provincia καθ᾽ αὑτὴν *per ſe & ſeorſum* declarata fuerat , quum fieret provincia Romana : ita Auguſtus quoque in decem *prætoriis* cenſuit , quod idem Strabo extremo opere memoravit . Sed prius illam in ſuas ſeu Cæſaris provincias retuliſſe Auguſtum , mox cum Narbonenſi reddidiſſe ſenatui , ex eoque tempore a pro conſulibus regi cœpiſſe , ex Dionis lib. LIII. pag. 504. & LIV. pag. 523. probari poteſt ; in quo ſtatu ſub ſequentibus manſit auguſtis imperatoribus . Inſcriptio apud Gruter. pag. 360. num. 3. ſub Caligulæ imperio facta: PRO CONSULE PROVINCIAM CYPRUM OBTINUIT . Non itaque cauſſa ulla eſt , ut cum Baronio Sergium Paulum Ciliciæ proconſulem dicamus , quum ſolius Cypri præſes fuerit , proconſul autem dictus non quod conſulatu in urbe functus fuiſſet ; hoc enim non neceſſarium erat : ſed ex lege Auguſti apud Dionem lib. LIII. pag. 504, qua ἀνθυπάτους καλεῖσθαι , *proconſules dici* voluit (in provinciis) non modo τοὺς ὑπατευκότας , *conſulatu in urbe functos* , ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους τῶν ἐστρατηγηκότων , ἢ δοκούντων γε ἐστρατηγηκέναι , *ſed alios etiam prætorios , & qui prætoriorum loco haberentur* .

XII. Ex Cypro in continentem provectus apoſtolus , Pamphylia & Piſidia peragratis , in *Lycaoniæ* , urbes venit *Derben* , *Lyſtram* , *Iconium* . Hic tractus ex diœceſibus fuit , quæ Ciliciæ proconſulatui quondam attributæ fuerant , ut Sigonius lib. I. cap. XI. de Provinc. Rom. probavit . Varium poſtmodo hujus regionis ſub triumviris & Auguſto imperium fuit , de quo vir clariſſimus Henr. Noris in Cenotaph. Piſ. pag. 209. ſeq. legi poteſt . Sufficit hoc ſolum enotare , ad Amyntæ regnum , quod novum Antonius conceſſerat , pertinuiſſe , quo rege ab Homonadenſibus interfecto , Auguſtus provinciæ formam induxit , Pamphyliæ oppidis ſuæ libertati reſtitutis . Gallogræcia autem μετὰ τῆς Λυκαονίας , *cum Lycaonia* , tanquam una provincia Ῥωμαῖον ἄρχοντα ἔσχε , *Romanum præſidem accepit* , Dione referente lib. LIII. pag. 514. *Derbe* illud oppidum eſt , quod Antipater Derbæus , Ciceronis amicus , tenebat, ideoque lib. XIII. epiſt. LXXIII. Philippo procos. Aſiæ ita commendatus : *Cum Antipatro Derbete mihi non ſolum hoſpitium , verum etiam ſumma familiaritas intercedit*, &c. Hunc inſidiis Amyntas ſuſtulit , ut ipſius poſſeſſiones occuparet , quod Strabo lib. XII. p. 391. adnotavit .

XIII. *Lyſtra* ſatis apoſtoli mirandis clara . Heic enim benigne exceptus uſque adeo cum Barnaba fuit , ut pro diis haberentur : mox , ut mutabile vulgus , lapidibus obrutus , & , tanquam cadaver , extra urbem protractus eſt . Non poſſum , quin ſimile exemplum , quod Cyprianus de martyre Numidico epiſt. XL. [Pamel. 35.] habet , adiiciam . *Ipſe* , inquit , *ſemiuſtulatus & lapidibus obrutus* ; *& pro mortuo derelictus* , *dum poſtmodum filia ſollicito pietatis obſequio cadaver patris inquireret* , *ſemianimis inventus* , *& extractus & refocillatus a comitibus eſt*. Ob id a Cypriano commendatus , ut presbyter Eccleſiæ Carthaginenſis fieret .

XIV. De Antiochia ad Orontem fluvium , ſeu ad Daphnen lucum , ſupra diximus : eſt & alia *Antiochia* , Piſidiæ , cujus in Actibus cap. XIII. ſeq. mentio fit , frequens civitas & ſummæ dignitatis . Plinius lib. V. cap. XXVII. *inſident verticem Piſidæ* , *quorum colonia Cæſaria* , *eadem Antiochia* . Nummi plurium Cæſarum apud Harduin. pag. 47. ſeq. COL. CÆS. ANTIOCH. quos perperam Triſtanus ad Antiochiam Epidaphnes ſivæ Syriæ rejecit . Latini juris fuit. Paulus IC. lege VII. Dig. de Cenſibus . *In Piſidia ejuſdem* [Italici] *juris eſt colonia Antiochenſium*.

XV. Ex Piſidia in Phrygiam & Cariæ fines progreſſi *Laodiceam* adimus τὴν πρὸς τῷ Λύκῳ , *ad Lycum amnem* Straboni cognominatam ſub finem lib. XII. Plinius lib. V. cap. XXIX. *celeberrimmam urbem* vocat , *impoſitam Lyco flumini* , *latera adluentibus Aſopo & Capro* . Conſentit nummus Commodi , ΛΑΟΔΙΚΕΙΑ ΛΥΚΟΣ ΚΑΠΡΟΣ , *Laodicea Lycus Caper* , quaſi inter hos amnes poſita . Cariæ a multis tribuitur propter vicinitatem , ut Holſtenius cenſet ad Steph. Byzant. p. 187. Ptolemæus etiam lib. V. cap. II. in Caria ſcripſit *Laodiceam* ἐπὶ Λύκῳ , *ſuper Lyco* . Strabo autem d. l. in Phrygia recenſuit , cui etiam ſubſcriptione Epiſtolæ 1. ad Timotheum tributam videmus , ſi genuina illa eſt & antiquo ſæculo ſuperaddita . Scriptam tradit Epiſtolam ἀπὸ Λαοδικείας , ἥτις ἐστὶ μητρόπολις Φρυγίας τῆς Πακατιανῆς *ex Laodicea* , *quæ metropolis eſt Phrygiæ Pacatianæ* . Sed vel ultimum *Pacatianæ* verbum

bum oſtendit ſubſcriptionem hanc Epiſtolæ coævam non eſſe, quia longe poſt apoſtolorum tempora Phrygia magna in *Salutarem* & *Pacatianam* cœpit dividi. Sub Chriſtianis demum principibus hæc nomina nata. Hinc in Notitia Imperii & Eccleſiæ Orientis obvia: ſuperioribus ſæculis, quantum conſtat, inaudita. Pacatianæ metropolis hæc Laodicea fuit, quemadmodum ſalutaris, Synnada. De utriuſque diſtributione in civitates Geographia Caroli a S. Paulo p. 240. ſeq. conſulatur: etiam Notitia Patriarchatus Conſtantinopolitani, & Ordo ſedium Metropolitanorum, & ſimiles Græci libelli, in quibus non *Pacatiana* ſed Καπατιάνη & Καπατίνη ſcribitur: etiam apud Conſtantinum Porphyrogennetam Themate I. Anatolico pag. 5. Φρυγία Καπατιανῆς: & Can. Concil. Laodic. apud Bevereg. Tom. I. p. 553. ἐν Λαοδικείᾳ Καπατιανῆς Φρυγίας in Novella autem VIII. cap. II. & in Notitia præſidum eidem Novellæ ſubjuncta, etiam Nov. XX. cap. VI. Juſtinianus *Pacatianam* illam Phrygiæ partem, non Capatianam appellat.

XVI. Sed cujuſcunque antiquitatis ſit Pacatianæ nomen, *Laodicea* illius princeps civitas ſatis antiqua eſt, condita vel amplificata ab Antiocho Theo, Soteris filio, tertio poſt Magnum Alexandrum Syriarum rege, & a Laodice, uxore ejus, *Laodiceæ* nomen adepta, id quod Byzantius chorographus, nobis prodiit. Hæc illa *Laodicea* eſt, cujus ad Coloſſ. I, v. 13, *16.* fit mentio, unde quidam Paulinam epiſtolam vel deperditam, vel ſuppoſiticiam arceſſunt, quæ vero, ut Hieronymus Catal. Scr. Eccl. ait, *ab omnibus exploditur*, obſtat enim præpoſitio ἐκ v. *16*, quam qui genuinam eſſe libris quibuſdam confiſi negant, Syrum interpretem, at quam antiquum? ſibi contrarium habent. Sed hæc aliis diſcutienda relinquimus: ex ſola hiſtoria argumentantes, cui tribus prioribus Chriſtianorum ſæculis ignotum *Phrygiæ Pacatianæ* nomen fuit, etiam Syro, Arabi, Latino interpretibus in epiſtolæ ſubſcriptione prætermiſſum. Accedit quod clariſſimi viri dubitant, an in Aſia ſcripta fuerit prior ad Timotheum, nec in Græcia potius ſeu Macedonia, in quibus ſupra laudatum Cappellum nominamus, qui itidem dubitabundus eſt an Paulus unquam Laodiceam, quæ ad Lycum eſt, pervenerit? quod certe, ſi hunc ὑπογραφὴν ſuſtuleris, probari vix aliunde poteſt. Nobis & civitatem oſtendiſſe, & nomen provinciæ, licet ex ſequiore ævo, declaraſſe, nunc ſufficiat.

XVII. In hoc tractu & *Coloſſenſes* erant, ex Pauli epiſtola minime ignoti. Sunt quidam, ut Guil. Eſtius Argumento hujus Epiſtolæ meminit, in quibus & Sebaſt. Munſterus eſt, qui Rhodienſibus hanc Epiſtolam inſcriptam autument. Hos enim propter coloſſi ſtatuam mirandam Suidas in Ῥόδος tradit Κολοσσαεῖς, *Coloſſenſes* appellatos, quod etiam Euſtachius ad Dionyſii Periegetæ v. 505. confirmat. Sed falluntur, qui Rhodiis Paulum ſcripſiſſe credunt. Eos enim Coloſſenſes intelligit, qui vicini & proximi erant Laodicenſibus & Hierapolitanis. Vide epiſt. cap. II, v. 1, & cap. IV, v. 13. 15. Ab his vero longius remota inſula Rhodus eſt. Intelliguntur ergo *Coloſſæ*, antiquum oppidum ad Lycum amnem nec procul a Mæandro, qui Lycum excipit, poſitum. Herodotus lib. VII. cap. XXX. ſitum ejus ita deſcribit, ut juxta eam Lycus ἀφανίζεσθαι, *terra condatur*, & quum poſt quinque ſtadia emerſiſſet, in Meandrum ſe infundat. Straboni & Plinio ſimpliciter Phrygiæ urbs vocatur: Herodoto ibidem πόλις μεγάλη Φρυγίας, *magna urbs Phrygiæ*. Hæc terræ motu ſub Neronis principatu, apoſtolo fortaſſis ſuperſtite, concuſſa & everſa, diu in ruinis jacuit. Quæ cauſſa fuit, ut nullam ejus mentionem Ptolemæus aliique poſteriores fecerint. Oroſius lib. VII. cap. VII. *In Aſia tres urbes, hoc eſt Laodicea, Hierapolis, Coloſſæ terræ motu conciderunt*, Laodicea brevi poſt tempore in Apocalypſi memoratur, & alibi: Hierapolis laudatur Ptolemæo lib. V. cap. II. quod argumento eſt has ſuperaſſe malum ſuum cui Coloſſæ, tanquam gravius adflictæ, ſuccubuerint. Tandem vero ſub Conſtantinopolitanis imperatoribus *Chonæ* in Coloſſarum locum ſucceſſere. Conſtantinus Porphyrogenneta Themate III. Κολόσσαι, αἱ νῦν λεγόμεναι Χῶναι, *Coloſſæ*, *quæ nunc Chonæ dicuntur*. Hæc patria Nicetæ Choniatæ, ſcriptoris Conſtantinopolitani, ut ipſe tradit Vita Balduini cap. X.

XVIII. Coloſſe & Laodicea vicinam quoque *Hierapolim* commendant, ita ipſo Apoſtolo volente Coloſſ. IV. v. 13. ubi mentionem facit τῆς ἐν Ἱεραπόλει. Hujus nominis clara urbs eſt Syriæ, alia Cretæ: ſed heic, uti ſitus & vicinitas docet, *Hierapolis Aſiæ*, ut Plinius lib. II. cap. XCIII. τῆς Ἀσίας, ut Xiphilinus in Trajano vocat; ſive *Hierapolin Phrygiæ*, uti Apulejus de Mundo, appellat, intelligitur, puta *Phrygiæ magnæ*, in qua Ptolemæus lib. V. cap. II. locat: ſeu, ut poſteriori ævo provincias diſtribuebant, in *Phrygia Salutari*, quod in notitia Epiſcopatuum Græcorum legitur. Sed omnium clariſſime ejus ſitum nobis Strabo ſub finem lib. XIII.

deli-

delineavit, κατωτικρὺ Λαοδικείας, *ex adverso Laodiceæ*, sed trans Mæandrum fluvium. Stephanus Byzantius, qui in confinio Phrigiæ & Lydiæ ponit, nomen habuisse tradit ἀπὸ τῦ ἱερὰ πολλὰ ἔχειν, *a multitudine templorum*, in quibus celebrantur *Matris Magnæ*, apud Plin. lib. II. cap. XCIII. & *Apollinis*, apud Photium Cod. CCXLII. in excerptis ex Isidori vita, Damascio auctore, quod etiam nummis confirmatur. Cetera miranda hujus urbis Strabo d. l. & Stephanus Byzantius, & Apulejus de Mundo enarrant.

XIX. *Troas* in ora Asiæ occurrit, unde in Europam Apostolus navigavit. Et urbis & regionis nomen est: in Pauli historia magis urbis, quam regionis, contra Syrum interpretem, qui Act. XVI. 8. εἰς Τρωάδα vertit *in Troadam regionem*, de suo אתרא adjiciens. Hieronymus Epist. CL. ad Hedibiam quæst. XI. *Troas*, inquit, *quæ prius Troja appellabatur*. Propinqua quidem ruderibus Trojæ, non autem eodem prorsus in loco posita, quia *Ilium* & *Troadem* Strabo ineunte lib. XIII. & Plinius lib. V. cap. XXX. distinguunt. Condita *Troas* ab Alexandro Magno, a quo & *Alexandreæ* nomen habet, & tam Straboni d. l. quam Ptolemæo lib. V. c. II. est *Alexandrea Troas*, id est Alexandrea in Trojano agro sita, quia articulum Strabo interposuit Ἀλεξάνδρεια ἡ Τρωάς, quod perperam interpres vertit *Alexandria & Troas*. Aliquando ab Antigono nomen accepit. Plinius d. l. *Troadis primus locus Hamaxitus: dein Cebrenia: ipsaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria, colonia Romana*. Commentarii loco sunt, quæ Strabo tradit dicto libro p. 408. ex quibus abunde constat, quantum differant Ilium, etiam ab Alexandro ornatum, & hæc Alexandria: & cur Antigonia eadem dicta, & quando colonia Romanorum facta. Quod enim coloniæ meminit sæculi Augustei scriptor, non post Augustum deducta fuit; neque ante Octaviani tempora, quia in plerisque nummis AUG. adscriptum est, Antonini Pii COL. ALEX. AVG. Elegabili & Alexandri Severi COL. ALEX. AUG. TRO. & Aquiliæ Severæ COL. ALEXAND. AUG. Nomen Antigoniæ in uno Titi nummo est cum reliquis, COL. TROAS ANTIGONIA ALEXANDR. Rarius est *Antoninianæ* cognomen, cujus generis nummum vir illustris Ezechiel Spanhemins profert p. 776. COL. AUR. ANTONINIANA ALEX. Est etiam, ubi demtis Alexandriæ vel Antigoniæ nominibus simpliciter *Troas* appellatur, in Antonini & Commodi nummis, COL. AUG. TROAD. & Caracallæ, COL. AUG. TROAS, quod cum sancto Scriptore convenit, qui simpliciter etiam *Troadem* appellat.

XX. Ex Troade navigavit Paulus in Samothracen & Neapolim. Nota insula *Samothrace* in septentrione Ægæi: minus cognita hæc *Neapolis* inter Philippos & Aenum juxta mare sita. Meminit ejus Plinius & Ptolemæus: luculentius situm describit Dio Cassius lib. XLVII. p. 348. esse positam πρὸς τῇ θαλάσσῃ κατ᾽ ἀντιπέραν Θάσυ, *ad mare, contra insulam Thasum*. In Macedonia censetur, si Nessus ejus terminus fuit: in Thracia, si Strymon antiquus limes, finiebat. Hinc iter *Philippos* patuit, quæ Act. XVI. 12. κολώνια dicitur, puta *Romana* & πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις, *urbs primaria partis Macedoniæ*, quæ trans-Strymonem est, quondam Thraciæ adjudicata. Plinius lib. IV. cap. XI. *Philippi, colonia*, quam Augustus vel deduxit, vel in majus colonorum supplemento auxit. Nummus Claudii COL. AUG. JUL. PHILIP. Subnotatum DIVUS AUG. Similem nummum Vespasiani COL. AUG. JUL. PHILIP. Holstenius ad Steph. p. 346. ad Philippopolim Thraciæ refert, quem malim ad Philippos reductum, nisi forte manifesta habet pro Thraciæ urbe indicia. Quod vero istum Claudii nummum Patinus p. 99. Thessaliæ Philippis, nescio quibus, ad mare *Ægæum* seu mediterraneum sitis, & diversis ab urbe trans Strymonem, tribuit, puto ex veteri errore ortum, quo unum locum & Cæsaris cum Pompejo, & Cassii ac Bruti cum Antonio & Octaviano prœliis fuisse falso multi crediderunt, quod tamen aliter se habere, præfatione ad Geographiam nostram ostendimus. Hi vero trans Strymonem *Philippenses* sunt, ad quos Paulus litteras dedit: hi quibus *jus Italicum* Lege VI. & VII. Dig. de Censibus, velut ingens beneficium, adseritur.

XXI. Ab Amphipoli ad Strymonem sita & *libera* civitate, ut Plinius vocat, per *Apolloniam* in Thessalonicam Paulus venit Act. XVII. I. Quæ illa *Apollonia* sit, non omnibus obvium est, Plinius IV. cap. X. *Regio Mygdoniæ subjacens, in qua recedentes a mari Apollonia & Arethusa*. Has duas Scylax in Macedonia conjungit, & utramque dicit ἑλληνίδα, *Græcam civitatem*. Superest *Nicopolis* cum *Macedoniæ* cognomento in subscriptione Epistolæ ad Titum ἀπὸ Νικοπόλεως τῆς Μακεδονίας, *ex Nicopoli Macedoniæ*. Quod nullam in Macedonia inveniunt, quidam *Neapolis* nomen substituunt.

Non

Non eſſe innitendum hiſce ſubſcriptionibus ſupra in Pacatiana vidimus ; & in hac quoque ſequioris ævi ambitio ex πρώτου, *primarii* epiſcopi titulo videtur ſe proferre, quam priſca & apoſtolica ætas ignoravit. Syrus & Arabs neque *Macedoniæ*, neque *primi epiſcopi* nomen habent : ſunt etiam Græci libri, quibus tantummodo notatum : ἐγράφη ἀπὸ Νικοπόλεως, ceteris omnibus reſectis. Eſto autem vulgarem ſubſcriptionem non antiquiſſimam eſſe, ſervari tamen & explicari poſſe non deſperamus. Hieronymus proœmio comment. in Epiſt. ad Titum : *Scribit apoſtolus de Nicopoli, quæ in Actiaco littore eſt*. Et ad cap. ult. v. 12. *Nicopolis ipſa eſt, quæ ob victoriam Auguſti, quod ibi Antonium Cleopatramque ſuperavit, nomen accepit*. Hoc Auguſtæ victoriæ monimentum in extrema Epiro ſitum erat, ubi nunc *Preveſa*, noviſſime a Venetis expugnata. Notitia Epiſcopatuum Græc. Νικόπολις, ἡ νῦν Πρέβεζα. At Epirus ex Romanorum diviſione ad provinciam Achaicam pertinebat : qui univerſam Græciam in Macedoniam & Achajam [II. Theſſal. I. verſ. 7. 8.] hoc eſt in duas provincias conſulares, diviſerunt. Alii Nicopolim ad Neſſum intelligunt : ſed hæc Ptolemæo lib. III. cap. XI. in Thracia eſt. Lud. Cappellus pag. 68. totam ſubſcriptionem rejicit, ut pugnantem cum ordine itinerum Pauli, & cum verſ. 12. cap. ult. Adde Guil. Eſtii Argumentum hujus Epiſtolæ, qui vero in Achaja ſcriptam putat : Cappellus Epheſi : Grotius in Italia, ſed hic in eo accedit Hieronymo, ut *cap. ult. verſ.* 10. Nicopolim Epiri, non Thraciæ, intelligat. Locum ſcriptionis non definimus, Nicopolis ſitum oſtendiſſe & probaſſe in præſentia contenti.

XXII. Plures ſunt Græciæ urbes, quæ Pauli voce perſonuerunt, Athenæ, Corinthus, aliæ, quarum nec ſitus, nec fama ignoratur. *Cenchreæ* autem, habentes portum & navale Corinthi, ad ſinum Saronicum, non licet illaudatas præterire, quia Actor. XVIII. 18. & ad Roman. XVI. 1. laudatæ ſunt. Deſcribit Pauſanias in Corinthiacis poſt principium, in iiſque templa Neptuni, Dianæ, Veneris laudat : ſed verior laus eſt τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς, *Chriſtianæ ibidem eccleſiæ*, Rom. XVI. Cetera Græciæ, ubi Paulus fuerit, nominatim expreſſa non legimus, quamvis longa ſpatia oporteat eum emenſum fuiſſe, qui μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, *uſque ad Illyricum*, cuncta evangelio impleverit, ut ſcripſit Romanis cap. XV. verſ. 19. Iter ejus tantummodo deſcribitur per Amphipolim, Apolloniam, Theſſalonicam, Orientale latus Macedoniæ : Illyricum autem, terminus occidentalis, toto regno ſeu conſulari provincia interjacente, a ſcriptore Actuum non attingitur. Duplex autem *Illyricum* erat, *Græcum*, quod a Liſſo & vicinis montibus incepit : & vergit ad Ceraunios uſque montes. Hæc Græca Illyris urbes nobiles habuit Liſſum, Dyrrhachium, Apolloniam : populos Parthinos, Taulantios, & alios obſcuros. *Barbarum* hinc ſuper Adriam exſurgit in occaſum borealem. Hos Mela lib. II. cap. III. *proprie Illyricos* vocat. Adde Palmerii Græc. Antiq. lib. I. cap. XIV. Hanc, illamne Illyrin intelligat apoſtolus non æque nobis certum eſt. Nullum veſtigium apparet, ad Dalmatas uſque excurriſſe : nec vero ejuſdem ætate Illyrici nomine alterum cenſebatur, ſed Macedoniæ potius. Dio Caſſius lib. XLI. p. 176. Τὸ Δυῤῥάχιον ἐν τῇ γῇ πρότερον μὲν Ἰλλυριῶν τῶν Παρθινῶν, νῦν δὲ, καὶ τότε γε, ἤδε Μακεδονίᾳ νενομισμένη, κεῖται, *Dyrrhachium in terra Illyriorum Parthinorum ſita : quæ nunc, etiam tunc* (Pompeii & Cæſaris ætate) *Macedoniæ adnumerata eſt*. Quod ſi ita eſt, in Daſſaretis, Taulantiis, horumque vicinis apoſtolum prædicaſſe vix erit quod dubitemus.

XXIII. Ultimo Hieroſolymam rediturus Paulus aliquod tempus in Aſiæ ora conſumſit. Ex Macedonia navigavit Troadam : inde pedeſtri itinere *Aſſum* profectus, Act. XX. 13. quod Phrygiæ Minoris oppidum ad mare erat, haud longe a Troade Alexandrea remotum. Plura de eo Salmaſius in Solinum p. 847. Inde *Mytilenen*, Lesbi inſulæ clariſſimam urbem, venit, Ciceroni, Horatio, omnibus laudatam. Inſulæ poſt aliæ exceperunt, *Chios*, nunc Scio, Smyrnenſi ſinui oppoſita : & *Samos*, e regione *Epheſi*, quam urbem præternavigavit, & *Miletum* recta contendit.

XXIV. Non ſemel *Epheſi* fuerat, quæ Aſiæ clariſſima urbs erat & ſedes proconſulis Romani & metropolis, quod etiam ex Lege IV. Dig. de officio proconſ. §. V. *ingreſſum*, conſtare poteſt. Poſitio urbis ad mare, contra Samum inſulam nec longe ſupra promontorium Mycalen. Neque huc μέρη ἀνωτερικὰ, *ſuperiores partes* pertinent, Act. XIX. verſ. I. ſed *Galatia* & *Phrygia* ſeptentrionalis ita notantur : ſicut ἡ ἄνω Ἀσία, *ſuperior Aſia*, Herodoto ſeptentrionalior eſt lib. I. cap. XCV., de qua Hiſtoria noſtra Antiqua pag. 3. ſeq. etiam præcepimus. Hoc etiam διελθόντα, præteritæ notionis participium convincit, *quum peragraſſet ſuperiores partes*, cap. XVIII. verſ. 23. deſcriptas, ἐλθεῖν *veniſſe* tandem in inferiora & auſtralia, ſaltem reſpectu montanorum

rum, in depressiora, ubi Ephesus maritima erat. *Miletus*, mater innumerabilium coloniarum, in nobilissimis civitatibus Joniæ: quo venit Paulus ex *Trogilio*, qui locus, Strabone auctore lib. XIV. p. 438. ad pedem *Mycales* famosi promontorii est, ab Nepote & aliis laudati. *Cos* sive *Coos*, & *Rhodus*, insulæ postea intratæ, & *Patara* Lyciæ, quæ Apollini *Patareo* apud Horatium lib. III. oda IV. &c. nomen propter oraculum dedit. *Tyrus* sequitur notissima: & *Ptolemais*, de qua ad Datamen Nepotis cap. V. sub nomine *Aces* (ita enim appellata fuit antea) aliquid notavimus. *Cæsarea* proxima est, quæ apostolum suscepit, post Hierosolymam princeps urbs Palæstinæ, olim Turris Stratonis dicta, ab Herode autem eximie ornata & amplificata. Vide Josephum lib. I. de Bello Jud. cap. XVI. & de dedicatione ejus lib. XVI. Antiq. Jud. cap. IX. pr. Sedes fuit præsidis sive procuratoris Palæstinæ, quod ex Actibus etiam Apostol. cap. XXIII. XXIV. XXV. liquet.

XXV. Restat ultimum Pauli iter, quod divinæ litteræ habent, ex Palæstina in Italiam, in quo *Antipatris* prima memoratur Actuum cap. XXIII. vers. 31. sita medio itinere inter Hierosolyma & Cæsaream. Opus Herodis fuit, ex patris Antipatri nomine appellatum. Conditum ejus scripsit Josephus lib. XVI. Antiq. cap. IX. Deinde post Cæsaream, de qua diximus, *Salmone* occurrit, quod promontorium est insulæ Cretæ in orientali latere. Mela lib. II. cap. VII. *Crete, ad orientem promontorium Samonium*. Ita & Strabo, Plinius, Ptolemæus vocant: nec vero suspectum λ debet esse, quod Lucas inseruit. Nam Casaubonus ad Strab. lib. X. observat, in MSS. quibusdam Σαλμώνιον apud Strabonem legi, & Plinius *Sammonium* littera geminata scripsit, quod argumentum euphoniæ est, litteram sæpe excludentis, quæ hodie rediit, dum *Capo Salamoni* appellatur. Inde profectus, ut in portu *Phœnice* hibernet, sed per tempestatem non potuit. Ptolemæo in australi Cretæ latere est Φοινικοῦς λιμὴν, *portus Phœnicus*, & proxime illum Φοῖνιξ πόλις, *Phenix oppidum*. Depulsus inde procellis, parvam insulam *Clauden* attigit. Ptolemæus extremo lib. III. in insulis Cretam adjacentibus primo loco ponit Κλαῦδον ἐν ᾗ πόλις, *Claudum, in qua oppidum est*. Creditur esse, quæ hodie *Gozo* dicitur, ad austrum Candiæ objecta.

XXVI. Naufragium passus est ad insulam *Meliten*, cujus nominis una est in Dalmatico mari, altera inter Siciliam & Africam, & hanc Paulo fatalem fuisse, cursus inde ad Syracusas & Rhegium ostendit. Non desunt tamen qui Meliten Dalmaticam Pauli naufragio dent, & in his Porphyrogenneta, cujus sectatores urgent vocem *Adriæ* Act. XXVII. 17. quæ Illyrico magis, quam Africo mari conveniat: etiam nomen *barbarorum* cap. XXVIII. quum isti Melitenses, si non Græci, ut Siculi; tamen longo usu & clientela Romani fuerint, quod insula a Punico I. bello sub Siciliæ prætore fuit, ut ex Cic. Verr. VI. cap. XLVI. est liquidum. Hæc vero non tanti sunt, ut de sententia nos dimoveant. Nam *Adria* vel *Adriaticum* mare interdum tam late patet ut Jonium etiam comprehendat. Ptolemæo lib. III. cap. IV. Siciliæ latus terminatur ἀπὸ ἀνατολῶν ὑπὸ τοῦ Ἀδρίου πελάγους, *orientem versus ab Adriano pelago*: & cap. XIV. Epiri australe latus terminatur μέχρι τοῦ Ἀχελώου ποταμοῦ Ἀδριατικῷ πελάγει, *usque ad flumen Acheloum Adriatico mari*. Rufus Festus Aviennus periegesi v. 594.

Achelous
Irruit Adriaci tergum maris.

Et Eustathius ad Dionysii perieg. v. 92. Ἱστέον ὅτι οὐ μόνον Ἰόνιος κόλπος καλεῖται, ἀλλὰ καὶ Ἀδρίας ὁ αὐτὸς λέγεται, καὶ Ἀδριάς, καὶ Ἀδριακὴ θάλασσα. Adde Strabonem lib. VII. pag. 219. Et *barbari* agrestes insulæ erant primi naufragos excipientes, in oppidis vero Græcis Romanisque moribus exculti.

XXVII. Insulam *Meliten* ad Europam pertinere, non ad Africam, censemus contra Ptolemæum & recentes Gallos: in quo Strabonem & Plinium ex vetustis, ex recentibus Cluverium consentientes habemus. Accentus vocis ambiguus est, dum mediam in *Melite* & correptam & porrectam videmus. Putamus rectius breviari. Ovidius III. Fast. v. 567.

Fertilis est Melite, sterili vicina Cosyræ.

Ita & Apollonius IV. Argonaut. aliquoties, ut de Silio & aliis taceamus. Lycophron vero in Alexandra v. 1027. & Arator in paraphrasi Actuum Apost. eandem produxerunt. Qui Publius πρῶτος, *primarius* insulæ Act. ult. 7. vocatur, erat magistratus Romanus, sed inferior, a prætore Siciliæ pendens. Vetus inscriptio apud Cluver. Sicil.

Antiq.

Antiq. p. 443. ΠΡΩΤΟΣ ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ, *primus Melitensium*, quod de Lucio quodam, Caii filio, equite Romano refertur.


XXVIII. Eruditis placet, & admodum est probabile, Paulum prima captivitate, quam Lucas scripsit, liberatum in Græciam & Asiam revertisse, adeoque bis Romæ fuisse: in Hispaniam autem penetrasse credibile non est. Hujus *Pauli* nomen ex *Sauli* mutationem Hieronymus conversationi cum Romano Cypri proconsule *Sergio Paulo* tribuit comment. in Epist. ad Philemonem, quod H. Grotius approbat, nec hujus gravissimus censor Abr. Calovius quidquam opposuit.

ADDITAMENTA.

I. *Gallio* proconsul Achajæ Act. XVIII. 12. fuit germanus frater L. Annæi Senecæ philosophi, & quidem ætate major, Annæus Novatus dictus, post in Junii Gallionis familiam adoptatus. Vide Lipsium initio in Senecæ de Vita Beata: & ipsum Senecam Præfatione lib. IV. Quæst. Nat. & Epist. CIV. sub initium.

II. Epistolas Pauli ad Senecam, & hujus ad Paulum esse supposititias, etiam ex stilo probari potest.





*EPISTOLA EUCHERII
EPISCOPI
AD FAUSTUM PRESBYTERUM.

FAUSTINO Presbytero Insulano EUCHERIUS Episcopus Hierosolymitanæ urbis situm atque ipsius Judææ, ut mihi relatione cognitus est, vel lectione compertus, breviter amplexus sum, brevique ipsum præfatione indicans, quia opusculo non diffuso nequaquam esse diffusam præfationem decet. Vale in Christo decus & præsidium meum.

HIERUSALEM ab Ælio Adriano Ælia vocitatur. Nam post subversionem Titi conditoris, Ælia nomen cum opere suscepit. Naturale loci edita ajunt qualibet ex parte haud dubie ascendendum erit. Diutino quippe, sed molli tractu assurgit. Situs ipse urbis pene in orbem circumactus non parvo murorum ambitu, quo esse montem Sion, quondam vicinum, jam intra se recipit. Qui a meridie positus pro arce urbi supereminet. Major civitatis pars infra montem jacet in planitie humilioris collis posita. Mons Sion latere uno, quod Aquilonem respicit, Clericorum Religiosorumque habitationibus frequentatur. Cujus in vertice planitiem Monachorum cellulæ obtinuerunt Ecclesiam circumdantes. Quia illic, ut fertur, ab Apostolis fundata pro loci Resurrectionis Dominicæ reverentia ob quod promissum quondam per Dominum Paracleto repleti sunt Spiritu.

Celebriores tres sunt portarum exitus. Unus ab occasu: alter ab Oriente; tertius a Septentrionali parte urbis. Primum de locis Sanctis pro conditione platearum divertendum est ab Basilicam, quæ Martyrium appellatur a Constantino magno cultu extructa. Dehinc cohærentia ab occasu insunt Golgotha atque Anastasis, sed Anastasis in loco est Resurrectionis: Golgotha vero medius in Anastasim. At Martyrium locus est Dominicæ Passionis. In quo etiam rupes apparet, quæ quondam ipsam affixo Domino corpore Crucem pertulit.

Aquæ hic tum extra montem Sion positæ cernuntur quo se ad Aquilonem deficiens loci tumor porrigit. Templum vero in inferiori parte urbis in vicinia muri ab Oriente locatum magnificeque constructum quondam miraculum fuit ex quo parietis unius in ruinas quædam pinna super reliquis ad fundamenta usque destructis. Paucæ illic cisternæ in usum aquarum ostenduntur in ea parte civitatis, quæ ad Septentrionem in vicinia Templi ostenditur.

Bethsaida gemino apparet insignis lacu. Quorum alter hibernis plerumque impletur imbribus. Alter rubris est discolor aquis.

Ab ea fronte montis Sion, quæ prærupta rupe Orientalem plagam spectat intra muros

* Hæc duo Opuscula, quibus recentioris Palæstinæ facies illustratur, postremo loco edenda censuimus.

muros atque e radicibus collis fons Siloa prorumpit aquarum accessu in meridiem fluit.

Juxta murum Jerusalem vel Templi ab Oriente Geennon occurrit Vallis Josaphat a Septentrione in Austrum porrecta; per quam torrens, si quando pluvias aquas recipit, decurrit. Circunjecta Hierosolymitanæ urbis aspera & montosa cernuntur. Quæ etiam montem Oliveti mille a se discretum passibus in Orientem prospectat. Duæ in eo Ecclesiæ celeberrimæ habentur, una in eodem fundata loco, in quo Dominus ad Discipulos suos habuisse dicitur Sermonem: altera in loco, de quo cœlum ascendisse traditur.

Sex millibus Bethleem ab Hierosolyma in Meridiano latere secedit: quæ humili muro & absque turribus angustissimo spatio circumdatur. Ubi Præsepe Domini exornato insuper argento atque auro fulgenti cella ambitur.

Hiericho vero ab Hierusalem in Oriente æstivo octodecim millibus excurrit. Jordanis quoque ab eadem cœli parte Judææ terræ prætenditur quarto & XV. lapide ab Ælia separatur. Qui primum mare Tiberiadis insecans atque ex hoc emergens largis deinde ac placidis fluentibus aquis in mare mortuum conditur quod mare Hierosolyma viginti circiter millibus respicit.

Chebron civitas quondam Gigantum lapide ferme XXII. ab Hierusalem infra Meridianam plagam distat. Mare rubrum nusquam vicinius quam juxta Joppem oppidum quod XL. ab ea in occasum æstivum millibus abest. Longitudo terræ in Dan usque Bersabee protenditur ab Aquilonari plaga ad Meridiem producta. Dan quoque vicus exiguus est in exterioribus Judæ, quæ Septentrionalem plagam contuetur in quarto a Paneade milliario Tyrum pergentibus. Jor vero Hebræi fluvium appellant. Ceterum Bersabee, ut supra diximus, ad Austrum vergens vicus est maximus XX. a Chebron millibus. Igitur longitudo sive etiam latitudo Judææ quanta sit S. Hieronymus determinavit in quadam Epistola ad Dardanum. Ex quo nos huic operi, quæ necessaria videbantur, excerpsimus, in qua adversus Judæos de terra repromissionis disserens etiam addidit hæc: Respondeant mihi qui hanc terram, quæ nunc nobis per Christi Passionem & Resurrectionem terra repromissionis effecta est, possessam putant a populo Judæorum, postquam reversus est ex Ægypto, quantum possederit, utique a Dan usque Bersabee quæ vix CLX. millium in longum spatio tenditur. Neque enim David & Salomonem potentissimos Reges exceptis iis, quos post victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuisse scriptura testatur. Et hoc dico, ut taceam quinque Palestinæ civitates, Gazam, Ascalonem, Geth, Accaron & Azotum. Idumeos quoque a Meridiana plaga vix LXXV. millibus ab Hierosolyma separatos. Arabas & Agarenos, quos nunc Saracenos vocant, in vicinia urbis Hierusalem. Pudet dicere latitudinem terræ repromissionis ne Ethnicis occasionem blasphemandi dedisse videamur. Ab Joppe usque ad viculum nostrum Bethleem XLVI. millia sunt. Cui succedit vastissima solitudo plena ferocium Barbarorum. Item paullo post: Quid si quis obiecerit terram repromissionis dici, quæ in Numerorum volumine continetur a Meridie maris Salinarum per Sina & Cadesbarne usque ad torrentem Ægypti qui juxta Rhinocoruram mari magno influit, & ab Occidente ipsum mare quod Palestinæ, Phœnici, Syriæ cœlæ, Ciliciæque prætenditur, ab Aquilone Taurum montem, & Zephyrium usque Hemath quæ appellatur Epiphania Syriæ. Ad Orientem vero per Antiochiam & lacum Cenereth, quæ nunc Tiberias appellatur & Jordanem qui mari influit Salinarum, quod nunc Mortuum dicitur. Trans Jordanem autem duorum & semis tribuum possessio est Ruben & Gad & dimidiæ tribus Manassæ. Et ego fatebor hæc tibi repromissa, non tradita. Item postea addidit: Et mihi in Evangelio promittuntur regna cœlorum, quæ instrumentum vetus omnino non nominat: sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente, sed in me qui promissum accipere non merui. Ubi enim optio proponitur ad eligendum; qui operari renuis, frustra cupias quod promissum est. Lege librum Josue & Judicum, & quantis possessionum angustiis sis coarctatus intelliges. Hæc Hieronymus vir in omni Scripturarum scientia eruditissimus. Sed etiam Josephus nobilis Historicus Judæorum situm totius regionis refert, quia utrique Galilææ, Syriæ & Phœnici adhæret, determinavitque eam a solis occasu. Ptolemaidis territorii finibus: & mons Carmelus associatus, cui convertitur Gabaa civitas quæ quondam Judæis causa gravis exitus fuit. Ab Oriente Joppe & Gadara suis finibus restant. Eadem autem a Galaditide regione & regno Agrippæ confinia præscripta Veteribus fuere. A Meridiano latere Scythopolis & Samaria suis utraque excipiuntur regionibus, nec ultra fluenta Jordanis patiuntur extendi. Septentrionalia ejus a dextro latere Tyrus claudit omnisque regio Tyriorum. Cujus objectu Galilææ spatia de-

finiuntur. Ipsæ autem inter se distinguuntur hoc modo: utique inferior Galilæa ducitur ab urbe Tyberiade usque ad urbem cui nomen Zabulon supra maritima Tiberiadis extenta longitudine definitur. Latitudo autem ejus a vico Kalth, qui est in Campo Maximo usque ad Bethsabee haud dubie ducitur. Unde etiam superioris Galilææ exordium aperitur, quod a vico Barlatæ attingit. Ipso autem vico etiam Tyriæ Phœnicis determinatur. Longitudinis quoque ejus initium vicus est Thoalla. Finis Thoallæ Jordanis finitimus intelligi datur quantum se porrigant spatia Galilææ superioris, cujus initium Jordanis est vel ejus confinia. Hac igitur sitæ magnitudinis æstimatione utraque Galilææ distinguitur. Terra autem pinguis & herbosa diverso culturæ genere nitens, distincta arboribus, ut quemvis alliciat ad sui gratiam, aufuget autem laborem, ad studia culturæ invitet atque excitet. Denique nulla hic vel exigua terræ portio vacat frequentia plerisque inhabitantibus. Crebræ urbes, viæ frequentes, multitudo hominum innumerabilis, ut exiguus mons in se habeat quindecim millia inhabitantium. Item paullo post: Samaritana quoque regio, inquit, inter Judæam, ac Galilæam media jacet. Incipit enim a loco cui nomen est Hælias definiens in terram Achrabatenorum natura consimili, nec ullo differens a Judæa. Utraque enim montuosa atque campestris est pro locorum diversitate, neque tota campis diffunditur, neque in locis omnibus montium rupibus scinditur: sed utriusque qualitatis habet gratiam ad exercitium culturæ solubilis terræ mollior eo quod frumentis utilis & prope circa fertilitatem soli nulli secunda. Maturitate certe fructuum prior omnibus. Nam cum alibi adhuc serant frumenta, isthic metuntur. Species quoque atque ipsa frumenti natura, haud unquam præstantior habetur. Aqua dulcis decora ad speciem: suavis quoque ad potum ut secundum elementorum gratiam æstimaverint Judæi eam promissam Patribus terram fluentem lac & mel: cum spoponderint illis resurrectionis prærogativam, quam quidem divina pietas contulerit, si servassent fidem. Sed infidelium animi utramque repertam hic jugo captivitatis, illic vinculo peccati perdiderunt. Nemorosa regio denique, si usquam, illic distenta ubera gessit. Poma silvestria vel insitiva super omnes copias regionum. Referta autem utraque vel Samaria, vel Judæa hominum multitudine, ut videatur illud hic interpretari de Judæis quod scriptum est: Quia nulla erit in eis sterilitas & infœcunditas: cum hoc de meritorum fœcunditate præscripserit & virtutum fertilitate. Principium Samariæ de Arabiæ finibus a vico, cui nomen Jordanis. Finis autem Judææ a fluvio Jordane usque ad Joppem. Incipit autem a fontibus Jordanis a monte Libano usque ad Tiberiadis lacum dilatatur. A vico quoque Arsa initium longitudinis ejus quæ usque vicum tenditur Juliadem: in quo Judæorum pariter ac Tyriorum communis habitatio. In medio autem civitas Hierosolyma quasi umbilicus regionis totius, ut prudentibus placuit, nuncupatur, abundans Mediterraneis copiis, nec fraudata maritimis. Multæ urbes, sed inter omnes Hierosolyma eminet; ita ut quasi caput in suo corpore non umbret sua membra, sed regat, atque ita ei tuitioni sit & pulchritudini. Hactenus Josephus: quæ idcirco relationi huic inserenda putavi, ut veritatem studiose inquirentibus majorem Judæus relator de Judææ situ fidem faceret. *Cetera videntur desiderari.*



I T I-



ITINERARIUM
ANTONINI PLACENTINI,

Ex MS. erutum per R. P. Ign. a S. Antonio Carm. Discalceatum.

PRocedente B. Antonino martyre una cum 1 Collegis suis, ex eo quod civitatem Placentiam egressus est, in quibus locis peregrinatus est, ire vestigia Christi sequentes, & miracula sanctorum Prophetarum pervidere cœperunt. Ita exeuntibus nobis de Constantinopoli pervenimus 2 Cyprum in civitatem Constantiam, in qua requiescit S. Epiphanius; civitas pulchra, deliciosa, ornata palmis dactylorum. Deinde venimus partibus Syriæ, in insulam 3 Santaricus ad Tyrum. *Tunc venimus Tholomaidam civitatem: millia sex in Castra 4 Samaritanorum milliario a Sugamia sub monte Carmelo. Super ipsa Castra milliario semis, monasterium Elisæi Prophetæ, ubi occurrit mulier, cujus filium suscitavit, in monte Carmelo.* Ibique est petra modica rotunda *: quando exagitatur sonat, quia solida est: talis autem virtus petræ illius, ut si suspensa fuerit mulieri vel alicui

Cyprus.

Sunam.

Tornacense MS. titulum hunc præfert, De locis sanctis quæ perambulavit beatus Antoninus Martyr. *Bibliothecæ autem Vaticanæ Codex sub numero 636. cui titulus Bedæ & aliorum, opusculum idem sic inscribit,* Relatio B. Antonini Martyris. De hoc, *inquit Pater Daniel a Virgine Maria in Vinea Carmeli nu. 1331. Molanus in Martyrologio ad diem 13. Novembris,* Placentiæ Revelatio S. Antonini martyris. *Sed addiderat notulam, ut significaret festum hoc esse minus principale istius Sancti, nec in Usuardo repertum, sed aliunde acceptum. Principale autem festum tam apud antiquos, quam in Romano hodierno notatur die 30. Septembris: ubi Baronius Lectorem remittit ad Petrum de Natalibus lib. 8. cap. 133. Cur huc non remisit nos Pater Daniel? Legissemus ibi, quod* S. Antoninus Martyr. . . . . . de Placentinis finibus egressus, per Orientales Provincias pertransivit, & multa miracula fecit, demum ab infidelibus tentus, & capite cæsus glorioso martyrio coronatus est? *Sed ista legentes, etiam legissemus, quod iste* S. Antoninus fuit ex sacra legione Thebæorum, & socius B. Mauritii Martyris. *Hoc autem indicare lectori, erat evertere totam auctoritatem ejus scripti, cui summa fides postulabatur. Fieri enim non poterat, ut idem sub Diocletiano ac Maximiano Imperatoribus militasset, Duce S. Mauricio, cujus martyrium anno 297. adscribit Baronius; & ea omnia reperisset in Terra sancta, quæ hic narrantur, quæque non nisi sub Constantino Magno cœperunt innotescere; ut de Justiniano nihil dicam, cujus hic mentio fit aliquoties; & cujus Imperium cœpit anno 527. Ego ut neminem hic accuso sic nec puto mihi sequendum exemplum tale, & Leonis Allatii judicium laudo, qui Vaticanæ Bibliothecæ monumenta omnia notissima habens, alia quidem inde excerpsit Symmictis suis adjungenda; sed Itinerarium,* S. Antonini martyris *nomen præferens, luce publica indignum censuit. Sic autem censuit, non tantum quia tempori non suo adscriptum; sed quia ipsum inveniebat, præ aliis similis argumenti Latinis scriptis, refertum fabellis plane anilibus, quas nobis satis erit * asterisco notare, ut animum advertat lector. Iis porro, qui paulo notiorem habent locorum situm, quique alia legerunt itineraria sacra atque profana, considerandum relinquo, utrum in hac Relatione inveniri possit verisimilis ratio itineris alicujus; ubi nihil ordinatum digestumque, ex more eorum qui prudenter & certo ductu peregrinantur; sed confusa omnia, velut si per somnium res agatur in mente, non autem corporeo motu super terram. Videbis hoc, si quandoque digneris referre oculum ad tabellam superius collocatam, indeque cogitationem cum res feret, extendas ad Syriam Ægyptumque, quarum hanc Palestinæ seu Terræ sanctæ imaginaberis ad meridiem, istam ad Septentrionem jacere, utrimque nonnihil declinando.* Antonini Placentini itinerarium *simpliciter vocavi, ut neque errorem evidentem secutus videar si scripsero* Martyrem; *neque prorsus, a jam nota appellatione recedam, si omisso nomine* Antonini *vocavero* Anonymi itinerarium, *respectu auctoris nomen suum non exprimentis. Nunc ipsum lege, & Annotationes ad calcem subjungendas. Ut vero etiam discernere valeas ea loca, quæ hinc excerpta nobis objiciuntur, tamquam luculenta prætensæ antiquitatis documenta, placuit illa Italico charactere repræsentare.*

alicui animali jactum 5 numquam faciet: & a civitate VI. aut VII. millia personat.

II. De Tholomaida maritima venimus in fines Galilææ, in civitatem quæ vocatur 6 Neocæsarea: in qua adoravimus amulam & canistellum S. Mariæ: in quo loco erat cathedra, ubi sedebat quando ad eam Angelus veniebat. Deinde millia tria venimus in Cana, ubi Dominus fuit ad nuptias: & accubuimus in ipso accubitu, ubi ego indignus parentum meorum nomina scripsi. Ex quibus hydriæ duæ ibi sunt. Implevi aqua unam, * & protuli ex ea vinum: & in humero plenam levavi, & obtuli ad altare, & ipso in fonte lavavimus pro benedictione.

Ptolemais, Cana.

III. Et inde venimus in partes Syriæ [& civitatem Tripolim] ubi requiescit 7 S. Leontius: quæ quidem civitas tempore Justiniani Imperatoris subversa est a terræ motu 8 cum aliis civitatibus. Venimus inde 9 Vibilum, quæ & ipsa civitas cum hominibus subversa est: post in civitatem Tani quæ & ipsa subversa est. Deinde venimus in civitatem splendidissimam Berytho, in qua nuper fuit studium 10 litterarum, quæ civitas subversa fuit, dicente nobis Episcopo civitatis, quia cognitæ fuerunt personæ, exceptis peregrinis, quæ ibi perierant. Ipsa civitas posita est sub montana Libani.

Tripolis. Byblus. Berythus.

IV. A Berytho venimus Sidonem, quæ ex parte ruit: & ipsa adhæret Libano. Homines in ea pessimi. Illic currit 11 fluvius Asclepius: & fons, unde surgit, stat. *De Sidone venimus Sareptam: quæ civitas modica & valde Christiana est: in qua est cœnaculum illud, quod factum fuerat Eliæ, & lectus ubi recubuit, & alveus marmoreus ubi vidua illa fermentavit: in quo loco multa offeruntur & multæ virtutes fiunt.* Exeuntes de Sarepta venimus in civitatem Tyrum. A Tyro usque ad Sareptam continue millia 12 septem. Tyrus civitas homines habet potentes, vita pessima, tanta luxuria quod dici non potest; gynæcea publica, holosericum, & diversa genera telarum.

Sidon. Sarepta. Tyrus.

V. At vero de Tyro venimus in civitatem Nazareth, in qua sunt multæ virtutes. Ibi & pendet tomus, in quo Dominus * 13 A. B. C. habuit impositum: in qua est Synagoga posita, & trabs ubi cum aliis sedebat infantibus: quæ trabs * a Christianis agitatur & sublevatur; Judæi vero eam nullo modo agitare possunt: sed nec permittit se foras tolli. Domus sancta, basilica est: & multa sunt ibi beneficia de vestimentis ejus. In civitate vero tanta est gratia mulierum Hebræarum, ut intra illam inter Hebræas pulchriores non inveniantur: & hoc * a S. Maria sibi concessum dicunt (nam & parentem suam dicunt eam) & dum nulla sit caritas Hebræis erga Christianos, illæ sunt omni caritate plenæ. Provincia paradiso similis in tritico, in frugibus similis Ægypto; sed præcellit in vino & oleo & pomis ac melle. Sed & millium extra naturam altum nimis, supra naturam hominis 14 talea grossa.

Nazareth

VI. De Nazareth venimus in montem Thabor: qui mons exit in medio campestri, terra viva, tenens circuitum millia sex, ascensum millia tria, sursum ad unum milliarium planum; in quo sunt tres ecclesiæ, ubi dictum est a discipulis, Faciamus hic tria tabernacula. In circuitu diversæ civitates quæ in libro Regum leguntur. De Thabor venimus ad mare Tiberiadis, in civitatem quæ alio tempore est appellata Samaria, nunc vero dicitur Neapolis, 15 in qua puteus est, ex quo Dominus aquam a muliere Samaritana petiit: & ibi basilica est sancti Joannis Baptistæ: & ipse puteus est ante cancellos altaris: & situla, de qua dicitur Dominus bibisse: & multi ægri ibi veniunt & sanantur.

Thabor. Samaria.

VII. Deinde venimus in civitatem Tiberiadem, in qua sunt thermæ salsæ: hic aqua maris illius dulcis est, quod mare circuit millia octo. Deinde venimus in Capharnaum in domum beati Petri, quæ est in basilica. Inde venientes per castra, vel vicos, vel civitates, ad duos fontes venimus, scilicet Jor 16 & Dan, qui in unum effluunt, & vocitatur Jordanis: parvus ingreditur mare, & pertransit totum maris pelagus usque ad littus maris. Revertentes post nos venimus ad locum ubi Jordanis egreditur mare. *Et in ipso loco transivimus Jordanem & venimus in civitatem quæ vocatur* 17 *Gaddera, quæ & Gabaon dicitur. In ista parte civitatis, milliario tertio ab urbe, sunt aquæ calidæ, quæ appellantur thermæ Eliæ, ubi leprosi mundantur. Ibi est xenodochium, delicias de publico habens, & hora vespertina mundantur thermæ.* Ante ipsum vero clibanum grande est solium, quod dum impletum fuerit, omnia ostia clauduntur; & per ostium mittuntur intus luminaria & incensum: & sedent in isto solio tota nocte: & dum soporati fuerint, videt ille qui mundatus est aliquam * visionem: & dum ipsam recitaverit, mundantur thermæ per

Tiberias. Capharnaum. Jordanes. Gaddera.

per septem dies. Ibi vero defunctus est collega noster Joannes de Placentia. Ipse fluvius calidus, qui Gaddera dicitur, descendit torrens & intrat Jordanem, & ex ipso ampliatur Jordanis & major fit.

VIII. Et tunc descendimus per Galilæam juxta Jordanem, transeuntes multas civitates quæ leguntur: & venimus in civitatem Metropolim Galilææ quæ vocatur 18 Scythopolis, in monte posita, ubi Sanctus.... multas operatus est virtutes. *Deinde descendimus per alia loca Samariæ & Judææ in civitatem* 19 *Sebastæam*, *qua requiescit Elisæus Propheta*. Descendentes per campestria, [per] civitates vel vicos Samaritanorum & plateas unde transivimus, (vidimus) venientes Judæos post nos cum paleis, vestigia nostra * incendentes, tanta est illorum 20 execratio. Utique Christianis quidem responsum faciunt: at cavent, quod ab illis emere vis, non tangas prius quam pretium des: quod si tetigeris, & non 21 comparaveris, mox scandalizabuntur. Nam foris in vico habent cum domo una posita 22 quod ipsum faciunt responsum. Nummos de manu tua non accipient, *sed tu in aquam projicies eos: & denuntiant tibi quod (non) ingrediaris. Tu vero noli exspuere: si autem exspueris, scandalizabuntur. Sero autem purificant se in aqua: sic ingrediuntur in vicum aut in civitatem.

Scythopolis.

Judæi non contentes Christianis.

IX. Deinde venimus in locum, ubi Dominus de quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia satiavit, extra mulieres & parvulos: extenta campania, oliveta & palmeta. *Inde venimus ad locum ubi baptizatus est Dominus. In illo loco filii Israel transiverunt Jordanem, & filii Prophetarum perdiderunt securim: & ex ipso loco Elias assumptus est in cœlum*. Ibique mons 23 Hermon modicus, qui legitur in Psalmo. Ad pedes montis ipsius ascendit de fluvio nubes, & hora prima oriente sole Hierosolymam venit * super basilicam S. Mariæ ad 24 S. Sophiam, quæ fuit Prætorium ubi auditus est Dominus. Super his locis descendit * ros sicut pluvia, & colligunt eum medici: & in ipso coquuntur omnes confectiones per xenodochia: nam multi languores sanantur ibi, ubi cadit ipse ros. Ipse est ros, de quo canitur, sicut ros Hermon qui descendit in Sion. *In ipsa ripa est fons ubi baptizavit S. Joannes. Inde usque ad Jordanem millia duo. In ipsa valle inventus est Elias*, *quando corvus* 25 *ei deferebat panem & carnes. In circuitu autem vallis ipsius multitudo Eremitarum.*

Locus 5. panum & baptismi.

M. Hermon

X. Et ibi prope est civitas quæ vocatur 26 Salamiada, ubi remanserunt duæ & semis tribus Israel, priusquam transirent Jordanem: in quo loco sunt thermæ ex se lavantes, * quæ vocantur thermæ Moysis: ubi etiam leprosi mundantur: & ibi est dulcissimus aquæ fons, qui bibitur pro catarrho, & multos sanat languores. Non longe a mari Salinarum, ad quod Jordanis ingreditur. Subtus est Gomorrha & Sodoma, ad cujus littus bitumen & sulphur colligitur: in quo mari, mense Julio & Augusto & usque ad medium Septembris, tota die jacent * leprosi, & ad vesperum lavantur in ipsis thermis: & aliquoties Dominus, quem vult, mundat: nam & in generalitate est aliqua primitia. In quo mari nihil vivificatur, nec ligna ibi natant, nec paleæ, neque homo: sed quidquid ibi projectum fuerit, in profundum demergitur. De Jordane, usque ad locum in quo Moyses de corpore exivit, sunt millia 8. Exinde *a Segor*, *in quibus locis sunt multi Eremitæ*. Vidimus ibi & monumentum 27 Absalon filii David.

Salamiada

Sodoma & Gomorrha

Mare mortuum.

XI. Tenimus Theophania juxta Jordanem: & ibi fiunt mirabilia, ubi baptizatus est Dominus in ipsa nocte: & ibi tumulus cancellis circumdatur: & in loco ubi redundat aqua in alveum suum, posita est Crux lignea. Itur in aquam ex utraque parte marmoris. In vigilia Theophaniæ grandes fiunt vigiliæ · populus infinitus: & quarta aut quinta vice gallo cantante fiunt vigiliæ. Completis Matutinis primo diluculo surgentes, procedunt Ministri sub divo & Diaconi, tenentes Sacerdotem. Ter descendit Sacerdos in fluvium: & hora qua cœperit benedicere aquam, mox Jordanis * cum magno rugitu revertitur post se, & stat aqua superior in se usque dum baptismus perficitur; inferior vero fugit in mare, dicente Psalmista; Mare vidit & fugit, Jordanis conversus est retrorsum. Tunc omnes Alexandrini habent ibi * naves 28 suas cum hominibus, habentes calathos plenos aromatibus & balsamo: & hora qua benedixerunt fontem, antequam incipiant baptizare, fundunt illos calathos in fluvium & tollunt aquam benedictam, & exinde faciunt aquam aspersionis in suis navibus, antequam exeant ad navigandum. Baptismo completo, omnes in fluvium pro benedictione descendunt, induti sindones; & alias multas sindones [intingunt aquæ], quas sibi ad sepulturas servant. Post hæc omnia perfecta, statim aqua in proprio revertitur alveo: nam unde surgit Jordanis a mare Tiberiadis usque ad mare Sabinarum sunt millia 130. 29.

Theophaniæ festum ad Jordanem

XII.

Speluncæ ad Jordanem.

XII. In ipsa vero ripa Jordanis est spelunca, in qua sunt septem cellulæ cum septem puellis, * quæ ibi infantulæ mittuntur: & cum aliqua ex eis mortua fuerit, in ipsa cellula sepelitur, & alia cellula inciditur, & alia ibi mittitur puella ut numerus stet: & habent foris qui eis cibaria præparet. In quo loco cum magno timore ingressi sumus ad orationem: nullius ibi faciem vidimus. In ipso loco dicitur esse sudarium, quod fuit super caput Jesu. *Non multum longe a Jordane, ubi baptizatus est Dominus, est monasterium S. Joannis valde magnum, in quo sunt xenodochia duo.* In ista vero.... illa ripa Jordanis invenimus serpentes, de quibus theriaca conficitur. Inde venimus ad Jordanem.

Jericho.

XIII. De Jordane usque ad Jericho millia sex. Jericho autem in oculis hominum ita videtur esse ut paradisus: a terræ motu muri diruti: domus Raab restat, & est xenodochium: sed & cubiculum, de quo exploratores deposuit, oratorium est S. Mariæ. Lapides vero illi, quos levaverunt filii Israel de Jordane, non longe a civitate Jericho positi sunt in basilica post altare: & ante basilicam est campus, qui dicitur Ager Domini: * in quo Dominus manu propria seminavit, ferens satum tritici tria modia: qui & colligitur, & numquam seritur, sed ex se profert semen. Colligitur a mense Februario, & inde communicatur in Pasca: cum collectum fuerit, aratur, & iterum cum reliquis messibus colligitur.

Fons & fructus ibidem.

XIV. *At vero fons aquæ, quem indulcavit Elisæus Propheta, irrigat omnem Jericho, ubi nascitur vinum potens, quod febricitantibus datur*: ibi nascitur dactylum 30 de libra: ex quibus mecum adduxi in provinciam, & dedi unum Domino Paterio Tributio Patricio. Ibi nascitur cedrus de cubitis 40. & virga fasioli duos pedes longa. Ibi est vitis, unde in Adscensione Domini plenæ cistæ racemis in monte Oliveti venales: & in die Pentecoste mixtim exinde plena calatha proponuntur.

Arbor Zacchæi.

XV. Exeuntes de Jericho venimus contra Hierosolymam. Non longe a Jericho est illa arbor, ubi Zacchæus ascendit, ut videret Dominum: quæ arbor infra oratorium inclusa est, & per tectum desuper sicca videtur. Igitur exeuntes de Jericho, venimus contra Occidentalem 31 in sinistra manu; & intravimus villas Sodomæ & Gomorrhæ: super quam provinciam semper ascendit nubes cum odore sulphureo. Quod dicunt homines de uxore Loth, & quod lingendo ab animalibus minuatur, mendacium est: sed stat in statu suo in quo fuit.

Bethania.

XVI. Ascendentes de montanis Hierosolymorum 32 Barrideum, indeque revertentes ad sinistram ad oppida montis Oliveti, venimus in Bethaniam ad monumentum Lazari, respicientes valles illas & perambulantes monasteria multa & mirabiliorum loca, vidimus clausam multitudinem in monte virorum & mulierum: *Et rursum in monte, unde Dominus ascendit ad Patrem, ubi & judicare veniet, vidimus monasteria copiosa, & cellulam ubi inclusa fuit vel jacet in corpore S. Pelagia*, & in ipso monte jacet Jacobus Zebedæi, & Cleophas & multa Sanctorum corpora.

M. Oliveti.

Getsemani.

XVII. Descendentes de monte Oliveti venimus in villam Gethzemani, in loco ubi traditus est Dominus: in quo sunt tria accubita, in quibus ille accubuit, & nos pro benedictione accubuimus: & in ipsa est domus S. Mariæ, de qua eam dicunt ad cœlos fuisse sublatam. Et in ipsa valle Gethzemani ibidem vocatur (vallis) Josaphat. In dextera portæ est olivetum & ficulnea, in qua se Judas laqueo suspendit, hoc est ad portam Jerusalem, cujus talea stat munita perticis. Portam civitatis (quæ cohæret portæ speciosæ, quæ fuit templi, cujus liminare & tribulatio stat) inclinanter proni in terram ingressi sumus in sanctam civitatem, in qua adoravimus Domini monumentum.

Sepulchrū Domini.

XVIII. Ipsum monumentum, in quo corpus Domini positum fuit, in naturalem excisum est petram. Lucernæ hydria, quæ illo tempore ad caput ejus posita fuerat, ibidem ardet diu noctuque: ex quo benedictionem tulimus, & recomposuimus eam. In quo monumento deforis mittitur terra, & ingredientes benedictionem tollunt. Lapis vero, unde clausum fuit monumentum ipsum, est ante illud monumentum. Color vero petræ, quæ excisa est de Golgotha (non dignoscitur): nam petra ipsa ornata est auro & gemmis: & postmodum de ipsa petra factum est altare, in loco ubi crucifixus est Dominus. Petra vero monumenti velut molaris est, & infinite ornata: virgis ferreis pendent brachialia, dextro ceria, murenæ, monilia, annuli capitulares, cingella, baltei, coronæ, imperium ex auro vel gemmis, & ornamenta plurima. Et ipsum monumentum in modum ecclesiæ coopertum ex argento: & ante monumentum altare positum.

Golgotha.

XIX. A monumento usque Golgotha sunt gressus 80. Ab una parte ascenditur per gradus, unde Dominus ascendit ad crucifigendum. Nam in loco ubi fuit crucifixus

fixus, apparet cruor ſanguinis. Et in ipſo latere petræ eſt altare Patriarchæ Abraham, in quo ibat offerre Iſaac, quando tentavit eum Dominus. Ibi & Melchiſedech obtulit ſacrificium Abrahæ, quando revertebatur cum victoria a cæde 33 Amelech. Tunc ibidem dedit ei Abraham omnem decimationem in hoſtias. Juxta ipſum altare eſt crypta, ubi ponis aurem, & audis flumina aquarum; & jactas * pomum aut aliud quod natare poteſt, & vadis ad Siloa fontem ubi illud recipies. Intra Siloa & Golgotha credo eſt milliarium: nam Hieroſolyma aquam vivam non habet, præter in Siloa fonte.

XX. De Golgotha uſque ubi inventa eſt Crux ſunt greſſus 50. In Baſilica Conſtantini cohærente circa monumentum vel Golgotha, in atrio ipſius baſilicæ, eſt cubiculum, ubi lignum Crucis reconditum eſt, quam adoravimus & oſculavimus. Nam & Titulum, qui ſuper caput ejus poſitus fuerat, in quo ſcriptum eſt Jeſus Nazarenus Rex Judæorum, tenui in manu & oſculatus ſum. Lignum Crucis de nuce eſt: procedente vero ſancta Cruce de cubiculo ſuo apparet * ſtella in cœlo, & venit ſuper locum ubi Crux reſidet: & dum adoratur Crux, ſtat ſuper eam ſtella. Et adfertur oleum ad benedicendum ampullis onychinis: hora vero qua tetigerit lignum Crucis ampullas, * mox ebullit foras. Revertente Cruce in locum ſuum, & ſtella pariter revertitur, & poſt recluſam Crucem non apparet ſtella. Etiam ibi eſt Canna & Spongia, de quibus legitur in Evangelio, cum qua Spongia aquam bibimus: & Calix onychinus, quem benedixit Dominus in cœna, & aliæ multæ virtutes: ſpecies B. Mariæ in ſuperiori loco, & zona ipſius, & ligamentum quo in capite utebatur: & ibi ſunt ſeptem cathedræ marmoreæ Seniorum.

Crucis inventio & adoratio.

Reliquæ aliæ.

XXI. Inde aſcendimus in Turrim David, ubi decantavit Pſalterium. Magna eſt valde: in ſingulis cœnaculis, quæ quadrangula, turris eſt: & opus ſculptum, non habens tectum; in qua Chriſtiani pro devotione aſcendunt ad manſionem: & circa medium noctis ſpatium ſurgentes, audiunt voces * murmurantium deorſum in valle Joſaphat, ad loca quæ reſpiciunt contra Sodomam & Gomorrham.

Turris David.

XXII. Deinde venimus in baſilicam Sion, ubi ſunt mirabilia multa: inter quæ eſt quod legitur de lapide angulari, qui reprobatus eſt ab ædificantibus. Domino enim ingrediente in ipſam eccleſiam, quæ fuit domus S. Jacobi, invenit lapidem * deformem, in medio jacentem, tenuitque eum, & poſuit in angulo: quem tenens levas & ponis aurem in ipſo * angulo, & ſonat in auribus tuis quaſi murmuratio multorum hominum. In ipſa eccleſia eſt columna, in qua tale eſt ſignum, ut dum eam quidam amplexus fuiſſet, in ipſa ei pectus adhæſit & apparent in ea palmæ & digiti; ita ut inde per ſingulos languores tollatur, & qui circa collum habent, ſanantur. In ipſa columna eſt cornu illud, de quo Reges ungebantur, unde & David in Regno unctus eſt. Ibi eſt Corona ſpinea, de qua Dominus eſt coronatus; & Lancea, de qua in latere percuſſus eſt, & lapides multi, cum quibus fuit lapidatus Stephanus. Ibi columna, in qua poſita fuit crux B. Petri, ubi crucifixus eſt Romæ: ibi & Calix, in quo poſt Reſurrectionem Domini Miſſas celebrarunt Apoſtoli, & multa alia mirabilia, quæ non recolo. *Ibi eſt monaſterium puellarum*: & ibi vidi teſtam hominis, incluſam in loculo aureo ornato gemmis: quam dicunt eſſe caput Martyris 34 Theodotæ, in qua multi aquam pro benedictione bibunt, & ego bibi.

Sion.

XXIII. *De Sion uſque Baſilicam S. Mariæ, ubi eſt congregatio magna monachorum, ac mulierum menſæ innumerabiles, lecta languentium plus quinque * millia, ad minus tria*: Et oravimus in Prætorio, ubi auditus eſt Dominus: & in eo baſilica S. Sophiæ. Ante ruinas Templi Salomonis ſub platea aqua decurrit a fonte Siloe. Secus porticum Salomonis in ipſa baſilica eſt ſedes, in qua ſedit Pilatus, quando audivit Dominum. Petra eſt quadrangula, in qua reus levabatur, ut ab omnibus audiretur & videretur. In ea levatus eſt Dominus, quando auditus eſt a Pilato; ibique illius remanſit imago, pedem habens modicum, pulchrum, ſubtilem. Natura communis, pulchra facies, capillo ſubannulato, manus formoſa, digiti longi, quantum imago deſignat, quæ illo vivente & pedibus ambulante * picta eſt, & poſita in ipſo Prætorio. Etiam de ipſa petra multæ fiunt virtutes: tollentes menſuram de ipſo veſtigio, ligant per ſingulos languores & ſanantur. Et ipſa porta ornata eſt ex auro & argento.

Pretorium Pilati.

XXIV. Inde venimus ad aram, ubi fuit antiquitus porta civitatis: in ipſo loco ſunt aquæ putridæ, in quas miſſus eſt Jeremias Propheta. Ab arcu illo deſcendentibus nobis ad fontem Siloa per gradus multos, eſt ibi baſilica volubilis, de ſub qua ſurgit Siloa, clauſura cancellorum, in quibus pro benedictione in uno lavan-

Siloa fons.

 tur

tur viri, in altero vero mulieres: in quibus aquis multa ostenduntur, imo & leprosi mundantur. Et ante atrium est piscina grandis, manu hominum munita, in qua lavatur populus assidue solis certis horis: nam ille fons irrigat aquas multas, quæ descendunt per vallem Josaphat, quæ & Gethzemani, & ingrediuntur in Jordane fluvio, ubi Jordanis deficit in Mare Salinarum, subtus Sodomam & Gomorrham.

Sepulcrum S. Stephani.

XXV. Ipse fons Siloa infra civitatem inclusus est, quia Eudoxia 35 uxor Justiniani Imperatoris addidit muros in civitate Jerusalem, & ipsa munivit sepulchrum & basilicam B. Stephani, & ipsa suum habet sepulchrum juxta sepulchrum Beati Stephani, & infra sepulchrum sunt gressus 26. & B. Stephanus requiescit foris portam sagittæ jactu, unaque modo porta ex nomine ipsius Martyris vocatur, & est ad viam quæ respicit ad Occidentem, quæ descendit ad Joppen & Cæsaream Palæstinæ vel Diospolis civitatem, quæ antiquitus dicebatur 36 Azotus, in qua requiescit S. Georgius martyr. In ipsa via, non longe astat columna marmorea, in qua Dominus prius ducebatur ad flagellandum: quæ * fugiens levata est ad nubes, & deposita est in ipso loco: & in tantum verum cognoscitur esse, quia non habet basim ubi debet esse fundata, sed sic stat super terram & agitatur: in cujus summitate Crux ferrea posita est. Et rursus per scalam ascenditur, & fiunt ibi luminaria & incensum, & dæmoniaci mundantur: nam & in ipsa provincia est B. Martyr Georgius.

Diospolis.

Haceldama.

XXVI. Itaque exeuntes ex Siloa fonte, venimus in agrum qui comparatus est pretiosa nguinis Domini, qui vocatur Haceldama, id est, Ager sanguinis, in quo sepeliuntur omnes peregrini. Et intra ipsa sepulchra sunt cellulæ servorum Dei, ubi fiunt multæ virtutes: & per loca infra ipsa sepulchra sunt vineæ & poma.

Natatoria Siloe.

XXVII. Revertentes in civitatem, venimus ad piscinam natatoriam, quæ quinque porticus habet, & in una earum est basilica S. Mariæ, ubi multæ fiunt virtutes. Ipsa vero piscina modo jactata est in stercore, & ibi lavantur omnia quæ necessaria sunt. Vidimus & in uno angulo catenam ferream, * cum qua se illaqueavit infelix Judas. Iterum exeuntes ad portam majorem, venimus ad locum in quo requiescit B. Ysitius 37: ibique erogantur panes pauperibus, quos deputavit B. Helena.

Sepulcrum Rachel.

XXVIII. Via quæ ducit Bethleem milliario tertio ab Jerusalem jacet Rachel, uxor Jacob, mater scilicet Joseph & Benjamin, quæ requiescit in finibus Rama. In medio loco in via media aqua surgit, habens quasi sextarios septem, unde omnes complent satietatem bibendi, & nec augetur nec minuitur, & est suavis ad bibendum: & dicunt quod fugiens B. Maria in Ægyptum sederit ibi cum puero, & sitiens oravit, & continuo aqua emanavit: & in ipso loco modo ecclesia constructa est.

Bethleem.

XXIX. Inde usque Bethleem milliaria tria. Et Bethleem est locus splendidissimus, servi Dei multi. Ibi est spelunca, ubi natus est Dominus, & præsepium ex auro & argento ornatum, & jugiter ibi fiunt luminaria: os vero speluncæ angustum. Hieronymus Presbyter, in loquendo peritus, in interpretatione clarus, inter cunctos relator conspicuus, in ipsius ore speluncæ petram sculpsit, & ob devotionem Salvatoris ibidem sibi monumentum fecit. Milliario semis de Bethleem in suburbe David, jacet David: sed & infantes, quos occidit Herodes, ipso in loco habent sepulchra, & videntur eorum sancta ossa. *Ante Bethleem est monasterium muro cinctum, in quo multitudo est monachorum.*

Quercus Mambre.

XXX. De Bethleem usque ad ilicem Mambre sunt millia 38 XXIII. in quo loco requiescunt Abraham, Isaac, & Jacob, & Sara, & simul ossa Joseph: & basilica ædificata est: in quadriporticu atrium in medio discoopertum: & per medium cancellorum ex uno latere intrant Christiani, & ex alio Judæi, facientes incensa multa: nam depositio David 39 & Jacob in terra illa, die primo post Natale Domini devotissime ab omnibus celebratur, ita ut ex omni terra, Judæorum conveniat innumerabilis multitudo, incensa ferentes vel luminaria, & dantes munera ac servientes ibidem. Iterum revertentes in Jerusalem, descendimus per viam quæ vadit ad Gazam & Ascalon millia 20.

M. Gelboe.

XXXI. De Jerusalem venimus in montem Gelboe, ubi 40 occidit David gigantem Goliat, & ubi mortuus est Saul & filius ejus Jonathas. Jacet ibi Goliat in media via, ligneum habens ad caput acervum, & super eum congeries magna petrarum, ita ut a 20. millibus non possis invenire * lapidem quem movere possis: quia usus est talis. Quoties quis ibi transit, ternos lapides secum defert, & eos ibi projicit: sed & nos similiter fecimus. In ipsos montes nec ros nec pluvia descendit, post-

postquam David eos maledixit: & nocturnis horis secreto videntur ibi volvi immundi spiritus, tamquam vellera lanæ vel undæ maris.

XXXII. Deinde viantes ad latus, venimus in civitatem, quæ dicitur Heliopolis, in loco 41 ubi Sampson fortissimus cum maxilla asini mille occidit viros, ex qua maxilla ipso orante aqua profluxit, qui fons usque in hodiernum diem loca illa irrigat: nam in loco ubi surgit, fuimus. Deinde venimus inter templum & altare, ubi occisus est Zacharias, & ubi requiescit. Inde venimus ad locum ubi Isaias Propheta de lignea serra secatus est: & ipse jacet ibi sub quercu Rogel juxta aquarum decursum: & ipsa serra pro testimonio posita est ad S. Zachariam. Et inde venimus ad locum ubi Abacuc Propheta prandium ferebat messoribus, quando eum Angelus per verticem tenens, duxit in locum ubi Daniel inter leones orabat: & ibi surgit fons, ubi Philippus baptizavit Eunuchum. In ipsis sunt putei quos foderunt Abraham & Isaac, & appellarunt calumniam.

Fons Sampsonis.

Sepulcra Zachariæ & Isaiæ.

XXXIII. Inde ingressi sumus Ascalon. Ibidem est puteus Pacis, in modum theatri factus, in quo usque ad aquam descenditur per gradus, ubi requiescunt 42 tres fratres Martyres: propria quidem habent nomina, sed vulgariter Ægyptii vocantur. Milliario a civitate, Herapia est, civitas Maxoni Ascalonitæ. Inde venimus in civitatem Axomates, in qua requiescit S. Victor 43 martyr. De Mazona venimus usque Gazam milliarium: Gaza autem civitas splendida, deliciosa, homines honestissimi, omni liberalitate decori, amatores peregrinorum. Inde milliario secundo requiescit 44 S. Hilarion.

Ascalon.

Gaza.

XXXIV. Inde venimus in civitatem 45 Duaal, in caput eremi, quæ vadit ad Sina montem: in qua ex relatione Episcopi ipsius civitatis unum audivimus miraculum, quod silere non oportet. Puella quædam nobilissima nomine Maria, cum nupta fuisset, ipsa nocte nuptus sui mortuus est sponsus ejus: ipsaque hanc rem patienter portavit, & infra septimanam omnia sua distribuit pauperibus. Celebrato die septimo, nocte ipsa veste sponsi sublata, inventa non est: de qua dictum est nobis quia esset in eremo trans Jordanem, inter calameta vel palmeta ante nos in finibus Segor in mari Salinarum: in quibus locis invenimus monasteria 15. vel 18. puellarum, quæ Christiani populabant: quæ habebant asellum qui eis cibaria deferebat, & nutriebant leonem terribilem ad videndum. Cumque appropinquassemus cellulæ, omnia animalia quæ erant nobiscum * a rugitu illius minxerunt, & in terram corruerunt, & dicebatur nobis quod ipsum asellum leo ipse gubernaret in pascuis; quem offerebant nobis pro centum solidis. Sed Pater Antoninus suscipere noluit, sed misit in Jerusalem cito, & adduxit eis ternas tunicas & oleum ad luminaria, & legumina multa. Et ipsæ nobis dixerunt de virtutibus Mariæ, cujus superius mentionem fecimus, quæ ambulaverat in Hierosolyma, sola portans legumina, sportellas plenas & tunicas: quas ei cupiebant auferre, sed nullus eam invenire potuit: 46 attamen de iis quæ secum duxit de eremo, nihil reportavit revertens. Cujus afflictionem vel ploratum nulla ratione consolari potuimus: sed tantum sæpius dicebat flens; Væ mihi miseræ! cujus causa me dico Christianam?

De Maria solitaria.

& leone monialium ministro.

XXXV. Proficiscentes de Eulatia introivimus eremum milliario 20. in quo est castrum ubi est xenodochium S. Georgii, in quo habent transeuntes vel eremitæ refugium vel stipendia. Inde intrantes interiorem eremum, venimus ad locum, de quo dicitur in Psalmo, Terra fructifera in salsugine [id est, in amaritudine] animalia habitantium in ea. Et ibi vidimus homines rasos, fugientes cum camelis. Nam & in Hierosolyma vidimus homines ex Æthiopia, habentes fissas nares * & aures, caligulas calceati, & per digitos in pedes annulos missos. Interrogavimus quare sic, & dixerunt: quia Trajanus 47 Imperator signum hoc nobis reliquit.

Via ad eremum.

XXXVI. Ambulantes per eremum dies 6. camelis nobis aquam portantibus, sextarium mane & sextarium vespere dabatur per hominem quotidie: amarescente aqua in utribus per modum fellis, mittebamus in eam * arenam, & dulcorabatur. Familiæ autem Saracenorum & uxores eorum venientes de eremo . . . . in via sedentes deposita sarcina, petebant panes a transeuntibus, & veniebant viri earum de interiori parte eremi, adducebantque utres cum aqua frigida, & accipiebant sibi panes, & adducebant restes cum radicibus, quarum odor suavissimus super aromata, & dies festos suos celebrabant. Populus autem qui per majorem eremum ingrediebatur ad explorandum, numero 12. * millia sexcenti.

Festum Saracenorum in ea errantium.

XXXVII. *Perambulantes eremum octavo die venimus ad montem Domini Horeb, & inde moventes ut ascenderemus montem Sina, ecce multitudo monachorum eremitarum cum Crucibus psallentes obviaverunt nobis, & prostrati in terram adoraverunt: simili*

Horeb & Sinai montes.

modo & nos fecimus, & lacrymavimus. Tunc introduxerunt nos in vallem inter Horeb & Sina, ad cujus montis pedes est fons, ubi Moyses adaquabat oves, quando vidit rubum ardentem: qui fons est inclusus infra monasterium, in quo sunt tres Abbates, scientes linguas, id est Græcam, Latinam, Syram, Ægyptiacam & 48 Bessam. Inde venimus ad speluncam, ubi absconditus fuit Elias Propheta, quando fugit Jezabel mulierem perfidam. Ante ipsam speluncam surgit fons, qui irrigat ipsum montem. Inde ascendimus summum cacumen montis, in quo est oratorium modicum, habens longitudinem sex pedum, similiter & latitudinem; in quo manere nullus præsumit, sed orto jam die ascendunt monachi de supradicto monasterio, & celebrant ibi Officium: in quo loco pro devotione multi tondent capillos suos & barbam: nam & ego totondi ibi barbam meam.

Idolum Saracenorum.

XXXVIII. Mons vero Sina petrosus est, raro habet terram, & in circuitu ejus cellulæ multæ servorum Dei. Similiter & in Horeb, & in parte illius montis habent Saraceni idolum * suum marmoreum positum, candidum tamquam nivem: ibi & permanet Sacerdos eorum, ipsorum indutus dalmatica & pallio lineo. Quando venit tempus festivitatis eorum, percurrente luna, antequam egrediatur a festo ipsorum, incipit marmor illud mutare colorem; & quando cœperunt adorare idolum, fit marmor illud nigrum tamquam pix: completo tempore festivitatis eorum, revertitur iterum in pristinum colorem, unde valde miratus sum.

Vallis ibidem.

XXXIX. Inter Sina & Horeb est vallis, in qua certis temporibus ros de cœlo (cadit), quem manna appellant, & coagulatur, & fit tamquam granum masticis: & habent inde plena dolia, & dant aliis pro benedictione, & nobis dederunt sextarios quinque: ex quo & perdite bibunt, & nobis dederunt bibere. Nam & in ipsis montibus leo & pardus *, capreæ & burdones simul pascunt: & ex eis nullus læditur a leone, propter eremi vastitatem. Et quia jam se complebant dies festi Ismaelitarum, præco exiit ut nullus subsisteret per eremum, per quam ingressi sumus; (sed) alii per Ægyptum, alii per Arabiam reverterentur in civitatem sanctam.

Amalech.

Madian.

XL. De monte Sina usque in Arabiæ civitatem quæ vocatur 49 Abela, sunt mansiones 7. In Abela autem descendentes naves de India cum diversis aromatibus, visum est nobis per Ægyptum reverti. Et venimus in civitatem in qua pugnavit Moyses cum Amalech: ubi est oratorium, cujus altare positum est super lapides illos, quos posuerunt Moyse orante. In loco ipso est civitas munita de lateribus, locus sterilis valde propter aquas. Ibi occurrerunt nobis mulieres cum infantibus, palmas in manibus portantes, & ampullas cum rafano oleo, (quæ) prostratæ pedibus nostris ungebant plantas nostras & capita nostra, lingua Ægyptiaca psallentes Antiphonam: Benedicti vos a Domino, & benedictus adventus vester, Hosanna in excelsis. Ipsa est terra Madian, & ipsi habitantes in ea civitate. Dicitur autem quia ex familia Jethro, soceri Moysis, descendunt 58. 50 condomæ, militantes in publico cum uxoribus suis, annonam, & vestes accipientes ex Ægypto.

Mare rubrum.

XLI. De quibus locis venimus Magdalo 51 & Sochor & ad 70. palmas & ad 12. fontes, & applicuimus ibi per duos dies, fatigati per tantum laborem & eremi vastitatem: in quo loco est castellum modicum quod vocatur 52 Surandela, & est intra ipsum castellum ecclesia cum xenodochio, propter transeuntes. *Hinc venimus ad locum ubi filii Israel transeuntes mare rubrum castrametati, & ibi similiter castellum cum xenodochio: & in loco quo exierunt de mari est oratorium Eliæ.* Et transeuntes venimus in locum ubi intraverunt in mare, ubi est oratorium Moysis. Ibi est civitas parva, quæ appellatur 53 Clysma, ubi de India naves veniunt. In loco ubi transierunt * fulgur exit de pelago majori & extenditur in multis millibus, quia accessus & recessus aquæ habetur. Recedente mari apparet omnis submersio Pharaonis, & omnia arma in marmora * mutata videntur. Ibi accepimus nuces virides, quæ de India venerunt, quas de paradiso credunt homines esse, & qui ex his gustaverit *, sanatur.

Clysma.

Insula maris rubri.

XLII. Intus autem in ipso pelago modica est insula, in qua est petra viva, ubi pendent * molles, ut carnei, in modum dactylorum, qui fundunt unguentum, quod oleum petrinum vocant, quod pro maxima benedictione tollitur. Vas in quo portatur, si impletum fuerit, & volueris rediterare ad tollendum, jam non eum capit. In quo loco quanticumque ægroti pertingere possunt * sanantur. Quem (liquorem) tollentes pro benedictione, non eum permittunt iterum introire per Clysma antequam commisceatur cum oleo: nam si non adulteraretur, credo, quia ipsam virtutem semper faceret: nam liquor ipsius tenet (odorem) continuo per duo millia

millia. Infra civitatem ipſam, quæ dicitur Clyſma, intus in baſilica vidimus loculos ligneos ſanctorum Eremitarum Patrum XIV.

XLIII. Et inde venimus per eremum ad ſpeluncam B. Pauli eremitæ, quæ vocatur Siracumba: quia fons ipſum locum irrigat. Exinde pergentes venimus ad Cataractas 54 Nili, ubi aſcendit aqua ad ſignum manus hominis facta & habet gradus 12. Ex utraque parte cataractarum, ſunt duæ civitates, quas ædificaſſe dicunt filias * Loth, & una earum dicitur Babylonia. Inde venimus per campos Taneos & in Memphis civitatem & Antinoum, in qua reſidebat Pharao ex 55 qua filii Iſrael exierunt. In ipſis locis ſunt horrea Joſeph 12. * plena.

Spelunca S. Pauli.

Cataractæ Nili.

XLIV. In Memphis fuit templum, quod eſt modo eccleſia, cujus una porta ſe clauſit * ante Dominum noſtrum, quando B. Maria cum ipſo fugit in Ægyptum, & adhuc non poteſt aperiri. Ibi vidimus pallium lineum, in quo dicunt illum tempore * illo tranſiſſe, & idcirco ibi ejus remanſiſſe veſtigia: quæ imago ibi ſingulis temporibus adoratur, & nos adoravimus, * & propter ſplendorem non potuimus in eam intendere, quia quantum in ipſam intendis immutatur in oculis tuis.

Memphis.

XLV. Deſcendentes per Ægyptum, venimus in civitatem 56 Alepi ad S. Mennatum 57 qui multas virtutes ibi operatur. Inde per ſtagnum navigantes Alexandriam venimus: in ipſo ſtagno vidi multitudinem crocodilorum. Alexandria civitas eſt pulchra, populus levis, ſed amatores peregrinorum, hæreſes multæ. Ibi & requieſcit Athanaſius, ipſius civitatis Epiſcopus, qui, contra Arium ipſius civitatis Presbyterum hæreticum pro fide Chriſti certando, multa pericula mortis ſuſtinuit, temporibus Conſtantii (filii) Imperatoris Conſtantini, Helenæ filii. Ibidem requieſcit S. Fauſtus & ſanctus Epimachus, & ſanctus Antonius vel ſanctus Maurus 58 & alia multa Sanctorum corpora.

Alexandria.

XLVI. Iterum venimus Hieroſolymam, ubi ego ægrotus per multum tempus jacui, uſque dum vidi per viſionem S. Antonium & B. Euphemiam, qui me pariter ſanaverunt. Egreſſi de Hieroſolyma venimus Joppen, ubi jacet S. Thabita, quæ dicitur Dorcas. Deinde Cæſaream Philippi 59, quæ Turris Stratonis, quæ & Cæſarea Palæſtinæ vocatur, in qua requieſcit S. Pamphilus, & S. Procopius, & S. Cornelius, ex cujus lecto benedictionem tulimus. Inde per Galilæam aſcendimus & venimus Damaſcum; ubi eſt monaſterium, ubi S. Paulus converſus eſt, in vico qui vocatur Rectus, ubi multæ virtutes fiunt. Deinde Heliopolim, & inde venimus Emiſſam, ubi eſt caput S. Joannis Baptiſtæ in dolio vitreo: & nos ibidem ipſum vidimus & adoravimus. Et inde tranſeuntes per civitates, hoc eſt, Ariſſam Ariſtolam, Piphaniam: venimus in civitatem ſplendidiſſimam Apamiam, in qua eſt omnis nobilitas Syrorum.

Joppe. Cæſarea.

Iter per Syriam.

XLVII. Inde exeuntes venimus Antiochiam majorem, in qua requieſcit ſanctus Babylas Epiſcopus & tres parvuli, & S. Juſtina, & Julianus & fratres Machabæi, hoc eſt, VII. ſepulchra, & ſuper uniuſcujuſque ſepulchrum ſcriptæ ſunt paſſiones eorum. Exinde deſcendimus Meſopotamiam in civitatem Chalcidam. Inde venimus Carram, ubi natus fuit Abraham. Et inde venimus in civitatem Barbariſſum, ubi requieſcit S. Bacchns 61, frater S. Sergii. Inde venimus in civitatem Suram, per quam mediam deſcendit Euphrates, qui ibidem per pontem tranſitur. In ipſa civitate paſſi ſunt S. Bacchus & S. Sergius, qui requieſcit in civitate Tyro.

Antiochia.

Armenia.

XLVIII. Inde tanta alia vidimus loca, in miraculis poſita, reverſi poſt nos per multa caſtella, per plateas, vicos, villas, vel civitates. Fatigati ex tam longo itinere cœpimus iter carpere tranſeuntes mare, & venimus in Italiam adjuvante Domino Jeſu Chriſto, pro cujus amore ab hoc loco egreſſi per videre ivimus tanta ejus mirabilia, quæ ipſe inter homines habitans fecit, vel quæ ante tempus incarnationis ſuæ olim per Patriarchas & Prophetas ſuos fecerat; viventes, ovantes venimus Placentiam, civitatem noſtram, poſitam ſuper fluvium, qui dicitur (Padus) infra jam dictam Italiam.

Reditus Placentiam.

N O T Æ.

1 *MS. Tornacenſe* Collega ſuo: *ſed patet ex contextu num. 7. plures a ſcriptore induci ſocios itineris: ideo MS. Vaticanum ſequi hic malui.*

2 *Scivitne hic ſcriptor* Conſtantinopolim *&* Cyprum *pari intervallo diſtare ab* Italia: *& in* Syriam *quidem recta ituris præternavigandam* Cyprum; Conſtantinopolim *vero illis non magis neceſſariam eſſe quam Bruxellæ ſint ei qui Antuerpiæ moratur, ut Gandavo Brugas perveniat?*

3 *Nullam ad Tyrum inſulam norunt Geographi,* ac

ac ne alibi quidem, quæ vocetur Santaricus vel simili aliquo nomine.

4 Castra Samaritanorum æque ignotæ appellationis sunt. Sunam autem, hic Sugamia, unde mulier Sunamitis, 10. milliaria horaria ut minimum distat Ptolemaide, nec modice abest a monte Carmelo, saltem ea parte qua Prophetæ creduntur habitasse.

5 Nescio an jactus nomine, abortum intelligat: modicam concipi oportet, quæ suspendatur mulieri vel animali: sed causam portentosi sonitus reddi, quia solida est, tam est incongruum, quam si dicatur facile gestari, quia gravis: nam ut sonum reddat petra, cavam esse convenit, non solidam.

6 Neocæsarea Galilææ nulla est, sed in extrema Syriæ parte ad radices Tauri montis una, a finibus Galilææ plus quam 100. milliaribus distans, sed nec Cæsaream Philippi, ad Jordanem sitam in Galilæa, cogitare hic congrue possumus; distat enim a Ptolemaide triplo longius quam Cana, ad quam tamen ducere hic supponitur.

7 Colitur S. Leontius celeberrimus martyr, Tripoli in Syria passus 18. Junii: hinc facile est nomen urbis, quod exciderat supplere: non item facile divinare, quid scriptorem moverit: ut a Cana Galilææ, unde porro versus mare Galilææ & loca Christi prædicatione ac miraculis illustria ascendere mos ferebat peregrinorum, vel ad Nazareth ac montem Thabor deflectere; non inquam apparet quid eum moverit, ut a Cana flectat narrationem in Boream milliaribus plus quam 30. ad perlustrandam Phœniciæ maritimam, a Tripoli usque Tyrum, quo primum appulerat.

8 Terræ motus horrendi anno Justiniani 27. Christi 553. meminit Baronius, additque ex Agathia, non solam Constantinopolim fœde concussam, sed & regiones Orientis & civitates solo æquatas, ut inter alias Berythum in Phœnicia.

9 Biblum intelligo, media inter Tripolim & Berythum via: sed Tanim nullam novi extra Ægyptum, nec reperio quidquam quod huc flectam in tota veteri Geographia.

10 Cum Studium litterarum legis pro Academia, agnoscis phrasim, credo, vix antiquiorem 11. seculo.

11 Nec Asclepium fluvium antiquitas novit: inter Sidonem autem & Tyrum Eleutherus decurrit, ex Libano defluens.

12 Licet Placentinus sit scriptor, qui proinde posset miliaria numerare æstimatione Italica, ut tria æquivaleant uni leucæ horariæ; apparet tamen ex toto contextu, eum numerare milliaria horaria, sicut etiam faciunt alii rerum in Terra sancta gestarum scriptores.

13 Quid ergo de Christo Nazarethani quærebant, Joan. VII. Quo modo hic litteras scit, cum non didicerit?

14 Id est, hominis proceri: Talea autem pro longitudine; vox est accepta ex vernacula Italorum lingua Taglia, Francis Taille.

15 Samaria urbs mediterranea, distat a mari Tiberiadis duplo longius quam ipse mons Thabor: neque hæc, sed civitas vicina Sichar, postea dicta est Neapolis. Cum ergo Joannis 4. dicitur, venit Jesus ad civitatem Samariæ quæ dicitur Sichar; accipitur Samaria, non pro ipsa civitate, sed pro toto eo territorio, cujus caput erat Samaria.

16 Ut ad hos fontes veniretur, remetienda erat tota fere Galilæa superior, per spatium horarum circiter 20.

17 Gadaram prope lacum Genezareth novi: Gabaon unicum sacræ litteræ nominant in tribu Benjamin prope Jerusalem, longe a dicto lacu.

18 Quinque ut summum horarum iter est Gadara Scythopolim, pro inde in tam brevi spatio non potuit quis multas urbes transisse.

19 Ut Sebastæam id est Samariam veniatur, nec unus quidem Judææ locus attingendus est; ad hanc autem primum venitur, post emensam totam regionem Samaritanorum.

20 Videtur supponere auctor, quod totam regionem jam dictam Judæi tenerent, & quidem tam scrupulosi contra Christianos, ut sequitur.

21 Comparare, Italis proprio idiotismo, emere, vulgo comprare, unde Compra, emptio.

22 Oedipo eget hic locus: suspicor indicari forum rerum venalium, extra vicos positum pro Christianis emere volentibus, ubi illis responsum faciant Judæi, ne eorum ingressu immundæ fiant habitationes suæ. Sed quis talia unquam Judæis affinxit?

23 Non ad Jordanem est Mons Hermon; sed alius major in Cœlesyria, continuatus cum Libano; alius minor in Galilæa, ad Torrentem Cisson, haud longe a Thaboræo monte, trans torrentem posito.

24 De sancta Sophia Constantinopolitana forte inaudiverat aliquid scriptor, quod inde Hierosolymam transtulit.

25 Integri diei itinere locus Baptismi distat a Torrente Carith. Est tamen verisimile satis, ad locum memoria absconditi quondam ibi Eliæ celebrem aliquando habitasse Eremitas. An etiam quod Elias, usque adeo tunc abductus a notitia hominum, ut necesse habuerit a corvis pasci, eos ibi collegerit, volens post se relinquere monasticæ vitæ successores, ut dicitur in libro de instit. monachorum? Credat hoc, qui potest credere Græcum esse auctorem, qui in voce Carith mysticam hanc significationem reperit, quod Elias sedit in Torrente Carith, qui est contra Jordanem: quia in Carith, id est, in Dei Caritate, eum dividente a Jordane, id est, a peccatorum descensione, ex tunc semper extitit.

26 Totam regionem secundum Jordanem, quam longe fluit a suis fontibus usque; ad mare mortuum, occupaverunt tribus Ruben & Gad cum dimidia tribu Manasse, sed nusquam leguntur invenisse civitatem Salamiada: Verum Antonini Imperatoris itinerarium Salaminiadam habet procul inde, inter Ocoram & Emissam Cœlesyriæ urbes.

27 Econtra ex lib. 2. Regum cap. 18. scimus pugnam inter exercitus David & Absalon commissam esse in Saltu Ephraim in Galaaditide, haud longe a mari Tiberiadis, ibique occisum, & sub acervo lapidum sepultum Absalonem esse.

28 Diceres Mare mediterraneum, per quod Alexandrini navigantes stationem capiunt in aliquo Palæstinæ portu, puta Joppe, confundi a scriptore cum Mari mortuo, nullam cum altero communicationem habente; adeo ut impossibile sit, Alexandrinorum naves ascendere ad locum Baptismi Dominici.

29 Abundat hic numerus centenarius: nam 30. sufficere re ipsa patet.

30 Si sensus est, dactylos, qui ibi nascuntur, unius libræ singulos esse, ceteris fabellis eos adnumeres licet.

31 Imo ad meridionalem plagam respectu Jericho sitæ fuerunt Sodoma & Gomorrha.

32 Barrideum, nomen hactenus ignotum Terræ sanctæ scriptoribus.

33. Abraham non percusit Amalec, sed Saul: victoria autem a qua revertebatur Abraham, relata fuit de quinque Regibus, qui victo Rege Sodomorum & sociis ejus nepotem Loth captivum ducebant.

34 Variæ variis diebus Theodotæ Martyres coluntur a Græcis, nec facile est divinare, utrum harum aliquam vel aliam diversam intelligat auctor.

35 Nullam hoc nomine uxorem habuit Justinianus, nec Theodora, quam habuit, Hierosolimas unquam venit: sed intelligenda esset Eudocia, uxor Theodosii junioris, de cujus in Terra sancta rebus gestis & ædificiis sacris licebit multa legere apud antiquos; uti & hoc quod mortuo conjuge eodem reversa, sepulta sit in ecclesia Sancti Stephani.

36 Ast diversissimæ civitates sunt Diospolis (alias Lidda ac Ramula) & Azotus, hæc enim ad mare sita est in finibus Dan ad meridiem, illa vero in ejusdem Tribus finibus Borealibus mediterranea.

37 Neque Ysitium, neque Hesychium Sanctum aliquem novi, de quo hic locus possit intelligi.

38 Expunctis 20. sufficiet reliquisse 3.

39 De David ex Menæis constat. Jacob una cum ceteris progenitoribus Christi festum habet Dominica ante Natalem Domini, sicut ad Ephemerides Græco-moscas docui.

40 Lib. 1. Regum cap. 17. Goliathi cædem describit, factam in valle Terebinthi, ubi castrametatus erat Saul contra Philistæos, habentes castra sua inter Sochot Judæ & Azeca in finibus Dommim, quæ omnia loca sunt media via inter Jerusalem & Joppe, a montibus Gelboe, procul inde ad Euroboream sitis, plus quam 20. leucis.

41 A valle Terebinthi usque ad Civitatem solis, cui propinquus est fons Sampsonis, 10. circiter leucæ exten-

extenduntur versus meridiem; & hinc cetera satis commode sequuntur, nisi quod iterum auctor recurrat Hierosolymam, propter Zachariam & Isaiam.

42 Menæa ad 6. Aprilis meminerunt duorum Martyrum Ascalone passorum, post factam memoriam Sanctæ Platonidis: quam Baronius in hodierno Romano pro viro accipiens, duobus Ascalonitis Martyribus junxit.

43 Neque Victorem Martyrem, qui huc spectare possit, ullum novi: neque Herapiam, Axomatem, Mazonam civitates; nisi forte ultima est Majuma, quæ Gazæ emporium nominatur a S. Hieronymo in Vita Hilarionis.

44 S. Hilarionis monasterium septimo a Majuma milliario, id est duabus ac semileucis, idem Hieronymus constituit, cui certior fides adhibenda.

45 Dunaal urbs, & quidem Episcopalis, in tota sacra ac profana geographia nulla est; uti nec Eulatia aliqua, ad introitum eremi, Capite sequ. nominata.

46 Nullum commodum sensum ex ultima hujus Capitis parte hactenus elicere potui conjectando; nec magni refert, quia talis Maria nusquam inter Sanctas nota est.

47 Nihil juris Trajano in Æthiopes fuit, neque bellum cum iis: fissæ igitur ejus jussu aures & nares Æthiopum pro fabula haberi debent.

48 Quid si pro Bessa lingua, legas Persam seu Persicam? Nam Bessi, exiguus olim in Thracia populus, & eo quo hæc composita sunt ævo sub tali nomine non amplius notus, non videntur huc potuisse irrepere per aliquem ipsius auctoris errorem.

49 Deberet hæc civitas Abela concipi ad mare rubrum, haud longe a Meca: sed nec ibi, nec alibi in tota Arabia, nomen istud apud Geographos veteres novosque reperitur: bene autem in Madianitide & ad lacum Genezareth, vel Abila in Cœlesyria, unde Abilina Tetrarchia nomen sumpsit.

50 Condoma videtur hic scribi pro Familia.

51 Hic iterum loca disparatissima conjungere videtur auctor: necdum enim pervenerat ad Elim, sextam Stationem Israelitarum, ubi erant 70. palmæ & 12. fontes, ut dicitur Exodi 15. cum loquitur de Magdalo & Socoth, urbibus Ægypti, ad quas iidem Israelitæ constiterunt, antequam transirent mare rubrum.

52 Novimus ibi desertum Sur, sed castellum Surandela, nescio unde hic scriptor acceperit.

53 Clysma præsidium Ægypti ad mare rubrum Ptolomæo est, hoc circiter loco: quare correxi nomen in Ms. Tornac. expressum hic & infra Disma, quod nusquam est.

54 Speluncam sancti Pauli ad 28. gradum altitudinis collocat Rosweidus e regione Antinoi: ab hoc usque ad Nili Catarrhactas, in Æthiopia sub gradu 22. sitas, opus est itinere leucarum, ut minimum 120.; hic vero scriptor ad Babylonem eas collocat, longe infra Antinoum leucis circiter 40.: deinde cetera omnia loca Ægypti, quæ nominat, sic permiscet, nullo servato situs eorum ordine, ut palam faciat Ægyptum numquam a se conspectam; sed civitatum nomina in chartam conjecta, prout alibi lecta se memoriæ offerebant. Mox enim per Campos Taneos venisse se dicit Memphim & Antinoum: atqui jam in Æthiopia aut saltem superiori Ægypto eramus, unde descendenti occurrisset Antinous, tunc Memphis, ac denique in infima Ægypto Tanis.

55 Pharaones Ægypti Reges Memphi aut Babylone habitabant, longe infra Antinoum, quam Hadrianus Imperator ædificavit. Filii autem Israel egressi sunt de ea quæ sibi concessa fuerat terra Gessen, inter Ægyptum & Syriam.

56 Quo iterum rapimur? Alepum, antiquis dicta Hierapolis, urbs Syriæ & quidem regia est: hinc vero Alexandriam, Syriæ ejusdem urbem maritimam, iter, sed terrestre est, leucarum circiter 18. Hanc vero noster homo confundit cum Alexandria Ægypti, tantum dissita, quanta est latitudo totius Syriæ atque Ægypti.

57 Sanctus Menas Martyr, qui colitur 11. Novembris, Ægyptius quidem patria fuit, sed Cotyai in Phrygia passus. Alius vero hujus nominis Martyr, Alexandriæ in Ægypto decollatus, cum sociis Hermogene & Eugrapho, corporibus mari mersis allatus est Byzantium, ibique celeberrimum cultum habet 10. Decembris.

58 Quomodo supra per loca, ita nunc per corpora Sanctorum evagatur auctor. Sanctus Faustus, Diaconus sancti Dionysii Episcopi Alexandrini, vere huc spectat & colitur 19. Novembris, passus sub Diocletiano. Sanctus Epimachus, passus quidem Alexandriæ etiam est, sed corpus Romam translatum, uti 10. Maii diximus, in medio relinquentes veteremne an novam Romam, id est Constantinopolim oporteat intelligere. Sancti Antonii corpus sub Justiniano repertum translatumque Alexandriam, sub Heraclio allatum est Constantinopolim, atque inde in Viennensem Galliæ diœcesim seculo 10. sub Lothario II. Pro sancto Mauro, Ægyptiis ignoto, legendus forsitan S. Macarius Alexandrinus, S. Antonio sub disjunctione junctus, utpote ejusdem professionis cum eo.

59 Medio ævo, cum jam Cæsarea Philippi diceretur Paneas, & extra Palæstinam non alia quam Cæsarea Cappadociæ nosceretur, confusam fuisse nomenclaturam hujus urbis, patet etiam ex Joanne Phoca, qui hanc ipsam Palæstinæ Cæsaream cognominavit Philippi.

60 Videntur hæc nomina sic restitui posse, ut pro Arissa, Larissa, pro Aristola, Arethusa; pro Piphana, Epiphania legantur, civitates Syriæ, sicut & Emesa inter Heliopolim & Apameam. Ita tamen hæc loca vicina inter se sunt, ut recto itinere non occurrant, sed grandi utrimque excursu opus sit.

61 Bacchus & Sergius fide, non sanguine fratres, sub Maximiano in Armenia passi, coluntur 7. Octobris. Ex his Bacchus secundum Latina Acta apud Mombritium, Barbarysi capite plexus dicitur: hæc autem videtur esse Arabissus sub Metropoli Melitena, haud longe a Comanis Cappadociæ; nec ita longe, interjecto Tauro monte, in Provincia Euphratesia est Sergiopolis, a sancti Sergii cultu & corpore nomen adepta.

Hic vero abductus quidem est in castellum Surorum, quo nomine Sura ad Euphratem intelligitur, inter Chalcidem & Carram, sed denique martyrium consummavit in castello Chuzaphata, quod ab eo deinde creditur nomen Sergiopolis recepisse. Itaque hæc quidem omnia male consuta sunt, ex male intellectis Sanctorum istorum Actis: indicant autem magnam ignorantiam auctoris, qui ex Carra Mesopotamiæ in Arabissum Armeniæ descendens, spatio leucarum circiter 100. rursum ab Arabisso revolat Suram, pari omnino intervallo: nam Carra & Sura satis vicinæ urbes sunt. Deinde nescio quid infert de Tyro Phœniciæ urbe, tantumdem distante ab urbe Sura Occidentem versus, quantum ab eadem Sura distat Arabissus ad Septentrionem. Ms. Tornacense, cujus solius integrum egraphum habeo, sanctum Georgium perpetuo appellat, pro Sergio. Sed hunc errorem libenter excusavero, propter utriusque nominis inter se facillime commutabilis affinitatem.

Ignosce, Lector, quod post auctorem adeo gravem, pium, elegantem, qualis est Joannes Phocas, voluerim te fatigare inconcinna hac Placentini scriptoris balbutie, nullo stylo, nullo ordine, nulla verisimilitudinis cura conjungentis vera falsis, affinia disparatis.

Oportuit utrumque integre legendum exhibere, ut si cui fuerit hactenus suspectus Phocas, quia a me laudatus; non suspectus Antoninus, quia sibi favens; is nunc, collato inter se utroque, non mihi sed oculis suis atque judicio credat. Credet certe, cui tam vacuus a præjudiciis erit animus, ut de Antonino dubitare possit. Potuit Rever. Pater Fr. Joseph Ignatius a sancto Antonio, Carmelita Discalceatus Gallobelga, ex illustrissima familia Toparcharum de Rebec oriundus, laudatusque in præfatione ad Tom. 12. Spicilegii Acheriani, velut longe eruditissimus & antiquarum rerum peritissimus: qui ante hos novem annos istud qualecumque Itinerarium sua manu transcriptum Tornaco misit, quærens quid tandem de auctore sentirem, qui ipsius judicio neque posset fuisse tam antiquus, quam præfert Sancti Antonini Martyris Placentini titulus; neque videretur esse tam novus, quam suggerebat tertia quartave a principio linea, ubi legebatur Antoninus in quibus locis per Regnum conatus est ire, intelligendo Regnum Neapolitanum, per quod ab urbe Placentina usque ad extremam Italiam iter alioqui erat iturus in Orientem, Regnum enim, ajebat, hoc sensu sumitur pro magna Græcia, seu reliqua post Romam Italia; & sic primum appellari

cœpit seculo 12. *necesse est autem uno ut minimum seculo citius scriptum Itinerarium fuisse ; cum nulla mentio uspiam fiat Latinorum , qui in Syria eo tempore essent , vel antea aliquando fuissent , nulla etiam alicujus in Carmelo monasterii*.

Respondi ego , idemque nunc censeo , decimi vel undecimi seculi scriptum istud videri , tum ex styli barbarie , tum ex aliis adjunctis , sed pseudepigraphum : idque non tantum quia se Antonini Martyris *socium facit , & illum qui Miles fuit , transformat in Presbyterum vel monachum*, Patrem Antoninum *appellando cap.* XXXIV. *sed maxime , quia se dicit socium itineris , quod non potuit nisi somnians fecisse : quo fit ut taceat de celebrioribus , quæ in Terra Sancta antiquitus fuerunt & tunc adhuc erant , monasteriis , puta Sabæ , Charitonis , Euthymii , Gerasimi , Theodosii , Calamonis , Chozebes , de aliis vero non nisi incerta quædam & sæpe fabulosa percurrens , nihil nos docere possit circa statum monasticum in Oriente , pro illo quo vixit & scripsit seculo , quantumcumque dilato* .

CORRIGENDA.

17. lin. 33. מת leg. מה. 19. lin. 29. בסוק leg. בסוף. Ibid. lin. 20. עולה leg. עולם. 42. lin. 18. φύγοντης leg. φύγοντες. Ibid. lin. 46. מתני leg. מפני. 44. lin. 23. ארע leg. ארץ. 53. lin. 25. יזכור leg. יזכור. 57. lin. 37. איה leg. איים. Ibid. ליורי leg. ליורדי. 69. lin. 5. העליוניב leg. העליונים. 83. lin. 30. נבגלילות leg. ובגלילות. 87. lin. 54. אנריאה סופיריאור leg. אנריאה סופיריאור. 89. lin. 10. דודו leg. הודו. 97. lin. 1. טמקום leg. ממקום. 99. lin. 9. מלכיהםו leg. מלכיהם. 147. lin. 33. dele מות. 161. lin. 33. ונגף leg. ונגע. 169. lin. 20. בית leg. בים. Ibid. lin. 23. מתשץ leg. מתשע. 201. lin. 37. ליחס leg. ליחם. 255. lin. 27. רונדס leg. רודוס. Ibid. lin. 27. למזרה leg. למזרח. 257. lin. 20. גנבוהים leg. גבוהים. 259. lin. 20. והעור leg. והעיר. 261. lin. 29. הערבוים leg. הערביים. 269. lin. 12. ושופאי leg. ושופטי. 363. lin. 22. כהם leg. כתם. Ibid. lin. 34. בופיר leg. סופיר. 403. lin. 15. תשריש leg. תרשיש. Ibid. dele secundum ספינות. 407. lin. 34. נשים leg. שנים. 413. lin. 25. מתרת leg. סחרת. 415. lin. 17. תלבי מרשיש leg. מלכי תרשיש. 429. lin. 31. ערכ ערב leg. ערב ערב. 434. lin. 51. קיכום leg. קופים. 437. lin. 47. קכה leg. קנה. 487. lin. 5. ארעכ leg. ארץ. 545. 5. duobus leg. ducibus. 589. lin. 26. תחפנים leg. תחמנים. 613. lin. 13. אי אפשר לרגיר כח מעשה ברשית לבשר ודם leg. אי אפשר לבשר ודם וגו. 645. lin. 28. נחה leg. נהר. 647. lin. 29. מלבא leg. מלכא. 653. lin. 12. dele Cardo. 701. lin. 15. נגות leg. ננות. Ibid. 49. פרוריא leg. פרדסיא. 707. 28. יזרך leg. ערך. 729. lin. 48. verba leg. urbe. 741. lin. 47. פנע leg. פגע. 771. lin. 8. מלכזת leg. מלכות. Ibid. not. 20. וב leg. נב. 791. lin. 5. מנחתו leg. מנחתו. 841. lin. 36. דמק leg. עמק. 843. lin. 57. בכיץ leg. בניץ. 963. verf. 15. & 17. *Typographorum incuria depravatos ita lege*. *Talmudicorum* quidam opinantur , Hebræis חמת Jof. XIX. 33. 1. Chron. 11. 55. *Græce* Ἀμμάθ est , vique originis suæ, quam a verbo חמם, *incaluit*, duxit , loci calidissimi & exæstuantis refert notionem . Quo magis eorum firmatur sententia , qui urbis חמת solum calidis scaturiisse aquis existimant . 965. lin. 17. שבח leg. שבה. Ibid. ולמח leg. ולמה. 975. lin. 27. הבר leg. רבה. 991. lin. 16. טנכר leg. מדבר. Ibid. lin. 22. בסוף הנחל leg. בסוף הנחל. Ibid. lin. 48. נקהלו leg. נקהלו. 1057. lin. 4. נסכתנ leg. נסכתי. 1095. in not. lin. 19. התורה ברבית leg. ברבית התורה. 1101. 21. ςώμαπος leg. σώματος. 1125. lin. 53. אטון leg. אמון. 1129. lin. 51. Αἰγύπτῳι καὶ τῷ συναπισμο, leg. Αἰγύπτιοι καὶ τῷ συναπισμῷ.



INDEX CAPITUM OPUSCULORUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

P. DAN. HUETII

COMMENTARIUM

De Navigationibus Salomonis.

MARTINI LIPENII

DISSERTATIO

De navigio Salomonis.

EJUSDEM DISSERTATIO

DE OPHIR.

P. DAN. HUETII

TRACTATUS

De situ Paradisi Terrestris.

C A-

HIERONYMI VAN ALPHEN

DE TERRA CHADRACH ET DAMASCO

Ejus quiete ad Zachar. IX. I.

DISSERTATIONIS

PARS ALTERA

De Damasco Atergatis requie.

CHRISTOFORI CELLARII

DISSERTATIO

De excidio Sodomæ.

PETRI ZORNII

LIBER SINGULARIS

De historia, & antiquitatibus Urbis No-Amon &c.